SUMMA
THEOLOGICA
SCHOLASTICA
ET
MORALIS
IN QVATUOR PARTES DISTRIBUTA.

SUMMÆ THEOLOGICÆ SCHOLASTICÆ ET MORALIS

IN QVATUOR PARTES DISTRIBUTÆ

PARS PRIMA.

In qua breviter & dilucidè tractantur ea quæ divinam naturam ejusq; perfectiones, SS.mam Trinitatem, opera creationis, angelos præsertim, ac homines, hominumq; primævum statum concernunt.

AUCTORE

F. GVILIELMO HERINCX Ordinis Fratrum Minorum in Academia Lovaniensi S. Theologiæ Lectore Iubilato.

Ad Reverendissimum Patrem F. MICHAELEM ANGELUM DE SAMBUCA *totius Ordinis Fratrum Minorum* S. FRANCISCI *Ministrum Generalem.*



ANTVERPIÆ,
APUD PETRUM BELLERUM.
M. DC. LX.



REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI F. MICHAELI ANGELO DE SAMBUCA TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM S. FRANCISCI MINISTRO GENERALI.



REVERENDISSIME PATER.

Instigantibus, immo mandantibus Superioribus, cœpi nõ ita pridem manum admovere ad scriptionem Summæ Theologicæ ob causas in Præfatione ad Lectorem expositas. Cui dum Patronum quæro, sub cujus tutela feliciter & securè in lucem prodeat, primus omnium Tu menti occurristi Reverendissime Pater. Non enim alteri, quàm Patri optimo, Opus, præsertim primigenium, filii debebatur. Non sub alterius, quàm Religionis Seraphicæ supremi Capitis auspiciis Opus utilitati Religionis destinatum lucem videre poterat: à quo nimirum tam grandi auctoritate pollente Opus ipsum necdum suâ auctoritate maturum nutriri, foveri, defendi quàm optimè posset: à quo insuper Capi-

te adeò conſpicuo & præclaro non poſſet nõ multum ſplendoris mutuare. Præclarum ſanè Caput, in quo ſupereminent virtutes, vitæque religioſæ operationes, Sapientiaque Theologica cum Iurisprudentia, ac utraque cum annoſa ac multiplici experientiâ in tot antea officiorum ac functionum gradibus probatâ pro corona decertant: ut verè funes Religioni Seraphicæ in Capitulo Generali Anno ſuperiori Toleti celebrato ceciderint in præclaris, dum Tu Reverendissime Pater inter tot præclara Religionis ſidera velut ſol emicãs Caput Totius Religionis Frãciſcanæ, ipſeq; adeò Succeſſor Seraphici Francisci concordibus ſuffragiis effectus es. Neque ad hoc ſublime faſtigium ſubitò, ſed cunctis Religionis gradibus aſcendiſti: poſteaquam nimirum Provincias, quâ decet prudentiâ & Religionis zelo, partim rexiſſes, partim correxiſſes & viſitaſſes, poſteaquam Miniſtris Generalibus non ſemel velut Aſſeſſor & à Conſiliis fuiſſes, ſecundò nimirum in generalem Ordinis Definitorem coöptatus. Non Tu Reverendissime Pater tibi ipſi hunc honorem ſumpſiſti, ſed vocatus à Deo tamquam Aaron voci divinæ per ſuffragia Religionis intimatæ obediſti. Talis enim decebat, ut Ordini eſſet Generalis, qui de Generalatu nil cogitans in Sãcto Salvatoris ſepulchro cum Magdalena petierat deliteſcere, vitæque & paſsionis Domini veſtigiis preſsiùs, non ſolùm affectûs, ſed

etiam

etiam corporalibus pedibus insistere. Gratulor proinde Reverendissime Pater; sed Religioni potiùs,an Tibi? Dicam,Et Religioni & Tibi.Neque enim Religioni Seraphicæ aliud quàm Michaelis Angeli Seraphicum caput: neque Seraphico capiti alia quàm Seraphica Religio cōgruebat. Gratulor, inquam, meo ac Provinciæ meæ Inferioris Germaniæ nomine,communemque lætitiam hoc publico monumento,quamprimùm potui,manifesto.Provinciæ,dico,quæ cum re & titulo Regularis Observantiæ glorietur, eò ampliùs gloriatur se habere caput adeò puræ & Regularis Observantiæ amans,atque hoc nomine singulari erga se animi propensione affectum. Cujus quidem non obscura ex nunc Reverendissima Paternitas Vestra prodere cœpit indicia,bene & laudabiliter de eadem Provincia loquendo. Accipe igitur Reverendissime Pater hoc gratulationis, gratitudinis ac venerationis symbolum. Accipe fronte serenâ Opus tot Tibi nominibus obnoxium, velut ab animo observantiæ & affectûs in Te plenissimo profectum: illudque, & Offerentem,tum Auctorem, tum Provinciam fove & protege. Reliquum est,ut votis ac precibus nostris fiat & maneat fortis Dei manus super virum dexteræ suæ, & super filium hominis, quem confirmavit sibi in Generalem Custodem Vineæ suæ, quam olim plantavit dextera Excelsi per manum alterius Angeli as-

cendentis ab ortu solis, & habentis signum Dei vivi, viri scilicet Angelici Francisci: Fiat (inquam) & maneat manus ista super Te REVERENDISSIME PATER MICHAEL ANGELE, quatenus potenter extermines vulpes parvulas inobservantiarum, quæ hinc inde demoliri conantur hanc sacram vineam; quatenus evellas & destruas spinas & zizania, quæ dormientibus Custodibus inimicus homo superseminare non cessat; quatenus in Religionis Seraphicæ vinea ædificare & plantare non cesses fructiferos virtutum, & puræ Observantiæ palmites & propagines, unde prodeat vinum optimum dignum Dilecto ad potandum; palmites, inquam, qui non solùm suâ amplitudine usque ad mare sese extendant, sed & sublimitate ad ipsum usque Empyreum pertingant: quatenus ita verbo & exemplo quibus præes proficiens, unà cum grege Tibi credito ad vitam pervenias sempiternam.

A

Lovanii in Conventu Fratrum Minorum
die 15. Aprilis Anno 1659.

Ita Vovet & Obsecrat
REVERENDISSIMÆ PATERNITATIS VESTRÆ
OBSERVANTISSIMUS FILIUS

F. GVILIELMUS HERINCX.

FACULTAS

SEU

Mandatum Superiorum.

FRater MICHAEL ANGELUS DE SAMBUCA Totius Ordinis S. FRANCISCI Minister & Servus, Dilecto in Christo Patri Fratri GVILIELMO HERINGX S. Theologiæ Lectori Iubilato salutem.

Vestrum in nos affectum, vestrumque in componenda *Summa Theologica* laborem magnifacimus. Ejusdem dedicationem nobis offert; & acceptamus. Iustum enim est vestro filiali obsequio condescendere, vestrisque votis annuere. Et quia in Religionis decus, Studiosorumque profectum prælibatæ *Summæ Theologicæ* impressionem credimus redundaturam; Vestræ Paternitati ad majus Obedientiæ meritum mandamus, ut ipsam typis mandet, secura de vestro condigno præmio, nostrâque benevolentiâ. Valeat Paternitas Vestra, pro nobis Deum exoratura. Datum Romæ in nostro Conventu die octavâ mensis Martii, Anno 1659.

F. MICHAEL ANGELUS
DE SAMBUCA
Minister Generalis.

ẽ j MAN-

MANDATUM
OBEDIENTIÆ
Reverendissimi Patris Commissarii Generalis.

FRater IACOBUS DE RIDDERE Ordinis S. FRANCISCI Regularis ac Strictioris Observantiæ super Provincias Germaniæ superioris, Belgii, Hiberniæ, Angliæ, Scotiæ, Daciæ, cum plenitudine potestatis in utroque foro Commissarius Generalis, Venerando Admodum Patri Fratri GVILIELMO HERINCX ejusdem Ordinis, ac Provinciæ nostræ inferioris Germaniæ S. Theologiæ Lectori Iubilato Salutem ac pacem in Domino sempiternam.

Quamvis nemini possit esse dubium, quin scriptio Dictatorum, ex ore Professorum hactenus in Universitatibus & Religionibus (per Belgium præsertim) usitata, suas habeat utilitates, easque non modicas: tum ut Professores propria principia & sententias suas meliùs exprimant; tum ut Discipuli inter scribendum attentiùs ruminent, atque tenaciùs imprimant memoriæ. Experientiâ tamen magistrâ didicimus eam non modica inconvenientia secum adferre, præsertim in Ordine nostro Seraphico: dum Studiosi vigiliis, jejuniis, ciborum ac vestimentorum grossitie, aliisque Ordinis asperitatibus, plusquam satis debilitati, molestâ adhuc scriptione ita exhauriunt vires, ut magna eorum pars, antequam studia absolvat, detrita quodammodo videatur, atque ad Ordinis servitia, ac proximorum salutem procurandam, propemodùm inveniatur inidonea. Quibus accedit, quòd divina Officia in Choro (à quibus Studiosi ex toto eximi non possunt) aliaque à Tyronibus in Ordine præstanda servitia & exercitia tantum temporis absumant, ut vix modicum restet studiis necessariis impendendum.

Quamobrem alma hæc nostra Provincia inferioris Germaniæ, aliæque plures Provinciæ vicinæ diu, multumque desideraverunt edi cursum aliquem Theologicum substantiosum & dilucidum, in quo relictis tricis & quæstionibus minùs utilibus, solique exercitio ingeniorum deservientibus, materiæ utiliores & necessariæ, quantâ fieri posset

posset brevitate & soliditate tractarentur. Tandemque in Capitulo nostro Provinciali hoc Anno 1658. Ianuarii 13. Mechliniæ celebrato, Reverendi Patres Definitorii judicarunt Reverentiam Vestram tam bono ac utili Operi applicandam. Quorum consilio & resolutioni insistens, Tibi, de cujus doctrina, sufficientia, ac prompta voluntate plenam in Domino confidentiam habemus, commendandum duximus & injungendum, prout in meritum *Obedientiæ* injungimus per præsentes, quatenus, quantâ fieri potuerit celeritate Cursum Theologicum diu (ut diximus) desideratum componas & absolvas, qui in Lectorum & Studiosorum levamen, & ad majorem fructum in scholis prælegi possit. Datum Mechliniæ 17. Ianuarii Anno 1658. sub meo Chyrographo, Officiique sigillo majori.

Locus sigilli

F. Iacobus de Riddere
Commissarius Generalis.



FACULTAS

Admodum R. P. Vicarii Provincialis.

EGo infra-ſcriptus Ordinis Fratrum Minorum Provinciæ Germaniæ inferioris Vicarius Provincialis facultatem facio, ac inſuper in meritum Obedientiæ ſalutaris injungo Venerando Admodum Patri Fratri GVILIELMO HERINCX ejuſdem Ordinis & Provinciæ S. Theologiæ Lectori Iubilato, ut ſervatis de cetero ſervandis, typis divulgari curet Opus ſuum intitulatum *Summa Theologica Scholaſtica & Moralis in quatuor Partes diſtributa*, pro parte feliciter abſolutum, pro reliqua propediem divinâ gratiâ opitulante abſolvendum, ad ſcholæ præſertim Seraphicæ uſum & utilitatem. Datum Bruxellæ in Conventu noſtro Fratrum Minorum die 5. Maii Anno 1659.

F. SIMON. IORDENS
Vicarius Provincialis.

APPRO-

APPROBATIO
Theologorum Ordinis.

NOs infra-scripti summo cum gustu ac delectatione perlegimus *primam Partem Summæ Theologicæ* V. A. P. GVILIELMI HERINCX, ex Ordine FF. Minorum in Academia Lovaniensi S. Theol. Lectoris Iubilati: non solùm enim bonis moribus & orthodoxæ Fidei optimè consonat, sed & hujus Adversarios strenuè oppugnat, atque in ea rejectis vanis speculationibus ac superfluis quæstionibus, vera & Theologo digna de Deo Uno, Trino ac Creatore doctrina, juxta *Doctoris Subtilis* mentem, dilucidâ brevitate tam solidis assertionibus, claris probationibus & objectionum solutionibus adstruitur, tantâque modestiâ adversa doctrina (ubi id opus est) refellitur, ut non solùm sit qualem hactenus desideravit Ordo Seraphicus, verùm etiam qualem meritò expetat quivis Theologus. Unde eam communi bono utilissimam & typis dignissimam censemus. Datum Lovanii in Conventu nostro Fratrum Minorum Reg. Observ. die 19. Aprilis, Anno 1659.

F. ADRIANUS VANDEN PERRE *Ord FF. Min. S. T. Lector.*

F. IOSEPHUS DUYSELIUS *Ord. FF. Min. S. Theol. Lector.*

F. COSMAS MEERSMANS *Ord. FF. Min. S. Theol. Lector.*

CENSURA

Censoris Ordinarii.

HÆC *Prima Pars Theologiæ Scholasticæ & Moralis*, Auctore Reverendo Patre Fratre GUILIELMO HERINCX Ordinis Fratrum Minorum S.Theologiæ Lectore Iubilato, nihil repugnat fidei Orthodoxæ, aut Christianis moribus: quin immo illam forti marte propugnat, eruditâque scribendi perspicuitate nervosæ brevitati conjunctâ insigniter illustrat: istos verò exprimit, imprimitque dum Seraphicam humilitatem, ac modestiam, præsertim in aliorum Auctorum Catholicorum contrariis Sententiis referendis refellendisque, ubique observat; atque ita charitatem continuò cum scientia maritat, ut non possit non Lectorem plurimùm ædificare: ideoque non modò ad bonum Scotisticæ, sed etiam cujuscumque alterius Scholæ Typis evulgari poterit. Lovanii hac 28. Martii, Anno 1659.

ANTONIUS DAVE *S.Theologiæ Doctor & Professor Regius, Librorum Censor Apostolicus & Archiepisc. Mechlin.*

PRIVI-

PRIVILEGIUM CÆSAREUM

Super impreſſione librorum Auctorum Ordinis S. FRANCISCI Regularis & Strictioris Obſervantiæ.

PRIVILEGIO CÆSAREÆ MA^TIS. cautum eſt: Ne quis per Univerſum Imperium libros à Patribus Ordinis S. FRANCISCI Regularis & Strictioris Obſervantiæ editos aut edendos imprimat, recudat, aut alibi recuſos, intrà Sacri Imperii, Regnorumque ac dominiorum hereditariorum DOMUS AUSTRIACÆ adducat, vendat, vel diſtrahat abſque conſenſu & facultate eorumdem Patrum ſub pœna Confiſcationis Librorum & mulctâ viginti marcharum auri puri. Ita Sancitum & Decretum in Civitate Ratiſponenſi pridiè nonas Decembris Anno 1636. *Signatum.*

FERDINANDUS.

Infrà:

Ad mandatum S. Caeſ. Ma^tis. proprium

IOANNES WALDERODE

A latere: P. H. A STRALENDORFF.

FACULTAS

Reverendiſſimi Patris Commiſſarii Generalis.

VIrtute Privilegii S. CÆSAREÆ MA^TIS. ſuper impreſſione & diſtractione librorum per Fratres Minores Regularis aut Strictioris Obſervantiæ conceſſi, facultatem facio PETRO BELLERO Typographo Antuerpienſi, ut imprimat ac diſtrahat 1^am. & 2^am. Partem *Summæ Theologicæ Scholaſticæ & Moralis &c.* Auctore Venerando Admodum Patre F. GUILIELMO HERINCX Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ noſtræ Inferioris Germaniæ Sacræ Theologiæ Lectore Iubilato, cum plenario uſu Privilegii Cæſarei præfati; idque pro prima illius editione. Actum Mechliniæ in Conventu noſtro Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ die 29. Aprilis, Anno 1659. ſub noſtra Signatura Officiique ſigillo minori.

F. ANTONIUS AB OUDENHOVEN
Commiſſarius Generalis Germaniæ, Belgii &c. cum annexis.

INDEX ET ORDO TRACTATUUM, DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM ET DUBIORUM, QUÆ IN HOC VOLUMINE TRACTANTUR.

PROLOGI
In Universam Theologiam.

QUÆSTIO I. *De Nomine, partitione ac necessitate Theologiæ.* pag. 7.
QUÆST. II. *De Objecto Theologiæ.* 9.
QUÆST. III. *De Principiis Theologiæ.* 11.
QUÆST. IV. *An Theologia sit scientia, eaq; argumentativa, & an subalternetur scientiæ Dei & Beatorum.* 13.
QUÆST. V. *An Theologia sit practica an speculativa.* 15.
QUÆST. VI. *An Theologia sit certior scientiis naturalibus.* 16.

TRACTATUS I. DE DEO UNO.

DISPUTATIO I.
De Existentia & Essentia Dei. pag. 18.

QUÆSTIO I. *An Deum existere sit per se notum.* ibid.
QUÆST. II. *An ex fide & evidenti ratione constet Deum esse.* 21.
QUÆST. III. *Quibus rationibus demonstretur Deum esse.* 23.
QUÆST. IV. *Qualis sit natura sive essentia Dei.* 25.
DUB. I. *An Deus sit essentialiter substantia spiritualis, intellectualiter vivens.* 26.
DUB. II. *An existentia & singularitas sint de essentia Dei.* 27.
DUB. III. *An singularitas naturæ divinæ, seu quòd non possint dari plures Dii sit non solùm certum ex fide, sed etiam evidens ex ratione.* 30.

DISPUTATIO II.
De Perfectionibus sive Attributis divinis in communi. pag. 31.

QUÆSTIO I. *Quid sit attributum & modus intrinsecus, & quotuplex in Deo.* ibid.
QUÆST. II. *An essentia divina distinguatur realiter ab attributis & personalitatibus, vel attributa ab invicem.* 33.
QUÆST. III. *An essentia divina, ejusq; perfectiones seu attributa distinguantur solo nomine, an ratione ratiocinatâ, an denique formaliter ex natura rei.* 34.
QUÆST. IV. *An essentia divina sit de essentiali, seu intrinseco conceptu attributorum & personalitatum divinarum: & contrà.* pag. 39.

DISPU-

DISPUTATIO III.

De Perfectione infinita, seu Infinitate & Simplicitate Dei. p. 41.

QUÆSTIO I. *An & qualiter in Deo sint perfectiones omnium rerum.* ibid.

QUÆST. II. *An Deus sit infinitæ perfectionis.* pag. 43.

QUÆST. III. *An Deus sit perfectè simplex.* pag. 45.

DISPUTATIO IV.

De Immutabilitate, Æternitate, & Immensitate Dei. pag. 47.

QUÆSTIO I. *An & quomodo Deus sit immutabilis.* ibid.

QUÆST. II. *An Deo propriè conveniat æternitas.* 51.

QUÆST. III. *An & quomodo Deus sit immensus & ubique.* 53.

DISPUTATIO V.

De Cognoscibilitate Dei, sive de Invisibilitate & Visibilitate ac Visione Dei. pag. 56.

QUÆSTIO I. *An Deus sit naturaliter invisibilis.* 57.

QUÆST. II. *An Deus sit saltem supernaturaliter visibilis creaturæ.* 59.

QUÆST. III. *An Deus possit supernaturaliter videri ab intellectu in hac vita mortali, & an aliquando ab illo visus fuerit.* 61.

QUÆST. IV. *Per quid intellectus elevetur ad videndum Deum.* 65.

QUÆST. V. *An in Beatis sit inæqualitas visionis beatificæ, & an in solius luminis inæqualitatem sit inæqualitas visionis referenda.* pag. 69.

QUÆST. VI. *An Beati necessariò videant omnia, quæ sunt formaliter in Deo.* 71.

QUÆST. VII. *An & quomodo Beati in Deo videant creaturas.* 73.

QUÆST. VIII. *Quidnam ex rebus creatis singuli Beati in Deo videant.* 77.

QUÆST. IX. *An visio beatifica sit simplex notitia, directa seu non reflexa, species seu similitudo expressa, & verbum mentis.* 79.

QUÆST. X. *De Incomprehensibilitate Dei.* pag. 81.

QUÆST. XI. *De Ineffabilitate Dei.* 83.

DISPUTATIO VI.

De Intellectu & Scientia Dei. pag. 86.

QUÆST. I. *An Deus sit præditus intellectu & scientiâ infinitâ, & qualis inter utrumque & essentiam intercedat distinctio.* ibid.

QUÆST. II. *Quodnam sit objectum divini intellectûs ac scientiæ.* 89.

QUÆST. III. *An Deus habeat certam scientiam futurorum contingentium.* 92.

QUÆST. IV. *In quo Deus certò & infallibiliter præsciat futura contingentia.* 95.

QUÆST. V. *An Deus habeat certam scientiam de futuris contingentibus conditionatis.* pag. 97.

QUÆST. VI. *De Ideis divinis.* 102.

QUÆST. VII. *De Virtutibus intellectûs divini.* 106.

DISPUTATIO VII.

De Voluntate & Volitione Dei. pag. 107.

QUÆSTIO I. *An in Deo sit voluntas, eaque libera.* ibid.

QUÆST. II. *In quo consistat ratio actûs liberi in Deo.* 110.

QUÆST. III. *Quodnam sit objectum divinæ voluntatis.* 113.

QUÆST. IV. *An Deus sive voluntas divina etiam velit mala culpæ seu peccata.* 115.

QUÆST. V. *De variis divisionibus divinæ voluntatis seu potiùs volitionis.* 120.

QUÆST. VI. *De variis affectibus sive passionibus divinæ voluntatis.* 123.

QUÆST. VII. *De Virtutibus divinæ voluntatis.* 125.

DISPUTATIO VIII.

De Providentia divina, ejúsque præcipuis partibus, Prædestinatione & Reprobatione. pa. 128.

QUÆSTIO I. *An in Deo sit Providentia omnium rerum.* ibid.

QUÆST. II. *De Providentia divina generali salutis omnium hominum, sive de Voluntate divina salvandi omnes.* 133.

QUÆST. III. *Quid sit & an in Deo detur Prædestinatio.* 136.

QUÆST. IV. *De effectibus Prædestinationis.* pag. 137.
QUÆST. V. *An ex parte prædestinatorum detur causa prædestinationis.* 140.
QUÆST. VI. *An efficax electio ad gloriam sit facta ante prævisionem meritorum.* 145.
QUÆST. VII. *De Reprobatione.* 156.
QUÆST. VIII. *De Libro vitæ, & Numero electorum in eo descripto.* 162.

DISPUTATIO IX.

De Potentia Dei, scilicet operativa, seu de Omnipotentia. pag. 165.

QUÆSTIO I. *An in Deo sit potentia operativa, & in quo consistat.* ibid.
QUÆST. II. *An Potentia Dei sit omnipotentia, sive potentia infinita, & ad quænam se extendat.* 167.

TRACTATUS II.

DE

DEO TRINO.

DISPUTATIO I.

De Veritate & Constitutione Mysterii Sanctissimæ Trinitatis, ac Relationibus divinis. pag. 172.

QUÆSTIO I. *An detur Trinitas, sive tres personæ, quæ sunt unus Deus.* ibid.
QUÆST. II. *An Mysterium SS. Trinitatis sit naturaliter cognoscibile.* 175.
QUÆST. III. *Per quid constituantur, & ab invicem distinguantur divinæ personæ.* 176.
QUÆST. IV. *An detur in divinis quarta relatio originis, scilicet spirationis activa, & qualiter à paternitate & filiatione distinguatur.* 179.
QUÆST. V. *De Relationibus communibus Identitatis, Æqualitatis, Similitudinis, Circuminsessionis divinarum personarum.* pag. 181.
QUÆST. VI. *An divinæ Relationes sive Personalitates formaliter importent aliquam perfectionem, eamque simpliciter & infinitam.* pag. 183.
QUÆST. VII. *De Notionibus divinis.* 185.
QUÆST. VIII. *An Personæ vel Relationes divinæ faciant numerum, & quibus nominibus exprimantur.* 186.

DISPUTATIO II.

De Processionibus divinis, earumque Principiis. pag. 188.

QUÆSTIO I. *An & Quotuplex detur in divinis origo seu processio.* ibid.
QUÆST. II. *An & cur una solùm processio divina sit generatio.* 190.
QUÆST. III. *An processiones divinæ sint de aliquo, & ad aliquid tamquam terminum.* pag. 192.
QUÆST. IV. *An divinæ Processiones sint per intellectum & voluntatem.* 194.
QUÆSTIO V. *Qualiter Processiones divinæ sint per essentiam ac intellectum & voluntatem? ubi de Potentia notionali.* ibid.
QUÆSTIO VI. *An ex eo quòd divinæ Processiones sint per intellectum & voluntatem, Pater intelligat & dicat Verbo, item Pater & Filius diligant Spiritu sancto.* 200.
QUÆSTIO VII. *Quorum cognitionem præsupponat processio Verbi, & quorum amorem processio Spiritus sancti.* 203.
QUÆST. VIII. *An Essentia divina sit principium quod divinarum processionum, sive principium quod generet Filium, & spiret Spiritum sanctum.* 206.
QUÆST. IX. *An Pater sit principium quod generationis Filii, & uterque processionis Spiritus sancti.* 207.
QUÆSTIO X. *An Pater & Filius sint unum principium Spiritus sancti, eumq; spirent unicâ spiratione.* 209.
QUÆST. XI. *An Processio Spiritus sancti necessariò exigat esse à duobus suppositis.* pag. 211.
QUÆST. XII. *An Spiritus sanctus distingueretur à Filio realiter, si ab eo non procederet.* 212.
QUÆST. XIII. *An divinæ processiones sint voluntariæ & liberæ.* 214.

DISPU-

DISPUTATIO III.

De Personis divinis, Missione & Modo loquendi in Mysterio SS. Trinitatis observando. pa. 216.

QUÆSTIO I. *De Persona Patris.* ibid.
QUÆST. II. *De Persona Filii.* 218.
QUÆST. III. *De Persona Spiritus sancti.* pag. 220.
QUÆST. IV. *De Missione divinarum Personarum.* 225.
QUÆST. V. *De Modo loquendi observando in mysterio Sacrosanctæ Trinitatis.* 228.

TRACTATUS III.

DE

DEO CREATORE.

DISPUTATIO I.

De Creatione rerum in generali. pag. 231.

QUÆSTIO I. *An Deus sit Creator omnium rerum.* ibid.
QUÆST. II. *An Deus omnia quæ creavit necessariò conservet ad hoc ut possint persistere in esse.* 234.
QUÆST. III. *An Deus immediatè cooperari debeat omnibus actionibus causarum secundarum, etiam peccaminosis.* 235.
QUÆST. IV. *An Deus quædam produxerit & producat per propriè & strictè dictam creationem, & an hæc soli Deo competere possit.* 239.

DISPUTATIO II.

De Creatione, Substantiâ, Distinctione, Numero & Ordinibus Angelorum. pag. 243.

QUÆSTIO I. *An dentur Angeli, quando & ubi creati.* ibid.
QUÆST. II. *An Angeli sint substantiæ spirituales, & naturâ suâ incorruptibiles seu immortales.* 247.
QUÆST. III. *Qualis sit differentia, quantusq́; numerus Angelorum.* 250.
QUÆST. IV. *De Distributione Angelorum in Hierarchias & Choros sive Ordines.* pag. 252.

DISPUTATIO III.

De Intellectu & Voluntate Angelorum. pag. 255.

QUÆSTIO I. *An in Angelo sit intellectus specie distinctus ab humano.* ibid.
QUÆST. II. *Quodnam sit objectum intellectus angelici.* 256.
QUÆST. III. *De Medio Cognitionis angelicæ.* 259.
QUÆST. IV. *De Cognitione angelica.* 263.
QUÆST. V. *De Locutione & Illuminatione angelorum.* 264.
QUÆST. VI. *De Voluntate angelica.* 267.

DISPUTATIO IV.

De Potentia locomotiva, Apparitionibus, & ministeriis Angelorum. pag. 268.

QUÆSTIO I. *An Angeli sint præditi potentiâ locomotivâ.* ibid.
QUÆST. II. *De Motu locali Angelorum.* pagina 269.
QUÆST. III. *De Existentia Angeli in loco, seu termino motûs localis.* 270.
QUÆST. IV. *Quidnam possint Angeli producere sive operari.* 273.
QUÆST. V. *Quomodo Angeli assumant corpora, in quibus apparent, & quas in iis actiones exerceant.* 274.
QUÆST. VI. *An Apparitiones divinæ præsertim veteris Testamenti factæ sint per angelos.* 276.
QUÆST. VII. *De Missione, Ministeriis & Custodiâ angelorum.* 279.

QUÆST.

QUÆST. VIII. *De Ministerio dæmonum, quoad impugnationem hominum.* 282.
QUÆST. IX. *De Ministerio dæmonum in punitionibus & afflictionibus hominum.* 285.

DISPUTATIO V.

De Statu gratiæ & peccati Angelorum. pag. 288.

QUÆSTIO I. *Quibus donis instructi fuerint Angeli creati.* ibid.
QUÆST. II. *De Duratione viæ Angelorum.* 291.
QUÆST. III. *De Peccabilitate & Peccatis Angelorum.* 293.
QUÆST. IV. *De Pœnis dæmonum, ac primò de pœna sensus.* 296.
QUÆST. V. *Quomodo ignis inferni corporalis agat in spiritus damnatos.* 298.
QUÆST. VI. *De Pœna damni dæmonum.* 300.
QUÆST. VII. *De Obstinatione dæmonum.* 301.

DISPUTATIO VI.

De Creatione Mundi corporalis, ac præsertim hominis, hujusque primævo Statu. pag. 302.

QUÆST. I. *Quando & quot dierum spatio mundus sit conditus.* 303.
QUÆST. II. *De Opere primæ diei.* 307.
QUÆST. III. *De Opere secundæ diei.* 310.
QUÆST. IV. *De Opere tertiæ diei.* 311.
QUÆST. IV. *De Opere quartæ diei.* 314.
QUÆST. VI. *De Opere quintæ diei.* 316.
QUÆST. VII. *De Opere sextæ diei.* 317.
QUÆST. VIII. *De quibusdam Circumstantiis Creationis hominis.* 320.
QUÆST. IX. *De Felicitate Status Innocentiæ quoad corpus. Ubi incidenter quæritur, an Status primævæ conditionis sit homini naturalis.* 323.
QUÆST. X. *De Felicitate Status Innocentiæ quoad animam.* 326.
QUÆST. XI. *De Multiplicatione Posteritatis & conditione posterorum in Statu Innocentiæ.* 328.
QUÆST. XII. *De Lapsu & Pœnitentia primorum Parentum.* 331.
§. I. *De Peccabilitate primorum Parentum.* ibid.
§. II. *De Amissibilitate & duratione Status Innocentiæ.* 332.
§. III. *De Tentatione & Lapsu Hevæ.* 333.
§. IV. *De Lapsu Adami.* 334.
§. V. *De Pœna Peccati.* 336.
§. VI. *De Maledictione Serpentis.* ibid.
§. VII. *De Pœnitentia & Salvatione primorum Parentum.* 337.

FINIS.



PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.



ARIA *sunt,* Lector Benevole, *quæ animum deterrebant à scriptione aut editione librorum Theologicorum. Deterrebat siquidem scientiæ Theologicæ majestas atque sublimitas, composita infirmitati ingenij mei atque doctrinæ. Deterrebat (quod & multos Ordinis Seraphici viros doctissimos deterrere scio) Scriptorum & librorum doctissimorum in quavis materia Theologica tam immensa copia, ut si exquisitum non sit, quod denuò in lucem prodit, superfluus videatur labor voluminum Theologicorū lucubrationi impensus; exquisitum autem quid elaborare si præsumerē post tot exquisitissima perspicacissimarum Aquilarum Theologicarum opera, temeritatis ac superbiæ notam me incursurum meritò arbitrer. Aliunde quoque quietis internæ affectus me stimulabat, ut post varia annorum curricula discendo & docendo Theologiam Scholasticam consumpta, modico corruptibilis vitæ meæ tempore totum animi studium & occupationem ad laudes divinas cum fratribus meis decantandas, ac rerum cælestium meditationem seu contemplationem converterem; cujusmodi quidem vitæ dulcedo, futura beata gaudia prægustare nos facit in terris, omnemq; terrenam consolationem longis post se intervallis relinquit.*

Nihilominus aliud censuerunt ij, quorum voluntas mihi norma vitæ & actionum mearum ex voto facta est. Hi enim sæpenumero considerarunt, quantum foret è re studiorum Theologicorum, Ordinis præsertim Seraphici, si in lucem prodiret Summa Theologica *dilucidâ brevitate complectens, tum Scholastica, tum moralia, tum inter Catholicos & Hæreticos controversa, rejectis inutilibus & vanis speculationibus ac quæstionibus, quæ à nonnullis congeruntur ac fusè discutiuntur; retentisq; ijs, quæ ad mysteriorum fidei explanationem ac dilucidationem, atque adeò ad veram & Christianam pietatem, dignamq; Theologo eruditionem, deservirent. Quod equidem pro voto suo Superiores præstitum nondum viderunt, saltem accommodè ad institutionem Iuventutis*

Ordinis Seraphici, quæ in palæstra Theologica mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti *sequi consuevit juxta Constitutiones generales ejusdem Ordinis.*

Hinc itaque oriundum sperant iidē Superiores maximum studiorum emolumētum atque commodum. Bona enim temporis pars à studiosa juventute scriptioni impenditur, ideo tantùm, ut habeatur materia discendi: cùm alioquin explicationi ac dissertationi quotidianæ longè majori fructu & jucunditate Prælectores sive Professores possent insistere, notatis hinc inde sive additis quibusdam, si quæ notanda sive addenda occurrerent.

Accedit ex conditione Instituti Seraphici ratio specialis. Magnam etenim noctis ac diei partem divinis laudibus, meditationibus, aliisq; monasticis exercitiis Fratres impendunt, ut modicum restet, quod studiis impendatur. Providè idcirco curandum, ut modicum istud, & quidem ad paucos annos concessum, quàm fructuosissimè expendatur. Præterea victûs & vestitûs asperitas, juncta oneri cantûs choralis, aliisque Religionis arctæ austeritatibus, quæ aneis etiam pectoribus atterendis sufficiant, gravius reddunt juventuti teneræ onus continuæ scriptionis, de se alioquin satis grave. Alleviandis proinde oneribus, ac viribus sanitatiq; cōservandæ plurimùm momenti adferret, si Seraphicæ juventuti de impressa Summa Theologica *ei prælegenda provideretur.*

His similibusq; rationibus permoti Superiores nuper in Congregatione Provinciali, onus prælo parandi Summam Theologicam, *fini jam explicato convenientē, humeris meis in virtute Sanctæ Obedientiæ imposuerunt. Quæ quidem in animo meo, quantumvis rationibus aliud persuadentibus praoccupato, tantum ponderis meritò obtinet, ut ijs neglectis unius Obedientiæ Virtuti innixus, illius ductum ad amussim sequi desiderem, præstolaturus desuper vires, quæ desunt insufficientiæ meæ, & auxilium divinæ gratiæ, quæ semper infirma confirmat, ac humiliter obedientibus promptè præstatur.*

In hoc igitur opere solius Dei gloriam, ac publicum bonum præ oculis habere cupiens, studebo vitare inutiles altercationes, sive de vocibus ad fidem aut rem non pertinentibus, sive de ipsis rebus christianæ pietati, moribus, aut sanæ doctrinæ non deservientibus. Theologia siquidem vera sapientia, id est sa-

pida scientia est, si ut decet, tractetur. Alioquin viris cordatis, præsertim religiosis, subinde nō parum redditur insipida, dum inutiles de nomine quæstiones tam operosè & ad nauseam disputari cernunt, quas terminorum explicatione sopiri oportebat; dum tot aridas speculationes ac conjecturas fusè discuti conspiciunt, quæ vel præteriri, vel obiter attingi debuissent; dum Auctoritates Scripturæ, Conciliorum & Patrum parciùs attingi, Philosophicis autem subtilitatibus ac quæstionibus plerasque librorum paginas, ordine planè inverso, repleri intuentur.

Fateor non omnes de nomine quæstiones posse præteriri: cùm juxta monitum Apostoli, forma non tantùm rerum sed & sanorum verborum habenda, & inutilis vocum novitas studiosè sit vitanda, adeòq; refutanda. Fateor quoque Theologo spernendas non esse rationes naturales, sive Philosophorum placita, quibus etiam SS. Patres adversùs gentiles & hæreticos frequenter utuntur: iis enim non modicùm Theologia Christiana ornatur ac stabilitur, dum quæ fides docet, etiam rationi naturali ac Philosophiæ placitis consona esse ostendit, sicq; his velut Ægypti spoliis ditata apparet, Ecclesiæ quidem ad splendorem & firmamentum, ejus verò hostibus ad terrorem & expugnationem. Sobriè tamen philosophica attingenda sunt, & tali lege, ut Philosophia & ratio ancilletur, non dominetur Auctoritati, ne ex Academia vel Lyceo potiùs, quàm è Christi schola, Theologia nostra proficisci videatur.

Singulorum Auctorum opiniones ac rationes promiscuè ex professo examinare, easq; vel approbare vel improbare, intenta brevitas ac studiorum utilitas non permisit: quamquam id videam nonnullis doctissimo hoc sæculo in more positum, ut singulorum placita fusè enucleent, ac probent vel improbent. Quorum equidem studia nullatenus damno, utpote veritati penitiùs indagandæ opportuna. Quàmvis non desint, qui in hoc excessisse videãtur, ut aliena potiùs destruere quàm sua statuere satagentes, postquam alios longis argumentationibus, plerumque non efficacibus, neque semper noviter inventis, infestarunt, ipsimet nihil meliùs adferunt. Studui solidis assertionibus, & probationibus, iisq; plerumque paucis & brevibus, veriorem doctrinam statuere, objectionibusq; præcipuis vel tacitè occurrere vel breviter satisfacere. Idque Iuventuti lacte indigenti maximè opportunum, ne stomachus

insuetus nimietate ferculorum Theologicorum oppressus langueat potiùs, quàm nutriatur.

Si cui verò in hujus Summæ Theologicæ *processu aliter videatur, & fortaßis meliùs, non invideo, sed rogo, ut si quis aliquid in hoc Opere invenerit approbatione dignum, Deo omnium largitori gratias agat. In aliis verò locis, ut invenerit vel falsum vel dubium vel obscurum, scribentis insufficientia benignè indulgeat, qui absque dubio, teste conscientiâ, vera, aperta & communia dicere concupivit. Quidquid enim sit de verbis, hoc summopere attendendum, & in inquisitione qualibet est observandum, ne quis adeò lætetur de sententia oris sui, & sic ei inhæreat, ut oris alieni verba despiciat, aspiciens ea oculo minùs sano, & sic per tumorem & livorem sibi veritatis aditum occludat. Hanc autem veritatem infatigabiliter quærere, infallibiliter invenire, inamißibiliter apprehendere & tenere concedat nobis ille, qui est Via, Veritas, & Vita.*

In tradenda autem doctrina, & capessenda disciplina Theologica, non est in nuda veritatis inquisitione sistendum, sed ea ipsa dirigenda est ad efformandos, partim in se, partim in proximo, mores salutares, & præsertim ad concipiendum & fovendum amorem Dei rerumq́; cælestium. Alioquin salutarior erit simplex rusticitas, quàm docta Theologia illis, qui solùm student, ut sciant, non autem principaliter, ut conformiter agant & vivant; cùm scientia inflet, charitas verò ædificet. Quibus ingerendum est illud egregii ac devotißimi Paulinarum interpretis nostri Adami Sasbouth *saluberrimum monitum, qui in illud* ad Rom. 1. Evanuerunt in cogitationibus suis, *postquam de Ethnicis Philosophis dixisset:* Hi ergo quibus unicum studium erat inquirendi Deum, evanuisse dicuntur in cogitationibus suis, id est, vani facti, eò quòd contenti inquisitione, & quam inquirendo adepti erant cognitione, animum non intenderunt actioni, quæ inquisitionis & cognitionis est finis; *Subjungit:* Sic qui hodie multa disputant de Deo, nec tamen hoc agunt, ut totâ animi adhæsione illum complectantur, in ejusque amore magìs ac magìs indies proficiant, evanescunt in cogitationibus suis, & disputationibus sive dialogismis; & timere debent, ne hoc ipsis eveniat, quod Philosophis istis, hoc est, ne deferan-

tur à

tur à Deo, & dilabantur in errores maximos & probrosas cupiditates. Sequitur enim : & obscuratum est insipiens cor illorum, id est, mens eorum verè imprudens variis falsarum opinionum tenebris involuta est. *Hactenus* Sasbouth.

Non sic Seraphica juventus, non sic: sed Seraphici Doctoris S. Bonaventuræ *sectanda vestigia, de quo ex Chronicis in Officio Divino Ordini nostro proprio legimus, quòd omnem veritatem, quam percipiebat intellectu, ad formam devotionis & laudationis divinæ reducens, continuo ruminabat affectu.*

Denique Summam Theologicam *dividam in quatuor partes. In prima parte de Deo Uno, Trino & Creatore, & creatione rerum, ipsisq; rebus creatis, præsertim de Angelis & hominibus agam: in secunda parte de Beatitudine & statu hominis post hâc vitam, libero arbitrio, actibus humanis, peccatis, legibus, gratiâ & merito: in tertia parte de virtutibus & vitiis in communi & particulari: in quarta denique de Incarnatione & Sacramentis.*

Doctrinæ Doctoris verè Subtilis Ioannis Duns Scoti, *juxta Ordinis nostri sacri Constitutiones generales, insistam; non aspernaturus tamen sensa Doctoris verè Seraphici* S. Bonaventuræ, *nec, ubi discedendum à mente Doctoris verè Angelici* S. Thomæ, *eam superciliosè contempturus. Eam quippe desidero in Scriptoribus, præsertim Religiosis, maximè autem Dominicanis & Franciscanis modestiam, ut mutuas opiniones referendo, abstineant à verborum & censurarum aculeis. Meliùs namq; absque illis veritas indagatur & elucet: Charitas quoque, quæ vinculum est perfectionis, fovetur & conservatur. Quæ quidem scribendi modestia in præfatis Theologorum Principibus, signanter* Scoto, *mirabiliter emicat, ut scripta intuentibus patet. Illius defectu contigisse existimo, quòd apud nonnullos Doctrina Scotica inexpertos, ipsa velut in scholis peregrina appareat: quia nimirum vel à referentibus non lecta, vel malè intellecta, vel ineptis verborum aculeis subinde à quibusdam perstricta, dum oculis legentium ingeritur, mox animos, rationibus sententiam non ponderantes, exhorrescere facit. Ex decursu equidem Operis patebit, quàm sana, quàm communis sit doctrina Scotistarum,*

PROLOGUS
IN UNIVERSAM
THEOLOGIAM.

Quotquot ferè Theologiam more Scholaſtico tradiderunt, quæſtiones nonnullas eidem præambulas movent, quas veteres Theologi ſub nomine Prologi proponere conſueverunt. Quos imitando, ſit

QUÆSTIO I.

De nomine, partitione, ac neceſſitate Theologiæ.

Etymologia nominis Theologiæ.

1. HEOLOGIA latinè eſt ratio ſeu ſermo de Divinitate juxta *S. Aug. l. 8. de civit. c. 1.* Unde ſpectādo etymologiam nominis, omnes qui ſermonem de Deo inſtituunt, Theologi appellari poſſent. Et olim profani quoque rerum divinarum Scriptores, ac vetuſtiſſimi Poëtæ, qui ſub fabularum integumentis aliqua de Deo tradiderunt, Theologi ſunt appellati.

Triplex genus Theologiæ.

2. Theologiæ ſic generatim ſumptæ triplex genus diſtinxit Marcus Varro, ut refert *S. Aug. l. 6. de civit. c. 5.* Fabuloſum, quod Poëtæ tractarunt: Politicum ſeu civile, de quo egerunt ij qui de Republica legibus divinis inſtituenda, concernentibus nempe cultum Deorum, ſcripſerunt: & Naturale, in quo explicādo verſati ſunt Philoſophi. Quare *Ariſtoteles* primam ſuam Philoſophiam ſeu Metaphyſicam Theologiæ titulo inſignivit. Sed primum & ſecundum genus impium potiùs figmentum appellari debuit, quàm Theologiæ titulo honorari: quem neque tertium genus, ſcilicet Metaphyſica; meretur, eò quòd non habeat Deum pro objecto ſimpliciter, lumineque naturali altiùs non adjuto parciùs ac imperfectiùs de Deo diſſerat.

Nullum genus meretur titulum Theologiæ.

Quæ & quotuplex ſit Theologia ſimpliciter.

3. Quare nomen Theologiæ jure ſibi vendicat ea doctrina, quæ innixa lumini ſupernaturali divinas aſſequitur veritates. Alia autem Theologia, id eſt, ſcientia Dei: alia beatorum, id eſt, ſcientia propria beatis, maximè viſio beatifica: alia denique Theologia viatorum ſeu noſtra, quæ nimirum obſcuro dumtaxat lumini ſupernaturali, ſeu divinæ revelationi innititur. Theologia, de qua agimus, eſt viatorum; & pro ea per ſe ſtat nomen Theologiæ ſimpliciter poſitum. Eadem ſolet appellari ſacra doctrina, eò quòd ſcilicet revelationi ſupremi Magiſtri innitatur. Item ſacra diſciplina, quatenus ex eodem illam diſcimus & audimus.

Illa eſt Theologia viatorum.

Unde fides ipſa infuſa his nominibus maximè meretur inſigniri: ipſa enim immediatè lumini ſupernaturali, ſcilicet revelationi cæleſtis Patris innititur, ipſam ſupremus Magiſter per ſe docet ac inſpirat, ipſam denique ab eodem Patre cæleſti audimus & diſcimus. De eâdem potiſſimùm procedit quæſtio ac reſolutio Theologorum, dum inquirunt, an præter philoſophicas diſciplinas, ſit neceſſaria ad ſalutem doctrina ſacra. De qua nos in materia de fide, ubi neceſſitatem fidei infuſæ quoad habitum reſpectu omnium; quoad actum reſpectu adultorum, oſtendemus. 4.

Nihilominus uſus jam obtinuit, ut non fides ipſa, ſed doctrina eidem fidei, adeòque mediatè divinæ revelationi innixa, quæ partim ex revelatis, partim ex aliis principiis naturaliter notis diſcurrit, tum ad alias veritates indagandas, tum ad myſteria fidei explicanda & confirmanda, Theologia nominetur. Eſtque alia Poſitiva, quæ potiſſimùm occupatur in explicanda ſacra Scriptura, adeòque ponit & ſtabilit veritates ſeu articulos fidei, qui ſunt principia ſeu præmiſſæ alterius Theologiæ, quæ Scholaſtica appellatur; ideò quòd more aliarum ſcientiarum quæ in ſcholis traduntur, certâ & conciſâ methodo, moreq; philoſophico ad artem diſſerendi accommodato, per varia argumenta & rationes, etiam ſyllogiſticè, myſteria fidei confirmet, aliaſque indè veritates colligat. 5.

Theologia alia eſt poſitiva, alia Scholaſtica

6. Theologiæ Positivæ potissimùm incubuerunt veteres Patres: quamquam subinde etiam Scholasticam attigerint: cui magis inhæserunt posteriores Theologi, duce *Petro Lombardo* Episcopo Parisiensi. Is namque certo ordine quatuor libris (quos Sententiarum vocavit: unde & vulgò *Magister Sententiarum*, aut simpliciter *Magister* dictus est) doctrinam Theologicam sine ordine in vastissimis Sacrorum Doctorum scriptis diffusam, atque ex eorumdem, præcipuè *S. Augustini*, sententiis collectam, complexus est, hoc ordine. A Deo ut fine ultimo orditur, ejusque perfectiones, Unitatē, & Trinitatem concernentes, ac omnipotētiam Creatoris explicat in primo libro, divinâ voluntate (de qua tractat dist. 45. & tribus sequentibus) eum concludens. Secundum complectentem distinctiones 44. creationi & creaturis, angelis & hominibus impendit; statumque innocentiæ concernentia ibidem explicat, ac de culpa originali, nec non etiam de peccato generaliter tractat. In tertio agit de Incarnatione Verbi, de virtutibus Theologicis ac moralibus, de beatitudinibus &c. deinde de præceptis Decalogi, addens randem aliquid dist. 40. & ult. de veteri lege. In quarto agit de Sacramentis, & dist. 43. usque ad 50. & ultimam de finibus bonorum & malorum. Hanc methodum imitati sunt Doctores Seraphicus & Subtilis, & reliqui ferè omnes antiquiores; quin & ipse Doctor Angelicus *Thomas Aquinas* in priori scripto.

Ordo Antiquorum in tradenda Theologia.

7. Idem tamen postmodū novâ ac mirabili methodo & claritate in *Summa Theologica* à Deo Uno & Trino exorditur, ac tum per creaturas tamquam Dei opera excurrit in 1. parte. Secundam verò partem ob nimiam molem ac dicendorum multitudinem in duas subdividit. Et quidem in Prima Secūdæ seu 1. parte 2. partis, Deum ut finem creaturæ rationalis explicat, tradens media quibus ad eum perveniatur, vel ab eo devietur, scilicet actus humanos, eorumque bonitatem & maliriam: item eorum regulas, quæ sunt cōscientia & lex: denique principia, quæ sunt liberum arbitrium, gratia & virtutes. Sed de virtutibus ibi tantùm in communi. Deinde in 2. 2. agit de virtutibus Theologicis virtisque oppositis in particulati. In 3. denique parte explicat media externa à Deo cōcessa ad consequendum ultimum finem, scilicet Incarnationem Verbi divini, & Sacramenta novæ legis. Cui tandem subnectitur tractatio de finibus bonorum & malorum, ab altero ex aliis Doctoris Angelici scriptis suppleta, postquam idem S. Doctor scriptioni suæ immortuus, Angelicæ dissertationis filum usque ad quæst. 90. de partibus pœnitentiæ in generali perduxisset. Quæ quidem methodus, uti facilior & aptior, sic hodie in scholis est usitatior.

Ordo tradēda Theologia facilior.

8. Quod ad necessitatē doctrinæ Theologicæ attinet: constans est eam generatim sumptam (prout scilicet abstrahit à Positiva & Scholastica) esse necessariam Ecclesiæ Dei, spectato communi providentiæ modo. Sunt enim Ecclesiæ necessarii Pastores & Doctores juxta *Apostolum ad Ephes.* 4. Doctores autem institui & constitui debent per Theologiam: non enim sufficit simplex fides, cùm non omnes fideles sint Doctores, ut indicat *Apostolus ibid.* & expressè habet 1. *ad Cor.* 12. Quare idem *ad Tit.* 1. talem in Episcopo eruditionē requirit, *ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere*; quod sine Theologia fieri nequit. Unde sicut necessarii sunt Ecclesiæ, qui potentes sint ad persuadendum, ac resistentes arguendum, sic quoque necessaria est Ecclesiæ Theologia. Quod idem supponunt Patres & Interpretes *ibid.* Ideoque semper viguit in Ecclesia studium Theologiæ, præsertim quæ in explicatione Scripturæ versatur.

Theologia generatim sumpta est Ecclesiæ necessaria.

9. Ratio autem necessitatis sumitur ex eo, quòd nisi essent qui fidem non solum aptè proponerent, sed etiam contra adversarios explicare ac propugnare possent, non essent qui firmum mysteriorum, adeò abditorum (qualia fides nostra proponit) assensum reciperent aut firmiter retinerent. Quare populus facilè in errores incideret, neque contra tentationes in materia fidei esset instructus, nisi essent periti, qui alios instruere ac confortare possent; ut indicat *Apostolus ad Ephes.* 4. Unde meritò *S. Aug.* 14. *de Trin.* c. 1. est huic *scientia tribuens illud, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Immo etsi singuli non necessariò debeant pollere scientiâ Theologiæ, ut *S. Aug. ibid.* subdit; tamen pro singulis est necessaria: tum quatenus spectatâ cujusque fragilitate, ac occasionibus obvenientibus, facilè cuique suggeruntur ab ingenio, à Dæmone, ab hæreticis contraria Fidei, quæ doctorum virorum adjutorio sunt removenda ac solvenda: tum quatenus, si non essent Theologi, non essent prædicatores, hisque deficientibus, nec fideles.

Ratio necessitatis.

10. Loquendo autem in speciali de Theologia, Hæretici recentiores eam acriter insectantur, velut Ecclesiæ perniciosam, ut *Lutherus*, *Melanchton*, *Calvinus*, & ante hos *Ioannes VVicles.* Summam nihilominus utilitatem, & quasi necessitatem ad bene esse, his præsertim exulceratis temporibus, omnes Catholici agnoscunt. Immo & ipsi Hæretici Theologiam suam, veriùs Fidei-machiam, scholasticè jam tradunt.

Theologia Scholastica est Ecclesiæ utilissima.

tradunt. Quid porrò perniciei, & non potiùs summæ utilitatis, latere potest in hoc, quòd summa, tum credendorum, tum eorum quæ ex credendis sequuntur, methodo ad disciplinam aptâ disponatur ac doceatur? Non diffiteor quidem nonnulla esse, quæ in variis Scriptoribus meritò displicent, ut quòd inutiles subinde quæstiones nimis multiplicent aut fusiùs tractent, quòd contentionibus ac verborum aut censurarum aculeis quandoque abundent, quòd scripta sua potiùs rationeaut Philosophorū placitis, quàm Scripturæ, Conciliorum aut Patrum testimoniis firment, quòd denique methodum non satis exactam servent. Verùm hæc non sunt vitia Theologiæ, sed istorum Scriptorum; quorum equidem virtutes abundè plerumque ista vitia compensant. Alioquin pari jure etiam Theologiam Positivam posset quis cavillari; cùm similiter in ista non rarò Scriptorum quædam vitia reperiantur. Sed constat, quid Hæreticos moveat. Stringi se sentiunt Scholasticorum methodicâ viâ, ac argumentis, à quibus proinde se calumniis suis liberare conantur.

Vitia quorundam Scriptorum.

11\. Audi quid *Xistus V.* in litteris decretalibus, quibus *S. Bonaventuram* Doctorem Seraphicum Eximiis Ecclesiæ Doctoribus annumerat (quæ ad verbum referuntur *To. 1. operum S. Bonaventuræ* in principio) *de sacra Theologia, quæ Scholastica appellatur*, pronontiet. Ait enim eâ *nihil Ecclesiæ Dei fructuosius* esse. Et prosequitur: *Divino enim munere..... inventa est à majoribus nostris sapientissimis viris Theologia Scholastica; quam duo potissimùm gloriosi Doctores, Angelicus S. Thomas, & Seraphicus S. Bonaventura clarissimi hujus facultatis professores, & primi inter eos, qui in Sanctorum numerum relati sunt, excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus, & vigiliis excoluerunt atque ornarunt, eamq; optimè dispositam, multisq; modis præclarè explicatam posteris tradiderunt. Et hujus quidem tam salutaris scientiæ cognitio & exercitatio, quæ ab uberrimis divinarum litterarum, Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum & Conciliorum fontibus dimanat, semper certè maximum Ecclesiæ adjumentum afferre potuit, sive ad scripturas ipsas verè & sanè intelligendas & interpretandas: sive ad Patres securiùs & utiliùs perlegendos & explicandos* (quàm turpiter in errores labantur, qui à tritis Scholasticorum semitis declinantes judicio suo sensa Patrum explicant, est exemplo Hæreticorum, immo & nonnullorum aliàs Catholicorum manifestum) *sive ad varios errores & hæreses detegendas & refellendas.* Pergit adhuc Pontifex: *His verò novissimis diebus, quibus jam advenerūt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta..... sanè Catholicæ fidei dogmatibus confirmandis & hæresibus confutandis pernecessaria est. Et profectò rem ita se habere ipsimet veritatis inimici sunt judices, quibus Theologia Scholastica est formidolosa* (en rationem quare hæretici calumnientur Theologiam) *qui profectò intelligunt, aptâ illâ & inter se nexâ rerum & causarum cohærentiâ, illo ordine & dispositione, tamquam militum in pugnando instructione, illis dilucidis definitionibus & distinctionibus, illâ argumentorum firmitate & acutissimis disputationibus, lucem à tenebris, verum à falso distingui, eorumq; mendacia multis præstigiis & fallaciis involuta, tamquam veste detractâ patefieri ac denudari. Quantò igitur magis illi hanc munitissimam Scholasticæ Theologiæ arcem oppugnare & evertere conantur, tantò magis nos decet hoc invictum fidei propugnaculum defendere, & hereditatem patrum nostrorum conservare & tueri, & acerrimos veritatis defensores meritis honoribus quantùm possumus decorare.* Ad hanc itaque arcem Theologiæ Scholasticæ, propiùs accedendo, sit

Ad intelligendos Patres fervit Teologia.

Hæretici cur Theologiam calumnientur.

QUÆSTIO II.

De objecto Theologiæ.

Supponuo Theologiam, quatenus contra fidem condistinguitur, circa ipsas conclusiones versari, exemplo reliquarum scientiarum. Unde conclusiones Theologicæ sunt objectum complexum, omnesque simul sumptæ, adæquatum seu totale Theologiæ. Hîc autem quæritur de objecto incomplexo; quod alii subjectum vocant, eò quòd directè concludendo sit subjectum, de quo in conclusione aliquid prædicatur seu enuntiatur. Idem dicitur objectum terminativum, quatenus scientia sive cognitio ipsum directè respicit, seu ad ipsum terminatur. Quia verò res aliqua potest cognitionem terminare, seu ei objici secundùm varias rationes sive considerationes, ipsa secundùm se indifferenter spectata dicitur objectum materiale; spectata autem secundùm rationem sub qua terminat, dicitur objectum terminativum formale, siue objectum quod, subintellige, terminat. Idque ex analogia ad materiam & formam physicam aut artificialem: res enim considerata quatenus indifferens ad varias formas aut figuras, dicitur materia; eademque determinatur ad certum compositum physicum vel artificiale per certam formam aut figuram. Datur præterea objectum formale quo, seu motivum, quo scilicet intellectus objectivè movetur ad assensum conclusionis. Hoc notato 12.

Objectum scientiæ quare vocetur subjectum.

Distinctio objecti materialis & formalis

Dico I.

13\. *Objectum primarium Theologiæ.*

Dico I. Objectum materiale primarium (quod alii attributionis vocant) Theologiæ est Deus. Patet: quia Deus est præcipuum quod in Theologia consideratur, ut est manifestum; reliqua autem ad eum referuntur: nam quidquid in Theologia traditur, pertinet vel ad Deum absolutè spectatum, vel ad Trinitatem, vel ad Deum quatenus est creator, reformator, sanctificator, ultimus finis, sive directè, sive indirectè. Ex quo colligitur Deum secundùm se spectatum non esse objectum adæquatum seu totale Theologiæ; sicut nec ipsius fidei Theologicæ: multa enim docet, tum fides, tum Theologia, quæ directè non respiciunt Deum, ut evidenter ex decursu patebit. Loquendo tamen de Deo quomodocumque spectatu, posset juxta *Doctorem Subtilem q.3. Prologi num.15. in fine.* bono sensu Deus dici objectum totale Theologiæ; eò quòd omnes veritates Theologicæ, saltem indirectè respiciant Deum, sive tamquam principium, sive tamquam finem.

Posset Deus dici objectum totale Theologiæ.

Dices, scientia supponit objectũ suum esse: atqui Theologia non supponit, sed probat Deum esse; ergo Deus non est objectum Theologiæ. Resp. Theologiam Scholasticam nõ probare existentiam Dei ex propriis principiis, scilicet articulis fidei, sed ex iis illam supponere Deum esse: probare autem idipsum ex principiis alienis, v.g. Metaphysicæ. Alias responsiones vide apud *Smising q.2. proœm. num.44.*

14\. *Objectum formale quod Theologiæ.*

Dico II. Objectum formale quod, seu terminativum Theologiæ est Deus sub omni ratione sub qua in Theologia de Deo tractatur; adeòque sub ratione Deitatis, Trinitatis, Creatoris, reparatoris, ultimi finis &c. ut ex terminis patet. Loquendo tamen de objecto formali primario, illud est Deus sub ratione Deitatis; sicut sub illa ratione est objectum primarium scientiæ divinæ. Ratio est: quia doctrinæ nobilissimæ (qualis est Theologia) assignandum est objectum nobilissimum; quale est Deus sub ratione Deitatis: sub qua nimirum est fons seu radix omnium perfectionum seu proprietatum eam consequentium, multòque nobilior seipso quatenus cõsiderato sub aliqua ratione ad extrà, v.g. reparatoris, sanctificatoris &c. Deinde perfectiones divinam essentiam cõsequentes, & respectus Dei ad extra sive ad creaturas, congruentiùs reducuntur ad Deitatem, velut fontem unde emanant & probantur, quàm contrà. Denique nil aliud æquè congruè assignari, facilè patebit consideranti varios modos loquendi aliorum, quorum nonnulli Deum sub aliquo respectu ad extrà, nonnulli Christum, nonnulli actum meritorium, alii aliud objectum formale quod seu terminativum statuerunt. Plura vide apud *Smising q.2. proœmiali.*

Dices, Deus secundùm se seu sub ratione Deitatis non objicitur notitiæ nostræ Theologicæ, utpote à nobis pro hoc statu non cognoscibilis, ergo eatenus non est objectũ formale terminativum. Resp. non cognosci quidem pro hoc statu quidditativè & distinctè per propriam speciem, cognosci tamen confusè per species alienas sub ratione principii & radicis infinitarum perfectionum; hoc autem sufficit. Sic enim corpus substantiale secundùm se statui solet objectum formale terminativum Physicæ, & tamen non nisi confusè hîc à nobis cognoscitur per habitudinem ad motum & quietem. Immo juxta *Doctorem Subtilem q.1. prol. n.11.* & *1.d.3.q.3.n.9.* nullam substantiam pro hoc statu distinctè quidditativè aut per propriam speciem cognoscimus, sed tantùm confusè sub aliqua proprietate seu habitudine ad effectum: & tamen solent substantiæ velut propria nostrarum scientiarum objecta reputari. 15.

Quomodo Deus pro hoc statu à nobis sit cognoscibilis.

Dico III. Objectum formale quo seu motivum Theologiæ nostræ est Deus sub ratione primæ veracitatis seu primæ veritatis in testando. Dixi *Theologia nostra*: quia motivum Theologiæ seu scientiæ Dei & Beatorum est ipsa Deitas seu essentia divina: ipsa enim est primum objectum in quo Deus seipsum & omnia alia intuetur, & in qua Beati per lumen gloriæ cognoscunt veritates ad se pertinentes. Quoad illa tamen quæ Beati discunt à Deo per revelationem, motivum cognoscendi seu assentiendi est quoque Dei veracitas. Ratio conclusionis est: quia sicut fides, sic & Theologia nostra non nititur evidentiâ objecti, sed revelatione seu testimonio Dei; testimonium autem resolvitur in veracitatem testis: igitur veracitas Dei est motivum Theologiæ seu assensus Theologici, uti fidei. An autem revelatio similiter ingrediatur motivum, an verò tantùm sit conditio applicativa objecti motivi, dicetur in Tr. de Fide. 16.

Objectum formale quo Theologiæ nostræ.

Fidei ac Theologiæ nostræ idem motivum.

Dixi autem in conclusione, *sub ratione primæ veracitatis seu primæ veritatis in testando:* nam veritas Dei in essendo, à qua habet Deus, quòd sit verum ens, vera substantia, verus Deus, nullatenus movet me ad assensum fidei aut theologicum; sed veracitas in loquendo seu testando. Sicut nec ad assensum fidei humanæ moveor ex eo, quòd alter sit verus homo, sed quia est verax, seu vera loquitur aut testatur.

Notandum tamen, primam veritatem non esse objectum motivum proximum assensûs, seu conclusionis Theologicæ quà talis: proximum enim sunt ipsæ præmissæ, seu earum veritas, aut certè connexio medii 17.

Motivum proximum Theologiæ.

medii cùm extremis in antecedente: sicut simile est motivum assentiendi conclusionibus ceterarum argumentationum naturalium. Itaque veracitas divina est motivum remotum & mediatum ipsius Theologiæ; proximum autem ipsius fidei seu præmissarum revelatarum, quæ sunt principia propria Theologiæ.

17. *Prima veritas non est motivum adæquatum Theologiæ.* Præterea non est ipsa objectum adæquatum; cùm aliquando simul moveat evidens veritas alterutrius præmissæ, sicut in argumentatione Theologica potest alterutra præmissa esse evidens. Nihilominus simpliciter prima Veritas dicitur motivum Theologiæ, tum quia principale, tum quia proprium. Principale quidem esse, patet. Proprium autem esse probatur: quia præmissa evidens spectat ad aliquam scientiam naturalem, sive tamquam conclusio, sive tamquam principium; neque in discursu Theologico necessariò aut semper consumitur; semper autem assumi debet utraq; vel alterutra præmissa immediatè vel mediatè revelata, sic ut alioquin discursus non foret Theologicus, eò quòd nempe deesset proprium motivum & proprium principium Theologicum. Plura, quæ de objecto Theologiæ dici possent, coincidunt cum dicendis de motivo fidei: de quo in proprio loco.

Est tamen proprium.

QUÆSTIO III.

De Principiis Theologiæ.

18. *Quid principiũ Theologiæ.* Nota per principium Theologiæ intelligi veritatem seu propositionem aliquam, quæ assumitur ad aliquid Theologicè probandum. Unde præmissæ argumentationis Theologicæ sunt principia Theologiæ.

Principia propria Theologiæ. Dico I. Propositiones divinitùs revelatæ & creditæ sunt propria principia Theologiæ. Est certũ apud omnes. Quòd sint principia, patet: quia indubiè ex propositionibus revelatis possunt inferri conclusiones per discursum; hæ autem non spectant ad aliam scientiam, quàm ad Theologiam. Confirmatur ex *Apostolo 2. ad Timoth. 3.* ubi docet scientiam in Episcopo requisitam non debere esse simplicem fidem, sed quæ ex sano Scripturæ intellectu noverit deducere ea quæ ad alios docendos & redarguendos deserviunt: *Omnis* (inquit) *Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia.* Quòd autem sint principia propria Theologiæ, patet: quia proprium notitiæ Theologicæ est niti fide & revelatione, & in hoc distinguitur à ceteris notitiis naturalibus; non nititur autem revelatione, nisi mediantibus præmissis, ex quibus deducitur; igitur ipsæ præmissæ revelatæ & creditæ sunt principia propria Theologiæ.

Hinc variæ conclusiones Theologicæ distinguuntur à metaphysicis, etsi quoad vocem convenientibus, quòd illæ pendeant à principiis quatenus revelatis; hæ ab iisdem quatenus evidenter cognitis.

19. *Principia Theologiæ esse possunt propositiones mediatè revelatæ.* Dico II. Propositiones mediatè revelatæ, seu ex revelatis deductæ, possunt quoque ulteriùs assumi tamquam principia seu præmissæ in discursu Theologico. Probatur: quia sicut conclusio scientifica potest esse præmissa ulterioris conclusionis scientificæ, sic non est ratio, cur conclusio Theologica, seu propositio ex revelatis deducta, nequeat assumi tamquam præmissa ad inferendam ulteriorem conclusionem, utrique Theologicam; utpote non pertinentem ad aliquam scientiam naturalem, defectu evidentiæ.

20. *Potest assumi præmissa evidens.* Dico III. Ad Theologicum discursum potest assumi una præmissa evidens. Patet ex usu Doctorum, immo & Sanctorum Patrum. Ratio est: quia conclusio inde deducta ob inevidentiam alterius præmissæ (una enim semper debet inniti revelationi seu veracitati divinæ, quæ est proprium motivum Theologiæ) non potest esse evidens, adeòque nec scientifica; ergo est Theologica.

21. *Qui sint loci Theologici.* Ex his colligitur I. quinam sint propriè loci Theologici (de quibus *Melchior Canus Ord. Prædicat.* edidit opus speciale) seu sedes, è quibus argumentationes Theologicæ sint depromendæ. Proprius enim locus est auctoritas sacræ Scripturæ. Cujus quidem solius, tamquam principalis, meminit *Doctor Subtilis q. 3. Prologi n. 24.* non excludit tamen, sed tacitè comprehendit verbum Dei non scriptum, sive omnem fidei veritatem in Scriptura specialiter non expressam; quam quidem generatim etiam ipsa Scriptura commendat, dum videlicet commendat traditiones & firmitatem seu infallibilitatem Ecclesiæ; ex qua vicissim nobis innotescit, quæ sit verè Scriptura. Omne itaque fundamentum ex quo irrefragabiliter constat de divina revelatione alicujus propositionis, est proprius locus Theologicus. Fundamentum porrò istud est, non solùm Scriptura canonica, sed etiam traditio Christi vel Apostolica, definitio Concilij Generalis vel Pontificia, consensus Ecclesiæ de re velut fide credenda, consensus omnium Patrum; si quidem hæc sint explorata. Alioquin si nõ sit satis exploratus sensus Scripturæ, traditionis, definitionis &c. aut non sit cõcors vel aperta mens Patrum, non fiet inde argumentum irrefragabile. Nihilominus probabile erit argumentum Theologicum, si vel probabiliter

biliter de istis constet. Quale etiam formatur ex auctoritate unius vel aliquot Patrum, Doctorum Scholasticorum, præsertim Principum (quorum commune placitum negare est valde temerarium, juxta *Valentia tom. 3. disp. 1. q. 1. puncto 7. §. 45.* & docente experientiâ in materia doctrinali seu fidei, valde periculosum) Historiæ Ecclesiasticæ &c.

22. *Loci Theologici extranei.* His accedunt loci extranei, scilicet ratio naturalis, Auctoritas Philosophorum, Iurisconsultorum, legumque civilium, & congruentiæ: quarum adminiculo interdum etiam Theologus utitur. Dupliciter autem utitur ratione naturali. Primò & frequenter, quatenus conclusionem ex auctoritate divinâ probatam, ratione merè naturali confirmat. Et eatenus conclusio verè non est Theologica, utpote nullam habens præmissam propriâ Theologiæ. Secundò quatenus uni principio revelato adjungit aliud naturaliter notum, indeque infert conclusionem, & quidem verè Theologicam, certam vel probabilem pro qualitate præmissarum & consequentiæ. Quamvis enim in rigore loquendo ad Theologiam (quatenus dicitur certa scientia) spectent solæ conclusiones deductæ per certam consequentiam ex certis principiis, tamen cum his jungi & tradi solent plurimæ probabiles, quæ vulgò partes Theologiæ dicuntur: sicut etsi ad scientias naturales præcisè & in rigore spectent solæ conclusiones evidentes, passim tamen, velut vulgares partes scientiæ totalis, traduntur simul plurimæ incertæ & probabiles. De Scriptura, Traditionibus & Conciliis ex professo agetur in Tr. de fide.

23. *Habitus principiorum Theologiæ est fides infusa.* Colligitur II. Habitum principiorum Theologiæ esse ipsam fidem infusam: hæc enim inclinat ad assentiendum ipsis principiis Theologiæ, sive propositionibus divinitùs revelatis.

Sed dubitatur, quanta sit dependentia Theologiæ ab habitu fidei? Multi namque affirmant Theologiam, destructo per hæresim habitu fidei, necessariò destrui, adeòque in Theologo lapso in hæresim non manere veram Theologiam. Ita *Sinsing q. 1. proœm. n. 12. Prep. q. 1. art. 2. dub. 1.* & alii. Oppositum tamen videtur verius.

In Theologo lapso in hæresim, manet probabiliùs Theologia. Ratio est: quia non apparet sufficiens causa destructiva. Theologia namque velut scientia totalis studio & labore successivè acquiritur, partibusque multùm dissimilibus constat; nec aliunde apparet ratio, cur tota simul destrueretur quantùm ad omnes conclusiones, si fides infusa demeritoriè expellatur errore pertinaci circa unum vel paucos articulos, cur (inquam) Theologia manere nequeat circa reliquas saltem cõclusiones: sicut dum erratur circa unum principium scientificum non perit scientia quoad omnes omnino conclusiones. Quòd autem stante hæresi non possit Theologia exire in ullos assensus verè Theologicos, utpote dependentes à præmissis quatenus creditis fide supernaturali, etsi hoc totum concederetur (quod tamen varii negant) non probat Theologiam periisse, sed esse otiosam seu impeditam pro isto tempore; prout est in phreneticis, ebriis vel dormientibus.

Dices I. Non potest Theologia sine habitu fidei acquiri, ergo nec conservari. 24.
Resp. I. Neg. Ant. fides enim juxta præstantissimorum Doctorum sententiam (de qua in materia de virtutibus in communi) non infunditur ante perfectam justificationem, ante quam tamen posset quis imbui scientia Theologica mediantibus principiis revelatis & actibus fidei correspondentibus. Quare hinc potiùs confirmatur nostra doctrina, quàm impugnetur. *Potest Theologia acquiri sine habitu fidei.* Resp. II. Neg. Conseq. quia similiter nequit acquiri Theologia sine usu rationis, tamen sine eo conservatur in phreneticis, utpote qui redditâ mentis sanitate sine novo studio Theologizant, sicut antè.

Dices II. Destructo habitu principiorum destruitur scientia; ergo & Theologia tota destructo toto habitu fidei. Resp. Neg. Conseq. nam scientia solùm destruitur ex consequenti per destructionem habitûs principiorum, quatenus dum erratur circa principia, consequitur error circa conclusiones proportionatus physicè destructivus scientiæ. *Scitiâ quomodo destruatur destructo habitu principiorum.* Quare in quantùm error circa aliquod principium non infert errorem circa conclusiones, in tantùm non destruitur scientia. Ideoque etsi erretur circa aliquod principium, non destruitur scientia tota, sed ad summum illa quæ correspondet conclusioni illatæ ex isto principio. Immo si errans circa principium non attendat ad conclusionem vel consequentiam, videtur tantisper posse manere habitus scientificus, etiam istius particularis cõclusionis; utpote destruendus physicè per errorem sibi directè oppositum, scilicet versantem circa ipsam conclusionem. *Error circa principium non semper destruit scientiam.* Unde cùm ex errore pertinaci circa unum articulum fidei (quæ tota per illum destruitur demeritoriè) non sequatur error circa omnes articulos, vel conclusiones Theologicas, & Theologia destruatur physicè, instar scientiæ; non apparet, cur tota debeat destrui per errorem circa unum principium: immo non apparet, cur nequeat tota relinqui, si errans in principio non erret circa conclusionem, de qua v.g. non cogitat.

Colligitur III. Habitum fidei distingui à Theo- 25.

Habitus fidei à Theologia distinguitur. à Theologia. Ita Doctores passim, & consonat *S. Aug. lib. 14. de Trin. c. 1.* dicens: *quâ scientiâ* (Theologiâ scilicet seu sacrâ doctrinâ) *non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsâ fide plurimùm.* Idem tenet *Doctor Subtilis 3. d. 24. n. 16.* & clarissimè *num. 20.* ut mirum sit eum à diversis, notantet Tannero, citari in contrarium. *Scotus contrarium non docet.* Nec sibi contradicit 3. d. 35. *num. 1.* dicens: *Scientia & intellectus circumloquuntur habitum fidei perfectum & imperfectum, sicut dictum est prius;* scilicet d. 34. *num. 20.* nam ut ex postremo loco patet, per intellectum non intelligit fidem ejusve articulos, & per scientiam, Theologiam seu conclusiones ex fide deductas; sed solùm vult, intellectum & scientiam, prout sunt dona Spiritus sancti, idem esse quod fides implicita & explicita, sic ut intellectus dicatur fides imperfecta, quæ est notitia primorum articulorum; scientia autem dicatur fides perfecta, quæ est explicita fides de singulis articulis in particulari: quæ indubiè sunt idem habitus fidei. Ratio Corollarii est: quòd fides sit habitus principiorum respectu Theologiæ, à qua proinde distinguitur. Deinde fides est habitus supernaturalis & infusus, Theologia autem est habitus acquisitus studio & labore. Præterea fides nititur immediatè & adæquatè divinâ revelatione, Theologia mediatè, nec semper adæquatè; saltem semper nititur bonitate consequentiæ. Denique sicut actus fidei excedit notitias Theologicas in certitudine, sic & habitus habitum.

26. *Conclusio Theologica quà talis non est de fide.* Colligitur IV. Conclusionem Theologicam quà talem, seu quatenus ex præmissis revelatis lumine naturali intellectus deductam, non esse de fide. Ratio est: quia eatenus non proponitur sub præciso motivo fidei, scilicet immediatâ revelatione, sed mediante connexione cum præmissis revelatis naturali lumine notâ. Quare assensus talis conclusionis ut sic non est assensus fidei, sed procedit à scientia diversa, scilicet Theologica. Idque à fortiori verum est, quando altera præmissa est tantùm naturaliter nota, quia tunc ne quidem adæquatum motivum conclusionis est revelatio. Deinde conclusio quà *Nequit conclusio esse certior alterutrâ præmissâ.* talis non potest in ulla perfectione superare aliquam præmissarum, cùm eatenus ab eis omnem perfectionem suam participet, adeòque non potest esse certa aut evidens, dum alterutra tantùm præmissa est probabilis aut obscura: unde nequit per consequens habere certitudinem fidei, dum una præmissarum est tantùm naturaliter nota. Quare nec Theologus iis ut sic tam firmiter adhæret, quàm articulis indubitatis fidei.

27. Dixi in Corollario: *Conclusionem Theologicam quà talem:* nam conclusio quæ est conclusio, seu quæ inferri potest ex principiis revelatis, potest quoque esse de fide & immediatè revelata, quatenus formaliter vel virtualiter continetur in altera propositione immediatè revelata: eatenus enim proponitur sub præciso motivo fidei. Sic in hac: *Christus est homo,* continetur & revelatum est, quòd sit animal, substantia, ens. In hac: *Christus habet duas perfectas naturas intellectuales,* continetur & revelatum est, quòd habeat duplicem intellectum & voluntatem. *Quo sensu conclusio Theologica sit de fide.* Sed (ut advertit *Smising q. 1. proœm. n. 16.*) sic consideratæ non sunt propriè conclusiones, quia non cognoscitur earum veritas ob veritatem præmissarum, quantumvis hæ adhibeantur, velut explicantes objectum credibile immediatè propter divinam revelationem. *Tunc non est propriè conclusio.* Itaque ejusmodi conclusionibus ut sic spectatis, non præbetur assensus ob illarum cum præmissis connexionem, lumini naturali innixam, sed proponuntur velut quid idem cum præmissis, credendæ sicut illæ ob immediatam revelationem. Secùs est dum proponuntur tamquam conclusiones mediante discursu & bonitate consequentiæ, iisque tamquam talibus assensus præbetur. Nihilominus jam dicta non habent locum in omni conclusione Theologica, etiam materialiter spectatâ: dum enim altera præmissarum tantùm est moraliter certa, conclusio nullatenus spectat ad fidem (quidquid nonnulli velint) non enim est de fide sacerdoti consecranti hostiam, quòd sub illa sit corpus Christi, sed tantùm moraliter certum, sicut ei ita solùm constat, quòd consecrata sit legitimè, etsi de fide sit sub hostia legitimè consecratâ esse corpus Christi. Sicut etiam de fide quidem est, puerum legitimè baptizatum esse in gratia; non tamen quòd hic, quem vidi baptizari; de quo tantùm sum moraliter certus, quòd sit baptizatus legitimè.

QUÆSTIO IV.

An Theologia sit scientia, eaque argumentativa, & an subalternetur scientiæ Dei & Beatorum?

DIco I. Theologia nostra meritò vocatur scientia, in latiore, etsi satis 28. propriâ, scientiæ acceptione, quatenus nimirum significat notitiam certam, vel habitum dicentem determinatè verum. *Theologia nostra qualiter sit scientia.* Patet: quia Theologia est notitia infallibilis, utpote innixa principiis certis & infallibilibus, ac ex iis per infallibilem & eviden-

tem consequentiam deducta. Immo (ut infrà dicetur) ceteris paribus, alias scientias naturales superat certitudine; in qua tamen præcipua scientiarum naturalium perfectio consistit. Hoc sensu *S. Aug.* 14. *de Trin. c.* 1. Theologiam vocat scientiam. Eodemque sensu in sacris litteris, tum ipsa fides, tum quævis alia certa divinarum rerum cognitio appellari solet scientia; ut *Ierem.* 3. 1. *ad Cor.* 13. & *Sapient.* 10. dicitur *scientia Sanctorum*, & *Luc.* 1. *scientia salutis.*

29. *Theologia nostra non est scientia strictè sumpta.* DICO II. Theologia nostra non est sciẽtia strictè & more Philosophico sumpta, prout de ea loquitur *Aristoteles* 1. *Poster.* 2. Ita *Scotus* 3. *d.* 24. *q.* 1. *n.* 14. & pleti- que alii contra *D. Thom. q.* 1. *art.* 2. quem præter suos sequitur *Prep. ibid.* & nonnulli alii. Conclusionem diversi diversimodè probant, ut videre est apud *Smising q.* 3. *proœm.* Unica & vera ratio est, quòd ad scientiam strictè sumptam à Philosopho & aliis cõmuniter requiratur, ut sit notitia evidens & effectus demonstrationis: hoc autem non convenit Theologiæ nostræ: quandoquidem utrumque, aut saltem alterutrum illius principium sit propositio obscura, unde cõsequenter generari nequit notitia clara & evidens.

Ad scientiam strictè non sufficit evidentia consequentiæ. Nec obstat quòd cõclusio Theologica inferatur ex suis principiis per evidentem consequentiam, ut objicit *Prep. sup.* nam sola evidentia consequentiæ non facit notitiam evidentem, qualis esse debet omnis scientia, de qua hîc inquirimus: sicut enim veritas consequentiæ non facit consequens verum (cùm ex falsis per veram consequentiam possit inferri falsum) sic evidentia consequentiæ non facit conclusionem, alioquin obscuram, esse evidentem.

Neque etiam dici potest cum *Alberto, Capreolo,* & quibusdam recẽtioribus Thomistis, nostram Theologiam esse evidentem per resolutionem suorum principiorum in Dei & Beatorum scientiam, quæ sanè est evidentissima: quemadmodum principia scientiæ subalternatæ fiunt evidẽtia per resolutionem in principia scientiæ subalternantis. *Cur principia Theologiæ nequeãt evidenter resolvi in scientiam Dei.* Hoc, inquam, dici non potest: quia cum scientia Dei & Beatorum nobis pro hoc statu sit inevidens, non possumus consequenter evidenter in illam resolvere articulos fidei, seu principia nostræ Theologiæ: Sicut non potest evidenter scientiæ subalternatæ principia resolvere in principia scientiæ subalternantis ille, cui hæc ipsa quoque non sunt evidentia.

30. *Ad scientiam strictè non sufficit evidentia attestantis.* Petes, An cui mysteria fidei essent evidentia in attestante, haberet scientiam Theologicam, quæ esset strictè scientia secũdùm acceptionem Philosophi? Resp. Neg. quia equidem conclusio non esset evidens in se, seu quoad intrinsecam veritatem & connexionem terminorum; sed solùm esset extrinsecè evidens, seu quoad an est, non quoad quid est. Sic si illi, cui fit revelatio SS. Trinitatis aut Incarnationis, esset manifestum, quòd sit vox Dei, seu Deum esse, qui loquitur (prout juxta plures Doctores fuit evidens canonicis scriptoribus sive Prophetis) adhuc obscurum in se maneret ipsum Trinitatis aut Incarnationis mysterium: evidens tamen esset illud mysterium esse seu dari, ex his duabus præmissis evidentibus: *Quidquid prima veritas revelavit est verum; sed revelavit mysterium Trinitatis dari*; inde enim clarè sequitur, verùm esse, quòd detur mysterium Trinitatis, non tamen clarum sit in seipso. Posset nihilominus ejusmodi notitia accenseri scientiæ demonstrativæ à posteriori Quod totum spectat ad quæstionem de voce.

DICO III. Theologia nostra non solùm est habitus explicativus aut defensivus articulorum fidei. sive non solùm explicat, quid voces seu propositiones contentæ in scriptura significent, quidve rei contineant, & consequenter sanum sensum articulorum defendit: sed est etiam habitus adhæsivus, & deductivus seu argumentativus, quia scilicet per Theologiam adhæremus seu assentimur veritatibus Theologicis, & argumentando ex veritatibus fidei cõclusiones Theologicas, quibus assentimur, deducimus. 31. *Theologia nostra est habitus adhæsivus.* Ita *D. Thom. q.* 1. *ar.* 8. *D. Bonav. q.* 2. *Prologi*, & alii communiter contra *Aureolum* & *Durandum.* Et consonant Patres apud *Smising in Proœm. n.* 6. & *n.* 82. dum significant probando & ratiocinando per notitiam veritatum fidei perveniri ad intelligentiam Theologicam, atque hanc illas prærequirere & præsupponere tamquam principia credita; si autem Theologia sit merè explicativa, non est locus argumentationi, quæ est illativa assensûs: veritates quoque fidei non erunt principia, utpote quæ ipsæ forent objectum per Theologiam explicandum. Denique sic potiùs per intelligẽtiam Theologicam perveniretur ad fidem; per explicationem enim scripturæ venitur ad intelligentiam, adeòque explicitam fidem contentorum. Conclusio est etiam clara per experiẽtiam cuivis Theologo. Præterea explicare quid articuli fidei seu scripturæ significent, idque defendere, potest etiam Grammaticus infidelis, qui peritiam idiomatum habet; sicque Theologia non esset scientia rerum, sed vocum; immo non esset scientia, sed memoria tantùm. Explicare autem nudè, quid rei contineatur in scriptura vel articulis fidei, absque adhæsione seu assensu,

potest

potest similiter infidelis, si diligenter studuerit, & notitiam requisitorum ad interpretationem scripturæ habuerit.

32. Dico IV. Theologia nostra non subalternatur Theologiæ seu scientiæ Dei & Beatorum. Ita *Doctor Subtilis q.3. Prologi*, & alii cõmuniter contra quosdam *Thomistas*. Ratio est: quia juxta cõmunem usum seu acceptionem Philosophorum, ut una scientia dicatur alteri subalternari, requiritur primò, ut habeat objectũ scientiæ subalternantis accidentaliter cõtractum; prout musica, quæ subalternatur arithmeticæ, habet pro objecto numerum sonorum, & perspectiva, quæ subalternatur geometriæ, lineam radiosam seu visualem: deinde ut principia scientiæ subalternatæ contineantur in principiis scientiæ subalternantis, sic ut per hæc probentur. Quorum utrumque hîc deest: nam constat scientiam Dei & Beatorum esse de eodẽ objecto, de quo est nostra Theologia. Præterea principia Theologiæ nostræ non accipimus à scientia Dei & Beatorum, ut ex illis conclusiones deducamus. Adde, quòd scientia subalternata nequeat reperiri in eo, qui caret subalternante, ut docetur in Philosophia: Theologiam autem nostram comparare possumus, etsi non habeamus scientiam Dei & Beatorum.

Quid requiratur ut una scientia alteri subalternetur.

Hoc deest Theologia nostra respectu scientia Dei.

Hinc patet etiam Theologiam nostram non subalternari aliis sciẽtiis naturalibus, aut eas sibi subalternare; quàmvis aliquo modo ab illa dependeant: tum quia ab illa aliquando corriguntur; prout varii Philosophorũ errores ab ea correcti sunt: tum quia tradit multa quæ in scientiis naturalibus non erant satis nota; ut de reali separatione accidentis à subjecto, & suppositalitatis à natura singulari, de penetratione & replicatione corporum &c.

Cur Theologia nostra nõ subalternetur scientiis naturalibus.

QUÆSTIO V.

An Theologia sit practica an speculativa?

33. SUppono scientiam dici practicam ex eo quòd dirigat praxim: Speculativam ex eo quòd praxim nõ dirigat, sed in nuda speculatione sistat. Praxis autem est operatio directa per intellectionem operantis, quæ ad illam se extendit regulando. Unde intellectus dicitur fieri extensione practicus, quatenus non sistit intrà se, sed extra se tẽdit ad opus quod regulat. Quare praxis generatim quasi coincidit cũ actu elicito vel imperato voluntatis: nisi quòd actum intellectûs, etsi à voluntate imperatum, v.g. actum fidei, non posse equidem dici propriè praxim, nonnulli cõtendant, signanter *Smising*, qui de notione vocis praxis fusè agit *q.4. Proœm. n.124. & seqq.* Hoc supposito

Quid sit praxis.

Satìs constat Theologiam nostram includere plures notitias secundùm se non dirigentes aliquam praxim, seu formaliter non dictãtes aliquid agendum vel practicandum; ut sunt ea quæ in prima parte de Deo Uno, Trino & Creatore traduntur. Plurimæ quoq; veritates Theologicæ formalissimè praxim dirigunt, quæ nimirum ostendũt, an & quomodo Deus & proximus sint amandi, honorãdi &c. an & quomodo speranda beatitudo supernaturalis, an & quomodo virtutes tam in generali quàm in speciali exercendæ, & opposita vitia fugienda, an & quomodo conficienda ministranda & suscipienda sacramenta. Quare loquendo de notitiis Theologicis particularibus, satìs patet aliquas ex illis esse per se & formaliter practicas, aliquas formaliter speculativas. Quod etiam apertè supponit *Scotus 4.d.14.q.3.n.4.* ubi inter veritates speculativas reponit hanc, *Deus est Trinus.*

Multa notitia Theologica sunt speculativa.

Multa practica.

Subtiliter autem idem *Doctor* distinguit inter præfatas notitias Theologicas, quòd scilicet aliquæ sint tales per se, & ex natura objecti, v.g. quæ versantur circa cultum & amorem Deo ex natura debitum, fugam fornicationis &c aliquæ autẽ sint per accidens practicæ, nẽpe ex voluntate & decreto Dei, qui pro libitu suo varias actiones instituit practicandas, v.g. baptismum & alia sacramẽta, quæ alioquin ex natura objecti erant inutiles & sine effectu salutari, adeòq; & notitiæ de illis. Notitias autem posterioris generis dicit *Doctor* spectare ad Theologiam contingentium, prioris verò generis notitias ad Theologiã necessariorum, quamquam omnia objecta Theologica, etsi nonnulla secundùm se cõtingentia, sint necessaria, quatenus substãt decreto Dei & revelationi Primæ Veritatis. 34.

Notitia dupliciter dicitur practica.

Itaque tota quæstionis difficultas in eo consistit, an Theologia totalis dicenda sit simpliciter practica, an verò simpliciter speculativa, an denique simul practica & speculativa, in qua variant Doctores. Sed quia lis est de nomine

Resp. Breviter Theologiam nostram dicendam esse simpliciter practicam. Ità *Doctor q.4. Prologi n.31.* ejusq; discipuli, & plures neutrales. Ratio est: quia nõ solùm finis proprius Theologiæ est praxis divini timoris & amoris, sed illam ipsam & plurimas alias veritates formalissimè praxim dirigentes tradit & ostendit. Et quàmvis nõnullæ veritates particulares praxim formaliter & proximè non dirigant, ex illis tamen possunt formari & regulari praxes, adeòq; virtute sunt practicæ. & quia sunt de eodem objecto Theologiæ cum aliis veritatibus formaliter practicis, & ad unã Theologiam spectare censentur; ideo ipsa censetur una scientia practica. Quemadmodum in scientia morali, medicinâ aliis- 35.

Theologia nostra est simpliciter practica.

 quo

que ſcientiis practicis, multæ veritates ſecundũ ſe ſpectatæ formaliter non dirigunt praxim, v.g. quæ ſit natura tẽperantiæ aliarumq; virtutum ac vitiorum, quæ optima conſtitutio corporis humani, quæ optima forma ædificii &c. & tamen quia ex illis tandem inferuntur formalia dictamina praxeos, & circa idem objectum cum aliis formaliter practicis collimant; hinc illæ ſcientiæ dicuntur ab omnibus ſimpliciter practicæ.

36\. Dices I. ex veritatibus metaphyſicæ & aliarum ſcientiarũ ſpeculativarum poteſt tandẽ formari aliquod dictamen praxeos: hinc enim nautica ſubalternatur aſtrologiæ, medicina phyſicæ, ſcientia moralis de Deo metaphyſicæ quatenus hæc de Deo tractat. Et quævis ſciẽtia de Deo aut creatura poteſt virtute & remotè regulare praxim, quâ Deus amatur propter ſe & creatura propter ipſum; & tamen illæ ſcientiæ nõ ideo ſunt aut dicuntur practicæ: ergo nec Theologia debet ideo dici practica. Reſp. Neg. Conſeq. Ratio diſparitatis eſt, quòd prędictæ ſcientiæ ſpeculativæ nullas tradãt cõcluſiones practicas circa ſuũ adæquatũ & præciſum objectum, ſed ſi quas dirigãt, illæ ſumuntur vel ex ſcientia ſubalternata, vel aliunde extra objectum illius ſcientiæ ſpeculativæ, ideoq; cum illis nõ conſtituũt unam ſciẽtiam adæquatam. At Theologia intrà ſuam latitudinem plurimas dictat cõcluſiones practicas, & plurimas formaliter ſpeculativas; & quia hæ illas regulant intrà latitudinem ejuſdem ſcientiæ & circa idem objectum, debet ipſa dici practica à pluribus formaliter practicis, ab aliis autem practicis virtualiter.

Scientia practica debet eſſe talis circa præciſum ſuum objectum.

Dices II. Scientia practica debet verſari circa operationem, ſive objectũ operabile tãquam objectũ principale ſeu attributionis: atqui id nõ cõpetit Theologiæ, utpote reſpicienti Deum tãquam objectum principale: ergo Theologia non eſt ſimpliciter practica. Reſp. Neg. Maj. Sufficit enim ut dirigat praxim circa proprium ſuum objectum, ut colligitur ex communi deſcriptione ſcientiæ practicæ. Theologia autem dirigit operationes circa Deum.

Objectum ſciẽtiæ practicæ non debet eſſe operabile.

QUÆSTIO VI.

An Theologia ſit certior ſcientiis naturalibus?

37\. NOta certitudinem aliam eſſe adhæſionis, ſeu ſubjectivam; aliam ipſius cognitionis in ſe ſeu objectivam. Prior cõſiſtit in firma adhæſione intellectûs ad objectum, abſque dubitatione, undecumque illa firmitas oriatur. Quæ quidẽ convenire poteſt etiã falſæ cognitioni. Sic enim multi ſuis opinionibus, immo erroribus vel hæreſibus pertinaci firmitate adhærent. De quibus *Philoſophus 7. Eth. 3. Nonnulli* (inquit) *eorum qui opinantur, non ambigũt, ſed arbitrantur exactè ſe ſcire, & ſunt qui non minùs opinioni ſuæ, quàm alii ſuæ ſciẽtiæ, credunt.* E contra fieri poteſt, quòd notitiæ de ſe infallibili intellectus minùs firmiter, ſed cum majori vacillatione adhæreat.

Certitudo duplex. / *Certitudo eſt duplex.*

Certitudo objectiva (quam alii infallibilitatis & cognitionis vocãt) etſi quoque inſit intellectui mediante cognitione, oritur tamen radicaliter ex parte objecti, maximè formalis motivi. Eſtq; nil aliud, quàm firmitas cognitionis cõſiſtens in infallibili & neceſſaria illius cõformitate cum objecto. Quæ quidem oritur ex neceſſitate ipſius objecti, quod neceſſariò eſt tale, quale cognoſcitur: ſive iſta neceſſitas vel immutabilitas oriatur ex intrinſeca natura objecti, ſive ex objecto prout ſubſtat auctoritati Dei revelãtis. Alioquin de eodem objecto materiali ſeu terminativo poteſt eſſe cognitio certa & incerta pro diverſitate motivi: nam quod unus cognoſcit infallibiliter per medium ſcientificum, alter cognoſcit probabiliter per medium opinativum. Hoc notato

Quid certitudo objectiva, & unde oriatur.

DICO I. Theologia ceteris paribus eſt certior ſciẽtiis naturalibus ex parte ſubjecti ſeu certitudine adhæſionis. Ita *Smiſing q. 4. Proœm. n.* 118. & alii cõmuniùs. Fundatur in eo, quòd intellectus noſter firmiùs adhæreat principiis Theologiæ, ſcilicet articulis fidei, quàm principiis ſcientiarũ naturalium, ut colligitur ex *S. Aug. 7. Confeſſ. c. 10.* dicẽte: *Audivi, & nõ erat prorſus unde dubitarem, faciliùſq; dubitarem vivere me, quàm non eſſe veritatem.* Et conſonat experientia: nam ſincerus fidelis mallet negare propoſitiones quãtumlibet evidentes, quã articulos fidei: ideoq; nonnulli Theologi, non valentes myſterium SS. Trinitatis cõcordare cum cõmuni axiomate: *Quæcumque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadẽ inter ſe,* dicere maluerunt id non eſſe univerſaliter verum, quàm deficere à fide Trinitatis. Ex quo apertè ſequitur notitiam ſive concluſionem Theologicam eſſe certiorem ſciẽtiis ex parte ſubjecti: ea enim concluſio eſt certior ex parte ſubjecti, cujus principiis intellectus firmiùs adhæret. 38.

Certitudo Theologiæ ſubjectiva.

Nec obſtat, quòd facilè ſubrepant quædam vacillationes ſeu dubitationes circa concluſiones Theologicas, non ſic circa ſcientificas, quibus intellectus plerumque adeò conſtãter adhæret, ut ob rei evidentiam non videatur poſſe in intellectu dubitatio de veritate exurgere: quamquam enim ex hac parte ſciẽtia ſit certior ex parte ſubjecti, ſimpliciter tamẽ excedit Theologia: nam certitudo ſubjectiva non ſolùm ſpectari debet ex firmitate adhęſionis, quæ de facto ineſt ob evidentiam objecti, ſed potiùs ex illa quæ per ſe ineſſe debet, ſeu quam ipſa notitia ex ſe requirit: requirit autem 39.

Unde ſpectanda ſit certitudo ſubjectiva.

autem Theologia firmiorem intellectûs adhæsionem, sic ut secundùm rectam rationem fidelis Theologus, non obstantibus dubitationibus incidentibus, piâ voluntatis affectione paratus sit negare potiùs evidentes veritates, quàm articulos fidei, & consequenter conclusiones inde evidenter deductas.

40. *Theologia certitudo objectiva.*

Dico II. Theologia ceteris paribus est certior scientiis naturalibus ex parte objecti. Ita *Scotus q. 4. Prologi n. 42. ✠. Ad 3. probationem*, & alii communiter. Ratio sumitur ex majori certitudine principiorum, scilicet articulorum fidei, præ certitudine objectiva principiorum aut veritatum naturalium: inde enim consequens est, conclusiones Theologicas similiter esse certiores conclusionibus scientificis.

Dices I. Ille actus est certior, qui magìs attingit suum objectum: atqui hoc magìs facit scientia naturalis, quàm Theologia, ergo. Resp. Majorem tantùm esse veram quando certitudo petitur ab intrinseco, scilicet à naturali connexione terminorũ, aut motivi assensus cũ objecto materiali; non autem quando sumitur ab extrinseco, scilicet à Prima Veritate revelante, prout hîc sumitur: objecta enim principiorum & conclusionum Theologicarum, etsi in se cõtingẽtia sint & minimè necessaria, prout tamen substant motivo Primæ Veritatis revelantis summam concipiunt firmitatem ac infallibilitatem: sicut virgula flexibilis firmitatem accipit à columna cui indivulsè alligatur.

Conclusiones Theologica objectiva quomodo sint infallibiles.

41. Dices II. Conclusio Theologica frequenter infertur ex una præmissa naturaliter nota: quo casu saltem conclusio non videtur esse certior, quã ista præmissa: esto enim aliunde foret propositio de fide, in quantùm tamen conclusio est, nequit esse certior suis principiis, immo neque certior principio incertiori: certitudo namq; conclusionis quà talis cõmensuratur certitudini antecedentis adæquatè sumpti, adeò ut quamquam una præmissa sit fidei, aut evidentissima, si tamen altera sit falsa, dubia, vel probabilis, conclusio similiter sit talis; atque ut quamquam cõclusio sit apparentiùs vera seu verosimilior, dum una præmissa est certa & altera probabilis, quã dum utraque est incerta & probabilis, tamen nequeat esse certiùs conclusioné esse veram, quàm certum sit præmissam debiliorem esse veram. Sicut si claudus nequeat subsistere, nisi innixus utrique fulcro, etsi certiùs sit eum non casurum, dum unum fulcrum est firmum & alterum infirmum, quàm si utrumque sit infirmum; tamen nõ est certiùs claudũ non casurum, quàm certum sit fulcrum infirmum non fore frangendum. Unde conclusio sic sequitur partem debiliorem suæ causæ, scilicet debiliorem præmissam, ut hanc nequeat excedere (fortè nec assequi) in certitudine. Quòd autem in physicis quandoq; contingat effectum sequi quidem debiliorem partem suæ causæ, sic ut etsi nequeat assequi perfectionem causæ perfectioris, possit tamen assequi, immo superare in perfectione, debiliorem causam; prout mulus genitus ex equo & asina est perfectior asinâ. Quòd, inquam, id in physicis contingat, est, quia causa perfectior totã suam vim & activitatem seu influxum præbet dum adest cõcausa imperfectior, quem præberet dum adest concausa ejusdem perfectionis, ut in exẽplo allegato patet. At in præsenti, præmissa imperfectior. v. g. incerta, ob cõtrariam qualitatem & æqualem vim inferẽdi cõclusionem, seu in eam influendi, impedit, quò minùs perfectionem suam v. g. certitudinem præmissa altera sic cõmunicet, ut conclusionem proportionatè certã faciat. Ibi enim locum habet alterũ axioma: *Bonum nascitur ex integra causa, malũ verò ex singulis defectibus*. Sicut itaq; finis optimus per vitiosam circumstantiã impeditur, quò minùs actum bonũ efficiat: sic præmissa nobilior impeditur certitudinẽ totam communicare conclusioni affectæ per imperfectionem alterius præmissæ.

Cur potiùs in Physicis quàm in Syllogismis possit effectus esse perfectior causâ partiali.

Ob dicta in propositione hujus argumenti Resp. cõcedendo totum. Ita noster *Vega, Zumel, Præpositus* & alii contra *Smising, Tannerum* & plurimos alios. Assertio autem nostra procedit de conclusionibus Theologicis, quæ inferuntur ex principiis Theologiæ propriis, scilicet revelatis. Immo consequenter existimo nullam cõclusionem Theologicam quà talem esse certiorem, quàm sit certum consequentiam esse bonam. Cùmque bonitas cõsequentiæ fundetur in principiis Syllogisticis, & hæc in primis principiis, (*quodlibet est vel non est*, &, *Impossibile est idem simul esse & non esse*, nequit conclusio Theologica quà talis similiter esse certior istis principiis. Denique cùm præmissa naturaliter evidẽs, quæ assumitur in discursu Theologico, possit esse conclusio in alia scientia naturali, sequitur non omnem conclusionem Theologicam esse certiorem quavis conclusione scientificâ: non enim est certior prædicti conclusione, quæ coassumitur in discursu Theologico tamquam præmissa. Sicut etiam si in discursu Theologico coassumatur aliqua præmissa cedens in certitudine alicui cõclusioni scientificæ, cùm cõclusio Theologica nequeat esse certior præmissâ, etiã minùs certâ, consequens est eam vinci in certitudine à præfata conclusione scientifica, sicut ab eadem vincitur sua præmissa. Plura de Procœmio Theologiæ vide apud *Smising, Tannerum* & *Christophorum Gillium*, qui fusissimè per septem tractatus de materiis Theologiæ præambulis agit.

Quo sensu conclusio Theologica sit certior aliis scientiis.

Nequit quà talis esse certior primis principiis.

Nec etiam quavis conclusione scientificâ.

TRACTATUS PRIMUS
DE
DEO UNO.

PRÆFATIO.

HOC & sequentibus duobus Tractatibus Primæ Partis de Deo Divinisque perfectionibus, eum sive quà Unus, sive quà Trinus, sive quà Creator est, concernentibus agendù est. Quæ quidem est nobilissima Theologiæ pars, & maxima illius, quam speculativam vocant. Estque vero Theologo maximè appetenda: tum ob ipsius notitiæ præ notitia ceterarum partium, præsertim practicarum, præstantiam: tum quia de proprio & primario est Theologiæ objecto: tum quia ad intellectum multorum & præcipuorum fidei mysteriorum quàm maximè conducit, ac necessaria est, atque in iisdem solidè proponendis Concionatorem perficit: tum denique quia nil adeò mentem humanam à rerum caducarum affectu ad cælestium amorem (qui scopus est Theologiæ) transfert, quàm humilis, attenta & jugis divinarum perfectionum ac operationum consideratio. Unde gravissimè errant, qui Theologiam speculativam parvipendunt, quasi parum utilem, ideóque sive dum disciplinis Theologicis imbuuntur, sive postea, illam ex toto negligunt, quasi aridæ solùm nec nisi ad scholam pertinentes disputationes in illa tractentur, uni idcirco practicæ Theologiæ intendentes. Quos ausim potiùs vocare partim Philosophos morales, partim Iuristas, quàm Theologos, qui id quod propriissimum & præcipuum veri Theologi ignorant. Itaque primò omnium agendum est de Deo quatenus Unus est: tum quia Deus ut sic est primarium objectum: tum quia quæ competunt Deo ut sic sunt priora iis, quæ divinas processiones personarum, aut processionem ad creaturas concernunt.

DISPUTATIO I.

De Existentia & Essentia Dei.

1. *Quid nomine Dei concipi soleat.* DEI nomine concipi solet Ens incausatum & ceterorum causa, vel ens necesse esse, vel ens infinitum, aut summum bonum, ut experientia docet, & Patres ac Scriptores passim tradiderunt, ut patet apud *Smising tract. 1. d. 1. n. 1.* Hujus entis existentia, etsi sit de essentia ejusdem, tamen primò omnium probanda, vel ex fide aut Metaphysicâ supponenda est: cùm sit basis, cui tota Theologiæ structura niti debet: tota enim pendet à divina revelatione actuali, quæ dari non potest, nisi existat Deus, qui revelet: tota quoque ordinatur ad praxim, quâ mediante Deus obtineatur aut amittatur; id autem frustrà fieret, nisi Deus existeret. Itaque primò an sit, dein quid sit Deus, investigandum.

QUÆSTIO I.

An Deum existere sit per se notum?

DIversi sunt in hac quæstione modi loquendi, qui facilè conciliantur in re ipsa,

re ipsa, terminis explicatis. Pro quo

2. *Quid per se notum.* Nota illud dici per se notum, seu per se noscibile (ut inquit *Scotus d.2.q.2.n.3.*) quod quantùm de natura terminorum natũ est habere evidentem veritatem ex terminis; seu quod non potest per aliud medium innotescere, quod sit extra conceptum essentialem terminorum, sitve ratio à priori connexionis eorum. *Talis est omnis propositio essentialis.* Quare omnis propositio est per se nota, in qua prædicatum est de essentia subjecti; connexio enim talis prædicati cum subjecto est nota ex ipsis terminis, & non per medium aliquod prius. Quia tamen fieri potest, ut terminis quantùm ad significationem intellectis, nos ratione imperfecti modi intelligendi non satis penetremus ipsum significatum quoad quidditatem rei, quam pro hoc statu non solemus primò cognoscere, nisi cum ordine ad effectus vel alia signa; contingit plerumque nos indigere medio aliquo à posteriori, quo quidditas quantùm ad possibilitatem aut existentiam, adeóque connexio similis prædicati cum subjecto, subesse cognoscatur. Et hujusmodi propositionem *D. Thomas q.2. art.1.* & alii plurimi vocant per se notam secundùm se, non tamen per se notam secundùm nos. *Modus loquendi D. Tho. in hac materia.* Atque ita loquuntur in præsenti de hac propositione, *Deus est sive existit.*

3. *Modus loquendi Scotistarum.* Nihilominus discipuli *Scoti* contendunt similes propositiones debere simpliciter & sine addito dici per se notas, eò quòd propositio per se nota non excludat medium à posteriori, sed tantùm à priori; nec requirat actu esse notam sine medio, sed quantùm est ex natura terminorum sic esse noscibilem, ut non ex imperfectione intellectus nostri, sed ex natura veritatis objectivæ sumatur ratio per se noti; ut probat *Smising n.19. & 20.* Alioquin de reliquis propositionibus, in quibus pars essentialis creatæ substantiæ prædicatur de substantia, dicendum foret non esse simpliciter per se notas, sed per se notas secundùm se & non quoad nos, cùm nos indigeamus medio à posteriori, ex quo colligamus essentiam substantiæ, adeòque connexionem prædicati cum subjecto. His de modo loquendi (qui potiùs explicandus, quàm operosè in controversiam vocandus, præsertim in Theologia) notatis.

4. *Deum esse est per se notum.* Dico I. Deum esse est per se notum, sive (ut *D. Thom.* cum suis) est per se notum secundùm se. Est communis *D. Th. sup. Scot. 1. d.2. q.2. n.4.* & aliorum. Ratio est: quia esse sive existentia est de essentia Deitatis, ut infrà dicetur: ergo ei convenit immediatè, seu absque medio vel ratione à priori, adeòque propositio in qua esse Deo attribuitur est per se nota, seu ex ipsa natura terminorum.

Dico II. Non est tamen nobis pro hoc statu ita clarum & evidens, quòd Deus sit, ut statim apprehensis terminis (prout nos illos concipimus) ei assentiamur sine aliqua probatione; seu (ut loquitur *D. Thomas* suprà) non est per se notum quoad nos. Ita *Scotus sup. n.5.* & alii communiter contra *Ægidium* & nonnullos alios. 5. *Non tamen quoad nos.*

Colligitur ex Scriptura *ad Rom. 1.* docente id quod notum est Dei, seu quod naturaliter de Deo cognosci potest, perspici per discursum ex iis quæ facta sunt sive ex creaturis. Prout etiam habetur *Sapient. 13.* Præterea Patres passim variis discursibus conantur ex effectibus aliisque mediis contra Atheos probare existentiam Dei; quibus alioquin solùm incubuisset explicare significationem terminorum; quo facto veritas hæc debuisset cuivis esse evidens.

Confirmatur: quia apprehensis terminis istius propositionis *Deus est*, adhuc *dixit insipiens in corde suo, non est Deus*, ut *Psal. 13.* Propheta conqueritur. Et multi Athei, tum Philosophi tum alii fuerunt, & modò sunt, qui istis terminis apprehensis negarunt vel in dubium vocarunt Deum esse. Neque etiam nos vi illorum terminorum omnino firmiter adhæremus isti propositioni, Deus sive ens infinitum, aut à se seu incausatum est, nisi per fidem aut demonstrationem omnino juvaremur. Quare is qui nil umquam de Deo audivisset, explicatis etiam terminis præfatæ propositionis, non statim firmiter judicaret esse veram, sed rationes & probationes investigaret; ergo quòd Deus sit, non est omnibus pro hoc statu clarum & evidens citra discursum.

Dices I. *Tertullianus Apologetici c. 17.* ait: *Deum non posse ignorari.* Et *S. Aug. tract. 106. in Ioan.* dicit *non omnino ac penitùs posse abscondi creaturæ ratione utenti.* Immo *D. Damasc. l. 1. de fide Orthodoxa c. 1.* dicit, *neminem esse, cui non hoc ab eo naturaliter insitum sit, ut Deum esse perspectum habeat.* Similia habet *cap. 3.* eadem inculcat *S. Ansel. toto libro contra insipientem, & Proslogii c. 3. & 4.* & alii Patres. 6.

Respondeo Patres solùm voluisse notitiam Dei ita esse consentaneam lumini rationis, & obviam cuivis perfectè utenti ratione, ut eam facillimè ex creaturarum intuitu aliisque rationibus moralibus obtinere possit, sic saltem ut possit & teneatur ulteriorem indagationem adhibere. Dicunt autem quidam, non posse cogitari Deum non esse, scilicet prudenter; aut etiam nullo modo, si rectè expendantur media probativa: illis enim conceptis tam facilè ac imperceptibili quasi dis- *Quomodo non possit Deus ignorari.*

cursu assentimur huic veritati, uti solemus terminis perspectis assentiri veritati nobis notæ ex ipsis terminis. Alioquin tidem Patres variis discursibus conantur probare Dei existentiam, cujus notitiam dixerant naturaliter insitam. Vide *Smising tract.1.d.2.n.32.& seqq.*

7. Dices II. Nil potest concipi sub opposito ejus, quod est de ipsius essentia; ergo necessariò concipitur Deus existere. Resp. dist. consequens: necessariò concipitur conceptu apprehensivo ipsius termini *Deus*, transeat: conceptu judicativo, quo judicetur significatum istius termini, scilicet ens essentialiter existens, actu existere vel esse possibile, nego conseq. sic enim si quis sibi formaret conceptum compositi ex homine & equo essentialiter existentis, eò ipsò quò apprehenderetur vox significans tale compositum, apprehēderetur ejusdem existentia actualis, non tamen judicaretur esse nobis evidens ex terminis tale compositum esse possibile vel actu dari.

Deus non necessariò ex terminis judicatur existere.

8. Ex quo etiam patet solutio ad similem objectionem: Est nobis evidens ex terminis, quòd ens, necessariò existens existat; quòd ens, à quo dependent reliqua existentia, existat; quòd ens, quo majus cogitari nequit, existat. Ut enim esset illud nobis evidens ex terminis, deberet primò evidens sic nobis esse, quòd significatum istorum terminorum seu conceptuum, sub quibus nos pro hoc statu Deum concipimus, sit existens aut possibile. Hoc autem non est nobis ex terminis evidens, scilicet quòd necessitas essendi, independentia, infinitas &c. sint conjuncta aut conjungibilia enti. Sicut idcirco non est nobis evidens ex terminis: compositum essentialiter existens ex equo & homine existit; eò quòd non constet de possibilitate similis complexi seu compositi, quod ponitur ex parte subjecti. Vide *Scotum suprà n.5.& 6.*

Solvuntur alia objectiones.

Quare si quis argueret: nomine Dei intelligitur, quo nil majus cogitari potest; ergo illud necessariò existit; aliàs daretur eo majus, scilicet quod existit, hoc enim meliùs est eo, quod existit tantùm in cogitatione. Respondere posset Atheus distinguendo antecedens: nomine Dei intelligitur, quo nil majus cogitari potest apprehensivè, transeat antecedens, & nego consequentiam: judicativè & cum fundamento, nego antecedens. Quare etsi significatum istius nominis esset impossibile, adhuc posset tali nomine significari. Sicut si apprehenderem mente regionem quamdam pulcherrimam, quâ pulchrior excogitari nequit, non sequitur illam idcirco existere realiter, etsi alia realiter existens, nec tam pulchra in re, quàm altera in apprehensione, sit melior. Sic consequenter si homo vel angelus esset optimum realiter possibile, sequeretur ipsum in re esse meliorē significato vocis *Deus*, scilicet ente infinito &c.; quod etsi sit melius in apprehensione, non tamen realiter, si foret impossibile.

Huic argumentandi rationi similis est illa, quâ ad probandam existentiam Dei utitur *Renatus des-Cartes*, qui hoc tempore singularem in rebus physicis philosophandi viam auspicatus, & nonnullos doctos Philosophos etiam in Academia hac Lovaniensi propugnatores nactus est. Is igitur in opusculo quod *Meditationes* inscripsit, & in principiis Philosophiæ *n.* 19. Sic procedit quasi existentia Dei ex terminis ipsis nobis evidens esset, sic ut ex eo solo, quòd mens percipiat apud se ideam entis summè intelligentis, summè perfecti, percipiat consequenter in idea entis tam perfecti existentiam, non possibilem & contingentem tantùm, sed omnino necessariā & æternam; adeòque hâc ita perceptâ in tali idea, planè concludere mens debeat, ens summè perfectum existere. Verùm si conceptus iste mentis sit tantùm apprehensivus, nequit deducere in assensum evidentem existentiæ divinæ: cùm varia sint, quorum terminos clarè & distinctè apprehendimus, & tamen circa illa mens nostra manet suspensa, an verè sint, sicut apprehenduntur. Si autem sit iste conceptus judicativus, est petitio principii. Alioquin veritas divinæ existentiæ sic ex terminis explicatis nobis esset nota, sicut quòd totum sit majus suâ parte; adeòque frustranei essent Doctorum labores in inveniendis rationibus efficaciter probantibus hanc veritatem, *Deus existit*. Quod clarum indicium est terminos istius propositionis non statim trahere judicium evidens de ista veritate, cujus optimus judex est cujusque mens, quæ id in se non experitur. 9.

Modus quo Des-Cartes probat Deū existere.

Refutatur.

Ex his colligitur dari posse ignorantiam existentiæ Dei: potest enim ipsa non proponi; aut si proponatur, ignorari vel non penetrari, aut non attendi rationes existentiam Dei probantes. Est tamen ignorantia illa culpabilis, saltem regulariter loquendo; ut patet in Atheis, qui ad extremam hanc dementiam venire non possunt, nisi cor planè depravatum & excæcatum habeant, juxta *S. Aug. tract.* 106. in Joannem dicentem: *Exceptis paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum hujus mundi fatetur auctorem.* 10.

Potest ignorari existentia Dei.

Hæc ignorantia regulariter est culpabilis.

Existimat nihilominus noster *Poncius d.2.q.3. Præpositus q.2. art.1. Derkennis* & alii posse in aliquo, præsertim rudi & bar- 11.

Invincibilis esse potest.

barbaro, dari ad aliquod saltem tempus ignorantiam invincibilem Dei, si videlicet ei nihil hac de re inciderit, vel audierit, & rationes Dei existentiam probantes non apprehendat, aut saltem non capiat. Immo *Molina q.2.art.1.* refert in Brasilia ante commercium cum Hispanis nullam fuisse numinis suspicionem. Et non est improbabile *Poncio d.2.n.3.* quin in aliquibus mundi partibus tanta sit adhuc apud aliquos inscities, ut nec semel de Deo cogitaverint aliqui rudiores homines. Quāquam præsumendum videatur de suavi providentia Creatoris, ut creaturam perfectè ratione utentem diu non derelinquat sine cogitatione saltem tali, ex qua possit & debeat assurgere in ulteriorem indagationem sui Creatoris, cujus noticia menti nostræ est tam consentanea, tamq; facilis ex mundi gubernatione & constitentia, ut communiter sint inexcusabiles, qui ignorant Deum. Cui consonat illud *Sap.13. Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei.* Et infrà subditur: *Nec his debet ignosci. Si enim tantùm potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum, quomodo hujus Dominum nō faciliùs invenerunt?* Ubi tamen sermo est de ignorantia vincibili idololatrarum, seu illorum, qui numen aliquod agnoscentes, creaturas aliquas *rectores orbis terrarum Deos putaverunt*, ut ex contextu patet.

Magna Dei ignorantia.

Tam Dei providentia diu non permittit.

QUÆSTIO II.

An ex fide & evidenti ratione constet Deum esse?

Quandoquidem existentia Dei nobis non sit evidens apprehensis terminis, investigandum est, ex quo capite ea nobis innotescat.

12\. Dico I. Deum esse nobis constat ex fide seu divina revelatione. Patet ex *Apostolo ad Hebr.11. Credere oportet accedentem ad Deum, quia est.* Immo hic articulus est velut fundamentum & basis cæterorum: testimonium enim Dei, quod est motivum credendi articulis revelatis, supponit Deum esse, qui possit testari. Quo non obstante potest illud esse, quod habere supponitur, per testimonium suum nobis Deus intimare. Primò implicitè in omnibus aliis articulis, quatenus hoc ipso quo aliquid dicit, implicitè dicit se esse. Secundò expressè, quatenus revelatio expressè & directè cadit super existentiam Dei; ut patet in variis scripturis. Quare hic articulus sic est principium credendorum, ut simul & ipse fide credatur. Oppositum autem, quod *D.Thomas q.2. art.2.ad 1,& 2.2.q.1.art.5.ad 3.* indicare videtur, commodo sensu est explicandum.

Deum esse constat ex fide.

Hic articulus est basis cæterorum.

Quāquam & ipse creditur.

Sed difficultas est, quomodo ob testimonium Dei credi possit Deus existere: cùm non minùs obscurum sit Deum id testari, quàm ipsum esse; cùmque imprudenter videatur credi aliquem esse, quia id asserit, eò quòd necessariò credam illum esse, ad hoc ut credam illum id asserere. Responderi potest 1. posse existentiam Dei supponi tamquam lumine naturali notam, eâque suppositâ posse & debere firmissimè credi ub ejusdem auctoritatem, quidquid nobis velut ab eo revelatū proponitur cum signis evidentibus credibilitatis, sic ut non sit ratio dubitādi, quin Deus sit qui loquitur seu testatur. Quidni ergo testari possit, se existere; adeòque firmissimè à nobis credi, etsi aliunde idem notum sit? Secundò non videtur necessarium, quòd credens Deum esse, idem præviè supponat tamquam sibi notum lumine naturali: signa enim credibilitatis, quæ conciliant Ecclesiæ, Apostolis, aut sacris Scriptoribus auctoritatem, conciliant illam circa omnia, quæ credenda proponunt, adeòque etiam circa existentiam Dei, si illam proponant, uti verè proponit Scriptura: adeò ut etiamsi quis ante prædicationem Evangelii v. g. miraculis confirmatam, nil de Deo scivisset, posset & deberet credere prædicationi ejusmodi de existentia unius Dei, uti deberet credere aliis, quæ ipsi ita proponuntur. 13.

Cur Deo revelanti se esse sit credendum.

Dico II. Deum esse constat nobis etiā ratione naturali. Est de fide ex Scriptura. *Sap.13. A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Ad *Rom.1. Actor.14.* & alibi. 14.

Deum esse constat ratione naturali.

Idem docent Patres præcedenti quæstione objecti: inter quos *Tertullianus, Damascenus, Anselmus, & Augustinus:* quem etiam vide *lib.5. de Gen. ad litt. c. 16. & l. de spir.& litt. c.12.* Et *serm. 55. de verbis Domini,* ait: *Interroga mundum, interroga omnia, & vide, si non sensu suo tibi respondeant, Deus fecit nos. Hæc & Philosophi nobiles quæsierunt, & ex arte artificem cognoverunt.*

Nec obstat quòd idem *S. August. lib. 10.confess.c.5.* dicat: *Quod de me scio, te mihi lucente scio.* Et *c.6.* docet cœlum & terram surdis loqui, nisi Deus altiùs misertus fuerit. Similiter idem *Augustinus* alibi, & alii Patres (quorum testimonia citat *Smising sup. n.44.*) significant Dei notitiam non haberi sine auxilio gratiæ. Nam quod ad loca S. Augustini relata attinet, prior agit de luce seu lumine naturali intellectûs, per quod intelligimus ea quæ in nobis sunt, quod lumen est à Deo. Posterior solùm indicat, frustrà clamare creaturas Creatorem in ordine ad amandum 15.



dum & glorificandum sicut oportet, nisi altiùs misereatur, ut patet ex contextu.

Ad notitiã Dei merè naturalem non requiritur gratia.

Quando verò *S. Augustinus* & alii Patres requirere videntur auxilium divinæ gratiæ ad notitiam Dei, loquuntur de notitia salutari seu conducente ad salutem, aut ad illam sufficiente; vel volunt sine speciali illustratione aut protectione Dei vix haberi defæcatã de eo notitiam, quin (ut in Ethnicis Philosophis etiam sapientissimis patet) multa errorum fæx sit immixta.

Licèt requireretur non foret ideo gratia Christi.

Adde, etiamsi specialis protectio vel auxilium divinum ad notitiam merè naturalem Dei requireretur, non ideo fore gratiam Christi; cùm etiam sine speciali operatione Dei non possimus vitare omnes errores merè speculativos, aut ad salutem minimè pertinentes, quæ tamen specialis operatio non est auxilium gratiæ, nec impedit quin lumine naturali similes veritates possint cognosci, citra fidem scilicet aut gratiam.

Nec veritas ideo desineret cadere sub lumen naturæ.

Nam simile auxilium etiam fuisset in statu nudæ naturæ, & tamen veritates in eo cognoscibiles censebantur cadere sub lumen naturæ.

Non obstat etiam, quòd creaturæ sint Deo dissimiles: nam dissimile mediante discursu ducit sæpè in notitiam dissimilis; prout ex effectu cognoscitur causa æquivoca, ex opere externo artifex, ex dictis & factis ingenium humanum.

16\. *Potest demonstrari Deum esse.*

Dico III. Ratio naturalis ostendens Deum existere potest esse evidens, seu demonstrativa, saltem latè loquendo. Ita communiter Doctores. Probatur ex rationibus quæstione sequenti allegandis, quarum aliquæ saltem sunt physicè evidentes. Deinde Scriptura locis præced. quæst. citatis docet Deum per creaturas videri, conspici, manifestari. Eamdem evidentiam exaggerãt Patres.

Oppositum aliqui graviter censurant.

Quapropter, & quia *ad Rom.* 1. dicuntur inexcusabiles, qui tali notitiæ vitam non conformarũt, nonnulli Recentiores graviter censurant contrariam sententiam, pro qua *Smising tract.* 1. *d.* 1. *n.* 57. citat *Adamum, Alsacensem, Casalium* & alios: nam illam *Valentia* vocat planè erroneam in fide, *Molina* non solùm temerariam, sed etiam in fide minimè tutam. *Suarez* temerariam & errori proximam.

17\. *Censura est nimia.*

Verùm *Smising sup. n.* 60. post *Vasquez* censuras has existimat esse nimias. Quàmvis enim auctoritates magìs obvio sensu intellectæ videantur significare quod habet nostra conclusio, non tamen adeò irrefragabiliter, quin alteri explicationi pateat locus. Siquidem etiam Scriptura sæpè usurpat verbum *videre* pro obscura cognitione, ut patet *Isaia* 2. *Verbum quod vidit Isaias filius Amos* &c. *Ioan.* 14. De visione per fidem Christus ait: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.*

Aliter explicari possent auctoritates.

Quare auctoritates explicari possent de notitia tam moraliter certa, ut oppositum non sit probabile; quando enim probationes sunt adeò persuadentes, intellectus debet assentiri, tenetúrque homo vitam suam conformare, adeò ut sit alioquin inexcusabilis. Eò namque Auctoritates potissimùm collimant. Quod ampliùs confirmari potest ex eo, quòd à communi hominum (quos tamen etiam respiciunt Auctoritates) genere amplior notitia desiderari non possit: quotusquisque enim metaphysicarum rationũ (quæ plerumque valde operosè deducuntur, ut patet apud *Smising n.* 83. *& sequentibus*) est capax? maximè quia agit Scriptura specialiter de notitia hausta ex creaturis: ex quibus tantùm desumi demonstrationes morales plures alii Theologi existimant.

18\. *Deum existere solùm à posteriori demonstratur.*

Dico IV. Ratio evidens seu demonstrativa, quâ probatur Deum existere est tantùm à posteriori. Ita *D. Thomas q.* 2. *art.* 2. *Scotus d.* 2. *q.* 2. *n.* 10. & alii communiter. Miror autem *Scotum eâdem q.* citari à *Præposito* in oppositũ, & à *Weggers* quasi ex parte contrarium: cùm tam patenter tradat assertionem communem.

Nec Scotus oppositum docet.

Supponit quidem *Scotus n.* 5. Deum conceptum sub ratione entis infiniti aut simili (sub qua nos solemus concipere) posse demonstrari à priori per ipsam Deitatem; at (ut patet ex *n.* 10. & notat *Smising d.* 1. *n.* 74.) non vult, quòd id fieri possit à nobis, sed ab habentibus definitivum seu proprium Deitatis conceptum.

Conclusio colligitur ex Patribus, qui non nisi ex effectibus conantur probare existentiam Dei. Expressiùs *Dionysius de divin. nomin. c.* 7. Sic loquitur: *Veraciter dicemus, nos Deum, non ex ipsius natura cognoscere, id namque ignotum est, omnemq́; superat rationem & sensum; sed ex creaturarum omnium ordinatissimâ dispositione.*

19\. *Cur existẽtia Dei à priori demonstrari nequeat.*

Ratio est: quia non potest à priori demonstrari de Deo existentia per causam physicam; talis enim non datur in Deo. Neque etiam per causam metaphysicam: nil enim in Deo datur prius existentiâ, ex quo possit profluere tamquam passio. Immo quàmvis esset proprietas ex aliquo priori in Deo profluens, non posset equidem à nobis demonstrari à priori, quòd conveniat Deo: cùm pro hoc statu non habeamus definitivum seu quidditativum conceptum Deitatis, in quem propriè dicta demonstratio à priori finaliter debet resolvi ab ipso demonstrante, ut desumitur ex *Philosopho* variis locis, & *Scoto q.* 1. *Prolog. n.* 14. & alibi. Vide *Smising d.* 1. *q.* 5.

Nec posteriùs attributum divinum per prius.

in qua consequenter ostendit contra Recentiores, nos non posse propriè à priori demonstrare posterius attributum divinum per prius: etsi enim eatenus videri

possit

possit à priori, deficit tamen in modo demonstrationis propriè dictæ, qui est veritas per se nota, vel definitio seu quidditas, adeòque proprius conceptus Deitatis.

QUÆSTIO III.

Quibus rationibus demonstretur Deum esse?

20. *Atheismus est à dæmone.*

NOn immeritò discutitur hæc quæstio, hoc præsertim tempore, quo multi sunt, qui non solùm factis, sed etiã mente Deum negant: sic disponente patre mendacii diabolo, qui cùm divinos sibi honores arrogans, mundum olim cultu plurium inanium Deorum verè diabolico, seu polytheismo dementasset, cernens idololatriæ tenebris, per Christum dispersis, ulteriorem ad eas aditum non patere, cœpit nullitatẽ Deorum sive Atheismum moliri. Unde multi hodie reperiuntur, qui cernentes tot sectas religionum dissectas, veræque religionis Catholicæ fundamenta non penetrantes, totum religionis negotium habent pro suspecto, immo pro fabuloso: ideoque uni felicitati terrenæ inhiant, & quidquid eò conducit, per fas nefasque impunè adhibent. Quibus facem noviter præbuit impius quidam *Nicolaus Machiavellus.*

Porrò variæ à variis Patribus & Doctoribus excogitatæ sunt rationes, quædam naturales seu evidentes, quædam morales, quæ ex principiis practicis aut speculativis desumptæ faciunt moralem certitudinem, quæ scilicet prudentem intellectum, non obcæcatum malitiâ convincunt, & ab atheismo efficacissimè absterrent.

Omissis autem nonnullis probationibus seu demonstrationibus, quas ex *D. Thoma* adfert, & quarum inefficaciam ostendit *Smising d.1.q.6.n.76. & seqq.* uti & illâ, quæ sumitur ex productione rerum ex nihilo, superante omnem activitatem entis finiti tamquam causæ principalis; utpote quod potiùs ex auctoritate, quàm ex ratione constat:

21. *Noscitur Deus ex fabrica universi.*

Prima probatio sumitur à Patribus & Doctoribus ex admirabili fabrica & ordine ac gubernatione universi. Eamdem adhibet ipsa Scriptura *Sap.13.* Elegantissimus est locus *Iob 38. & 39.* ubi Deus discurrens per mirabilia hujus mundi, arguit efficaciter non posse ulli humanæ arti, sed solùm divinæ omnipotẽtiæ ac providentiæ tribui creaturarum ordinem & dispositionem. Idem argumentum eleganter perstringit *Gregorius Nazianzenus orat.2. de Theologia*, exemplo cytharæ; *Quemadmodum* (inquit) *cytharam quis pulcherrimè constructam conspiciens, aut etiam ejus concentum audiens, nihil aliud quàm ipsum cythara conditorem aut cytharædum mente reputat, etiamsi de facie ignotum: eodem quoque modo nobis is, qui res universas procreavit moderatur atque conservat, sese declarat, etiamsi animis nostris ingeniisq́; comprehendi nequeat.* Item *Chrysostomus in Psal.13. Dixit* (inquit) *insipiens in corde suo; non est Deus. Non est fundamentum, & quomodo stat ædificium? non est ædificator, & quomodo domus facta est? non est architectus, & quis orbem condidit? non est musicus, & quomodo in mundi lyra apparet concentus?* & plura alia *Chrysostomus* in eumdem sensum. Vide etiam præclarè disserentem *Lactantium l.1. de falsa Relig. c. 2. & l. de ira Dei c.10.* & alios.

Vel artifex ex artificio.

Sanè manifestum apparet, mundialem machinam respicere mentem aliquam illius ordinatricem ac conservatricem, non secùs ac magnum volumen doctissimè elucubratum, palatium elegans, horologium exactissimum, ceteraque opera artificiosa; idque tantò ampliùs, quantò universi machina hujusmodi artefactis artificiosior, pulchrior, atque in ordine suo, quo ejus partes inter se connexæ sunt, est stabilior. Hoc argumentum ad minus moraliter evidẽter (quod ad Ethnicos & dubitantes instruendos sufficit) probat intentum: sed & metaphysicè illud ponderat, & fusè expendit *Smising sup.n.83. & seqq.*

22. *Deum probat structura oculi.*

Huc etiam spectant speciales probationes, quas ex particularibus creaturis deducit *Less. lib. de providentia Numinis*; signanter illa, quam ex miro artificio oculi pulchrè descripto adducit *Titelmannus l. 9. physica*, & ex mirabili artificio corporis humani, quod idem describit *lib.10.* Ex quibus evidens est, necessariò agnoscendam aliquam supremam & infinitã mentem, quæ hæc & similia ordinaverit.

23. *Idem probat rerum contingentia.*

Secunda probatio desumitur ex rerum contingentia: si enim omnia quæ in universo sunt, sint contingentia, possent non esse actu: hoc igitur (utpote possibile) supponatur: tunc autem sequitur, impossibile esse ea existere: nam quod non est, nequit se reducere ad esse: adeòque erunt impossibilia, nisi detur aliquod ens omnino necessarium, à quo producantur; hoc autem est Deus. Quòd si dicas illud ens necessarium non esse à se, sed ab alio; erit processus in infinitum in entibus necessariis, ac proinde loco unius entis necessarii à se, quod Athei negant, infinita entia necessaria, adeòque æterna cogentur admittere.

Cur ens necessarium nequeat esse ab alio.

Paulò aliter potest hoc argumentum urgeri: datur aliquod ens quod postulat abso-

Tota rerum collectio nequit esse contingens.

absolutè necessariò existere, idque ab æterno: aliàs tota collectio rerum, quæ sunt vel fuerunt, esset contingens, & potuisset esse temporalis vel non esse; hocque posito nullius existentia posset inchoari, utpote necessariò inchoanda per aliquid quod supponitur existere. Ens porrò illud necessariò æternum, sic ut implicet aliquando illud non esse aut fuisse, est summæ & infinitæ perfectionis in existentia & in duratione: quæ enim major perfectio excogitari potest? consequenter idem non caret aliis perfectionibus compatibilibus similiter infinitis.

Aliàs si supponeretur nō esse, foret impossibilis.

24. Confirmatur: quia si nullum sit ens à se, & à quo cetera, euncta erunt potentialia; quæ nisi fundentur in aliquo improducto, fundabuntur in mero nihilo, eruntque (si supponantur non existere; quod utique fieri posset) impossibilia.

Etsi ponatur processus in infinitum.

Quod verum erit, etsi ponatur processus in infinitum: nam nisi in tota collectione detur aliquod eos improductum & essentialiter actuale, tota erit potentialis & contingens; sicut si nihil in tota collectione foret supernaturale, non posset ipsa esse supernaturalis. Prædicatū enim istud, scilicet necessitas essendi vel contingentia, non est numerale seu fundatum in numero, sed essentiale, seu essentiam rei cujusque necessariò consequens; adeòque non magis potest collectio diei simpliciter necessaria ratione alicujus indeterminati, quàm homo aliquis indeterminatè esse risibilis.

Deum esse probat rerum productio.

25. Tertia probatio sumitur ex subordinatione causarum: nam ex quotidiana generatione & corruptione patet plurima esse producta & continuò produci: quorum productio cùm non sit à se ipsis (nam *nulla omnino res est, quæ seipsam gignat ut sit*, inquit, *S. Aug. l. 1. de Trinit. c. 1.* estque per se clarum) tandem resolvi debet in causam aliquam increatam seu improductam & à se; aliàs daretur progressus in infinitum in causis, qui per se statim apparet absurdus, & propterea nec ab ipsis Atheis admittitur.

Nequit dari processus in infinitum in causis.

26. Si dicas, illum non videri absurdum in causis per accidens seu in essendo, sed non in agendo subordinatis, v. g. quòd homo generetur ab homine in infinitum ascendēdo versùs anteriora: id enim nonnulli asserunt divinitùs possibile. Contrà: probatio procedit de causis per se in agendo subordinatis, sive necessariò simul agentibus sine fine seu statu, adeòque ut producatur una musca v.g. requirerentur infinitæ causæ simul agentes & existentes. Deinde ex processu in infinitum in causis per accidens subordinatis, sequitur idem processus in infinitum in causis subordinatis per se, nisi veniatur

Etiam per accidens subordinatis.

ad aliquam improductam: nam posito isto processu, necessariò equidem veniendum erit ad aliquam causam externam actualem, adeòque determinatam, quæ nisi sit independens & à se, rursum erit procedendum ad aliam causam æternam, adeòque simul agentem & per se subordinatam, & sic in infinitum. Denique si in tota collectione non veniatur ad aliquam causam primam & independentem, à qua dependeant ceteræ, tota collectio erit dependens (ut supponitur ex dependentia cujuslibet partis) & simul independens; cùm extra illam nil sit à quo dependeat, non dependeat autem ab aliquo sui, seu intrà se.

Rerum collectio erit dependens & independens si non detur ens à se.

27. His accedunt rationes, moraliter saltem intentum conficientes. Prima sumitur ex prodigiis valde extraordinariis, quæ juxta Scripturam & historias, tam Ecclesiasticas quàm profanas omni tempore contigerunt; ut est inundatio diluvii, traductio Israëlis per mare rubrum, illuminatio cæcorum, suscitatio mortuorum &c. quæ prodigia nata sunt causare, & in hominibus causarunt suspicionem alicujus Numinis super omnia timendi & colendi. Sed hæc non possunt referri in causam corpoream, cujus virtutem indubitanter excedunt. Non etiam in angelum bonum: is enim non ingeret per miracula suspicionem Dei non existentis; aliàs non esset bonus. Non etiam in angelum malum: is enim falsis miraculis semper conatus est homines potiùs abducere à notitia & cultu unius Dei, quem Christiani prædicant, & in cujus fidem per illa prodigia excitantur. Restat igitur ut referantur in Deum, qui per similia se ostendit hominibus, iisque sui timorem & cognitionem ingerit. Deinde si Athei admitterent spiritus, sive causam aliquam invisibilem potentiorem iis, quas sensibus experimur, facilè admitterent Deum; quem negant, eò quòd existiment nil dari ultra hæc sensibilia. Unde *Vasquez. d. 20. cap. 4.* scribit se à viris magnæ auctoritatis accepisse, in quibusdam locis, in quibus nunc Atheismus (inquit) maximè viget, facilè inde revocari perditissimos homines ex solis effectibus magicis, quos in se vel in aliis experiuntur, utpote superantibus vires causarum, quæ sub sensum cadunt.

Probatur Deus ex prodigiis.

Quæ nequeunt referri in angelos.

Athei ultra sensibilia nihil admittunt.

28. Præterea prædictiones futurorum contingentium, quibus Prophetæ aliique sancti cultores Dei futura infallibiliter prædicunt, arguunt aliquod ens omnisciū, quod omnia noverit etiam antequam fiant, item omnipotens seu omnino independens, quod non possit ullatenus impediri in iis quæ fieri decreverit, ne alioquin prædictiones sint fallibiles: hoc autem ens vocamus Deum.

Deum probant prædictio futurorum.

Tertia

29. Tertia ratio moralis fundatur in consensu omnium sapientum, omniumque gentium ac populorum, qui adeò constanter in falsum conspirare non possunt. Verum quidem est aliquos olim Philosophos negasse Deum, ut *Protagoras, Democritus* & pauci alii, similiter aliquas regiones nullius fortè Numinis suspicionem habuisse, ut de Brasilia, antequam Hispani eò navigassent, refert *Molina q. 2. art. 1.* quibus annumerari possent Pseudopolitici hujus temporis. Sed illi paucissimi, & improbæ vitæ, negantes Numen cupiditate potiùs peccandi liberiùs, quàm solido fundamento, non possunt derogare certitudini communis consensûs; potiùs quàm deroget evidentiæ primi principii, *quodlibet est vel non est*, quòd illud pauci aliqui, ut *Heraclitus & Epicurus*, feruntur negasse.

Deum probat sapientum consensus.

30. Quarta ratio sumitur ex eo, quòd voluntas sine fræno effundatur ad omne malum, intellectu negante Deum; è contrà autem assensus de existentia Numinis incitet voluntatem ad omne bonum. Si autem verè non esset Deus, ex perfectione seu veritate intellectûs sequeretur deordinatio voluntatis: ex imperfectione autem sive falsitate intellectûs sequeretur perfectio voluntatis. Similiter voluntas rectè ordinata inclinat ad assentiendum existentiæ Numinis; ad negandum autem eò magìs inclinat, quò est magis vitiis corrupta: adeòque si verè negandus esset Deus, ex deordinatione voluntatis sequeretur perfectio intellectûs, & ex voluntatis perfectione sequeretur intellectûs imperfectio. Quare atheismus seipsum destruit, dum prima naturæ vincula solvit, & contra se invicem pugnare facit. Plura vide apud *Smising q. 6. & Less. lib. de providentia Numinis c. 2.* ubi contra Pseudopoliticos quindecim rationibus fusè, & eleganter probat Deum esse.

Atheismus destruit seipsum.

Tandem ad hominem contra Atheos sic argumentari possumus. Vel est Deus, vel non est. Si sit, & cum universo proborum ac prudentum cœtu credere recusatis, quantas vobis contemptoribus suis ob hoc pœnas inferet! Si autem credatis, fideles sibi præmiis afficiet: si non est, equidem nil mali ex hoc, quòd credatis ipsum esse, vobis metuendum est à Deo, utpote qui non esse supponitur: mali verò periculum, si fortè sit, credendo præcaveritis.

Ratio ad hominem contra Atheos.

Objectiones Atheorum potissimùm militant contra providentiam Dei; de qua agendo, illas solvemus. Interea videri potest *Less. sup. c. 3.*

QUÆSTIO IV.

Qualis sit natura sive essentia Dei?

31. Explicato quid nomen Dei significet, & an sit, restat explicandum, quid rei sit. Suppono autem nos in hac vita non posse perfectè cognoscere vel explicare naturam sive essentiam Dei, seu quid Deus sit, dicente *Damascene l. 1. de fide Orthodoxa c. 4. Quòd Deus sit, liquido constat, quid autem ratione essentia ac natura sit, nullo modo comprehendi cognoscique potest*, scilicet perfectâ notitiâ & per proprias species. Cui concinit *Dionysius Areopagita l. de Divinis nominibus c. 13. Nihil* (inquit) *eorum, quæ sunt, aut eorum quæ alicui existentium sunt cognita, explicat arcanum illud, omnem rationem ac intellectum superans, super-Deitatis, superessentialiter supra omnia superexistentis.* Qui modus loquendi mirabilis ac plusquam humanus ostendit, tum sublimitatem conceptuum Viri istius de Deo, tum eminentiam infinitam ipsius Deitatis supra omnia creata mente conceptibilia. Quare idem Sanctus frequenter docet, nos veriùs de Deo dicere quid non sit, v. g. non lapis, non homo, non angelus &c. quàm quid sit, v. g. sapiens, bonus &c. quia priorá verissimè de Deo negantur, posteriora autem concipiuntur à nobis sub quodam improprio involucro creatarum perfectionum, quas omnes infinitè transcendit ens istud Eminentissimum. Unde *Damasc. sup.* ait: *aptius est ex omnium rerum sublatione atque inficiatione orationem habere. Neque enim eorum, quæ sunt, quidquam est. Quod quidem non ita accipiendum est, quasi non sit, sed quia super omnia quæ sunt, ipse sit, atque adeò supra ipsum esse.*

Deum pro hac vita perfectè cognoscere nequimus.

Veriùs de Deo dicitur quid non sit, quàm quid sit.

Nihilominus Scriptura & Patres plura nobis de Deo tradiderunt, ex quibus aliqualiter ejus essentiam concipimus sub quibusdam rationibus communibus desumptis ex creaturis, seclusis imperfectionibus. Cùm autem plures perfectiones, immo omnes, quæ non involvunt imperfectionem, in Deo reperiantur juxta fidem & rationem; quæritur quidnam sit radix prima omnium illarum. Quod enim in unoquoque est primum, & radix ceterorum, dicitur esse ipsa essentia; cujus idcirco ordinariè dicitur non dari ratio, scilicet intrinseca prior, eò quòd ipsa sit primum in ipsa re. 32.

Essentiam Dei sub rationibus cōmunibus concipimus.

Essentia rei est radix ceterorum.

DUBIUM I.

An Deus sit essentialiter substantia, spiritualis, intellectualiter vivens?

33. IN hoc dubio solùm probandum, prædicata ista Deo competere; quod & catholici Doctores ordinariè solùm faciunt: illo enim supposito, nemini dubium esse potest, quin sint Deo essentialia: cùm in quocumque sunt, adeò sint prima, ut nil imaginabile sit, quod præsupponere possint, tamquam prius. Quare etiam in quibuscumque creaturis reperiūtur, velut essentialia illarum habentur. Ex quo confirmatur quod diximus: si enim sint essentialia istis creaturis; cur non Deo, cui æquè formaliter & intrinsecè insunt, ut mox probabitur? Itaque

34. DICO I. Deus est substantia. Est de fide ex cap. *Firmiter, de summa Trinitate.* Cōclusio patet, tum ex Scriptura, quæ tradit Deum esse præditum vitâ & ratione; quod non nisi in substantialem naturam quadrat. Tum ex infinita Dei perfectione, immutabilitate, & æternitate, de quibus infrà; accidentis autem imperfectione, mutabilitate, & corruptibilitate. Tum denique, quia Deus potest esse, & secundùm fidem est causa effectiva aliarum substantiarum; ergo ipse est substantia, cùm causa totalis aut primaria nequeat esse minoris perfectionis, quàm effectus.

Deus est substantia, quia perfectissimus.

Et causa totalis substantia.

35. Unde etiam patet Deum esse substantiam completam: quia tamquam causa prima est principium substantiarum completarum, tam corporalium quàm spiritualium. Deinde aliàs tamquam pars, sive integralis, sive physica, posset componere totum se perfectius; quod divinæ perfectioni & simplicitati repugnat. Quare prorsus absurdus est error *Davidis de Dinando*, qui teste *D. Thoma quæst. 3. art. 8.* putavit Deum esse materiam primam omnibus formis onustam, adeòque substantiam imperfectissimam. Item illorum, qui dixerunt Deum esse formam omnium, sive animam mundi, ut præter alios plures Ethnicos *Marcus Varro* teste *S. Aug. lib. 7. de civit. c. 6.* Quam fabulam imitati ex parte hæretici *Gnostici*, deinde *Priscillianistæ*, dixerunt, animam hominis esse partem divinæ substantiæ: denique *Petrus Abaelardus*, qui dixit Spiritum sanctum esse animam mundi, ut patet ex *S. Bernardo epist. 190.*

Est substantia completa.

36. Prædictis non obstat, quòd Patres subinde dicant Deum esse ultra seu supra substantiam, ut loquitur frequenter *Dionysius*, & refertur etiam *Boëtius*: per hoc enim non volunt, quòd Deus non sit ens per se, & independens à subjecto inhæsionis: sed partim quòd non substet accidentibus, uti substantia creata; à quo munere substandi accidentibus videtur substantia primò vocata: partim quòd ipsa ratio substantiæ sit in Deo infinitè perfectior omni ratione substantiæ creatæ; ob quem excessum rectè dixerunt Deum esse super substantiam sive supersubstantialem.

Quo sensu Deus sit suprasubstantiam.

Substantia unde sic dicta.

37. DICO II. Deus est substantia spiritualis. Est certissimum de fide, & ut tale supponitur passim à Patribus, contra *Anaxagoram*, & alios quosdam antiquos Philosophos: nec non contra quosdam hæreticos, dictos *Antropomorphitas*, quasi humanam formam Deo tribuentes. Quem errorem etiam *Tertulliano* adscribit *Smising d. 2. n. 57.* Et uni ex recentioribus Hæreticis *Vorstio Becanus 1. p. c. 7. de immensitate Dei.*

De fide est Deum esse spiritum.

Conclusio patet ex *Ioan. 4. Deus spiritus est.* Et ex aliis Scripturis, quæ Deum asserunt immortalem, immensum, immutabilem, invisibilem; quæ corpori convenire non possunt. Patet etiam ratione naturali: tum quia enti primario non debet denegari perfectio simpliciter, qualis est spiritualitas, reperta in inferioribus. Tum quia Deus est causa efficiens entium spiritualium, ut definitur cap. *Firmiter, de Sum. Trinit.* ergo ipse est spiritualis, ne causa sit imperfectior suo effectu. Tum Denique quia nulli corporeo repugnat non esse, prout repugnat Deo: nam omne corporeum est compositum, sive ex materia & forma, sive saltem ex partibus entitativis, quæ se mutuò non includunt, neque realiter sibi identificantur, sed accidentariâ tantùm unione copulantur: poterit ergo pars una absolutè loquendo ab alia separari, & consequenter corporeum ex illis conflatum nō existere. Accedit, quòd talis compositio repugnet infinitati & simplicitati Dei; de qua infrà.

Perfectio simpliciter creaturæ conveniens, Deo denegari nequit.

Nulli corporeo repugnat non esse.

Objicitur illud *Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Deinde, quòd Scriptura sæpè tribuat Deo oculos, aures, manus, & similia corporea membra. Sed facilè respondetur: Ad primum quidem, imaginem Dei non consistere in corpore hominis, sed in anima, ut alibi explicatur. Ad secundum, per oculos & cetera corporea membra metaphoricè & accommodatè ad nostrum captum significari spirituales Dei perfectiones, per oculos scientiam, per manus potentiam &c. Sicut etiam intellectus noster, etsi spiritualis, vocatur oculus mentis, & voluntas dicitur 38.

Quomodo Scriptura tribuat Deo oculos, manus &c.

cor.

cor. Alioquin si talia propriè essent intelligenda, non minùs Deus dicendus esset ignis, lapis, & multa similia; quæ potiùs eum mirabile monstrum facerent, quàm Deum.

39. *Deus est vivens intellectuale.*

Dico III. Deus est vivens vitâ intellectuali. Est etiam fide certissimum. Nam Scriptura frequentissimè inculcat Deum vivere, *Deut.* 5. 1. *Reg.* 17. *Apocal.* 5. *&* 10. & alibi. Cùm autem spiritus sit, patet in illum non quadrare vitam vegetativam aut sensitivam (ut taceam imperfectiones in illa contentas) sed intellectualem solam. Quam quoque specialiter Scriptura passim explicat, dum intellectum, sapientiam, scientiam, voluntatem &c. Deo adscribit. Ratio est: tum quia omnium etiam intellectualiter viventium est causa prima; ergo perfectione vitæ non caret, juxta illud *Psal.* 93. *Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat? &c.* Tum quia nomine vitæ intellectualis in actu primo non aliud intelligitur, quàm substantia potens percipere objectum intelligendo & volendo, in actu autem secundo est ipsa intellectio & volitio. An autem detur conceptus vitæ, qui sit univocè communis omnibus viventibus, etiam creatis, etsi solùm vegetativâ vitâ præditis, Philosophis disputandum relinquimus. Vide *Poncium de anima disp.* 58. *quæst.* 1.

Quid vita intellectualis in actu primo, & secundo.

40. *Distinctio inter vitam intellectualem divinã & creatam.*

Solùm observanda est nobis distinctio inter vitam intellectualem creatam & divinam, quòd tam angelus quàm homo exerceant actus vitæ intellectualis movendo se ad intelligendum & volendum per physicam efficientiam, quâ producũt in se actus, qui angelum vel animam informant tamquam accidentia suum subjectum. At Deus movet se ad intelligendum & volendum, seu percipiendum objecta, absque ulla efficientia vel informatione actûs, sed per realem identificationẽ illius cum natura divina. Deinde creata viventia in operationibus vitæ dependent ab aliquo, saltem extrinseco: Deus autem vivit, seu intelligit, & vult independenter à quocumque extrinseco movente aut coagente; ut latè deducit *D. Thomas q.* 18. *art.* 3. ubi *art.* 4. addit, quòd omnia creata sint in Deo vita, conformiter ad illud *Ioan.* 1. *quod factum est, in ipso vita erat.* Sic enim legit vulgata editio. Etsi *Chrysostomus* claudat præcedentem periodum post verba, *quod factum est.* Sunt autem omnia in Deo vita, vel quatenus omnia, tãquam cognita, sunt objectivè in divina intellectione, quæ est vita Dei in actu secundo; vel quatenus quidquid est perfectionis in essendo, aut operando in vita creata, id eminentiori modo est in vita divina.

Quomodo omnia in Deo sint vita.

DUBIUM II.

An existentia & singularitas sint de essentia Dei?

41. *Existentia est de essentia Dei.*

DICO I. Existentia est de essentia Dei. Ita *D. Thomas. Scotus d.* 2. *q.* 1. *n.* 4. & alibi. Et alii communiter contra *paucos, præsertim Scotist.* qui putant existentiam esse modum intrinsecum divinæ essentiæ.

Probatur I. *Ex cap.* 3. *Exodi:* ubi Moysi quærenti nomen Dei, respondit Deus: *Ego sum, qui sum. Hæc dices filiis Israël: qui est misit me ad vos.* Ubi Deus significat hoc nomen sibi esse maximè proprium; adeòque ipsum significare essentiam Dei. Idem clarè significant Patres, *Hilarius l.* 1. *de Trinitate sub initium*, ubi admiratur tam absolutam hujus nominis significationem, & subdit: *Non enim aliud magis proprium Deo, quàm esse intelligitur. Athanasius epist. ad Orthodoxos, de synodis: Cùm audis* (inquit) *Ego sum qui sum, non aliud quidpiam, sed incomprehensibilem ejus* QUI EST *essentiam intellige.* Et *oratione contra gentes: Dei ratio est ipsum esse.* Et *Damascenus l.* 1. *de fide cap.* 12: Loquens de hoc nomine ait: *Nullum æquè proprium videtur ..... universum enim id quod est, tamquam immensum quoddam & infinitum essentiæ pelagus, complexu suo continet.* Et *Bernardus l.* 5. *de consideratione c.* 6. *si bonum, si magnum, vel quidquid tale de eo dixeris, in hoc verbo instauratur*, QUOD EST.

Probatur II. quia, ut tradunt Patres & passim Theologi, prima ratio distinctiva Dei à creaturâ est, quòd sit ens per essentiam; non solùm quatenus rationem entis in essentia includit, hoc enim etiam competit creaturæ: sed quatenus ex intrinseca sua ratione vendicat sibi realiter existere; creatura autem non, quæ proinde per causam extrinsecam debet poni in esse actuali.

Prima ratio distinctiva Dei à creatura est esse per essentiã.

42. *Existentia Dei ex alio pullulare nequit.*

Probatur denique: quia cùm natura divina habeat à se existere, non est ratio, cur minùs sit prædicatum essentiale ipsius, quàm quodcumque aliud: nec potest assignari aliquid, quod existẽtia Dei præsupponat, à quo tamquam proprietas pullulet. Quod confirmatur: quia id quod præsupponeretur, non existeret formaliter; quod autem non existit, non potest principiare existentiam. Si dicas, essentiam, ut præsupponeretur existentiæ, fundamentaliter existere, sicque existentiam formalem ab ea pullulare. Contrà: quia non est ratio, cur illa mere existentia fundamentalis non dicatur existentia formalis, utpote sufficiẽs ipsi essentiæ ad præstandum quidquid posset

Cur non ab essentia ut fundamentaliter existente.

 cum

cum alia existentia superaddita: nam adhuc opponeretur nihilo, & entibus merè possibilibus aut non necessariò existentibus, essetque radix ex qua profluunt attributa ceteræque perfectiones (uti profluetet ipsa existentia juxta oppositum conclusionis) & consequenter suppositis ceteris perfectionibus, esset principium agendi ad extrà.

An existentia sit de conceptu attributorum.

43. Dices I. Si existentia est de essentiali conceptu Deitatis, erit etiam de essentiali conceptu perfectionum attributalium, & proprietatum personalium. Respondeo non videri magnum inconveniens, etsi totum admitteretur. Deinde posset negari sequela, & assignari disparitas, quòd attributa habeant rationem à priori, scilicet Deitatem, per quam possint reduci ad esse; qualem non habet Deitas.

Attributa habent probabiliùs proportionatas existentias.

Nota in hoc argumento supponi, quòd attributa & perfectiones personales habeant suas proportionatas existentias. Quod est probabilius, & docet *Suarez*, colligiturque ex *Scoto* variis locis. Ratio est, quòd existentia sit prædicatum transcendens cum ente actuali, immo nil sit aliud quàm ipsa actualitas entis vel formalitatis; adeòque videtur impossibile aliquam realitatem aut formalitatem, saltem adæquatè distinctam, multiplicari, quin multiplicetur existentia.

Non sic modi intrinseci.

Dico, *saltem adæquatè distinctam*: quia sicut modus intrinsecus non habet realitatem aut formalitatem adæquatè distinctam, sed involvitur in modificato perfectè concepto, sic ejus existentia non videtur alia ab existentia modificati, sed ipsa existentia modificati adæquatiùs concepta.

Essentia Dei ut à nobis concepta non est primò diversa à creata.

Dices II. Si essentia Dei includeret existentiam, non foret primò diversa ab essentia creata, nec Deus foret ens simpliciter simplex: sed consequens est absurdum; ergo &c. Resp. Neg. Min. verissimum enim est essentiam divinam, prout à nobis est conceptibilis, non esse primò diversam ab essentia creata, sed convenire cum illa in communi ratione entis & aliorum transcendentium: similiter etsi sit simplex, id est, excludens compositionem, non est tamẽ simpliciter simplex.

Nec simpliciter simplex.

Nec hoc arguit imperfectionem in Deo, sed potiùs perfectionem; quia conceptus simpliciter simplex, seu irresolubilis in alios conceptus, est valde imperfectus, ut patet in conceptu entis.

Singularitas est de essentia Dei.

44. Dico II. Deus est essentialiter substantia singularis, sive singularitas est de essentia Dei. Est communis, *D. Thom. q. 3. art. 3. Scot. d. 4. q. 2. nu. 3.* dicentis: *Deitas est de se hæc.* Nec repugnat *d. 8. q. 3. nu. 29. ℣. sed saltem quæres*, dicens, *quòd quasi per prius intelligatur aliquo modo infinitas esse modus entitatis per essentiam, quàm ipsum intelligatur esse hoc.* Non enim vult ibi *Scotus*, quòd sicut infinitas non est de essentia Dei, sic neque esse hoc, quod dicit intelligi posteriùs (etsi hoc putaverit *Lychetus* in prædictum locum §. *si dicatur*) sed solùm vult secundùm nostrum imperfectum concipiendi modum, priùs concipi Deum sub infinitate, quàm singularitate; alioquin ens per essentiam esse de se hoc, ibidem clarissimè dicit.

Oppositum non docet Scotus.

Quid sit rem esse essentialiter singularem.

Ratio conclusionis est: quia rem aliquam esse essentialiter singularem nil est aliud, quàm essentiam ipsius esse seipsa, seu de se & absque ulla formalitate ei superaddita individuam seu immultiplicabilẽ numero: id autem competit Deitati. Aliud est de essentiis creaturarum, quæ cùm sint multiplicabiles numero, possintque plures similes reperiri in pluribus singularibus, v.g. plures naturæ humanæ in Joanne, Petro &c. patet illas formaliter de se nõ esse individuas, sed fieri tales per formalitatem sibi condistinctã, scilicet hæcceitatem, quæ intrinsecè includitur in conceptu singularium v.g. Joannis, Petri &c. At naturæ divinæ non advenit distincta formalitas, quæ faciat illam esse hanc; sed ipsa de se est hæc.

Cur talis sit potiùs essentia divina quàm creata.

Singularitas non est distincta à ceteris prædicatis positivis.

Unde singularitas non est distinctum aliquod prædicatum essentiale à ceteris prædicatis positivis, scilicet substantiâ intellectuali essentialiter existente seu à se; sed est illa ipsa prædicata, quatenus seipsis sunt individua seu immultiplicabilia numero: ipsa autem immultiplicabilitas est quædam negatio consequens.

In conceptu entis à se involvitur singularitas.

Dices, potest concipi Deus tamquam distinctus à quolibet alio, absque eo quòd consideretur tamquam immultiplicabilis numero, v.g. si concipiatur tamquam ens à se existens; ergo singularitas non est de ipsius essentia. Resp. dist. Ant. absque eo quòd consideretur sub explicito conceptu immultiplicabilitatis seu singularitatis, transeat antecedens; absque eo quòd consideretur à parte rei formaliter, nego antecedens. Nam dum concipitur ens à se, concipitur individuum aliquod ens, atque ipsa formalitas singularitatis, seu à qua Deus habet esse singularis, etsi non sub expresso conceptu immultiplicabilitatis. Sicut dum concipio Petrum, concipio individuum hominem, etsi non sub expresso concepto immultiplicabilitatis in plures. Deinde responderi posset, in conceptu entis à se, non haberi sufficientem conceptum de Deo, tamquam distincto à quolibet alio, nisi quatenus includitur in illo simul conceptus singu- 45.

laritatis:

Sine illa nō distingueretur ab alio Deo.

laritatis: hoc enim præciso, non posset sufficienter distingui ab alio Deo. Quare nisi de essentia Dei esset singularitas, nulla esset implicantia concipere aliam essentiam similem. Nec potest repugnantia plurium entium, quæ sunt à se vel infinita, considerari, nisi consideretur essentia cujusvis entis à se & infiniti esse immultiplicabilis numero.

Existentia essentialis est Deo maximè propria.

46. Petes, quodnam ex prædictis prædicatis sit maximè proprium divinæ essentiæ? Respondeo, existere essentialiter, sive ens per essentiam. Ita *Smising tract. 1. d. 2. n. 66.* & alii. Et videntur consentire, qui essentiam Dei in aseitate constituunt, ut patet apud *Derkennis d. 1. c. 2. de essentia Dei* §. 4. Nam nomine aseitatis (quæ alioquin per negationem explicatur, scilicet per non ab alio esse) intelligunt radicem primam positivam, quam consequitur negatio hæc, non esse ab alio; quæ est ipsa existentia essentialis. Responsio colligitur ex auctoritatibus relatis, efferentibus esse Dei, tamquam pelagus omnium perfectionum, quæ in eo fundantur, & (ut *Bernardus* loquitur) *instaurantur in hoc verbo*, QVOD EST. Ratio est: quia cetera prædicata non ita distingnunt Deum a rebus creatis: inter quas etiam reperiuntur substantiæ spirituales, intellectuales, & intrinsecè singulares, v. g. individua angelica; ergo essentialis existentia est, quæ primò distingnit, adeòque ultimatè & maximè propriè constituit essentiam divinam. Cùmque prædicta prædicata sufficiant, nil aliud dicendum est spectare ad divinam essentiam.

Quid nomine aseitatis intelligatur.

Essentialiter existens nequit ab alio causari.

47. Hinc sequitur, ex essentiali Existentia profluere alias Dei perfectiones. Ens siquidem essentialiter existens nequit causari ab alio: quidquid enim tale est, non habet esse vi suæ essentiæ, sed vi productionis. Quare omne causabile est ens in potentia, seu potentiale: cùm tamen Deus excludat omnem potentialitatem objectivam, sive ad esse & non esse. Est etiam ens necesse esse: implicat enim non existere, quòd essentialiter actu existit: eò ipsò enim quò non existeret, clarum foret, existere, non esse de ejus essentia. Item implicat ens à se non existere: si enim posset aliquando non existere, supposito quòd non existeret, sequeretur ipsum esse impossibile: nam id quod non est, non potest transire ad esse, nisi per aliud, adeòque non esset à se, contra suppositum. Ex necessitate essendi similiter sequitur, quòd nunquam possit non esse, adeòque quòd sit æternum & immortale absolutâ necessitate. Idem est de aliis perfectionibus. Quæ dilucida brevitate complexus est *D. Bonav. c. 5. Itinerarii mentis in Deum.*

Implicat nō existere.

Si ens à se non existeret, foret impossibile.

Ex essentiali existentia sequitur æternitas.

E contrà, quia creaturæ non sunt ens per essentiam, sed per participationem, seu quia participant, seu habent esse ab alio receptum, fit quòd sint ens dependens, contingens, potentiale, corruptibile &c.

Existentia Dei non cōvenit intrinsecè cū creatâ.

Ex quibus ulteriùs sequitur existentiam Dei non convenire in aliqua intrinsecâ ratione cōmuni cum existentia creata, magìs quàm rationalitas & irrationalitas, & cetera ultimò constitutiva; adeòque solùm convenire in aliqua ratione denominativa vel negatione, uti differentiæ simplices.

Dices, principale constitutivum essentiæ divinæ potiùs est infinitas seu illimitatio in omni genere entis; nam ex hac videntur ceteræ profluere: ideo enim est ens à se seu per essentiam, quia est sic infinitus, adeòque omnem perfectionem necessariò complectitur. Confirmatur: quia potest concipi ens à se & per essentiam, quin concipiatur infinitas; ut patet exemplo *Aristotelis*, qui statuit materiam primam ens à se, etsi suo omniumque judicio substantiã imperfectissimam. Resp. Neg. Ass. ejusque probationem, in qua petitur principium, satìs ex dictis refutatum: cùm enim ratio entis per essentiam sit ipsa essentia Dei, non potest ex illimitatione profluere, sed potiùs è converso. nam quia nulla essentia potest excogitari perfectior, quàm quæ essentialiter existit, seu quia nulla potest concipi existentiã perfectior, quã essentialis, sequitur ipsam esse infinitam, adeòque ex ea profluere ceteras perfectiones infinitas, ac infinitæ essentiæ congruas. Ad Confirmationem Resp. Neg. Ass. loquendo de conceptu fundato. Conceptus autem *Aristotelis* Ethnici hac in parte fuit stupidus & stultus: quomodo enim potest esse substantia imperfectissima, quæ à nemine dependet, quæ necessariò est æterna, quæ necessariò est immortalis, sic ut ne divinæ quidem potentiæ subjaceat? sanè hæ sunt perfectiones summæ, ut vel obiter consideranti patet. 48.

Cur primū Dei constitutivum non sit infinitas.

Error Aristotelis ponentis materiam primam ens à se.

Posset ulteriùs objectio fieri pro sententia aliorum, qui essentiam propriam Dei statuunt in vita Dei, spectatâ in actu secundo, seu in ipsa intellectione. Sed clarè refutatur ex infrà dicendis de intellectu & scientia Dei: intellectio enim consequitur ipsum intellectum in actu primo spectatum, & hic consequitur essentiam Dei: quomodo ergo potest intellectio ipsa esse Dei propria essentia, seu primum quod est in Deo?

Essentia Dei in ipsa intellectione non consistit.

DUBIUM III.

An singularitas naturæ divinæ, seu quòd non possint dari plures Dii; sit non solùm certum ex fide, sed etiam evidens ex ratione?

49. *Non posse dari nisi unũ Deum est de fide.* DIco I. Non posse dari nisi unum & singularem Deum, est fide certissimum. Patet ex Symbolo Nicæno & Athanasii. Item ex Scriptura, *Deuteron.* 4. Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum. *Et cap.* 32. videte, quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me. *Marci* 12. Unus est Deus, & non est alius præter eum. 1. *Cor.* 8. Scimus, quòd nullus est Deus nisi unus. Et aliis locis.

50. *Constat evidenti ratione.* Dico II. Non posse dari nisi unum Deum, est evidens ex ratione naturali. Ita communiter Doctores, cum *Alensi, D. Thom. D. Bonav. Scoto d.* 2. *q.* 3. contra *Guil. Varronem* (qui fuit Magister *Scoti*,) *Occam, Majorem, Alsacensem, Casalium* & quosdam alios, existimantes solùm probabili ratione posse suaderi immultiplicabilitatem divinæ naturæ in plura individua.

Septem assignat rationes *Scotus* suprà, quas adducit & elucidat *Smising tr.* 3. *d.* 1 *n.* 15. *& seqq.* Paucæ nobis sufficiant.

Si darentur duo entia à se, darentur infinita. Prima est: quia si possent multiplicari entia necessaria & à se, possent multiplicari in infinitum, adeòque de facto sic essent multiplicata: cùm in ente necessario idem sit posse & esse. Prior sequela probatur: quia ex nullo capite restringerentur ad certum numerum. Non quidem à se: natura enim de se multiplicabilis est indifferens ad quemlibet numerum individuorum; prout idcirco contingit in naturis seu speciebus creatis. Non ab alio, quia ens necessarium & à se nulli subest potentiæ productivæ, quæ ipsum determinet ad certum numerum individuorum; sicut natura multiplicabilis in creatis ad certum numerum determinatur à potentia & voluntate Dei nolentis plura producere. Hoc argumentum attigit *Prudentius in Hamartigeneja*, deridens pluralitatem Deorum hoc carmine:

Sunt duo? sunt. Igitur cur non sint multa Deorum
Millia? cur numero Deitas contenta gemello est?
An non in populos diversa examina Divûm
Fundere erat melius, mundumq; implere capacem
Semideis passim nullo discrimine monstris?

Secunda ratio sumitur ex infinitate Dei: si enim essent plura entia infinitè perfecta, sequeretur neutrum esse infinitum: nam unum non contineret formaliter vel eminenter perfectiones alterius, sicut unum non posset in altero formaliter vel eminenter contineri. Ex quo ulteriùs sequitur complexum ex utroque fore perfectius extensivè & æstimabilius, quàm singula seorsim. Item sequitur posse huic Deo alios similes adæquari, cùm tamen Dei nomine concipiatur id cui nil potest adæquari, ut *Tertullianus* loquitur. 51. *Neutrũ foret infinitè perfectum.* *Compositũ ex utroque esset perfectius uno seorsim.*

Aliter & clarè ex eodem capite probatur: quia ratione infinitatis debet Deus sibi & omnibus creaturis esse sufficientissimus: malè igitur plures finguntur, cùm etiã ipsa natura fugiat superfluum. Quare de altero Deorum, immo de singulis seorsim dici poterit, quòd sit frustrà: quid autem turpius, quàm vero Deo posse objici: non es nobis necessarius? Hoc medio utitur *Edmundus Cantuariensis in Speculo Ecclesiæ c.* 28. *tom.* 13. *Biblioth. Patrum*: *Si* (inquit) *duo Dii essent, ex hoc sequeretur necessariò, quòd ambo Dii essent superflui, & diminuti simul & semel: nam primus foret superfluus, quia secundus sufficeret; alter enim non esset Deus: per eamdem rationem esset secundus superfluus, cùm primus esset solus sufficiens.* *Secundus Deus foret superfluus.* *Etiam ambo, si duo darentur.*

Tertia ratio sumitur ex infinita potentia divinæ voluntatis, quæ postulat, ut impleatur quidquid absolutè ipsa ordinat; Si autem plures essent Dii, deberent singuli esse prædìti ejusmodi potenti volũtate: quod fieri nequit: nam posset unus velle mundum hoc tempore conservare, alter æquè efficaciter velle destruere (cùm utriusque voluntas foret liberrima, & ab invicẽ independẽs) adeòque vel utriusque voluntas deberet impleri, & hoc implicat; vel alterutrius voluntas impleri non posset, & ista non esset infinitè potens. Quare infinita plurium voluntatum potentia seipsam destruit. Hoc ferè medio usi sunt varii Patres contra antiquos hæreticos statuentes duo principia, bonum & malum. Coincidit etiam ferè probatio desumpta ex optimo regimine Monarchiæ: quam eleganter tractarunt *Iustinus, Cyprianus, Damascenus, D. Thomas*: immo ipse *Aristoteles* 12. *Metaph. in fine* dicens: *Entia nolunt malè disponi, nec est bonum pluralitas principatuum, unus ergo princeps.* Si enim esset plurium principatus non subordinatus, uniformitas gubernationis, quam conspicimus, non necessariò subsisteret, sicut non necessariò plures in eamdem individuam formam (utpote non necessariam) conspirarent. Unde cõsequenter quidam gentiles plurium Deorum 52. *Duo Dii possent velle opposita.* *Infinita plurium voluntatum potentia seipsam destruit.*

tum assertores Deos sibi invicem adversos, & inter se pugnantes fabulati sint, & alios Deos aliorum potentiæ subjectos finxerunt; quos meritò deridet *Cicero in libris de natura Deorum*.

Secundus Deus à primo non distingueretur.

Accedit nullum esse indicium multitudinis Deorum, sive ex ratione, sive ex auctoritate. Immo cùm singuli Dii deberent esse infiniti, immensi, æterni &c. abest quoque ordinariũ signum distinctionis realis: neque enim unus poterit separari ab altero realiter, tempore vel loco, unus non emanabit ab altero, unus nil facere poterit aut faciet, quin idem possit & faciat alter &c. Quanta est igitur temeritas sine ratione, immo contra apertam rationem, & communem prudentum consensum, plures Deos effingere?

Trinitatem cum unitate concordat fides.

53. Nec obstat I. mysterium SS. Trinitatis: nam cùm pluralitate personarum stat unitas Deitatis, seu naturæ divinæ omniumque perfectionum absolutarum, ut fides docet: ex qua sola, sicut innotescit SS. Trinitatis mysterium, sic cum unitate Dei concordari debet. Quo non obstante potest unitas Dei esse aliunde ex lumine rationis evidens. Sicut ex eodem evidens est, Deum esse immutabilem, & esse liberum: modus tamen quo ista concordari debeant, non est evidens.

Dei beatitudo socium non requirit.

Non obstat II. Quòd vita Dei debeat esse beatissima; qualis non erit, si sit expers societatis, seu careat socio, quem diligat velut alterum se; cùm nulla boni sine socio jucunda possessio. Nam id fallit in Deo, qui sibi est omnia: præter quem cùm nemo alius in se solo omnia habeat, neque sibi sufficiat, socialis amicitia est aliis utilis & appetenda. Deinde multiplicitas personarum omnem amicitiæ dulcedinem modo quodam diviniori in se colligit.

54. Non obstat denique, quòd non videatur verosimile, posse evidenter demonstrari, quod tot nationes florentissimæ, tamque multi sapientes tot sæculis ignorarunt. Nam præcipui Philosophi unitatem Dei agnoverunt; plures alii fortasse reliquis insipientibus exteriùs consenserunt, veriti, ne ipsis accideret, quod *Socrati* multorũ Deorum irrisori. Et quamquam plures etiam Philosophi circa hoc punctum Deo permittente errassent interiùs, non adeò mirum foret consideranti plures alios crassissimos errores cõtra lumen naturæ in iisdem lumine cælesti destitutis, & per peccata excæcatis. Ex quo defectu, etiam post gentilitatis tenebras lumine christianæ fidei fugatas, tam fœdè hallucinati sunt aliqui hæretici, ut duo principia æterna invicem adversantia effinxerint, prout post *Cerdonem & Marcionem* (quem *Epiphanius* asseruisse dicit tria principia: sed *Eusebius* illorum auctorem scribit *Synerum* quemdam) fecerunt *Manichæi* (quibus ante conversionem adhæserat ipse Augustinus ingeniorum Phœnix) & ante omnes *Gnostici*, qui *dicuntur bonum Deum & malum Deum in suis habere dogmatibus*, ut ait *S. Augustinus hæresi 6.* quibus in hac parte sapientior gentilitas non posuit quidem supremum Deum malum; sed aliunde insipientior, quòd incredibili insaniâ tri[redacted] millia Deorum & trecentos joves coluerit, teste *Cælio l.22. lect. antiquar. c.3.* Quamquam *Smising suprà n.25.* dubitet, quo sensu gentilitas plures istos Deos coluerit. Minùs autem miranda cæcitas in fæce plebis; quam constat etiam coluisse bestias, & opera manuum hominum: de quibus certè nulla poterat esse Numinis apparentia. Quam insipientiam specialiter & eleganter arguit Scriptura *Sap.13.*

Origo erroris de pluralitate Deorum.

Radix porrò polytheismi, partim est naturæ humanæ sensibilibus immersæ depravatio & stoliditas: partim fallacia Dæmonum, qui præstigiis suis semper conati sunt homines à cultu veri Dei avertere, sibique divinos honores procurare: partim principum impietas, vulgus continere studentium metu & religione Deorum, sive pro libitu, sive prout imperio suo utilius apprehendebant: partim avaritia vel ambitio præconum & sacerdotum vulgus novitatis amans in cultum plurium Deorum pertrahentium: partim ipsorum hominum superbia, divinos honores sibi suique affectantium, unde paulatim pro Diis haberi cœperunt, quos constat fuisse homines. Quibus accedebat permissio Dei homines excæcantis in justam pessimæ vitæ punitionem. 55.

Radix polytheismi.

DISPUTATIO II.

De perfectionibus sive attributis Divinis in Communi.

QUÆSTIO I.

Quid sit Attributum & Modus intrinsecus, & quotuplex in Deo?

PERFECTIONES absolutæ divinam essentiam consequentes, & ab ea instar proprietatum pullulantes (quas divina nomina appellavit *Dionysius*, qui & librum *de divinis nominibus* scripsit) solent à Theologis dici attributa. Quamquam nomen attributi generatim sumptum complectatur quidquid Deo attribui potest, Quo sensu etiam perfectiones 1.

Quid nomine attributi intelligatur.

essentiales dici possent attributa; quod tamen nõ est usitatum. Prout nec solent tres personalitates, sive quælibet perfectiones relativæ in Deo dici divina attributa: sed solæ perfectiones absolutæ, adeòq; communes tribus personis. Denique respectus ad extrà, sive ad aliquid extra Deum, scilicet ad creaturas (qualem important prædicata Creatoris, Domini, Patris, actualis ubiquitatis &c.) non solent dici attributa: eò quòd non sint proprietates divinæ essentiæ, utpote ei non necessariò competentes, sed contingenter; cùm ante creaturas conditas Deus non esset Creator, Dominus &c. scilicet in actu secundo. Deinde prædicata ista desumuntur ab aliquo extrinseco, v.g. dicitur creator à creatione intrinseca creatis &c; aut si à respectu intrinseco ipsi Deo, is non alius esse potest quàm rationis. Quapropter etiam scientia Dei quatenus terminatur ad creaturas actuales videtur propriè nõ esse attributum: utpote contingenter Deo competens. Secus est, de scientia possibilium: est enim illa non tantùm necessaria, sed etiam tendentia ad illas, & denominatio consequens, est intrinseca.

Qua scientia Dei sit propriè attributum.

2. Attributum sic sumptum dividitur in positivum & negativum: vel in attributa quorum ratio est communis creatis, & in illa quorum ratio nullatenus competit creatis. Priora sunt unitas, veritas, bonitas (quæ dicuntur transcendentia, quia transcendunt cum omni ente) intellectus, voluntas, intellectio seu scientia (ad quam spectant virtutes intellectuales in actu secundo spectatæ, sapientia, prudentia, consilia divina) volitio (ad quam spectant moralis bonitas & sanctitas, seu complexio perfectissima virtutum, scilicet fidelitatis, misericordiæ, justitiæ, & aliarum, quæ non involvunt imperfectionem; indeque volitio sanctissima & rectissima Dei est prima regula omnis nostræ perfectionis & operationis) cujus pars potissima est providentia: denique omnipotentia, seu potentia Dei activa.

Attributa Dei, alia positiva.

Posterioris generis sunt independentia, seu non esse creatum vel causatum, necessitas essendi, infinitas, simplicitas, sive ratio actus puri, immutabilitas, æternitas seu immortalitas, immensitas, invisibilitas, incomprehensibilitas, ineffabilitas. Quæ quidem nulla ratione competere creaturæ, patet. Et quia suo modo communia sunt reliquis perfectionibus attributalibus, immo eas cõtrahunt quodammodo ad Deum, quæ alioquin videbantur creaturis communes, idcirco à nonnullis vocantur attributa transcendentia. Dei namque unitas, veritas, intellectus, sapientia &c. est infinita, immensa, æterna, invisibilis, incomprehensibilis &c. Quod notandum est, ne quandoque in significatione nominis attributi transcendentis error accidat.

Alia negativa.

Cur hæc vocentur trãscendentia.

3. Paulò aliter *Doctor Subtilis* ejusque discipuli loqui solent: nam posterioris generis attributa (quæ *Poncius disp.3. n.1.* vocat negativa, sive quia per negationem explicantur, sive quia ipsi essentiæ solam negationem superaddunt, ut idem putat) *Scotus* cum suis vocat modos intrinsecos. Describitur autem modus intrinsecus ex iis quæ habet *Doctor d.8.q.3.n.26.* qui non variat rationem formalem ejus cujus est modus; id est, qui non addit essentiæ seu quidditati, cujus est modus, novam formalitatem, sive rationem, quæ esseotiam faciat formaliter aliam, sed solùm adæquatiorem. Unde consistit in hoc, quòd quidditas sive essentia sine modo sit quidem conceptibilis, sed inadæquatè & imperfectè; cum modo autem seu sub modo concipiatur perfectè & adæquatè. Ex quo colligitur modum intrinsecum aliqualiter spectare ad quidditatem rei, quatenus scilicet involvitur in conceptu illius perfecto & adæquato; aliqualiter etiam esse extra essentiam, & à priori demonstrabilem, quatenus essentiam in confuso & inadæquato concepto non ingreditur.

Modus loquendi Scotistarum in hac materia.

Quid modus intrinsecus.

Qualiter spectet ad quidditatem rei.

Prioris verò generis perfectiones *Scotistæ* appellãt propriè & strictè Attributa. Unde attributum describunt esse proprietatem absolutã divinæ essentiæ, à qua formaliter adæquatè distinguitur, seu cujus conceptum essentialẽ nullatenus ingreditur. Sive (ut *Smising tract.2.d.1.q.1.*) perfectio simpliciter per modum qualitatis afficiens divinam essentiam in ratione adæquata essentiæ substantialis constitutam. Vide plura de his apud *Smising suprà.* Pauca hæc notasse sufficiat, ne æquivocatione vocũ veritas rerum Theologicarum, deinceps tractandarum, obnubiletur. Parum enim est de vocabulis, dum sensus est in tuto. Solùm restat difficultas, an Attributa seu perfectiones divinæ sint numero infinitæ. Affirmant nonulli, quos suppresso nomine refert *Vasquez d.25.n.1.* iisdem favet *Occam & Ferrariensis* apud *Smising sup. n.9.* Sed negandum est cum *Smising sup. Suar. Vasq.* & aliis Theologis: quia neque ex auctoritate, neque ex ratione multitudo infinita divinarum perfectionum colligi potest. Nec est, cur Scriptura istud mysterium, ut alia mysteria & attributa, non revelasset. Infinitas quoque, quæ ex revelatione & lumine naturali manifestatur, sufficientissimè explicatur per infinitatem tam essentiæ quã aliarum perfectionum, etsi numero finitarum: nam adhuc omnes gradus perfectionis possibilis in Deo continentur. Unica namque perfectio v.g. vitæ divinæ,

Quid attributũ propriè juxta Scotistas.

Attributa divina non sunt numero infinita.

com-

complectitur eminentissimè, quidquid perfectionis est in vita omnium creaturarum viventium, sive actualium sive possibilium, sive viventium vitâ intellectuali, sive sensitivâ, sive vegetativâ. Unicus intellectus Dei perfectiones omnium intellectuum, phantasiarum, sensuum externorum: Unica scientia Dei perfectiones omnium intellectionum, imaginationum, sensationum, etiam possibilium. Et sic de ceteris. Denique fingi nequit, quænam essent illa attributa, quamve perfectionem importarent: immo ne quidem unum potest assignari, præter ordinaria; quantò minùs infinita?

4. *Sunt infinita spectatâ tendentiâ ad objecta.*

Notandum nihilominus perfectiones divinas esse numero infinitas, si consideretur earum multiplicatio penes multiplicem tendentiam ad varia objecta. Quod alii explicando dicunt attributa partialia esse numero infinita: sic enim sunt in divino intellectu infinitæ ideæ formales, uti sunt infinita possibilia, quorum singula suam habent ideam: infinitas similiter complacentias habet divina voluntas: ad infinita potest tendere divina potentia: quæ tamen omnia comprehendũtur unico attributo divinæ scientiæ, volitionis, omnipotentiæ. Sic intelligendus videtur *Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 6.* dicẽs: *Ipse unus existens millenas emittit divinitatis suæ operationes.* Et fortè etiam intelligi possent Auctores oppositæ sententiæ.

In eo sensu intelligendi sunt Patres.

Bernardus autem *l.5. de considerat. c.7.* dicens: *Multa dicuntur esse in Deo, & quidem sanè catholicèque, sed multa unum: alioquin si diversa putemus, non quaternitatem habueris, sed centenitatem*; sic est intelligendus: si putentur diversa realiter, quæ tamquam multa dicuntur esse in Deo, v.g. intellectus, sapientia, bonitas, voluntas, &c. non solùm erit in Deo Trinitas personarum vel Deorum, aut quaternitas, sed centenitas, id est, longè major numerus; immo centenario major, si numerentur attributa partialia secundùm diversas tendentias seu terminationes.

QUÆSTIO II.

An essentia divina distinguatur realiter ab attributis & personalitatibus, vel attributa ab invicem?

5. *Error de distinctione reali naturæ ab attributa.*

DIvinam naturam realiter distingui ab intellectu aut scientiâ, ceterisve attributis, docuit quidam *Gualterus* (ut communiter refertur) idque ex frivolo planè fundamento, vix digno relatu. Qui error à nonnullis etiam tribuitur *Gilberto Porretano Episcopo Pictaviensi.* Sed falsò; ut rectè ostendit *Smising d.1. n.15.* Potiùs enim asseruit inter essentiam & attributa realem identitatem. Error itaque *Gilberti* in eo consistit, quòd Deitatem & attributa docuerit realiter distingui à tribus personalitatibus seu perfectionibus relativis: ut clarè patet ex actis *Concilii Rhemensis*, contrà *Gilbertum* coacti (in quo errorem suum ore proprio retractavit, teste *D. Bonav. d.33. art.1. q.1. in corp.*) & *Bernardo* contra ipsum disputante, præsertim *serm. 80. in Cantica*, & antiquis Scholasticis *Alensi, D. Thom. D. Bonav. Henrico Gandav.* & aliis, qui non ita diu post tempora *Gilberti* versati sunt in Academia Parisiensi, ubi sententia illius fuit discussa: ut meritò dicat *Suar. l.4. de Trinit. c.2. n.1.* se non dubitare, quin realem posuerit distinctionem. Quidquid immeritò ex levi conjectura post tot sæcula contradicat *Vasquez d.120. c.1. n.6.* putans *Gilbertum* solùm posuisse distinctionem ex natura rei, ut condemnationi *Gilberti* faciliùs involveret opinionem *Scoti* statuentis distinctionem formalem. Vide *Smising n.13. & 14.*

Error Gilberti in hac materia.

Gilbertus posuit distinctionem realem.

Non formalem ex natura rei.

6. *Vterque error repugnat simplicitati Dei.*

Verùm uterque error repugnat simplicitati divinæ; quæ definitur cap. *Firmiter, de Summa Trinit.* Repugnat etiam communi axiomati, desumpto ex *Toletano XI. Florentino* & *Anselmo*: *Omnia in divinis sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Repugnat præterea cap. *Damnamus, de Sum. Trinit.* ubi damnatur quaternitas; qualis esset, si præter tres personalitates daretur realiter distincta natura; & adhuc ampliùs, si ipsa attributa insuper realiter distinguerentur. Insuper repugnat *Concilio Florentino ss.25. in confessione fidei*, ubi dicitur: *Ne identitatem unitatemq; essentia dividamus, atque ut essentiam ab hypostasibus, non re differentem, sed ratione tantùm & actu intelligendi asseveremus.* Et *Concilio Rhemensi sub Eugenio III.* in quo unicus hic articulus cõtra *Gilbertum* definitus est (teste *Ottone Frisingensi*) *ne aliqua ratio inter naturam & personam divideret* (intellige realiter) *neve Deus divina essentia diceretur ex sensu ablativi tantùm, sed etiam nominativi; hoc est, ne solùm dicatur, Pater Deitate est Deus, sed etiam ipsa Deitas.* Ex quo à fortiori redarguitur etiam error *Gualteri*, cùm constet non minorem identitatem debere admitti inter naturam & attributa, quàm inter naturam & personalitates. Denique repugnat Patribus passim. Nobis sufficiant verba *Damasceni l.1. de fide cap.11.* *Unum* (inquit) *idemq; sunt Pater, Filius & Spiritus sanctus, nisi quòd Pater non est genitus, Filius est genitus, Spiritus sanctus processit: quod autem in ea* (essentia) *distinctum est, cogitatione solâ distinguitur.*

Insuper repugnat Conciliis.

Et Patribus.

7. *Rationes Gilberti.* Fundamenta Gilberti sunt eadem, quæ ex ratione opponi possent contra mysterium SS. Trinitatis, videlicet, *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* De quo *in tract. de Trinitate.* Prætetea (teste *Ottone*) objiciebat, quòd ex identitate reali naturæ & personalitatum sequi videatur, quòd sicut persona est incarnata, passa, mortua, sic etiam Deitas ipsa seu essentia. Sed hoc non difficulter solvitur admissâ distinctione formali, quæ facit, ut de realiter iisdem verificentur contradictoria. Similiter haud difficulter explicantur testimonia Patrum *Hilarii & Theodoreti,* subinde dicentium, personam & naturam non esse idem; intellige formaliter. Denique *Concilium Toletanum VI.* asserens solum filium suscepisse humanitatem in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ, satis explicatur per distinctionem formalem: quamquam sine ea vix appareat solida explicatio.

QUÆSTIO III.

An essentia divina, ejusque perfectiones seu attributa distinguãtur solo nomine, an ratione ratiocinatâ, an denique formaliter ex natura rei?

8. *Essentia & attributa non distinguuntur solo nomine.* Dico I. Essentia divina ejusque attributa non distinguuntur solo nomine, sed saltem ratione ratiocinatâ. Ita cõmuniter Doctores contra *Guilel. Occam, Principem Nominalium & reliquos Nominales,* admittentes solam nominum varietatem: quamquam fortasse in re non dissentiant à vulgata opinione statuentium distinctionem rationis ratiocinatæ. Fundamentum enim generale illorum est (ut *Fundamentum Nominalium.* notat *Smising n.18.*) quòd nulla detur in re distinctio rationis, sed solùm realis: eò quòd rationis distinctio desumi deberet ab extrinseco, scilicet ab actu intellectûs seu rationis; hæc verò distinctio non sit nisi inter ipsos actus intellectûs, & non in re; quæ, sicut per extrinsecum non constituitur ens, sic nec distinguitur per extrinsecum ab alio.

9. *Distinctio rationis est quasi denominatio extrinseca.* Verùm distinctio rationis non est à viris doctis inducta, quasi verè rei intrinseca & propria passio entis, sed quasi denominatio extrinseca resultans in objecto ex operatione intellectûs, deserviensque ad explicandas varias objecti conceptibilitates in ordine ad nostrum intellectum imperfectè concipientem. Neque Nominales negare possunt rem simplicem, eique intrinseca diversis substare conceptibus inadæquatis, esseque fundamentum in ipsa re, comparatione saltem intellectus nostri, ipsam diversimodè concipiendi, v. g. Deum tamquam bonum, justum, misericordem &c. & propter hoc diversis nominibus significari: hoc autem est distingui saltem ratione. Quare *Nominales* rectiùs usui communi loquẽdi adhæsissent. Ex quibus quoque satis probata manet Cõclusio. Confirmatur ex Patribus (quos *Illam in Deo fatentur Patres.* refert *Smising n.30.*) qui fatentur in Deo perfectionum varietatem, alteritatem, multiplicitatem, unum attributum præstare aliquid quod non alterum, attributa esse velut qualitates divinæ substantiæ; relationes esse proprietates divinæ naturæ. Idipsum ad minus conficitur ex fundamentis *Gilberti præc. qu.* allegatis. Denique idem à fortiori patebit ex probatione distinctionis formalis.

Nec obstant Patres, qui videntur omnem distinctionem, præter eam quæ est inter personas, à divinis excludere, dum dicunt Deum non tam habere omnem suam perfectionem, quam esse illam, & unam esse alteram: dum negant unum attributum ab altero differre, aut unum alteri quidpiam addere, sed esse prorsus & omnino idem quod alterum: dum denique asserunt pluralitatem nominum, quibus divinas perfectiones significamus, solùm fundari in nostris imperfectis conceptibus, quibus Deum more creaturarum concipimus, aut ad creaturas variè comparamus, nil autem esse multiplex, sed solam nominum diversitatem. Patrum testimonia fusè congerit noster *Aureolus,* relatus à *Smising sup. n.19.* qui *n.20. & seqq.* ea in certas classes distribuit. Nobis sufficiant verba *Bernard. l.5. de consider. c.13. Visus sum* (inquit) *protulisse plura, sed unum est: unus Deus signatus est pro captu nostro, non pro statu suo: diversus est hic* (captus noster) *non ille* (Deus) *voces diversa, semita multa, sed unum per eas significatur, unus quæritur.* 10. *Patres in speciem contrarij.*

Resp. Patres non negare saltem distinctionem rationis: quæ ad minus in aliis auctoritatibus patenter asseritur, signanter *in Florentino ss. 25.* sed neque obsunt distinctioni formali, sequenti conclusione statuendæ. Non enim egerunt, uti nec erat tunc quæstio, de hac metaphysica subtilitate, sed contra hostes Trinitatis sic adstruunt realem distinctionem personarum, ut similẽ distinctionem in natura & perfectionibus absolutis negent. *Bernardus* similiter in *Gilberto* redarguit distinctionem realem personalitatum à natura, propugnans consequenter realem identitatem. Specialiter autem, dum nonnulli Patres videntur adstruere solam diversitatem nominum fundatam in nostris imperfectis conceptibus, indicant differen- 11. *Non negant distinctionem rationis.* *Quomodo sint explicandi.*

tiam

tiam inter Deum & creaturas, quòd scilicet nominibus distinctis non correspondeant in Deo distinctæ realiter perfectiones, prout frequenter in creaturis, sed in Deo sit diversitas realis nominum, identitas autem rerum significatarum.

12. *Essentia divina ab attributis distinguitur formaliter.* Dico II. Essentia divina ab attributis, & attributa ab invicem (idem est de personalitatibus divinis comparatis ad essentiam vel attributa) distinguuntur formaliter ex natura rei & ante mentis operam. Ita *Scotus d.2. q.7. nu.41. & seqq.* & *d. 8. q.4. nu.17.* ejusque discipuli. Et ex parte coincidit *Durandus d.2. q.4. in fine.* Et *d.33. q.1. art.3.* quantùm ad distinctionem essentiæ & personalitatum, juxta *Smising num.12.* etsi *Vasquez* conetur eum involvere errori *Gilberti.* Est autem contra *D. Thomam q.28. art.2. D. Bonav.* & reliquos communiter admittentes solam distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ scilicet ex parte objecti supponat fundamentum ista concipiendi tamquam distincta. Unde à *Caietano, Molina, Valentia* & multis Recentioribus appellata est virtualis.

Quid distinctio formalis. Nomine porrò distinctionis formalis intelligimus illam, quæ intercedit inter diversas formalitates, seu rationes objectivas in eadem re seorsim perfectè conceptibiles, v. g. inter intellectum & voluntatem, essentiam & intellectum, essentiam & personalitates &c. Excluditur distinctio essentiæ à modis intrinsecis: eò quòd hi secundùm *Scotum d. 8. q.3. nu. 27.* in quidditate perfectè concepta involvantur, sic ut intellectus perfectè concipiens, scilicet intuitivus, qui rem adæquatè assequitur sicuti est, non possit concipere quidditatem sine modo intrinseco: à quo proinde solâ ratione, aut ad summum formaliter inadæquatè, seu non mutuè distinguitur.

13. *Fundamentum conclusionis.* Probatur conclusio unico, sed efficacissimo argumento: illa, de quibus ante mentis operam, vel apud intellectum perfectè concipientem possunt affirmari vel verificari contradictoria, distinguuntur ante mentis operam, adeòque non per solam rationem, sed saltem formaliter: atqui hoc habet locum in essentia & perfectionibus divinis, tam absolutis quam relativis; ergo non solâ ratione, sed formaliter (constat enim, quòd non ampliùs) distinguuntur.

Indicium distinctionis formalis. Major apparet evidens, quia de omnino iisdem non potest esse simul actu vera affirmatio & negatio; adeòque si de aliquibus sit simul vera ante mentis operam, sequitur illa ante mentis operam non esse omnino eadem, sed distincta. Similiter sicut ex separabilitate reali colligitur distinctio realis, sic ex separabilitate apud intellectum perfectè concipientem distinctio formalis ex natura rei: cùm enim intellectus perfectè concipiens distinctiones in objecto non fingat, sed ipsum sicuti est concipiat, constat manifestè in ipso objecto esse veram distinctionem, si apud ejusmodi intellectum diversæ ejusdem objecti conditiones sint separabiles, sic ut ipse judicet unum formaliter non esse aliud, sive unum verè esse quod non est aliud, vel aliquid verè convenire uni, quod non convenit alteri.

Contradictoria de essentia divina & attributis. Minor probatur primò comparando essentiam cum attributis: nam ante omnem mentis operam, & apud ipsum intellectum divinum, Essentia divina est universale, non autem particulare, principium quo procedunt seu producuntur secunda & tertia persona: intellectus autem & voluntas non sunt principium universale, sed particulare, iste productivus secundæ dumtaxat personæ, hæc tertiæ. *De attributis inter se.* Secundò comparando ipsa attributa inter se: nam à parte rei intellectus divinus est principium generationis divinæ, non spirationis: è contrà voluntas est principium spirationis, non generationis. *De essentia & relationibus.* Tertiò comparando essentiam cum relationibus: nam essentia est communicabilis tribus personis, relatio seu personalitas non: Essentia identificat personas, relatio non, sed illas distinguit; Essentia non generat aut spirat, Pater generat, Pater & Filius spirant. *De attributis & relationibus.* Quartò comparando attributa cum relationibus: nam illa sunt communia tribus personis, & perfectiones simpliciter; relationes autem non: intellectus & voluntas sunt principia divinarum processionum, non autem relatio, saltem non spiratio passiva.

Ad hoc argumentum Nominales aliqui responderunt contradictoria non esse de eodem admittenda, nisi habeantur in Scriptura sacra, vel ex determinatione Ecclesiæ, vel evidenter ex talibus inferantur. 14. *Contradictoria de eodem nequit fides affirmare.* Sed horum responsio meritò rejicitur ab omnibus tamquam absurda & injuriosa fidei, quam dum venerari videntur, faciunt incredibilem, nec tantùm supra rationem, sed etiam cum manifesto lumine rationis pugnantem. Vide *Smising n.45.*

Respondent plurimi alii salvari sufficienter contradictoria per distinctionem virtualem seu eminentialem, quatenus eadem res æquivalet pluribus distinctis: 15. *Nec distinctio virtualis salvare.* ex quo consequens esse videtur, non esse veram contradictionem, quæ nimirum debet esse de eodem secundùm idem. Itaque *Pater generat per intellectum, non per voluntatem*, salvâ omnimodâ intellectûs & voluntatis divinæ identitate, hoc sensu: Patet in quantùm æquivalet virtuti intelle-

intellectivæ creatæ generat, non in quantùm æquivalet virtuti volitivæ creatæ; idque citra negotiationem intellectûs. Ut patet in simili, dum dicitur de eodem lacte: Lac quà album non est dulce. Et magìs appositè, si simplex entitas haberet vim siccandi & calefaciendi, & morbus esset curandus exsiccatione tantùm, verum esset ante mentis operam: medicina est talis morbi sanativa, quatenus siccativa, non quatenus calefactiva. Omitto plurima exempla, quæ congerit *Smising n.*45. & refutat *n.*48. veluti manifestè fundata in negotiatione seu imperfectione nostri intellectus, aut connotatis extrinsecis: cùm tamen sine his verificentur contradictoria, à nobis allegata, etiam apud intellectum perfectissimè concipientem & intuentem. Omitto etiam instantiam *Wiggers q.*3. *dub.*2. *nu.* 10. contra contradictoria allegata à nobis, quòd scilicet intellectus v.g. & voluntas non sint iidem termini, contradictoriæ autem propositiones sint affirmatio & negatio ejusdem prædicati de eodem termino, scilicet subjecto. Nam hîc agitur de prædicatis ipsis contradictoriis, quæ mentaliter actu vero judicativo nequeunt affirmari de eodem omnino significato, seu termino objectivo, sive appellentur diversi termini vocales, sive non: est autem idem omnino terminus objectivus, si ante opus mentis nulla omnino sit distinctio inter intellectum & voluntatem Dei, sed omnimoda identitas, qualis inter intellectum & intellectum.

Agitur hîc de contradictoriis objectivis.

16. His itaque omissis ad responsionem propositam dico, illam nullatenus satisfacere: si enim distinctio virtualis relinquat omnimodam identitatem, manifestè contra primum principium *idem erit & non erit*. Quòd si autem aliquid importetur ex parte objecti, destruens vel imminuens illam omnimodam identitatem, jam inciditur in sententiam *Scotistarum*, sive appelles diversas rationes objectivas, præcisiones, objicibilitates, virtualitates, conceptibilitates, sive formalitates: nam vel illa ratio objectiva est præcisissimè & omnino eadem cum alia, sicut secum, & sic nil juvat: vel non, & sic inciditur in nostram sententiam, à qua fortè in rei veritate non differunt, qui virtualem distinctionem, velut mediam inter realem & rationis, constituunt, ut *Caietanus* & alii Recentiores.

Cur distinctio virtualis illa non salvet.

17. Nec satisfacit explicatio mox allegata per æquivalentiam ad diversa; nam aliàs verissimè & propriissimè, tam voluntas quàm intellectus Dei esset principium divinæ generationis: & consequenter sine addito, seu simpliciter falsum erit: Pater generat per intellectum, non per voluntatem, sive intellectus est principium generationis divinæ, non voluntas. Sicut simpliciter falsum est: lac album non est dulce: medicina (de qua suprà) siccativa, non calefactiva, curat. Deinde sic tota distinctio, atque adeò contradictio petenda foret ex distinctione potentiarum creatarum, hoc quasi sensu: in divinis nulla quidem est inter intellectum & voluntatem quoad principiationem divinæ generationis differentia, sic tamen loquimur, eò quòd potentia intellectiva creata, non sit volitiva, saltem sumendo utramque simul cum actibus suis, seu eò quòd creatum intelligere non sit velle. Sicut cùm dicimus, lac quà album non est dulce, verè nil aliud dicimus, quàm quòd etsi in lacte reperiatur albedo & dulcedo, tamen albedo non sit realiter idem quod dulcedo. Et dum dicimus, medicina curat quà siccativa, non quà calefactiva, sensus est, siccare non est calefacere. Similiter omnipotentia Dei producit animam hominis quà creativa, brutum non sic, sed quà generativa, id est, creare non est generare. In quibus tandem recurritur ad connotata extrinseca: à quibus independenter veræ sunt propositiones contradictoriæ suprà allegatæ. Estque planè torta expositio propositionum fidei, seu ad fidem pertinentium, quæ utique simpliciter & sine addito veræ sunt, intellectæ de ipsis divinis perfectionibus secundùm se spectatis. Aliàs intrinsecum discrimen processionum in fumos abit, & solùm significatur discrimen intellectionis & volitionis creatæ. Prout etiam fit in responsione ridicula eorum, qui dicunt sensum esse: si intellectus divinus esset distinctus realiter à voluntate (quod est impossibile) Pater generaret per intellectum, & non per voluntatem. Sanè potentia intellectiva creata non distinguitur à volitiva juxta communiorem & veram sententiam *Scoti*. Estò autem sumatur simul cum actibus, id est impertinens; cùm non actus, sed ipsæ potentiæ sint in divinis principia processionum, juxta dicenda in *Tract. de Trinit.* Ipsæ quoque processiones cum suis distinctionibus constant independenter à creaturis, etiam possibilibus, & antecedenter ad illas, ut ibidem dicetur. Denique evasio hæc locum non habet in aliis propositionibus, scilicet *essentia est communicabilis* v.g. Filio, *non paternitas*, & similibus.

Nec æquivalentia ad diversa.

Aliàs tota distinctio peteretur ab extrinsecis.

Ac recurreretur ad connotata extrinseca.

Discrimen quoque processionum tollitur.

Quæ sunt antecedenter ad creaturas.

18. Quocirca ad hanc posteriorem & similes propositiones Respondent nonnulli Recentiores, salvari contradictoria per realem distinctionem personalitatum inter se: quid enim mirum (inquiunt) communicatâ Filio essentiâ, quæ ci iden-

Contradictoria non salvat distinctio personalitatũ inter se.

eì identificatur, non communicari paternitatem, quæ realiter ab eo distinguitur? Est quidem paternitas eadem cum essentia, & quidem adæquatè, quatenus est Patris; non tamen cum essentia adæquatè & totaliter sumptâ, utpote identificatâ etiam Filiationi & Spirationi passivæ, sic ut secundùm statum realem verissimum sit: Essentia divina est tres personæ, sic ut in singulis sit tota, sed non totaliter. Ita *Derkennis disp. 2. de Attrib. in genere n. 29.*

Quia ipsamet aliundè implicabit.

Sed contrà: implicat aliundè Essentiam, & non paternitatem, esse adæquatè tres personas, si ante opus mentis nulla omnino sit inter utramque distinctio, sed essentia sit tam eadem paternitati, quàm sibi: sic enim quidquid convenit essentiæ debet convenire à parte rei paternitati, nisi de omnino eodē simul vera sit affirmatio & negatio. Quare similiter implicabit Essentiam communicari vel esse eamdem Filio, & non similiter paternitatem. Quæ tamen non implicant juxta nos, salvantes contradictoria per distinctionem formalem. Confirmatur: quia si inter paternitatem & Essentiam nulla sit ante opus mentis distinctio, quid aliud erit à parte rei Pater, nisi sola Essentia? quid insuper erit in Patre communicabile & incommunicabile? cùm tamen secundùm fidem in Patre sit Paternitas incommunicabilis, sit Essentia communicabilis, & quidem illa ipsa omnino & præcisissimè quæ est in Filio, utpote habente essentiam omnino & tam eamdem essentiæ Patris, quàm Joannes est idem Joanni.

Pater enim ante mentis operam erit sola essētia.

19. Dices I. Nonnullæ auctoritates significant Essentiam à personalitatibus *non re differre, sed ratione tantùm & modo intelligendi*, ut loquuntur Patres latini in Concilio Florentino *ss. 25.* in confessione fidei, ab Eugenio IV. approbatâ. *Et ss. 18.* dixerat Joannes Theologus (qui fuit *Joannes de Monte Nigro* Ordinis Prædicatorum) *differre tantùm modo intelligendi*. Et *ss. 19.* Andreas Archiepiscopus Rhodi, sive Colossens. ejusdem Ordinis, dixerat *differre apprehensione tantùm & intelligentiâ*. Quæ verba (ut aliorum Patrum testimonia omittantur) omnem videntur æquivocationem tollere, nec evasionem pati. Accedunt decisa à *Bernardo* & Episcopis Gallicanis contra *Gilbertum*, approbante *Eugenio Papa III.* nam *Bernardus serm. 80. in Cantica* contra *Gilbertum* contendit, magìs propriè veram esse hanc, nempe juxta statum realem, *Pater est veritas*, quàm, *Pater est verus*; quod de posteriori contendebat *Gilbertus*. & similiter admittere debent *Scotistæ*. Et Episcopi Gallicani in confessione fidei dixerunt, *nullo catholico sensu posse negari, quin divinitas sit Deus*; poterit autem secundùm *Scotistas*, scilicet quòd non sit formaliter Deus.

Auctoritates quæ videntur contrariæ.

Resp. Auctoritates non agere de præfata controversia in scholis agitata, minùs velle adeò leviter præjudicare tam solēni doctrinæ de distinctione formali, de qua nulla in *Florentino* disputatio fuit, & ad cujus scopum hujus rei decisio minimè pertinebat: id enim est præter morem & mentē Conciliorum. Quare verba sunt intelligenda ut explicent fidem, quæ apud omnes, etiam *Scotistas*, semper indubitata fuit in Ecclesia Latina, scilicet Essentiam ab hypostasibus seu personalitatibus non distingui realiter, prout distinguuntur personalitates inter se. Unde hanc solùm oppositionem faciunt, *non re, sed tantùm ratione.* Ubi ly *tantùm* solùm excludit id, cui opponitur. Ratio autem cur utantur Auctoritates similibus vocabulis est, quia distinctio, qualem nos in divinis intelligimus & apprehendimus, non est talis in re, sed tantùm in intelligentia seu modo apprehendendi imperfecto, quo concipimus divinas perfectiones instar formarū creatarum, quæ realiter distinguuntur: totum enim hoc est in modo intelligendi imperfecto & apprehensione tantùm. Estque hæc aut similis explicatio necessaria, ut auctoritas auctoritati, nostram doctrinam persuadenti concordetur. Ut omittam dicta Joannis Theologi vel Præsulis Colossensis non habere irrefragabilem auctoritatem: nec satis constare de approbatione Pontificia Confessionis fidei conceptæ ab octo Patribus Concilii Florentini, nisi ad summum quoad punctum cum Græcis controversum, & postea solemniter in Litteris Unionis definitum. 20.

Non agunt de hac controversia.

Solùm negant distinctionem realem.

Nec omnes sunt irrefragabiles.

Ad objecta ex *Bernardo* dico etiam secundùm nos magìs propriè veram esse prædicationem in abstracto, sive magìs exprimere ipsam veritatem, quàm prædicationem in concreto: eò quòd requirat inter extrema realem identitatem, cùm prædicatio in concreto, quæ formalis est seu denominativa, etiam locum habeat in realiter distinctis, invicem connotantibus seu significantibus. Similiter verum est, quod ex Confessione fidei relata (quam tamen *Eugenius III.* approbare noluit, velut factam sine sedis Apostolicæ auctoritate, nec umquam in Ecclesia pro symbolo haberi, dissolutàque Synodo solùm damnavit unicum articulum *Gilberti, quæst. 2.* relatum. Vide *Smising n. 61.*) objicitur, quia *nullo catholico sensu potest negari, quin Divinitas sit Deus* realiter; non autem quasi sit Deus formaliter aut secundùm rationem: agebant

bant enim Patres Concilii Rhemensis de distinctione & identitate reali.

21. Dices II. Si distinctio formalis detur à parte rei, debebit dici realis; hanc autem adstruere est contra fidem. Sequela probatur: foret enim distinctio inter res; cùm formalitates non sint nihil, sed aliquid existens, adeòque verum ens & vera res: rerum autem distinctio est realis. Resp. Neg. seq. etsi enim hoc sensu dici posset realis, quòd sit à parte rei; non tamen prout communiter ista vox usurpatur pro distinctione rerū strictè dictarum, seu reali strictè dictâ, qualis dicitur vulgò intercedere inter ea solùm, quæ vel sunt realiter separabilia quoad existentiam, vel (quod additur ob divinas personalitates secundùm fidem realiter distinctas) quoad inexistentiam in eodem supposito: hoc enim signum ordinarium est distinctionis realis. At formalitates ejusdem rei sunt quidem res latè, id est, existentes, sed inseparabiliter in eadem natura & supposito, ideoq; sunt una res propriè & vulgatè loquendo. Neque mirabitur has tenuissimas & subtilissimas rationes objectivas à parte rei, qui considerer diversos gradus distinctionū: sunt enim quædam ita distincta, ut sint utrimque simul sive naturaliter sive supernaturaliter separabilia, & apta separatim existere: quædam verò non ita separabilia utrimque, ut res & modus rei, qui sine re ne quidem divinitùs potest existere, ideoque non realiter strictè, sed modaliter dicitur distingui a modificato: quidni ergo quædam sic possint distingui in eadem natura & persona, ut neutrum queat esse separatim ab altero etiam divinitùs, sed tamen possint ab invicem separari per intellectum perfectè concipientem? Et istæ sunt rationes objectivæ seu formalitates Scoticæ. Quas apparet à pluribus Auctoribus non satis fuisse intellectas; contra quas idcirco discurrunt quasi contra modos substantiales realiter distinctos, qualis est subsistentia creata respectu naturæ substantialis juxta plurium sententiam: ut videre est signanter in *Praeposito q. 4 art. 3. dub. 2.* cujus proinde argumenta nihil probant.

Quo sensu distinctio formalis sit realis.

Quæ sit distinctio realis strictè.

Diversi gradus distinctionum.

Quid sint formalitates Scoticæ.

A multis malè intellectæ.

22. Dices III. in Deo est perfectissima & maxima unitas, juxta Patres, adeò ut *Bernardus l. 5. de consider. c. 7.* dicat: *Est unus, & quomodo aliud nihil, si dici possit, unissimus est*; atqui perfectior esset unitas, si ne quidem esset formalitatum pluralitas; ergo &c. Resp. N. Min. nam talis foret impossibilis, adeòque non perfectior unitas. Maxima itaque & perfectissima est, quatenus excludit omnē distinctionem realem inter perfectiones absolutas. Unde *Bernardus* suprà: *Unum quippe est* (ait) *sed non unitum; non partibus constat, ut corpus; non affectibus distat, ut anima; non formis subsistat, ut omne quod factum est* &c. Quare solùm excludere vult distinctionem realem, ut exempla, quæ adfert, ostendunt.

Quæ sit maxima unitas in Deo.

Dices IV. Si essentia distingueretur formaliter ab attributis, foret simpliciter limitata & finita, utpote eatenus carens perfectionibus attributorum. Idem est de singulis attributis. Ex quo ulteriùs sequitur in Deo compositio repugnans perfectæ simplicitati: perfectio enim attributalis perficiet essentiam, similiter una perfectio attributalis alteram; & ex utraque exurget totum perfectius partibus. Resp. N. seq. nam essentia singulæque perfectiones attributales equidem sunt formaliter infinitæ. Ad hoc enim sufficit, ut includant omnem perfectionem eo modo, quo possibile est haberi in aliquo uno: infinita namque perfectio nō requirit aliquid impossibile. Porrò ob distinctionem formalem à nobis probatam, impossibile est cōtineri omnem perfectionē possibilem in quavis perfectione divina formaliter, adeòq; sufficit quòd formaliter contineat omnem perfectionem ejusdem rationis, per identificationem autem omnem aliam perfectionem simpliciter sive compossibilem. Quare essentia divina est formaliter infinita in ratione essentiæ, & identificat sibi omnem aliam perfectionem compossibilem: Sapientia divina (idem est de intellectu, voluntate &c.) in ratione sapientiæ est formaliter infinita, & per identificationem habet omnem perfectionem compossibilem. Ex quibus omnibus infinitis in suo genere, exurgit ipse Deus adæquatè spectatus in omni genere, seu in tota entis latitudine infinitus. 23.

Distinctio formalis nō tollit infinitatem essentiæ.

Quò tota infinitas in divinis salvetur.

Hinc ulteriùs sequitur perfecta simplicitas, seu ratio actus puri, quæ nempe colligit omnem perfectionē absque ulla potentialitate vel vacuitate: cùm enim in singulis perfectionibus sit infinita plenitudo omni modo possibili, constat non esse vacuitatē vel potentialitatem; adeòque singulæ ad invicem se habent tamquam purissimi & plenissimi actus & actus; neque una alteram perficit: nil enim est perfectibile nisi imperfectum, imperfectum autem non est, quod omnem perfectionem possibilem habet eo modo, quo possibile est in aliquo haberi. Sicut idcirco nec alii admittunt essentiam perfici per attributa secundùm rationem, etsi secundùm rationem illa non includat. Quare non est propriè compositio, quæ scilicet exurgit ex iis, quorum alterum saltem est imperfectum (sic loquor, ut occurram instātiæ desumptæ ex com- 24.

Ac perfecta simplicitas.

Quid compositio.

compositione Christi ex humanitate & Verbo; quamquam etiam non sit omnino rigorosa compositio) sive ex habentibus se per modum perfectibilis & perficientis. Ordinarii termini sunt, actus & potentia, quales sunt partes compositionis ordinariæ; nisi sit integralis, in qua omnes partes imperfectæ & incompletæ integrant aliquod totum completum. Consistere porrò distinctionem à parte rei sine compositione, patet ex fide SS. Trinitatis, in qua sunt tres personalitates realiter distinctæ inter se, non tamen faciunt compositionem, eò quòd invicem non afficiant tamquam perficiens & perfectibile. Si autem quæratur, quo modo nisi per unionem tam diversa attributa coëant in unam rem seu naturam, Responsio in promptu est, id fieri per realem identitatem. Quòd si istam compagem seu identitatem velis vocare unionem, & compositionem, consequenter dicendum, illam non repugnare perfectæ simplicitati, uti nec infinitati; sed quæstionem de nomine simplicitatis & compositionis excitabis: in qua standum regulariter acceptioni juxta quam compositio importat imperfectionem, tam in toto quàm in partibus, saltem alterutrâ.

Distinctio realis sine compositione consistit.

Attributa sunt una per realem identitatem.

An illa sit compositio est quæstio de nomine.

25. Dices V. Quâ ratione adstruitur distinctio ex natura rei inter essentiam & personalitates, intellectum & voluntatem &c. sequitur adstruendam esse inter potentiam creativam Petri & Angeli, ideam Petri & Angeli &c. adeòque tot erunt formalitates in Deo, quot sunt creaturæ possibiles: quod videtur absurdum. Resp. non convenire *Scotistas* in particulari, an inter ideas divinas, virtutes intellectuales inter se, virtutes voluntatis inter se, v. g. justitiam & misericordiam, sit distinctio formalis. Supposito tamen quòd non sit. Resp. Neg. seq. nam verè non affirmatur contradictio de iis sine reduplicatione connotati extrinseci: inde autem non sequitur distinctio formalis; sicut non sequitur Joannem à seipso sic distingui, ex eo quòd quatenus stans non sit sedens. Plures alias objectiones, vide apud *Smising tr. 2. d. 1. n. 30. & seqq.* solutiones autem *n. 60. & seqq.*

An ideæ divinæ distinguantur formaliter, dubitatur.

Pars negativa probatur.

26. Dices VI. Doctrina Scotistarum tollit è medio omne signum distinctionis realis, v. g. inter Petrũ & Paulum: quodlibet enim signum assignetur, tandem revocatur ad primũ principium: *Impossibile est idem simul esse & non esse*, seu *De eodem nequit simul esse vera affirmatio & negatio*; hoc autem principium secũdùm *Scotistas* consistit cum identitate seu non distinctione reali. Resp. N. Ass. ad cujus probationem dico, primum principium generaliter sumptum, prout excludit simul ab eodem quævis contradictoria, cõsistere quidẽ cum non distinctione reali; secùs tamen specialiter sumptum, prout scilicet excludit simul hæc contradictoria, esse & non esse, sive existere & non existere realiter. Signum autem infallibile distinctionis realis ponitur separabilitas realis inter duo, quorum unum existere possit sine altero, adeòque affirmatio & negatio correspondens.

Scotus signa distinctionis realis non tollit.

Ex dictis facilè colligitur, unde sit petenda distinctio inter essentiam & attributa, scilicet ex ipsa natura extremorum, sic se habentium, ut neutrum in cõceptu perfecto alterius involvatur. Qui verò solam distinctionem rationis adstruunt, disputant inter se, an fundamentum distinctionis sit ipsa natura, seu ratio Dei secundùm se spectata, an verò ipsa spectata relatè ad creaturas, quibus æquivalet, & quarum est causa. 27.

Unde petatur distinctio inter essentiam & attributa.

Similiter facilis est decisio quæstionis, in ordine ad quem intellectum habeat locum distinctio essentiæ & attributorum: constat enim quòd etiam in ordine ad intellectum perfectissimè concipientem scilicet divinum & beatorum. De quo tamen altercantur, qui distinctionẽ solùm rationis admittunt, quibusdam illam referentibus etiam in intellectum Dei & beatorum; plerisque aliis in solum intellectum viatoris, imperfectè & inadæquatè Deum concipientis, quamquam intellectus Dei & beatorum intelligat distinctionem quatenus à nostro intellectu fabricatam: quod tamen (inquiunt) non est distinctionem rationis facere, seu ratione distinguere; sicut quòd Deus intelligat nos credere, non facit quòd ipse quoque credat. 28.

Apud quem intellectum illa habent locum.

QUÆSTIO IV.

An Essentia Divina sit de essentiali, seu intrinseco conceptu Attributorum & Personalitatum Divinarum: & contrà?

Nota diversimodè posse institui cõparationem. Primò inter essentiam & attributa. Secundò inter attributa ipsa. Tertiò inter essentiam & personalitates. Dubitari autem potest, primò an essentia seu natura divina includatur in essentiali & præciso conceptu attributorum. Secundò an sic attributa includantur in conceptu essentiali divinæ naturæ. Tertiò an sic includãtur attributa in mutuo conceptu. Quartò an sic includatur natura divina in cõceptu personalitatum divinarum. Quintò denique an persona- 29.

 litates

litates sic ingrediantur conceptum divinæ naturæ. De singulis enim sunt variæ Doctorum opiniones, ut videre est apud *Prepos. q. 4. art. 3 dub. 3. & 4.* & alios. Hoc notato, ac suppositis iis quæ *prec. qu.* dicta sunt de distinctione formali, resolutio precedẽtis quæstionis est facilis. Unde

30. Dico: Essentia Divina non ingreditur essentialem conceptum attriburorum aut personalitatum, neque è contrà: similiter attributa non sunt invicem essentialia. Sic præter *Scotistas* tenent plurimi alii. Sequitur ex dictis *qu. prec.* nam res non potest perfectè concipi absque eo quod est de essentiali conceptu illius: atqui potest natura divina perfectè concipi sine attributis & personalitatibus divinis, similiter unum attributum sine altero (cùm ratione distinctionis formalis non includantur etiam in perfecto conceptu mutuo) ergo non includunt invicem in conceptu essentiali.

Potest essentia sine attributis perfectè cõcipi.

Ex quo tamen non sequitur ipsas personas divinas posse perfectè concipi sine essentia divina: nam hæc, etsi distincta formaliter sit à persona divina, possitque sine ea perfectè concipi, non tamen est condistincta (prout sunt illa de quibus agimus) cùm essentia sit intrinsecum cõstitutivum divinæ personæ; adeòque non potest vicissim persona concipi sine essentia divina.

Præterea specialiter probatur, de essentia, & attributis cum essentia aut cum invicem comparatis, etsi seponatur distinctio formalis: quia saltem juxta nostrum modum concipiendi inadæquatum singula ista habent sibi correspondentes diversos conceptus, quibus essentia apprehẽditur tamquam prima radix, à qua pullulãt attributa, & hæc tamquam proprietates consequentes. Similiter ipsa essentia saltem inadæquatè concipitur ac describitur sine attributis, & unum attributum sine alio; ergo nõ involvũtur in formali, seu essentiali conceptu mutuo. Confirmatur: quia si involvantur omnia in mutuo formali conceptu, etiam quoad nos, ne quidem manebit locus distinctioni rationis ratiocinatæ, cùm hoc ipsum sit ratione distingui, non includi in alterius formali conceptu. Idem satis colligitur ex Patribus *S. Aug. l. 5. de Trinit. c. 5. Si dicam æternus, immortalis, justus, bonus, beatus spiritus, horum omnium novissimũ quod posui, videtur significare substantiam, cetera hujus substantiæ qualitates. Damasc. l. 1. de fide c. 4.* in fine: *Quæcumq; de Deo per affirmationem dicimus, non ipsius naturam, sed quæ circa ipsius naturam sunt, ostendunt. Ita sive bonum, sive justum, sive sapientem, sive quodcumque tandem aliud dicere libeat, non Dei naturam, sed quæ naturæ insunt, exponit.* Similis est modus loquendi aliorum Patrum.

Etiam seclusâ distinctione formali.

Aliàs nec ratione ab attributis distinguerentur.

31. Hinc dum iidem vel alii Patres subinde videntur indicare, attributa, scilicet sapientiam &c. esse ipsam essentiam seu substantiam Dei, intelligendi sunt loqui identicè, quia scilicet ista omnia non sunt qualitates vel formæ realiter distinctæ, sed sunt realiter ipsa essenria & natura. Physicè siquidem loquendo divina substantia cum omnibus perfectionibus absolutis est tantùm una res; non ideo tamẽ sunt singula de mutua essentia. Sicut in creatis risibilitas similesve proprietates metaphysicæ hominis, etsi sint realiter ipsa essentia hominis, non tamen sunt de essentia seu de formali ejusdem conceptu, sed illum consequuntur. Sicut etiam gradus metaphysici generis & differentiæ realiter identificantur, unus tamen non est de intrinseco seu essentiali conceptu alterius. Quod fatentur etiam illi, qui distinctionem tantùm rationis ratiocinatæ admittunt.

Attributa sunt ipsa essentia identicè.

Non ideo in illa includuntur.

32. Denique specialiter probatur conclusio de essentia divina & ipsis personalitatibus sive relationibus (in quibus tamen etiam militant rationes hactenus allegatæ) quia divina persona cõstat ex essentia & personalitate seu relatione, ut asserit *Ioannes Theologus* in *Concilio Florent. ss. 18.* & adstipulatur *Marcus Ephesius*, Græcorum disputator acerrimus, *ss. 19.* in fine: adeòque in illas resolvitur, atqui resolutio fieri debet in sibi invicẽ condistincta: quamdiu enim unum manet in altero, non est resolutio: ergo natura divina non includitur in intrinseca ratione personalitatũ abstractim consideratarum, vel contrà. Deinde si essentia in sua formali conceptu involvat personalitates, vel contrà, ipsa essentia, item ipsa personalitas adæquatè constitueret personam, utpote quæ adæquatè constituitur ex essentia & personalitate. Præterea essentia seu natura divina Patris communicatur Filio, non Paternitas, juxta *c. Firmiter, de Sum. Trinit.* & alias Auctoritates: igitur Paternitas non est de essentia naturæ divinæ. Ipsa è contrà Paternitas secundùm totum, quo constituit Patrem, est in Patre, & non in Filio; quod falsum esset, si Paternitas includeret essentialiter ipsam naturam divinam. Demum id indicant Patres, dum Deitatem dicunt esse ad se, & non ad aliud, ut patet ex *Aug. l. 7. de Trin. c. 2.* aliisque locis, *Toletano XI.* in *confessione fidei.*

Vel nec personalitates.

Resolutio fit in condistincta.

33. Dices I. Quidquid reperitur formaliter in Deo est essentialiter Divinum; ergo formaliter includit ipsam naturam divinam sive Deitatem. Resp. Neg. Ant. Nã sufficit, ut quidquid in Deo est, divi-

Quomodo, quidquid in

Deo est, sit divinum. divinum sit, id est, habens divinitatem, vel formaliter, ut ipsa essentia, item persona divina (quæ Deitatem includit tamquam suum constitutivum) vel identicè, ut attributa & personalitates.

34. *Attributa non sunt formaliter à se.* Dices II. Quidquid est in Deo, est formaliter ens increatum & à se, atque adeò ens per essentiam: ergo attributa & personalitates formaliter includunt divinam essentiam. Resp. Neg. Ant. eò ipsò enim quò attributa & personalitates perfectissimè identificantur Divinitati, sequitur necessariò quòd non sint creata, vel ab alio, neque esse participent ab alio à se distincto, adeòque sint à se, & per essentiam, quatenus naturæ divinæ identificantur. Aliter autem ipsa divinitas, aliter proprietates & personalitates consequentes sunt à se; illa quidem per se & tamquam radix prima, hæ verò propter *Sed identicè.* identificationem eum alio, scilicet cum natura divina, quam etsi non includant, ob illam tamen sibi identificatam postulant carere omni causâ.

DISPUTATIO III.

De perfectione infinita, seu infinitate & simplicitate Dei.

QUÆSTIO I.

An & qualiter in Deo sint perfectiones omnium rerum?

1. NOTA I. perfectum frequenter confundi eum bono, & perfectionē cum bonitate: quodlibet enim in tantùm est bonum, in quātùm est perfectum. Unde quia multiplex reperitur *Multiplex perfectio.* perfectio, multiplex pariter bonitas invenitur: nimirum essentialis, integralis, accidentalis, moralis. Dicitur namque perfectū essentialiter, quod habet quidquid ad essentiā pertinet, integrale quod non deficit in ulla parte integrali &c. Quare illa prædicata quæ aliquod perfectum constituunt, perfectiones dicuntur: prout corpus & anima rationalis sunt perfectiones essentiales hominis, membra perfectiones integrales, sapientia & prudentia accidentales ejusdem. Hinc perfectio vix aut nullo modo differre videtur ab entitate vel formalitate, sive substantiali, sive accidentali: hæc enim seipsa dicitur perficere, seu complere vel ornare id cujus est perfectio. Ex hoc ulteriùs oritur, rationem illam seu prædicatum esse appetibile seu amabile. Et in hac appetibilitate formaliter videtur constituenda bonitas, quæ dicitur passio entis. De qua nil speciale dicēdum restat: ostenso enim quòd Deus sit summè & infinitè perfectus in tota entis latitudine (quod hic ostendendum) satis patet esse summè bonum sive amabile, tum in se, tum etiam nobis, sive nobis desiderabilē & concupiscibilem. Propter quod *Cantic. 5.* dicitur *totus desiderabilis.*

Nota II. Perfectionem aliam esse simpliciter, sive simpliciter simplicem, aliam secundùm quid. Perfectio simpliciter dicitur quæ nullam involvit imperfectionem, neque excludit aliā æqualem. Ejusmodi sunt perfectiones puræ seu absolutæ (ut aliqui loquuntur) scilicet existentia, substantia &c. Perfectio secundùm quid dicitur, quæ mixtam habet imperfectionem: prout sunt perfectiones respectivæ, v.g. dependere ab altero, esse corporeū, sensitivum &c. Immo omnes perfectiones creaturarum, quatenus in eis repertæ, involvunt imperfectionem: nam etiam esse, substantia, vita &c. quamquam ex generica sua ratione dicant puram perfectionem, quatenus tamen sunt contractæ ad creaturas, subjacent omnes imperfectioni. Personalitates autem divinæ nullam quidem dicunt imperfectionem, adeòque non sunt perfectiones secūdùm quid, tamen juxta communem loquendi modum nō sunt etiam perfectiones simpliciter, cùm singulæ æqualem excludāt ab eadem persona, scilicet paternitas filiationem, & contrà. Hæ porrò membra paulò aliter ordinariè describuntur ex *Anselmo c. 14. monologii:* perfectio quidem simpliciter, *quæ omnino melior est ipsa quàm non ipsa,* id est, quàm quodlibet ei incompossibile, prout substātia est melior, quàm accidens vel quodvis oppositum, sive negativum sive positivum, sic ut debeat esse melior in tota latitudine entis. Perfectio verò secundùm quid describitur, *qua non ipsa in aliquo est melior, quàm ipsa.* Sic esse corpus etsi respectu lapidis sit melius, quàm corpore carere, non tamen absolutè & respectu omnium: melius enim est corpore carere & esse spiritum, ut patet in Angelo, in Deo. Debet itaque perfectio simpliciter esse melior opposito in tota entis latitudine, seu respectu entis ut sic: enti autem melius est esse substantiam quàm accidens, spiritum quàm corpus, Deum quàm creaturam &c. At in perfectionibus secundùm quid & respectivis, tota amabilitas & perfectio nascitur ex perfectionibus puris & absolutis; quod autem superest est potiùs imperfectio. Sic bonum est creaturæ, quòd dependeat, quia aliàs nihil esset, seu non haberet esse; bonum bruto quòd sit sensitivū, quia aliàs non haberet cognitionem; bonum homini quòd habeat corpus, quia aliàs non esset completa substantia &c. His notatis

2. *Perfectio alia est simpliciter simplex.* *Alia secundùm quid.* *Ad neutrā spectāt personalitates.* *Quid perfectio simpliciter.* *Quid perfectio secundùm quid.*

Dico I. In Deo sunt perfectiones omnium 3.

 nium

In Deo sunt perfectiones omnium rerum.

nium rerum. Est de fide. Patet ex Scriptura *ad Rom.11. Ex ipso per ipsum, & in ipso sunt omnia. Psal.49. Pulchritudo agri mecũ est. Psal.93. Qui plantavit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum non considerat? Exodi* 33. dicitur Deus *omne bonum.*

Idem docent Patres, *Dionysius de divin. Nom. c.5.* dicens, quòd *Deus omnia est ut omnium auctor.* Et infrà dicit: *Universa ipsi entia secundùm unam omnibus eminentem copulationẽ sunt attribuenda.* Et infrà: *Cuncta continet secundùm plusquam simplicem infinitatem j...m.* Et ibid. *In una existentia omnia prahabet.* Et *Nazianzenus* in quodam carmine: *Tu unus, & omnia, & nihil rerum. S. Aug.* in illud *Ioan.1. Quod factum est, in ipso vita erat.* & alii.

Immo idipsum agnoverunt Ethnici Philosophi, ut de *Mercurio Trismegisto,* refert *Cyrillus l.1. contra Iulianum* in fine, & de *Aristotele* patet 12. *Metaph. c.7.* Unde à veteribus Philosophis Deus vocatus est *Pan,* id est, *Universum,* teste *Eugubino l.3. de perenni philosophia c.8.*

Ratio est: quia omnis perfectio est vel increata, & hæc utiq; convenit Deo, qui solus est increatus; vel est creata, & hæc similiter non potest abesse à Deo, cùm sit causa principalis omnium perfectionum creatarum & creabilium, adeòq; non possit carere earumdem perfectione. Quam rationem indicat *Dionysius suprà,* ipsaque Scriptura *Psal.93.* Idem patet ex infinitate Dei *seq. qu.* probandâ: enti enim infinito nil perfectionis deesse potest.

Quas perfectiones Deus contineat formaliter.

4. Dico II. Deus non continet omnes perfectiones formaliter: sed perfectiones simpliciter cõtinet formaliter, perfectiones autem secundùm quid continet eminenter. Prima pars patet: quia alioquin esset leo, lapis, accidens, & mirabile monstrum ex omnibus conflatum, omnibusque imperfectionibus repletum. Secunda pars similiter patet ex Scriptura & Auctoritatibus passim obviis, quæ singulas perfectiones simpliciter Deo attribuunt, ut vitam, sapientiam, potentiam &c. Deinde alioquin Deus non esset simpliciter perfectus, v.g. si non viveret, vel non saperet, vel esset impotens &c.

Quid continere eminenter alterum.

Tertia denique patet: quia continere eminenter alterum explicatur per hoc, quòd aliquid eminentioris naturæ alterũ possit efficere, quo modo causa æquivoca magis principalis vel totalis continet suũ effectum: Deus autem in sua eminentissima natura est causa prima effectiva omnium aliorum entium & perfectionum. Alio etiam sensu continere alterum eminenter dicitur, quod entitate suâ perfectiori præstat totũ seclusis imperfectionibus, quod præstat alterum, idque nobiliori modo. Prout anima rationalis cõtinet animam bruti, hæc animam plantæ; & intellectus phãtasiam, hæc sensus externos. Sic apertissimè continet etiã Deus, quidquid perfectionis est in creaturis, sapientia scilicet divina sapientiam omnem creatam, potentia divina omnem potentiam creatam &c.

Hinc *D. Ansel. Monologii c.33.* dicit, creaturas in seipsis esse essentiam mutabilem, in ipso verò, scilicet Verbo, esse primam essentiam. *D. Thomas* & alii, dicunt creaturas in Deo habere verius, melius, & perfectius esse, quàm in seipsis. Et *S. Aug. l.5. de Gen. ad litt. c.15.* dicit: *Omnia ibi* (scilicet in Deo) *esse meliora, ibi veriora, ibi æterna & incommutabilia.* Ubi non solùm continentiam eminẽtialem qualemcumque indicat, sed talem quâ creaturæ sint in Deo tamquam supremo artifice, adeòque agente per ideas, prout omnia arte facta habent esse nobilius in mente artificis, quàm in seipsis.

Deus & creatura simul non est quid perfectius Deo.

Petes, an Deus dicat tãtam perfectionem solus, quantam Deus & creaturæ conjunctim? Resp. Affir. cum Doctoribus unanimiter & *Scoto quodl.5. n.8.* quàmvis enim totum hoc aggregatum contineat plura bona seu perfecta, non tamen est simpliciter melius & perfectius aut æstimabilius, quã Deus solus: quia quidquid perfectionis creatura videtur addere Deo, continetur in ipso modo perfectissimo & eminentiori; tantùmque abest, quatenus imperfectio est. Unde sicut si angelus idẽ bis poneretur simul, aggregatum ex ipso bis posito non esset melius, quàm solus seorsim; sic potiùs in præsenti, ubi cum Deo simul ponitur, quod in Deo perfectissimè continetur. Quo sensu verificari potest illud *Exod.33.* ubi dicitur Deus *omne bonum.* Et creaturæ cum Deo cõparatæ sunt quasi non sint, sive quasi nihilum & inane, ut dicitur *Isaia* 40. Unde *S. Hieron. epist. ad Marcellam: Solus Deus verè est, cujus essentia comparatum nostrum esse, non est.* 5.

Qualiter omnia de Deo affirmentur.

6. Ex his colligitur aliquo sensu omnia quodammodo de Deo posse affirmari; aliquo omnia negari, ut ex *Naziãzeno* citato & *Dionysio* variis locis tradunt Theologi. Affirmantur siquidem, quatenus omnia in ipso sunt formaliter vel eminenter. Hinc dicitur summa essentia, substantia, vita, ratio, salus, justitia, sapientia, veritas, bonitas, sanctitas, majestas, pulchritudo, lux, beatitudo, potestas, pietas, &c. quidquid enim lucis, pulchritudinis, majestatis, ulliusque perfectionis est in creaturis dispersum, in Deo velut simplicissimo centro & infinities perfectiùs est collectum.

Qualiter negentur.

Negantur verò omnia de Deo, omnes scilicet perfectiones, quæ in creaturis repetiuntur, quia non puræ, adeòque formaliter in eo non repertæ: immo

quodam

quodam sensu negantur quæcumque de Deo concipimus, quatenus nempe conceptibus nostris adhæret imperfectio, sic ut planè non sint Deo digni, neque perfectè respondeant perfectionibus prout verè in Deo sunt. Quo sensu *Dionysius c. ult.* de mystica Theologia, docet Deum superare omnem nostram rationem, conceptum & explicationem, dicens Deum esse, *non substantiam, non vitam, non lucem, non sensum, non mentem, non sapientiam, non bonitatem, non deitatem, sed quiddam his omnibus eminentius atque præstantius.*

QUÆSTIO II.

An Deus sit infinitæ perfectionis?

7. Nota sicut infinitum mole seu quantitate dicitur, quod fine seu termino suæ extensionis caret, ideoque quantumvis aliquid finitum inde accipiatur, semper restet sine fine quod accipi ex eo possit, eò quòd semper ulteriùs extensum sit: sic infinitum virtute seu perfectione dicitur illud, quod caret limite seu termino vel fine perfectionis, sic ut ultra omnem perfectionem finitam (quæ est extra ipsum) semper extendatur. Quod optimè explicuit *Scotus quodlib. 5. n. 4.* in primis absolutè hoc modo: *cui nihil entitatis* seu perfectionis *deest eo modo, quo possibile est illud haberi in aliquo uno.* Quod addit: quia impossibile est quòd aliquid omnem omnino entitatem formaliter & realiter contineat. Cum hac descriptione coincidit illa *Lessii l. 1. de perfectionibus divinis n. 5.* infinitas est *omnis perfectionis & entitatis simplicissima & eminentissima complexio.* Secundò explicat *Scotus* infinitum côparativè hoc modo: *quod excedit quodcumque ens finitum, ultra omnem determinatam vel determinabilem proportionem.*

Quid infinitum perfectione.

8. Dico I. Deus est ens simpliciter infinitum in perfectione. Est de fide contra nonnullos apud *D. Bonav. d. 43. q. 2. in corp.* qui Essentiam Dei finitam, sed potentiam infinitam statuerunt: quàmvis qui primò hoc dixit, postmodum retractaverit, teste eodem *D. Bonav. 3. d. 14. art. 1. q. 2.* Hos nihilominus inanibus planè argumentis permotus, est imitatus quidam ex recentioribus Calvinistis *Vorstius*, docens Deum neque in esse, neque in operari esse infinitum, ut patet apud *Becanum 1. p. tract. 1. c. 5.*

Deus est simpliciter infinitus.

Patet ex Scriptura *Psal. 144. Magnitudinis ejus non est finis. Baruch 3. Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* Quæ propriè possunt, adeòque debent, accipi, & semper sunt accepta. Quamquã in Scriptura subinde vocetur infinita, sive multitudo, ut *Num. 20.* sive magnitudo, ut *Iosue 22.* quæ verè finita erat, sed extraordinariè excedebat in numero vel mole. Idem sumitur ex *c. Firmiter, de Sum. Trin.* Patet etiam clarè ex Patribus, *Dionysio de Divinis nominibus c. 9.* ubi ait: *Ejus magnitudo omnem numerum excedens, omnem transiliens infinitatem. Damasceno l. 1. de fide c. 4.* & alibi sæpè. *Nazianz. orat. in natalitia,* & aliis utentibus nomine infinitatis. Similiter ex aliis dicêtibus, Deum esse quo majus excogitari nihil potest: hæc enim non sunt intelligenda de majoritate seu quãtitate molis, sed virtutis sive perfectionis, juxta illud *S. Aug. 6. de Trinit. c. 8. in iis quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod est melius esse.*

Ratione naturali non posse infinitatem demonstrari, censuerunt *Occam* & nonnulli alii. Et quidem variæ non sunt efficaces, ut patet apud *Smising tract. 2. d. 2. n. 3. & seqq.* signanter illa, quã utitur *D. Thomas q. 7. art. 1. Esse divinum non est receptum in aliquo, sed Deus est suum esse subsistens, ergo est infinitus.* Nam etiam esse, seu existentia rerum creatarum non recipitur in essentia, tamquam subjecto realiter distincto, sed ei identificatur, neque ex identitate essentiæ & existentiæ sequitur ullâ ratione illimitatio essentiæ: hæc enim equidem limitabitur sufficienter per seipsam, cùm non tãtùm existentia, sed etiam essentia foret ens ab alio dependens & productum. Prout etiam rationem desumptam ex creatione seu productione rei ex nihilo (quã *D. Thomas* alibi, & alii subministrant) lumen naturale non satis clarè perspicit inferre infinitatem; esto creatio verè infinitatem in creante requireret, de quo *Tr. de Deo Creatore.* Quatuor alias rationes ex *Doctore Subtili* allegat & expendit *Smising n. 13. & seqq.* quæ tamen (ut ex Doctore notat *n. 12.*) non procedunt, nisi ex suppositione, quòd infinitas non repugnet enti; hoc ipsum autem satis côstare, tum quia non apparet repugnantia, tum quia finitum non statuitur passio adæquata entis, sed complexa simul cum infinito. Breviter pro instituto nostro à nobis

9. *Posse infinitatem demonstrari quidam negarunt.*

Probatur ratione naturali. Primò: infinita perfectio est enti compossibilis, ut ex statim dictis constat: ergo competit Deo, utpote enti eminentissimo, quo nil melius cogitari potest. Confirmatur ex communi omnium gentium consensione circa conceptum Dei. Secundò: quòd necessariò habet à se esse, adeòq; æternũ esse & immutabile, habet existentiam infinitam, quã scilicet perfectior excogitari nequit, adeòq; naturam sive essentiam infinitam. Et consequenter si-

10. *Probatio conclusionis ex infinitatis possibilitate.*

Ex existentia infinitate.

In Deo sunt perfectiones omnium rerum.

nium rerum. Est de fide. Patet ex Scriptura *ad Rom.* 11. *Ex ipso per ipsum, & in ipso sunt omnia. Psal.* 49. *Pulchritudo agri mecū est. Psal.* 93. *Qui plantavit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum non considerat? Exodi* 33. dicitur Deus *omne bonum.*

Idem docent Patres, *Dionysius de divin. Nom. c.* 5. dicens, quòd *Deus omnia est ut omnium auctor.* Et infrà dicit: *Universa ipsi entia secundùm unam omnibus eminentem copulationē sunt attribuenda.* Et infrà: *Cuncta continet secundùm plusquam simplicem infinitatem ...* Et ibid. *In una existentia omnia prahabet.* Et *Nazianzenus* in quodam carmine: *Tu unus, & omnia, & nihil rerum. S. Aug.* in illud *Ioan.* 1. *Quod factum est, in ipso vita erat.* & alii.

Immo idipsum agnoverunt Ethnici Philosophi, ut de *Mercurio Trismegisto,* refert *Cyrillus l.* 1. *contra Iulianum* in fine, & de *Aristotele* patet 12. *Metaph. c.* 7. Unde à veteribus Philosophis Deus vocatus est *Pan,* id est, *Universum,* teste *Eugubino l.* 3. *de perenni philosophia c.* 8.

Ratio est: quia omnis perfectio est vel increata, & hæc utiq; convenit Deo, qui solus est increatus; vel est creata, & hæc similiter non potest abesse à Deo, cùm sit causa principalis omnium perfectionum creatarum & creabilium, adeòq; non possit carere earumdem perfectione. Quam rationem indicat *Dionysius suprà,* ipsaque Scriptura *Psal.* 93. Idem patet ex infinitate Dei *seq. qu.* probandâ: enti enim infinito nil perfectionis deesse potest.

4\. *Quas perfectiones Deus contineat formaliter.*

DICO II. Deus non continet omnes perfectiones formaliter: sed perfectiones simpliciter cōtinet formaliter, perfectiones autem secundùm quid continet eminenter. Prima pars patet: quia alioquin esset leo, lapis, accidens, & mirabile monstrum ex omnibus conflatum, omnibusque imperfectionibus repletum. Secunda pars similiter patet ex Scriptura & Auctoritatibus passim obviis, quæ singulas perfectiones simpliciter Deo attribuunt, ut vitam, sapientiam, potentiam &c. Deinde alioquin Deus non esset simpliciter perfectus, v. g. si non viveret, vel non saperet, vel esset impotens &c.

Quid continere eminenter alterum.

Tertia denique patet: quia continere eminenter alterum explicatur per hoc, quòd aliquid eminentioris naturæ alterū possit efficere, quo modo causa æquivoca magis principalis vel totalis continet suū effectum: Deus autem in sua eminentissima natura est causa prima effectiva omnium aliorum entium & perfectionum. Alio etiam sensu continere alterum eminenter dicitur, quod entitate suâ perfectiori præstat totū seclusis imperfectionibus, quod præstat alterum, idque nobiliori modo. Prout anima rationalis cōtinet animam bruti, hæc animam plantæ; & intellectus phātasiam, hæc sensus externos. Sic apertissimè continet etiā Deus, quidquid perfectionis est in creaturis, sapientia scilicet divina sapientiam omnem creatam, potentia divina omnem potentiam creatam &c.

Hinc *D. Ansel. Monologii c.* 33. dicit creaturas in seipsis esse essentiam mutabilem, in ipso verò, scilicet Verbo, esse primam essentiam. *D. Thomas* & alii, dicunt creaturas in Deo habere verius, melius, & perfectius esse, quàm in seipsis. Et *S. Aug. l.* 5. *de Gen. ad litt. c.* 15. dicit: *Omnia ibi* (scilicet in Deo) *esse meliora, ubi veriora, ubi æterna & incommutabilia.* Ubi non solùm continentiam eminētialem qualemcumque indicat, sed talem quâ creaturæ sint in Deo tamquam supremo artifice, adeòque agente per ideas, prout omnia arte facta habent esse nobilius in mente artificis, quàm in seipsis.

5\. *Deus & creatura simul non est quid perfectius Deo.*

Petes, an Deus dicat tātam perfectionem solus, quantam Deus & creaturæ conjunctim? Resp. Affir. cum Doctoribus unanimiter & *Scoto quodl.* 5. *n.* 8. quàmvis enim totum hoc aggregatum contineat plura bona seu perfecta, non tamen est simpliciter melius & perfectius aut æstimabilius, quā Deus solus: quia quidquid perfectionis creatura videtur addere Deo, continetur in ipso modo perfectissimo & eminentiori; tantùmque abest, quatenus imperfectio est. Unde sicut si angelus idē bis poneretur simul, aggregatum ex ipso bis posito non esset melius, quàm solus seorsim; sic potiùs in præsenti, ubi cum Deo simul ponitur, quod in Deo perfectissimè continetur. Quo sensu verificari potest illud *Exod.* 33. ubi dicitur Deus *omne bonum.* Et creaturæ cum Deo cōparatæ sunt quasi non sint, sive quasi nihilum & inane, ut dicitur *Isaia* 40. Unde *S. Hieron. epist. ad Marcellam: Solus Deus verè est, cujus essentia comparatum nostrum esse, non est.*

Qualiter omnia de Deo affirmatur.

Ex his colligitur aliquo sensu omnia quodammodo de Deo posse affirmari, aliquo omnia negari, ut ex *Nazianzeno* citato & *Dionysio* variis locis tradunt Theologi. Affirmantur siquidem, quatenus omnia in ipso sunt formaliter vel eminenter. Hinc dicitur summa essentia, substantia, vita, ratio, salus, justitia, sapientia, veritas, bonitas, sanctitas, majestas, pulchritudo, lux, beatitudo, potestas, pietas, &c. quidquid enim lucis, pulchritudinis, majestatis, ulliusque perfectionis est in creaturis dispersum, in Deo velut simplicissimo centro & infinities perfectiùs est collectum. 6.

Qualiter negantur.

Negantur verò omnia de Deo, omnes scilicet perfectiones, quæ in creaturis reperiuntur, quia non puræ, adeòque formaliter in eo non repertæ: immo quodam

quodam ſenſu negantur quæcumque de Deo concipimus, quatenus nempe cnnceptibus noſtris adhæret imperfectio, ſic ut planè non ſint Deo digni, neque perfectè reſpōdeant perfectionibus prout verè in Deo ſunt. Quo ſenſu *Dionyſius c. ult.* de myſtica Thenlogia, docet Deum ſuperare omnem noſtram rationem, conceptum & explicationem, dicens Deum eſſe, *non ſubſtantiam, non vitam, non lucem, non ſenſum, non mentem, non ſapientiam, non bonitatem, non deitatem, ſed quiddam his omnibus eminentius atque præſtantius.*

QUÆSTIO II.

An Deus ſit infinitæ perfectionis?

7. *Quid infinitum perfectione.* NOta ſicut infinitum mole ſeu quantitate dicitur, quod fine ſeu termino ſuæ extenſionis caret, ideoque quantumvis aliquid finitum inde accipiatur, ſemper reſtet ſine fine quod accipi ex eo poſſit, eò quòd ſemper ulteriùs extenſum ſit: ſic infinitum virtute ſeu perfectione dicitur illud, quod caret limite ſeu termino vel fine perfectionis, ſic ut ultra omnem perfectionem finitam (quæ eſt extra ipſum) ſemper extendatur. Quod optimè explicuit *Scotus quodlib. 5. n. 4.* in primis abſolutè hoc modo: *cui nihil entitatis* ſeu perfectionis *deeſt eo modo, quo poſſibile eſt illud haberi in aliquo uno.* Quod addit: quia impoſſibile eſt quòd aliquid omnem omnino entitatem formaliter & realiter contineat. Cum hac deſcriptione coincidit illa *Leſſii l. 1. de perfectionibus divinis n. 5.* infinitas eſt *omnis perfectionis & entitatis ſimpliciſſima & eminentiſſima cōplexio.* Secundò explicat *Scotus* infinitum cōparativè hoc modo: *quod excedit quodcumque ens finitum, ultra omnem determinatam vel determinabilem proportionem.*

8. *Deus eſt ſimpliciter infinitus.* Dico I. Deus eſt ens ſimpliciter infinitum in perfectione. Eſt de fide contra nnnnullos apud *D. Bonav. d. 43. q. 2. in corp.* qui Eſſentiam Dei finitam, ſed potentiam infinitam ſtatuerunt: quàmvis qui primò hoc dixit, poſtmodum retractaverit, teſte eodem *D. Bonav. 3. d. 14. art. 1. q. 2.* Hos nihilominus inanibus planè argumentis permotus, eſt imitatus quidam ex recentioribus Calviniſtis *Vorſtius*, docens Deum neque in eſſe, neque in operari eſſe infinitum, ut patet apud *Becanum 1. p. tract. 1. c. 5.*

Patet ex Scriptura *Pſal. 144. Magnitudinis ejus non eſt finis. Baruch 3. Magnus eſt, & non habet finem, excelſus & immenſus.* Quæ propriè poſſunt, adeòque debent, accipi, & ſemper ſunt accepta. Quamquā in Scriptura ſubinde vocetur infinita, ſive multitudo, ut *Num. 20.* ſive magnitudo, ut *Ioſue 22.* quæ verè finita erat, ſed extraordinariè excedebat in numero vel mole. Idem ſumitur ex c. *Firmiter, de Sum. Trin.* Patet etiam clarè ex Patribus, *Dionyſio de Divinis nominibus c. 9.* ubi ait: *Ejus magnitudo omnem numerum excedens, omnem tranſiliens infinitatem. Damaſceno l. 1. de fide c. 4.* & alibi ſæpè. *Nazianz. orat. in natalitia*, & aliis utentibus nomine infinitatis. Similiter ex aliis dicētibus, Deum eſſe quo majus excogitari nihil poteſt: hæc enim non ſunt intelligenda de majoritate ſeu quātitate molis, ſed virtutis ſive perfectionis, juxta illud *S. Aug. 6. de Trinit. c. 8. in iis quæ non mole magna ſunt, hoc eſt majus eſſe, quod eſt melius eſſe.*

9. *Poſſe infinitatem demonſtrari quidam negarunt.* Ratione naturali non poſſe infinitatem demonſtrari, cenſuerunt *Occam* & nonnulli alii. Et quidem variæ non ſunt efficaces, ut patet apud *Smiſing tract. 2. d. 2. n. 3. & ſeqq.* ſignanter illa, quâ utitur *D. Thomas q. 7. art. 1. Eſſe divinum non eſt receptum in aliquo, ſed Deus eſt ſuum eſſe ſubſiſtens, ergo eſt infinitus.* Nam etiam eſſe, ſeu exiſtentia rerum creatarum non recipitur in eſſentia, tamquam ſubjecto realiter diſtincto, ſed ei identificatur, neque ex identitate eſſentiæ & exiſtentiæ ſequitur ullâ ratione illimitatio eſſentiæ: hæc enim equidem limitabitur ſufficienter per ſeipſam, cùm non tātùm exiſtentia, ſed etiam eſſentia foret ens ab alio dependens & productum. Prout etiam rationem deſumptam ex creatione ſeu productione rei ex nihilo (quā *D. Thomas* alibi, & alii ſubminiſtrant) lumen naturale non ſatis clarè perſpicit inferre infinitatem; eſto creatio verè infinitatem in creante requireret, de quo *Tr. de Deo Creatore.* Quatuor alias rationes ex *Doctore Subtili* allegat & expendit *Smiſing n. 13. & ſeqq.* quæ tamen (ut ex Doctore notat *n. 12.*) non procedunt, niſi ex ſuppoſitione, quòd infinitas non repugnet enti; hoc ipſum autem ſatis cōſtare, tum quia non apparet repugnantia, tum quia finitum non ſtatuitur paſſio adæquata entis, ſed complexa ſimul cum infinito. Breviter pro inſtituto noſtro à nobis

10. *Probatio concluſionis ex infinitatis poſſibilitate.* Probatur ratione naturali. Primò: infinita perfectio eſt enti compoſſibilis, ut ex ſtatim dictis conſtat: ergo competit Deo, utpote enti eminentiſſimo, quo nil melius cogitari poteſt. Confirmatur ex communi omnium gentium conſenſione circa conceptum Dei. Secundò: quòd neceſſariò habet à ſe eſſe, adeòq; æternū eſſe & immutabile, habet *Ex exiſtentia infinita.* exiſtentiam infinitam, quâ ſcilicet perfectior excogitari nequit, adeòq; naturam ſive eſſentiam infinitam. Et conſequenter ſi-

ter similes habet perfectiones attributales: cùm non repugnent essentiæ infinitæ similia attributa, nec potiùs habeat à se infinitam essentiam & existentiam, quàm alia infinita attributa; immo positivè talia exigat, uti essentia finita exigit perfectiones finitas. *Ex potentia infinitate.* Tertiò: infinita potentia arguit infinitam essentiam, adeòque ceteras perfectiones infinitas; in Deo autem esse infinitam potentiam, patet ex eo, quòd quantùm ex sua parte posset simul creare infinita specie distincta, si forent tot creabilia sine imperfectione, sic ut quovis numero finito dato, Deus sine termino possit semper causare simul plura. *Ex Dei aseitate.* Quartò: Deus est ens à se: adeòque non habet causam à qua limitetur, vel cur sic potiùs quàm aliter sit limitatum: cùm enim res limitatæ sint in multiplici differentia, debet ab aliqua causa determinante provenire, cur potiùs sub hac quàm sub illa limitatione prodeant. *Ex suprema Dei magnitudine.* Denique Deus est ens supremum, quo proinde nil majus excogitari potest, ergo non est finitus: aliàs esset limitatus ad tot v.g. simul cognoscenda, tot simul producenda, sic ut non posset simul cognoscere vel producere plura; adeòque major perfectio foret impossibilis: cùm tamen major, quæ daretur, adhuc esset finita, finito autem cogitari & dari possit majus.

11. *Infinitas Dei in tota latitudine entis.* Ex his colligitur, quomodo Deus sit infinitus in tota latitudine entis. Natura enim sive essentia divina, in formali ratione essentiæ est infinita, seu caret fine perfectionis, sic ut sit *infinitum pelagus* (ut loquitur *Nazianzenus orat. in natalitia, & Damascenus l. 1. de fide c. 12.*) unde emanant omnes perfectiones simpliciter, in sua quæque formali ratione infinitæ, ex quibus exurgit Deus in tota entis latitudine, sive omni perfectionis genere infinitus. Infinitatem porrò divinæ essentiæ præcisè spectatam *Scotus* appellat radicalem: *Infinitas radicalis.* perfectionum autem attributalium infinitatem (de qua specialiter adhuc agetur, tractando de singulis, scilicet de omniscientia, omnipotentia &c.) appellat formalem. *Infinitas formalis.*

12. Petes I. An infinitas dicat aliquod positivum Deitati superadditum? Plures (quos sequitur noster *Poncius d. 3. num. 8.*) putant superaddere solam negationem, ipsam autem essentiam formalissimè seipsâ esse sufficiens istius negationis fundamentum. *Infinitas est modus intrinsecus.* Resp. tamen verius esse modum positivum intrinsecum, adeòque involvi in adæquato conceptu essentiæ, ipsam tamen secundùm conceptum inadæquatum consequi, ut docet *Scotus d. 3. q. 2. num. 17. d. 8. q. 3. n. 26. d. 31. n. 6. & quodl. 5. n. 4.* Sicut enim lapis v.g. est finitus, quia habet talem essentiam; sic Deus est infinitus, quia habet talē essentiam, quæ scilicet essentialiter existit. Deinde finitum & infinitum sunt modi quidam perfectionis determinatæ. Adde falsum esse, quòd infinitas seu carentia finis sit quid negativum: *Non est quid negativum.* nam ipsa ratio finis est negatio, cùm finiri formaliter sit non protendi ulteriùs: ergo negatio finis est potiùs quædam affirmatio seu quid positivum, veluti negatio negationis.

Petes II. An perfectissimus & simul simplicissimus conceptus Deoque proprius, quem de ipso in via habemus, sit conceptus entis infiniti? 13. *Conceptus noster entis infiniti de Deo est perfectissimus.* Respondet *Scotus d. 3. q. 2. n. 17.* Affirmativè: quia in tali conceptu explicitè involvitur complexio omnis perfectionis, & tamen non habetur à nobis simplicior, utpote solùm includens quidditatem & modum intrinsecum: quod saltem includunt etiam reliqui conceptus de Deo in via; immo plerumque ampliùs, scilicet quidditatem & attributum seu formalitatem distinctam, vel formalitatem cum negatione. Undè etiam præfatus objectivus conceptus solet proponi per intellectum voluntati, quãdo assurgit in amorem vel perfectam contritionem, qui sunt actus volũtatis perfectissimi circa Deum. Dum autem *Scotus* conceptum entis boni per essentiam statuit perfectissimum *d. 8. q. 5. n. 13.* confundit illum cum ente infinito, seu perfecto infinitè. *Non contradicit Scotus.*

14. *Ex infinitate oritur Dei amabilitas.* Ex infinitate divina, vivâ fide assiduè (ut decet Christianum) recogitatâ, christiana mens facilè rapietur in amorem tam excellentissimæ Deitatis, cujus quidem infinitæ perfectioni, adeòque infinitæ amabilitati commensus est solus amor Dei, quo se infinitè amat. Quem proinde nos quantùm postulat objecti dignitas amare non possumus; in cujus equidem amore crescere jugiter, ejusque in omnibus gloriam quærere debemus. Ex eadem oritur infinita Dei concupiscibilitas, quia enim tam perfectus in se est, etiam est summa perfectio & summum bonum nostrum, seu conveniens nobis, in quem per desiderium seu spem properamus. Ex eadem constat quàm gloriosa sit Dei servitus, etiam monarchiis, hujus mundi longè anteponenda. Quæ & plura alia piè & eruditè more suo elucidat *Less. l. 1. de perfectionibus divinis cap. 6.*

QUÆST.

QUÆSTIO III.

An Deus sit perfectè simplex?

15. *Quid res simplex.* SImplex dicitur per privationem cõpositionis juxta *D.Bonav. d.3.p.2.q.2.* & communem vocis usum. Cui etiam consonat *Basilius l.1. cõtra Eunomium post medium*, describens *simplex esse quod non à pluribus constituitur.* Unde non coincidit *Simplicitas cum unitate non coincidit.* cum unitate; quæ potiùs opponitur multitudini. In divinis autem stat multitudo personarum cum perfectissima simplicitate; eò quòd videlicet personæ singulæ sint completissimæ, ipsæq; personalitates non afficiant vel perficiant invicem tamquam actus & potentia. Summam nihilominus simplicitatẽ divinæ naturæ comitatur unitas & indistinctio realis omniũ perfectionum essentialium sive attributalium cum ipsa: si enim non foret identitas, non esset illarum infinitas, & consequenter esset in illis potentialitas seu perfectibilitas, & vera realis compositio, sicut in substantiis & accidẽtibus creatis ad invicem comparatis. Unde rectè dicit *Cyrillus l.1. in Ioan. c.4. in simplici substantia nihil aliud præter ipsam inesse potest.* Et *S. August. 11. de civit. c.10. ideo simplex dicitur, quoniam quod habet, hoc est.* Sicut quidquid habet Deus, hoc est ipse Deus, realiter loquendo.

Compositio est duplex. Notandum autẽ præterea ex *D.Bonav. sup.* compositionem dici dupliciter. Primò, ex aliis, videlicet tamquam partibus (quæ à *Scoto* & aliis simpliciter vocatur compositio, à nonnullis autem compositio passiva) secũdò, cum aliis, quæ à *Scoto* vocatur componibilitas, à nõnullis compositio activa. Perfecta itaque simplicitas excludit seu negat utramque compositionem. Ob quod varii arbitrantur ipsam superaddere divinæ essentiæ solam negationem: *Swesing* tamen *d.2. q.2. n.43.* cum aliis statuit in modo positivo: qui tamen vix distinguitur ab infinitate. Potest *Quid perfecta simplicitas.* proinde perfecta simplicitas describi, perfectio simpliciter secundùm quam Deus sibi vendicat omnem actualitatem & perfectionem sine ulla compositione aut componibilitate.

16. *Dei simplicitas.* DICO I. Deus est perfectè simplex. Est de fide ex cap. *Firmiter, de Sum. Trin.* ubi tres personæ dicũtur esse *una essentia, substantia, seu natura simplex omnino.* Idem docent Patres, *S. Aug. 6 de Trin. c.5.* dicẽs, in divina substantia esse *summam simplicitatem. Damasc. l.1. de fide c.8.* & alii.

Probatur ratione Theologicâ: quia infinitũ non potest carere ullâ perfectione purâ seu simpliciter; talis autẽ est esse perfectè simplicem, juxta *S. Aug. l.1. de quãtitate animæ c.11. Quod dividi non potest, præponendum est.* Et *Anselm. monol. c.16. Omne compositum ut subsistat, indiget his ex quibus componitur, & illis debet quidem quod est, & idcirco penitùs summum non est.* Et de Incarnatione Verbi *c.6. Omne simplex quia simplex, est perfectius composito.* Et *D. Bern. l.5. de consider. c.7. natura simplex multiplici antefertur.* Et meritò: quis enim non videat longè esse melius, habere omnigenã prefectionem in unitatem simplicem collectam, quàm in multis dispersam? quare id omnino asserendum est de Deo, cui nil anteferri seu præponi potest, sed ens adeò summum est, ut eo nil melius seu perfectius cogitari queat.

17. Probatur II. Quia infinitũ nec potest cõponi ex partibus, nec esse pars. Primum patet, quia partes deberent esse infinitæ; cùm ex finitis & limitatis, adeòq; imperfectis, non possit exurgere illimitatus Deus, in quo nulla potest esse imperfectio: sed infinitũ nequit esse pars (ut habet altera pars assumpti) una enim pars *Infinitum nequit esse pars.* caret perfectione alterius, & totius; infinitum autem non potest carere ullâ perfectione purâ & simpliciter, quin saltẽ illam habeat per idẽtitatem. Confirmatur: quia si partes essent infinitæ, quælibet esset Deus, adeòque plura infinita, pluresque Dii distinctæ naturæ. Deinde infinitum debet esse quid completum; ergo nequit esse pars: pars enim est quid incompletum, adeòque imperfectum.

18. *Deum non cõponi probatur inductione.* Probatur III. inductione: In Deo enim non habet locum cõpositio ex materia & forma, cùm sit spiritualis substãtia: in qua similiter locum non habet cõpositio entitativa seu integralis. Cõpositio quoque ex accidente & subjecto nequit esse in Deo, qui est substantia, & non cõpositum per accidẽs. Sed neque potest Deus accidens in se recipere tamquam subjectum, eiq; componi: accidens enim est ens imperfectum à subjecto dependens, in Deo autem tãtùm sunt perfectiones puræ seu simplices: ac insuper enti perfectissimo repugnat debere perfectionem suam emendicare ab accidente sibi superveniẽte. Immo id deberet esse quid creatum (non enim Deus; aliàs essent plures Dii) in Deo autem nil potest esse, nisi increatum & independens.

19. Denique probatur specialiter Deum non posse componi ex partibus: hæ enim non possent esse contingentes vel ab alio; nam sic possent ipsæ, adeòque Deus non existere: non etiã entia necessaria, nam sic darentur plura entia necesse esse & à se, quod improbatũ est agendo de singularitate Dei. Non etiam potest cõponi alteri *Cur Deus nequeat esse pars.* tãquam pars: ens enim necesse esse debet esse purus actus, adeòq; vendicat sibi ex se completissimam suam actualitatem absque ulla potẽtialitate aut perfectibilitate.

20. *Deus non constat genere & differentiâ.*

Dico II. Deus est ita simplex ut excludat compositionem ex genere & differentiâ; adeòque non continetur sub aliquo genere. Ita *Scotus d.8.q.3. D.Tho.q.3. art.3.* & alii ferè communiter. Et indicat *D.Benav.sup.q.4.* Consonât etiam Patres, *Augustinus, Anselmus, Clemens Alexandrinus,* & alii apud *Smising sup.n.61.* docentes Deo non competere genus sive differentiam, vel prædicamentum. Etsi subinde etiam doceant eum convenire nobiscum in quibusdam generalibus gradibus, substantiæ, entis, &c. scilicet quoad confusum & inadæquatum conceptum. Ratio est: quia compositio ex genere & differentia involvit imperfectionem, seu limitationem in partibus componentibus; nomine enim generis & differentiæ intelliguntur communiter gradus limitatæ perfectionis, & incôpleti, quorum unus alterum perficit & complet, sicut actus potentiam, ut in ceteris gradibus generis & differentiæ liquet.

21. *Cur ex formalitatibus divinis non exurgat cōpositio.*

Nec obstat distinctio formalis inter essentiam & attributa, etiam ad invicem comparata: ob infinitatem enim singulorum non habent se ut actus & potentia, sed sunt in sua quodque ratione formali completissimi & purissimi actus, quamquam invicem identificentur, non ut unum formaliter alterum perficiat vel compleat (utpote in perfectione plenum & infinitum formaliter) sed ob naturam infiniti, quod identificat sibi quodvis compossibile. Aliud est in formalitatibus generis & differentiæ: genus enim non est ens completum & actus purus, sed ens incompletum & potentiale, cui eo ipso competit potentia objectiva ad non esse, ad esse ab alio, ad recipere formam perfectivam; cui receptivæ seu passivæ potentiæ (uti & objectivæ cum proportione) respondet activa, quæ illam reducit ad actum formalem. Confirmatur: quia ex formalitatibus divinis neque exurgit compositio ex genere & differentia, neque ex materia & forma, neque integralis sive homogenea sive heterogenea, neque ex natura & subsistentia, neque ex subjecto & accidente: nulla autem alia hactenus est excogitata.

An non posse dici exurgere, est quæstio de nomine.

Quòd si denique quis nimium contendat, vocari debere compositionem, quæcumque tandem sit plurium realitatum aut formalitatû, sive unio, sive mera identitas inter se, etsi neutrum extremorum sit limitatum, vel incompletum; deviabit ille à communi usu istius vocis, & de solo nomine contendet, simili ferè jure admittere cogendus compositionem inter tres personalitates realiter distinctas, utpote per identitatem realem conjunctas in eodem tertio.

Adverte tandem non fore difficultatem magnam in admittenda compositione ex genere & differentia, si tantùm foret rationis, ut alii passim volunt: tota enim imperfectio tunc non redundaret in ipsum Deum, sed potiùs in nostros conceptus. Immo *Smising n.57. & seqq.* conatur ostendere ejusmodi compositionem consequenter admitti debere. Alii tamen fortasse respondere possent, ad compositionem rationis requiri, ut in objectis conceptuum nostrorum, quatenus à nobis apprehensis, concipiatur aliqua imperfectio seu perfectibilitas, sic ut unus conceptus objectivus concipiatur perficere alterum; quod non videtur fieri: cùm singuli, etsi sint inadæquati, tamen concipiantur tamquam in sua ratione formali infiniti. Unde sicut ex formalitatibus infinitis, ex natura rei distinctis, idcirco non oritur compositio formalis, sic nec videtur oriri compositio rationis ratiocinatæ ex conceptibus objectivis infinitis, etsi non distinctis ante mentis operam: utrobique enim similis concipitur in singulis infinitas ex parte objecti. Disputatio tamen hæc cessat in nostra sententia de distinctione formali. 22. *An in Deo admittenda sit compositio rationis.*

Petes, an simplicitas perfecta soli Deo competat? Resp. Aff. Ita *D.Thomas q.3. art.3. ad 1. D.Bonav.d.8.p.2.q.2.ad 1. Scotus d.8. q.2.* estque indubitatum. Idem docent Patres, signanter *D. Bern. serm. 80. in Cant.* dicens: *Sola summa & increata natura. hanc sibi vendicat meram singularemq, sua essentia simplicitatem.* Fûlamentum præterea perfectæ simplicitatis, scilicet infinita perfectio, est soli naturæ divinæ proprium. Idem quoque ostenditur inductione: omnis namque creatura substantialis est susceptiva accidentis, adeòque nulla datur creatura, quin sit componibilis cum accidente, aut viceissim. Entitates insuper corporeæ seu materiales componuntur ex partibus integralibus: indivisibilia autem seu puncta componuntur cum aliis sive partibus sive punctis. Substantia verò corporea habet præterea partes physicas v. g. homo corpus & animam, & hæ rursum componuntur cum invicem. Omnia denique creata metaphysicè constât genere & differentiâ, aut sunt ipsæ partes metaphysicæ. Ens in genere, prout est conceptus objectivus generalissimus, abstrahēs à finito & infinito, Deo & creaturâ, abstrahit similiter à simplicitate & cōpositione; estq; conceptus maximè inadæquatus & imperfectus, nempe simpliciter simplex, quia non est divisibilis in plures cōceptus objectivos. Hîc autē sermo est de entibus prout reipsa exîstût: sic autem ens repertum in creaturis, & physicè spectatum,

23. *Perfecta simplicitas soli Deo cōpetit.* *Patet inductione.*

habet

habet reales compositiooes & componibilitates, quas habet ipsum singulare entis creatum; v.g. in homine gradus entis componitur ex materia & forma, suscipit accidentia &c. in albedine suscipit gradus intensivos & extensivos, recipitur in subjecto &c.

24. *Mira Dei perfectio.* Ex quibus elucescit mira Dei perfectio, qui quidquid omnia animantia per sensus, imaginativam, locomotivam, diversa membra, diversissimosq; actus operantur aut percipiunt, quidquid creaturæ rationales per actus & habitus diversissimos intelligũt aut volunt, apprehendunt aut judicant, quidquid denique omnes creaturæ etiam possibiles in diversis membris seu partibus, potentiis, accidentibus, operatiooibus dispersum habent, totum id continet eminentissimè io una simplicissima forma, scilicet Deitate, collectum, *in quo omnia unicè sunt conjuncta, superunita & praexistētia superessentialiter*, ut loquitur *Dionysius l. de divin. nomin. c. 5.* apud *Less. l. 1. de perf. divin. n. 6.* adeò ut dum multipliciter dicitur, non fit re multiplex, sed eadem (ut cum *D. Bern. l. 5. de considerat. c. 5.* loquar) *amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut aequitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut virtus, revelat ut lux, assistit ut pietas* &c.

DISPUTATIO IV.

De Immutabilitate, Æternitate & Immensitate Dei.

QUÆSTIO I.

An & quomodo Deus sit immutabilis?

1\. NOTA immutabilitatem explicari per negationẽ mutabilitatis; mutabile autem dici quod capax est mutationis. Hinc variæ sunt species immutabilitatis, vel mutabilitatis & mutationis. *Quid mutatio generatim.* Et quidem mutatio generatim dicitur transitus de uno ad aliud. Qui transitus diversimodè fit. Primò, quando res aliqua transit de non esse simpliciter ad esse, vel contrà. Quæ mutatio est de poteotia objectiva, sive de mera possibilitate ad actum existentiæ, seu ad esse actu, vel contrà; & fit per hoc, quòd aliquid incipiat aut desinat terminare potentiam activam produeentis. Secundò, dum subjectum transit à privatione formæ ad formam, vel contrà, sive ab una forma ad aliam; eáque vel accidentali (& tunc secundùm *D. Bonav. d. 8. art. 2. q. 2. in corp.* dicitur fieri variatio) vel substantiali, & dicitur juxta *D. Bonav. ibid.* corruptio. Tertiò, non solùm subjectum, sed etiam terminus conversiouis substantialis dicitur mutari, sive converti in alterum, v.g. lignum io ignem, panis in corpus Christi, quæ vocatur mutatio conversiva. Quartò, dicitur agens rationale mutari quoad intellectum & voluntatem, dum incipit aut desinit aliquid intelligere aut velle. Quod quidem in creatis contingit per mutationem subjectivam, quâ transit agens rationale de uoo actu ad alterum, qui sunt veræ qualitates & formæ intellectûs & voluntatis. Quintò denique datur mutatio de loco in locum. Tot igitur oppositis modis potest quidquam dici immutabile, illosque omnes Deo convenire, nunc ostcodetur, excepto ultimo, de quo, ubi de immensitate Dei.

DICO I. Deus est omnino immutabilis quoad esse simpliciter. Est de fide 2. *Immutabilitas Dei quoad esse simpliciter.* ex cap. *Firmiter, de Sum. Trin.* ubi Deus dicitur *incommutabilis.* Item ex Scriptura, *Malach. 3. Ego Dominus, & non mutor. Psal. 101. Tu autem idem ipse es* &c. *Iac. 1. Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.* Huc etiam facit illud, *1. ad Tim. 6. Qui solus habet immortalitatem.* Quod expẽdens *S. Aug. 1. de Trin. c. 5.* ait: *Immortalitatem aliquo modo habet creatura, nullam autem habere mutabilitatem solius est Creatoris.* Et *5. de Trinit. c. 2.* attendens ad illud *Exodi 3. Ego sum qui sum,* inquit: *Quod mutatur non servat ipsum esse, & quod mutari potest, etiamsi non mutetur, potest quod fuerat non esse: ac per hoc illud solum, quod non tantùm non mutatur, verùm etiam mutari omnino non potest, sine scrupulo occurrit quòd verissimè dicatur esse.* Eadem immutabilitas patet ex absoluta necessitate essendi (quæ Deo, enti à se, competit ex suprà dictis) immo cum ea coincidit. Deinde oppositum foret magna in Deo imperfectio.

DICO II. Deus est omnino immutabilis subjectivè, quatenus nullam potest 3. *Immutabilitas Dei subjectiva.* formam sive perfectionem de novo acquirere aut amittere. Patet similiter ex Auctoritatibus præc. cooclusionis. Patet etiam ex eadem necessitate essendi, quæ competit quibusvis perfectiooibus Deo intrinsecis; in quo nil potest reperiri cõtingens aut creatum; quale esset perfectio realiter Deo adventitia. Patet insuper ex ratione actus puri excludẽtis omnem potẽtialitatem, sive ex perfecta simplicitate divina, ratione cujus Deus est incapax formæ realis, seu realiter distinctæ; adeòque acquisitionis aut amissionis illius, sive mutatioois ad illã ejusve privationẽ. Quo medio utitur *Scotus d. 8. q. 2. n. 2.*

n.2. D.Bonav. eâd.dist. p.1.ar.2.q.1.in corp. D.Thomas q.9.art.1.& alii passim: ipséque *S.Aug.6.de Trin.c.6.*dicens: *Nihil simplex mutabile est.*Et *11.de civit.c.10.* dicens: *Est itaque bonum solum simplex, & ob hoc solum incommutabile, quod est Deus: ab hoc bono creata sunt omnia bona, sed non simplicia, & ob hoc mutabilia.*

Triplex cōtra Dei immutabilitatem difficultas.

Prima ex Dei libertate.

4. Contra hanc conclusionem exurgit triplex difficultas. Prima sumitur ex libertate divina sive actibus liberis: aliqua enim decreta Deus modò habet, quæ potuit saltem ab æterno non habuisse; adeòque videntur esse perfectiones contingentes Deo realiter superadditæ, utpote sine quibus potuit existere. Nec plenè satisfacit responsio *Lessii l.3.de perfect.divin. c.2.* non sequi inde in Deo mutationem, ad quam nimirum requiritur, ut subjectum instanti reali fuerit sub privatione, postea sub forma, vel contrà: actus autem liberi sunt in Deo totâ æternitate, nec possunt incipere inesse, nisi ab æterno infuerint, & si semel insint, semper necessariò insunt. Nam adhuc non apparet, cur saltem non sint formæ realiter Deo superadditæ; quas tamen divina simplicitas, infinitas, essendi necessitas absoluta, & non tantùm ex suppositione, excludit. Quare dicendum est, actus liberos nil intrinsecum realiter superaddere volitioni essentiali Dei, ipsique Deo identificatæ; adeòque non officere immutabilitati. Qualiter autem id cōsistat cum eo quòd potuerint abesse à Deo, ingenio quidem humano inscrutabile est: pro captu tamen nostro aliqualiter explicare conabimur in proprio loco, ubi de libera volitione Dei.

Concordia modus.

Secunda ex mysterio Incarnationis.

5. Secunda difficultas sumitur ex mysterio Incarnationis, in quo Deus seu personalitas Verbi unitur humanitati; quod sine mutatione intrinseca Verbi non videtur potuisse fieri. Sed breviter Respondetur id factum sine mutatione Verbi, utpote quod in se non suscepit tamquam subjectum novam formam vel accidens, sed solùm terminavit unionem intrinsecam humanitati Christi.

Concordatur.

Tertia ex denominationibus quibusdam advenitiis.

6. Tertia difficultas sumitur ex quibusdam denominationibus, quæ in tempore adveniunt Deo, quòd scilicet dicatur in tempore Creator, Dominus, sanctificator &c. juxta *S.Aug.5.de Trin.c.16.* (Etsi aliquando dubius hæserit, num ab æterno dicatur Creator & Dominus, ut patet *12. de civit.c.15.*) idque realiter & citra fictionem intellectûs. Resp. tamen cum *S. Aug.c.16.cit. Quod temporaliter dici incipit Deus, quod antea non dicebatur, manifestum est relativè dici; non tamen secundùm accidens Dei, quòd ei aliquid acciderit, sed planè secundùm accidens ejus, ad quod dici aliquid Deus incipit relativè.* Unde Deus dicitur Creator à creatione quæ accidit creaturæ, sanctificator à sanctificatione creaturæ &c. Sicut aliquid extrinsecè dicitur causans ab actione, quæ juxta multos formaliter existit in effectu, & opus factum ab homine dicitur humanum ob humanitatem formaliter existentem in homine, ad quem opus dicit habitudinem. Nullatenus tamen denominationes præfatæ aut similes Deo competunt intrinsecè ab aliqua forma vel relatione, de novo realiter Deo adveniente: hoc enim repugnaret immutabilitati subjectivæ ipsius. Ita *D.Thomas, Scotus* & alii communiter.

Illa sunt Deo extrinseca.

7. Nihilominus Nominales non refugiūt admittere in Deo novam relationē Creatoris &c. & quidem consequenter ad suam opinionem, quâ censent actiones & relationes esse indistinctas à fundamentis, seu non esse aliquid mediū inter fundamentū & terminum. Quâ opinione positâ, Deus dicetur Creator à sua omnipotentia, suppositâ existentiâ creaturæ ab ea dependentis; dicetur dissimilis, à sua propria natura, suppositâ existentiâ creaturæ, cui dissimilis dicitur. Inconsequenter autem *Suarez* rejiciens relationes extremis superadditas realiter, refugit in Deo admittere realem relationem ad creaturam: nam istâ opinione suppositâ nullum inde nascitur præjudicium immutabilitati Dei, ut patet. Nec ullum incoveniens aut ratio sufficiens à *Suarez* allegatur.

Qui admitti possit in Deo relatio realis.

8. Dico III. Deus est immutabilis conversivè, sic ut nequeat esse terminus conversionis, quâ convertatur in aliud, vel aliud in ipsum Deum. Patet evidenter ex notione entis necessarii & incausati, quod sicut non potest per aliquam causam incipere aut desinere esse simpliciter, sic nec potest incipere aut desinere cum ordine ad desitionem vel inceptionem alterius termini positivi. Quare huc faciunt Auctoritates concl. 1. & 2. allegatæ.

Dei immutabilitas quoad converti.

Nec obstat quòd *Scotus quodl.10. n.19.* insinuet aliquid manens in eodem esse priùs habito, nullâ omnino novitate circa ipsum factâ, probabiliter posse esse terminum novæ conversionis: nam præterquam quòd Doctor non loquatur resolutivè, saltem requirit ibidem & *nu.7.* ut terminus ille conservetur dependenter à desitione alterius; Deus autem sicut non potest produci, sic nec conservari, sive dependenter, sive independenter ab alterius desitione. Vide plura de hac conclusione apud *Smising Tract. 2. d.3. n.27. & seqq.*

Eam non tollit Scotus.

9. Dico IV. Deus est immutabilis terminativè

Dei immutabilitas quoad velle & intelligere.

minativè quoad intellectum & voluntatem, sic ut non possit in tempore aliquid intelligere aut velle, quod ab æterno non intellexit aut voluit, neque à cognitione aut volitione, quam ab æterno habet, desistere. Ita *Alensis, D. Thomas. D. Bonaventura, Scotus* & alii communiter. Estque indubitatum ex Scriptura 1. *Reg.* 15. *Pænitudine non flectetur; neque enim homo est ut agat pænitentiam. Num.* 23. *Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur. Proverb.* 19. *Multa cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini permanebit.* Huc etiam facit illud *Iac.* 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Item generalis sententia Domini: *Malach.* 3. *Ego Dominus & non mutor.*

Qui sapientia omnibus sit mobilior.

Nec obstat illud *Sap.* 7. *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia:* Nam vel intelligitur causaliter sive activè, q.d. sapientia omnibus moventibus est magis motiva, ut exponit *Alensis* 1. *p. q.* 4. *memb.* 2. *ad* 2. *& D. Bonav. d.* 8. *p.* 1. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 1. quia quidquid vult, quādocumque vult, citissimè operatur, ejusque operatio per omnia se diffundit, omnibusque rebus motum & actionem tribuit, ipsa in se immobilis permanens. Vel intelligitur formaliter, sed metaphoricè, q.d. divina sapientia dum se creaturæ communicat, ac super eam se diffundit, quasi ad illam procedit, sicut ea quæ moventur procedunt ad terminum; idque quasi celerrimè, utpote ad hoc nullo indigens temporis spatio; ut cum *D. Thoma* exponit noster *Richardus d.* 8. *art.* 2. *q.* 1.

10. *Hujus immutabilitatis elegans explicatio.*

Eamdem immutabilitatē eleganter docet *S. Aug. tr.* 23. *in Ioan. circa med. Transi omnem mutabilem spiritum, transi spiritum qui modò scit modò nescit, modò meminit modò obliviscitur, vult quod nolebat, non vult quod volebat, sive patiatur jam istas mutabilitates, sive pati possit: transi hac omnia, non invenis in Deo aliquid mutabilitatis:* Et 11. *de civit. c.* 21. *Ille non ex hoc in illud cogitatione mutatâ, sed omnino incōmutabiliter videt; ita ut illa quidem qua temporaliter fiunt, & futura nondum sint, & præsentia jam sint, & præterita jam non sint: ipse verò hæc omnia stabili ac sempiternâ præsentiâ cōprehendat, nec aliter nunc & aliter antea & aliter postea.* Et 12. *de civit. c.* 17. *Potest ad opus novum, non novum, sed sempiternum adhibere consilium; nec pænitendo quia prius cessaverat, cœpit facere quod non fecerat.* Et *l.* 1. *confess. c.* 4. *Immutabilis, mutans omnia &c. amas, nec æstuas, Zelas & securus es, pænitet te & non dolet, irasceris & trāquillus es, opera mutas, nec mutas consilium.* Et 13. *confess. c.* 16. *Qui es incommutabiliter, & scis incommutabiliter & vis incommutabiliter.* Idem docent alii Patres. Immo hæc immutabilitas adeò semper omnibus persuasa fuit, ut teste *Tertull. l.* 2. *contra Marcionem c.* 16. hac de causa Marcionistæ negaverint Deum veteris testamenti, qui scribitur zelatus, æmulatus, iratus.

Probari solet cum *D. Thoma q.* 14. *art.* 15. ex eo quòd scientia Dei (idem est de volitione) sit ejus substantia, adeòque sit immutabilis, sicut Dei substātia. Verùm inde præcisè non satis apparet, cur sicut salvâ immutabilitate divinæ substantiæ potuisset ab æterno Deus aliquid non voluisse aut præscivisse, quod jam decrevit aut præscivit, sic non possit ab aliquorum volitione aut præscientia desistere, absque ulla mutatione physica divinæ substantiæ, ulliusve perfectionis Deo intrinsecæ.

Nihilominus videntur Patres in immutabilitate divinæ substantiæ fundare immutabilitatem cognitionis & volitionis, ut *S. Greg.* 16. *Moral. c.* 17. dicens: *Sicut immutabilis naturâ est, ita immutabilis cogitatione.* Et expressiùs *S. Aug.* 12. *confess. c.* 15. dicens: *Quòd nequaquam ejus substantia per tempora varietur, nec ejus voluntas extra substantiam sit. Unde non eum modò velle hoc, modò velle illud, sed semel & simul & semper velle omnia qua vult, non iterum & iterum, neque nunc ista nunc illa, nec velle postea quod nolebat, aut nolle quod prius volebat; quia talis voluntas mutabilis est, & omne mutabile æternum non est, Deus autem noster æternus est.* 11. *Fundamentum divina immutabilitatis.*

Unde potest sic formari probatio: intellectus divinus necessariò semper intelligit omne verum & intelligibile ob suam infinitatem; in objecto autem intelligibili (adeòque in ipso intellectu) non potest accidere variatio, ut est evidens quoad objectum increatum, & res merè possibiles, quæ semper & necessariò sunt tales: de objectis autem contingentibus, patet ex eo, quòd variatio hæc deberet provenire ex instabilitate divinæ voluntatis: si enim hæc nequeat aliter & aliter se habere circa contingentia, consequenter nec intellectus. 12. *Ratio immutabilitatis quoad intelligere.*

Immutabilitas itaque seu æterna stabilitas divinorum decretorum seu volitionum probatur: quia in mutatione opposita cernitur moralis imperfectio (hæc autem non minùs quàm physica imperfectio procul est à Deo) quæ communi judicio continetur in frustranea retractatione propositi, nullâ causâ antè non cognitâ occurrente: hac enim semel admissâ, cur non poterit centies, immo millies admitti? igitur decreti mutatio involvit imperfectionem in voluntate: immo etiam in ipso intellectu, qui modò intelligeret aliquid tamquam futurum, modò tamquam non futurum. *Ratio immutabilitatis quoad velle.*

13\. *Cur omne Dei decretum sit ab æterno.*

Porrò decretum omne debuisse formari ab æterno, patet, partim quia perfectius erat omnia decernenda ab æterno decernere, quàm manere totâ retrò æternitate indeterminatum: partim quia voluntas divina etsi sit libera quoad velle & nolle, debet tamen esse sub alterutro in ultimata sua actualitate: partim quia nil potest in tempore incipere esse futurum, aut tamquam tale incipere cognosci. *Et maneat in æternùm.* Ratio denique cur divina voluntas cessare nequeat à decreto, postquam mãdatum est executioni, v. g. à volitione creandi Saülem regem, tot jam retrò sæculis à regno depositum, difficulter quidem redditur: dici tamen potest, quòd uti decreta Dei necessariò sunt ab æterno, sic debeant in æternùm manere: quod enim ex natura sua non potest esse nisi ab æterno, necessariò debet in æternùm manere: nam (ut ait *S. August. sup.*) *omne mutabile æternum non est*, scilicet ex natura sua, de quo S. Aug. agit. Deinde sicut præterita intellectus diuinus continuò intelligit sine ulla mutatione, sic consequẽter voluntas in illa sine sui mutatione debet tendere; cùm in eo nulla sit imperfectio, quin potiùs perfectio, voluntasque debeat esse in omni actualitate possibili, adeòque æquè latè patere ac intellectus, salvâ libertate (quæ salva manet) utpote ejusdem cum intellectu, immo infinitæ perfectionis. Si cui verò hæc probatio nõ sufficiat, dicat cum *Smising d.3.n.48.* hanc immutabilitatem potiùs esse creditam, quàm à nobis demonstrabilem.

14\. Dices, Scriptura Deo adscribit pœnitentiam facti: *Gen.6. Pœnitet me fecisse eos. Ieremiæ* 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum adversùs eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei.* *Apparens in Dei decretis mutabilitas.* Nonnulla etiam prædixit Deus se facturum, quæ postea non fecit, v.g. subversurum se Niniven, *Ionæ* 3. Denique odit peccatores pro tempore quo sunt tales, & rursum diligit quando sunt justi. Quæ omnia videntur esse signa mutatæ voluntatis. Unde est istud vulgatum ex *Ambrosio in Lucam*: *Novit Deus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum.*

Est solùm in effectibus. Resp. Omnia decreta quæ semel in Deo sunt, semper eodem modo in eo manere absque ulla retractatione aut oppositione, mutationem autem solùm esse in effectibus, sive objectis respicientibus diversa tempora. Sic Deus ab æterno & in æternùm habet decretum, creandi hominem pro tali tempore, delendi pro tali tempore; diligit etiam nunc Judam, consideratum pro tẽpore quo erat justus, odit spectatum pro tempore quo erat peccator; vult Saül esse regem pro tali tempore, vult eumdem exauctorare pro alio tempore. Quæ simultas decretorum non est opposita, sed tantùm simultas objectorum vel effectuum, pro eodẽ tempore spectatorum. Quare pœnitentia adscribitur Deo metaphoricè, sic ut dum dicit: *Pœnitet me fecisse eos: pœnitet me quòd constituerim Saül regem*, sensus sit, ab æterno statui delere eos, item decrevi Saül deponere, & statuere alium (destruere enim opus à se factum solet inter homines esse signum mutatæ voluntatis) quia nimirum statuit tanto solùm tempore hoc vel illud fieri, cùm alioquin si non obfuissent demerita, diutiùs homines conservasset, & regnum Saülis prorogasset. *Quomodo pœnitentia tribuatur Deo.*

Similiter dicitur *Ierem.*18. agere pœnitentiam, item dicitur mutare sententiam, non quoad internum judicium aut propositum, sed quoad effectum externum, quem non exequitur, & tamen videbatur absolutè comminatus, cùm tantùm esset comminatus conditionatè & dependenter ab emendatione hominum; ductâ similitudine ab hominibus, qui censentur pœnitere, quando non faciunt quod erãt comminati. *Et sententia mutatio.* Sic prædictio per Jonam facta tantùm erat comminatoria seu conditionata, vel declarans quid absolutè decreverit, nisi quidpiam accedat quo moveatur, v.g. nisi Ninivitæ agerent pœnitentiam, simul indicando quid peccata eorum mererentur. Interdum etiam prædicitur, quid futurum sit spectato cursu causarum naturalium, & nisi illum Deus specialiter impediat. Prout intelligi potest illud *Isaiæ* 38. *Dispone domui tuæ, quia morieris tu & non vives*; cùm tamen Ezechiæ (de quo sermo) vita adhuc fuerit divinitùs prorogata. Utrùm autem prædictio sit absoluta, an solùm conditionata & comminatoria, ex textu & circumstantiis, ex effectu, ex sensu Patrum vel Ecclesiæ traditione est colligendum.

Ex his patet immutabilitatem soli Deo esse propriam: omne enim ens creatum ex nihilo oritur, & in nihilum verti potest, seu mutari potest de non esse ad esse, & contrà. Immo etiam dum est, continuâ vicissitudine quasi mutatur, quatenus novo jugiter Conditoris beneficio singulis momentis liberè accipit esse per conservationem perinde ac primo productionis instanti. Quod subtiliter insinuavit *Nyssenus l. de opificio hominis c.16.* dicens naturam quæ ortum habet per creationem *sine perpetua vicissitudine consistere nullo modo posse, nam ipse transitus* (qui scilicet est continuus) *ex nihilo ad ortum, motus quidam est & mutatio.* Quam mutabilitatem ex nihilo & in nihilum 15. *Immutabilitas soli Deo est propria.*

Scotus

Scotus d.8.q.5.n.22. D. Bonav. d.8.p.1.a.2.q.2. vertibilitatem ſeu verſionem vocant conformiter ad *Damaſc.l.1. de fide c.3. Quæcumque à verſione incipiunt, verſioni ſubjecta ſunt.* Præterea mutabilitas ſubjectiva competit omnibus ſubſtantiis creatis, illis item accidentibus quæ poſſunt in ſe accidentia alia ſuſcipere, & amittere. Quamquam in ſpiritualibus ſubſtantiis locum non habeat corruptio ſubſtantialis, ob carentiam materiæ & formæ. Una quoque ſubſtantia poteſt in aliam converti, etiam in ſpiritualem, ſimili modo ſaltem quo panis in corpus Chriſti. Denique creaturæ intellectuales patiuntur miram viciſſitudinem in actibus intellectûs & voluntatis. Itaque Deus & quidquid in ipſo eſt, eſſentialiter ſeu ex neceſſitate omnimoda naturæ eſt immortale; ut ideo ſolus dicatur habere immortalitatem *1. ad Tim. 6.* Quo autem ſenſu ſubſtantia angelica dicatur ex natura ſua immortalis, explicabitur in materia de Angelis. *Creaturarum mutabilitas.*

QUÆSTIO II.

An Deo propriè conveniat Æternitas?

16. *Varia æternitatis acceptio.* NOta æternitatem hîc non ſumi pro antiquitate. Quo ſenſu antiqui Patres *Gen.49.* dicuntur colles æterni. Neque etiam pro longa duratione, etſi habeat initium & finem. Quo ſenſu *Gen.17.* Deus Abrahæ dixit: *Dabo tibi & ſemini tuo omnem terram Chanaan in poſſeſſionem æternam;* ut exponit *S. Aug. q.31. ſuper Geneſim.* Neque etiam pro duratione quæ habet initium, ſed caret fine. Quo ſenſu accipitur, dùm Doctores diſputant, an aliqua creatura potuerit eſſe æterna, videlicet non ſolùm à parte poſt, ſed etiam à parte antè. Itaque hic ſumitur æternitas pro duratione, cujus principium aut finis nec datur nec dari poteſt, adeòque caret etiam principio dependentiæ. Et hæc eſt propria æternitatis acceptio, ut notat *S. Aug. l.83. qq. q.19.* dicens: *Etſi ſemper aliquid vivat, tamen ſi mutabilitatem patiatur, non propriè æternum appellatur.* Et *Richard. de S. Victore l.2. de Trin. c.4. Aliud videtur ſonare æternum, aliud ſempiternum: ſempiternum namque eſſe videtur, quod caret initio & fine; æternum, quod caret utroque, & omni mutabilitate;* adeòq; neceſſitatem habet eſſendi independenter ab alio. Quamquam ſempiternum ſæpè cum æterno confundatur.

17. *Quid æternitas propriè.* Æternitas ſic ſumpta deſcribitur à *Boëtio l.5. de conſolatione proſâ 6. Interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio.* Cui concordat *D. Anſel. Monol. c.24. Quid aliud eſt vera æternitas, quæ ſoli illi* (ſcilicet Deo) *convenit, quàm interminabilis vitæ ſimul & perfectè tota exiſtens?* Cùm dicitur, *interminabilis,* intellige, tam ex parte initii quàm finis. Cùm dicitur *vitæ,* ponitur vita pro quacumque perfectione eſſendi, ut notat *Scotus quodl.6.n.14. Tota ſimul* ſignificat nullam dari ſucceſſionem in æternitate, ſed totum eſſe rei æternæ haberi ſimul. *Perfecta poſſeſſio* ſignificat vitam ſive perfectionem omnem actu haberi ex intrinſeca naturæ neceſſitate, adeòque excludit principium dependentiæ, à quo ſuam entitatem participet, ut *Scotus ſuprà.* Deſcriptio tamen hæc non eſt formalis: æternitas namque formaliter non eſt vita Dei, ſed ejuſdem diuturnitas, ſeu ſtabilis duratio, adeòque perfectio quæ facit Deum eſſe interminabiliter ſine principio & fine, idque ex neceſſitate naturæ ſine dependentia ab alio, & quoad omnem ſuam entitatem & perfectionem.

Hinc facilè eſt diſtinguere æternitatem ab Ævo. Nam ævum etſi juxta idioma Græcum ac Latinum coincidat cum æternitate, uſu tamen Doctorum ſumitur pro duratione rei permanentis quidem, ſed dependentis & terminabilis, v.g. Angeli. Unde ſicut in exiſtentia æviterni non datur ſucceſſio, ſic nec in ævo, quod eſt à parte rei ipſa exiſtentia rei permanentis. Eſt communis ſententia contra Nonnullos. Competitque ævum rebus etiam ab intrinſeco corruptibilibus, dummodo permanentes ſint: nam corruptibilitas non obſtat, quin res equidem ſit tota ſimul, nec habeat partem poſt partem, quantùm ad ſibi intrinſeca ſeu eſſentialia. De quibus fusè *Smiſing d.4.q.2.* Differt æternitas à tempore: tum quia tempus eſt duratio ſucceſſiva, & nō tota ſimul: tum quia eſt dependens & terminabile. De comparatione æternitatis & temporis fusè *Smiſing ſup. q. 3.* His præmiſſis 18. *Diſtinctio æternitatis ab ævo.* *Item à tempore.*

Dico I. Æternitas propriè dicta convenit Deo. Eſt de fide ex ſymbolo Athanaſii, & cap. *Firmiter, de Sum. Trin.* Probatur ex Scriptura *Pſal. 89. A ſæculo & uſque in ſæculum tu es Deus. Eccli. 18. Qui vivit in æternum creavit omnia ſimul.* Et alibi, præſertim ad *Hebr. 1.* ubi Apoſtolus tamquam propriam Divinitatis notam tribuit Chriſto illud *Pſal.101. Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Patres ſunt paſſim obvii. 19. *Dei æternitas.*

Ratio ſumitur ex infinitate eſſentiæ, quæ debet eſſe illimitata omni modo perfecto, adeòque etiam quoad durationem; iſta autem illimitatio eſt æternitas. Deinde eos à ſe, neceſſariò exiſtens, nequit incipere eſſe aut deſinere eſſe; Hoc enim *Ejus ratio ex infinitate.* *Item alia.*

enim dato, deberet accipere esse ab alio, adeòque non esset independens & à se: ergo necessariò est æternum. Denique Deus est omnino immutabilis, tam quoad esse, quàm quoad omnem suam perfectionem; immo etiam quoad omnem tendentiam, seu terminationem intellectûs & voluntatis: ergo Deus est absolutè & omnino æternus. Nam ut rectè *S. Aug. 4. de Trin. c. 18.* ait: *In quantùm mutabiles sumus, in tantùm ab æternitate distamus.* Et infrà: *Vera immortalitas, vera incorruptibilitas, vera incommutabilitas, ipsa est æternitas.*

Et immutabilitas.

20. *Quid æternitas immutabilitati superaddat.*

Unde *Smising d. 4. q. 1. n. 14. & 15.* docet æternitatem coincidere cum immutabilitate, nisi quòd huic addat respectū aptitudinalem coëxistendi cuilibet durationi creatæ; eò quòd æternitatem ratione durationis ut plurimùm concipiamus sub quadam extensione in ordine ad tempus verum sive imaginarium: qui respectus non videtur involvi in præciso conceptu immutabilitatis; hæc enim intelligeretur in Deo, etsi nulla creata duratio esset possibilis.

21. *Æternitas habet rationem durationis.*

Nota æternitatem habere propriam rationem durationis juxta Doctores cōmuniter contra *Aureolum*: quia non est de ratione durationis successio formalis, seu divisibilitas in prius & posterius, sed est ipsa permanentia rei in esse & negatio desitionis. Immo una æternitas in se colligit necessariò omnem ceterarum rerum durationem, adeoque exhaurit omne tempus etiam imaginabile, eique necessariò coëxistit absque ulla sui successione. Veluti rupes immobilis coëxistit omnibus aquæ partibus successivè præterlabentibus, ac numquam redituris. Unde *S. Aug. 1. confess. c. 6. summus* (inquit) *es & non mutaris, neque peragitur in te hodiernus dies, & tamen in te peragitur, quia in te sunt & ista omnia: non enim haberent vias transeundi, nisi contineres ea. Et quoniam anni tui non deficient, anni tui hodiernus dies: & quàm multi jam dies nostri & Patrum nostrorum per hodiernum tuum transierunt, & ex illo acceperunt modos, & utcumque exstiterunt, & transibunt adhuc alii, & accipient, & utcumque existent. Tu autem idem ipse es, & omnia crastina atque ultra, omniaq́; hesterna & retro, hodie facies, hodie fecisti.* Quia videlicet in ipsa æternitate est perpetuū hodie seu præsens, eodem *S. Aug.* in illud *Psal. 2. Ego hodie genui te*, dicente: *In æternitate nec præteritum quidquam est, quasi esse desierit, nec futurum quasi nondum sit.*

Quomodo æternitas comparetur anno.

Nec refert, quòd Scriptura *Psal. 101.* æternitatem comparet anno, in quo est continua temporum variatio & successio. Nam (ut rectè *D. Bonav. d. 19. p. 1. in Expos. textûs dub. 4.*) Scriptura accommodè ad intellectus nostri infirmitatem nomen anni transtulit ad æternitatem, ideo quòd sicut annus dicit perfectam, seu completam temporis revolutionem secundùm decursum solis in Zodiaco & regressum ad idem punctum; sic divina æternitas perfecta sit, ceteras durationes circumplectens. Eadem tamen Scriptura interminationem ac stabilitatem omnimodam æternitatis satis significat; dum ait: *In generationem & generationem anni tui* Et: *Tu idem ipse es, & anni tui non deficient.*

Hinc nihilominus patet, qualiter in æternitate sit successio virtualis, quatenus scilicet successivè coëxistere potest successivæ durationi seu tempori, non tamen successione sui, sed temporis, cujus quidem singulis partibus coëxistit indivisibiliter & secundùm se totam: sicut anima indivisibilis tota informat corpus extensum & divisibile, singulasque partes. Non tamen coëxistit æternitas semper cuilibet tempori: non enim tempori præterito dum est præteritum, aut futuro dum est futurum; cùm nil possit coëxistere realiter, nisi rei realiter existenti. Necessariò tamen coëxistit omni tempori, quatenus nullum est tempus præteritum cui non coëxstiterit, præsens cui non coëxistat, futurum cui non coëxistet, aut possibile cui non coëxistere possit, vel debeat, posito quòd producatur. Unde omnia sunt æternitati præsentia, toti quidem, sed non totaliter seu non semper, sed singula pro parte suæ durationis; sicut omnia sunt præsentia immensitati Dei, sed non ubique: & sicut omnia membra sunt præsentia toti animæ, sed non in omni loco, in quo est anima. 22.

Qualiter in æternitate sit successio virtualis.

Dico II. Æternitas propriè convenit Deo, sic ut nulli sit creaturæ communicabilis. Patet: quia etsi aliqua creatura potuisset creari ab æterno, v.g. Angelus (de quo alibi disputatur) longè tamen distaret ab æternitate Dei: quia interminabilis duratio non cōpeteret Angelo, alterive creaturæ ex se & independenter ab alio. Præterea tota essendi perfectio non esset in Angelo simul: adhuc enim pateretur vicissitudinem perfectionum accidentalium, scilicet cognitionum, volitionum &c. At Deus à se & necessariò semper est idem, totamque suam perfectionem simul & semper habet, etiam quoad omnem terminationem intellectûs & voluntatis, sic ut quidquid scientiæ, volitionis, gaudii &c. possent omnes creaturæ junctim comparare successivè singulis momentis infiniti temporis, totum id Deus simul & stabiliter habeat 23.

Æternitas creaturæ incommunicabilis.

sine comparatione perfectiùs in sua æternitate.

24. *Quomodo essentiæ rerum sint æternæ.*

Solùm posset objici, quòd essentiæ creaturarum dicantur æternæ, ac propositiones in quibus prædicatum essentialiter enunciatur de subjecto, dicantur æternæ veritatis. Ad quod Resp. æternitatem essentiæ creatæ non esse æternitatem alicujus entis veri & positivi, sed privativi solùm, seu non repugnantiæ ad esse; prout eleganter explicuit *Scotus d. 36. n. 11. & seqq.* Ideo autem dicuntur essentiæ suo modo æternæ, & similiter propositiones essentiales æternæ veritatis, quòd nihil possit esse aut concipi sine suis partibus essentialibus, idque ex natura rei independenter à quocumque, atque adeò in nulla temporis differentia, etiam possibili, res possit produci sine sua essentia seu partibus essentialibus.

Et propositiones æternæ veritatis.

QUÆSTIO III.

An & quomodo Deus sit immensus & ubique?

25. NOta immensum ex prima vocabuli institutione esse idem, quod non habens mensuram, adeòque coincidere cum infinito. Quæ immensi acceptio frequens est apud Patres, *Basilium, Nazianzenum, Ambrosium* & alios. Usu tamen frequentiori Theologorum, præsertim Recentiorum, significat illum infinitatis modum, quo Deus est illimitatus secundùm præsentiam ad locum aut rem quamlibet. Estque fundamentum ubiquitatis seu omnipræsentiæ divinæ: ratione enim immensitatis fit, ut Deus sit intimè præsens omni rei creatæ, posito quòd hæc sit. Quare distinguitur ab ubiquitate, quæ importat actualem præsentiam in omni loco & re. Ex quo etiam fit immensitatem fuisse in Deo ab æterno, ubiquitatem verò à creatione rerum, quibus Deus inexisteret. Quia tamē hæc duo inter se subordinantur & convertuntur, Scriptura & Patres unum sæpè pro alio ponunt, & Theologi de utroque simul agunt.

Quid immensitas.

26. *Deus est immensus.*

DICO I. Deus est immensus & ubique. Patet ex *Ierem. 23. Cælum & terram ego impleo. Psal. 138. Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. Isaia 66. Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. 3. Reg. 8. Si cælum, & cæli cælorum te capere non possunt* &c. & alibi. Accedit Symbolum S. Athanasii. Et cap. *Firmiter, de Sum. Trin.* ubi definitur Deum esse immensum: Et communissimus consensus Patrum, ut videre est apud *Smising d. 5. n. 14.* & aliōs. Nobis sufficiant verba *Augustini* & *Anselmi*, quorum ille *7. de Trin. c. 30.* ait: *Idem Deus ubique totus, implens cælum & terram, præsente potentiâ, non absente naturâ.* Hic verò *Monologii c. 22.* ait: *Summam essentiam totam inevitabilis necessitas exigit nulli loco vel tempori deesse: necesse est eam simul totam omnibus & singulis locis & temporibus præsentem esse.*

Probatur: quia Deus vi infinitatis excludit terminum perfectionis essentialis, durationis, potentiæ &c; ergo etiam terminum præsentialitatis. Deinde nullo coarctari loco, sed posse & necessariò esse ubique dicit perfectionem; è contrà autem coarctari certo loco imperfectionem: ergo immensitas & ubiquitas Deo infinitè perfecto est tribuenda. Confirmatur: quia præsentia creaturæ cum alia, ejusque fundamentum, est quædam perfectio: ergo purgata ab omni imperfectione (qualis est, quòd partibus constet, quòd limitato spatio, & mutabiliter modò huic, modò illi respondeat) erit perfectio simpliciter, adeòque Deo tribuenda.

Ratio Immensitatis divinæ.

D. Thomas q. 8. art. 1. & alii probant immensitatem sive ubiquitatem Dei ex eo, quòd Deus ubique operetur. Sed inefficaciter, ut rectè *Scotus 1. d. 37. Smising d. 5. n. 31. Vasq. Prap. Nominales* & plures alii: tum quia valde probabiliter potest etiam creatura immediatè agere in distans: tum quia etsi id non posset naturaliter, saltem potest supernaturaliter, adeòque idem posset Deus, estò non esset ubique: præsertim quia ratio ordinariè militans in creaturis, non habet locum in Deo, ut ex *Scoto* rectè advertit *Smising n. 33.* Tum denique quia etsi foret impossibile actionem inchoare à distanti, non tamen requiritur intima præsentia, sed sufficit approximatio. 27.

An probetur ex operatione in omni loco.

Nec obstat illud *Psal. 138. Si ascendero in cælum tu illic es &c. si sumpsero pennas meas diluculo & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me* &c. nam particula *etenim* ibi non est causalis, sed cumulativa, ponitúrque pro *etiam*, ut vertit *S. Hieronym.* & adnotarunt Interpretes: quare Psalmista non assignat operationem pro ratione, cur Deus sit in omni loco. Prætetea Psalmista (ut colligi potest ex cōtextu Psalmi) inculcat providentiam Dei de omnibus rebus, ideoque se non posse effugere faciem Dei, omnia videntis & gubernantis, etsi fuerit in extremis maris, nam illuc etiam per ejus providentiam deducetur. 28.

Non obstat etiam illud *Act. 17. In ipso vivimus, movemur, & sumus*; quod Apostolus allegat pro ratione, ob quam Deus *non longè sit ab unoquoque nostrûm.* Nam loqui- 29.

loquitur de præsentia secundùm cognoscibilitatem, probans Deum non longè esse ab unoquoque nostrûm, quin ex eo quòd in ipso vivimus &c. facilè possit palpari seu attrectari (ut loquitur) non utique secundùm substantiam, sed secundùm cognitionem, tamquam causa omnium nostrûm, ut proinde Athenienses immeritò dedicaverint aram quasi *ignoto Deo*. Adde quòd etsi Scriptura, aut saltem nonnulli Patres ex operatione colligerent præsentiam Dei, posset intelligi collectio esse velut materialis & mediata, hoc ferè modo: Deus ubique & in omnibus operatur, ergo etiã in omnibus est: cùm non potiùs debeat esse illimitatus quoad necessariam in omnibus operationem, quàm quoad præsentialitatem. *An immensitas Dei demonstretur.* Quæ collectio ferè coincidit cum probatione cõclusionis, à nobis allegatã, & solùm probabilis apparet *Smising*: qui tandé infert *n.*50. hanc Dei perfectioné potiùs esse creditam, quàm clarè demonstratam, Idem monet *n.*38. non debere mirum videri, quòd Scriptura uteretur argumẽto, quod nobis spectato lumine seu ratione naturali tantùm probabile videtur; cùm ipsa præcipuè nitatur divinâ auctoritate. Unde Apostolus *Act. c.*17.*cit.* utitur etiam testimonio gentilis poëtæ, scilicet *Arati*, probans Deum esse præstantiorem lapidibus, exemplo nostrûm, qui sumus genus Dei: ut scilicet minùs videatur incredibile, quod etiam lumine naturali est verosimile.

30. *Hæreses circa Dei immensitatem.* Ex dictis satis refutantur Judæi, qui (teste *S. Hieron.* in illud *Isa.* 66. *Cælũ sedes mea*) credebant Deum concludi posse tẽplo Hierosolymitano; & alii, tũ antiquiores hæretici, statuẽtes Deum corporeum, eumq; concludentes certo loco, & inter recentiores Calvinistas *Vorstius*, statuens Deum divisibilem, adeòque non totum in qualibet parte minima, eumque secundùm substantiam solùm in cælo cõstituens, ut refert *Becanus Tr.*1. *c.* 6. *q.*1. tum antiqui Philosophi, qui diversimodè de existentia Dei in loco sentientes, limitabant eum, nonnulli ad quamdam sphæram igneam, alii ad circumferentiam universi, alii ad centrum, alii eum ponebant extra mundum circa convexam cæli superficiem, instar figuli assidentis rotæ, quam movet. Quàmvis immensitas divina lumine naturali innotuerit melioris notæ Philosophis, teste *Lactantio l.*1.*instit.c.*5.& aliis. De qua est elegans ista sententia *Trismegisti* Deum describentis, *sphæram intelligibilem, cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam*. Neque imminet Deo ullum inquinationis periculum, ex eo quòd rebus omnibus etiam sordidis intimè inexistat, ut nonnulli somniarunt: cùm sit spiritus, & omnino accidentium quorumlibet incapax. Quod *S. Aug. l. de natura boni c.*29. explicat exemplo lucis, quæ cùm sordida quæque loca penetret, nil tamen maculæ contrahit. Addi potest exemplum animæ rationalis, quæ corpori leproso & morbido unita non inficitur.

31. *Cur Deus in cælis habitare dicatur.* Dices I. Deus in Scriptura dicitur habitare in cælis, ut *Psal.*122. *Matth.*6. & alibi; ergo non est ubique. Resp. Neg. Conseq, similibus enim locutionibus Scriptura substantiam Dei non restringit ad cælum, sed solùm declarat ipsum ibi esse speciali modo, scilicet per manifestationem gloriæ & majestatis suæ. Atque ita per antonomasiam cælum etiam vocatur locus sive thronus Dei.

32. *Qui Deo motus localis tribuatur.* Dices II. In Scriptura frequenter dicitur Deus ascendere, descendere, ambulare, ad nos appropinquare, à nobis recedere: ergo Deus non est ubique. Resp. Neg. Conseq. nam prædicta omnia tribuuntur Deo impropriè & figuratè, propter certos effectus, quos operari incipit vel definit in iis hominibus vel locis, ad quæ accedere, vel à quibus recedere dicitur: vel propter motum localem rei, in qua Deus repræsentatur. Sic *Jac.*4. dicitur Deus nobis appropinquare per largitionem gratiæ, *Osee* 9. à nobis recedere per gratiæ subtractionem. *Gen.*11. dicitur Deus descendisse ut videret civitatem, quatenus confusionem linguarum erat operaturus in terra. Quo modo etiam explicari potest illud *Gen.*18. *Descendam & videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint*; scilicet Sodomitæ: quod tamen etiam verificari potest de corporali specie, in qua Deus Abrahæ apparebat. Quo sensu *Gen.*3. dicit Deus deambulasse in paradiso, quia in corporali specie deambulantis se primis parentibus post eorum peccatum exhibuit. Alioquin de Deo secundùm se loquens *D. Chrysost. hom.*17. *in Gen.* ait: *Non ambulat Deus. Absit: quomodo enim ambularet, qui ubique præsens est & omnia implet!* Insuper dicitur Deus in symbolo descendisse de cælis, non quia relicto cælo venerit ad terram, ibique antea non fuerit; sed quia in terris cœpit esse homo, quod non fuerat in cælo. Denique ad inferos descendisse, & ad cælos ascendisse dicitur gratiâ assumptæ humanitatis, idque per communicationem idiomatum, quæ solet explicari in *Tract. de Incarnatione*.

33. *Triplex Dei ubique præsentia.* Dico II. Deus est ubique per essentiam, præsentiam & potentiam, juxta illud vulgatum: *Enter, præsenter Deus est, & ubique potenter*. Ita *D. Thomas, Scotus*, & unanimiter Theologi. Omissis autem ceteris

teris expositionibus, optima est *D. Thomæ & Scoti*, quòd videlicet Deus dicatur ubique per essentiam, quatenus ejus esse seu substantia est intimè præsens omnibus locis & rebus. Per præsentiā, quatenus omnia sunt in ejus prospectu, & aperta oculis ejus: sicut aliquis dicitur esse præsens in domo, dum omnia, quæ in illa sunt, in conspectu illius sunt. Per potentiam, quatenus omnia facit & conservat, adeòque omnia suæ potestati & dominio subjecta habet: quomodo rex dicitur esse in toto regno, quatenus omnia regit. Quartum modum addunt *D. Thomas & Scotus*, quatenus Deus est in creatura rationali tamquam objectum in cognoscente & amante; ac specialissimè in Sanctis per cognitionem & amorem supernaturalem, adeòque per gratiam. Quâ ratione sancti specialiter dicuntur templum Dei, & in iis dicitur habitare Spiritus S. 1. *ad Cor.* 3. 2 *ad Cor.* 6. & alibi. Ubiquitas Dei per essentiam sola est propriè dicta, & hujus loci. De qua

34. *Deus non est in rebus ut loca sunt.*

Dico III. Deus per essentiam est ubique & in omnibus rebus quatenus res sunt, non quatenus loca sunt. Patet: tum quia Deus non est præsens per accidens aliquod superadditum, sed solùm per negationem distantiæ, seu materialem coëxistentiam suæ substantiæ cum rebus creatis in eodem spatio: tum & præcipuè, quia esse in loco ut locus est, est locatum contineri & ambiri à loco extrinseco ipsi locato; Deus autem cùm sit cuique rei intimè præsens & illapsus, non potest sic ambiri vel contineri. Et juxta hanc conclusionem conciliandæ sunt auctoritates, quarum aliquæ asserūt Deum esse in loco aut in omni loco, aliquæ negant; ut rectè observavit *D. Anselm. Monol. c.* 22. dicens: *In nullo itaque loco vel tēpore propriè dicitur esse, quia omnino à nullo alio continetur: & tamen in omni loco vel tempore suo quodam modo dici potest esse.*

35. *Deus non est extra cælos ut in loco reali.*

Dico IV. Deus ratione immensitatis suæ nō est extra cælos in immenso spatio tamquam in loco aliquo reali à se distincto. Videtur omnino certum. Patet: quia extra cælum nullus est locus realis à Deo distinctus, sed merum nihil. Si dicas, esse capacitatem quamdam recipiendi corpora extra hunc mundum producibilia. Contrà: ista capacitas nil actu est, sed mera possibilitas corporum, quæ sic possunt produci, ut non cōtineantur in hoc mundo. Actu verò est merum nihil; nihili autē nulla est affectio vel proprietas. Aliud est de vacuo, in quo possunt esse corpora ratione superficiei concavæ, sic ut hoc nil aliud sit, quàm superficiem istam, quæ actu nil continet, posse repleri, sicque desinere esse vacuum.

Dico V. Quàmvis, sicut imaginamur extra cælum quædam vasta spatia undequaque diffusa adinstar veri loci, sic quoque imaginemur Deum in illis esse, propriè tamen & doctrinaliter loquēdo non est dicendus de facto esse in spatiis imaginariis extra mundum, & eâdem ratione ante mundum conditum non fuit in spatio, in quo imaginamur mundum esse collocatum, idque non propter limitationem sui, sed loci defectionem, cùm alioquio sit potens coëxistere infinitis locis & rebus, etiam extra mundum creabilibus. Ita *Scotus d.* 37. *q. unic. D. Bonav. ibid. p.* 2. *art.* 1 *q.* 3. & communiter Scholastici, præsertim Antiqui, inter quos nullum hac de re fuit dissidium, teste *Smising d.* 5. *n.* 70. quamquam diversi Recentiores multùm controvertant. 36. *Nec in spatio imaginario.*

Conclusionem etiam docent Patres, quando dicunt Deum ante mundi creationem non fuisse alicubi, sed in seipso; ut omissis ceteris, *S. Bernard.* 5. *de considerat. c.* 6. *Ubi erat* (Deus) *antequam mundus fieret, ibi est: non est, quòd quæras ultrà, ubi erat: præter ipsum nihil erat: ergo in seipso erat.* Quibus verbis etiam indicatur ratio responsionis: quia videlicet ante mundum conditum præter Deum nil omnino erat, & de facto extra cæli convexum nihil præter illum est: ergo Deus ante mundum conditum non fuit, & modò extra cælum non est in aliquo, præterquam in seipso; hoc exponendo negativè, ut sit idem, ac in nullo. Quo sensu Patres subinde dicunt Deum esse sui causam; id est, non habere causam. Ut enim aliquid propriè dicatur esse in aliquo seu alicubi, requiritur aliquid reale sive realiter existens, in quo aut ubi sit; prout etiam intellexit ipse *Aristoteles* 4. *Physic. c.* 5. *text.* 46. ubi infert universum non esse alicubi: *Quod enim* (inquit) *alicubi est, & ipsum aliquid est, & aliud quid in quo continetur oportet esse; at extra universum & totum nihil est.* *Ratio conclusionis in auctoritate fundata.*

Dico VI. Deus est nihilominus reipsa & actu extra mundum. Ita *Smising d* 5. *n.* 64. *& seqq. Less. l.* 2. *de divin. perfect. c.* 2. *Suarez.*, *Præpositus* & alii passim contra Nonnullos alios. Explicat autem id *Lessius* hoc modo, quòd Deus quidem non coëxistat spatio imaginario ficto, vel sit extra mundum præsens alicui spatio à se distincto, sed quòd sit in spatio, quod immensitas ipsius formaliter extendit, cui infinitum spatium creatum potest coëxtendi. Sicut enim hoc universum non est in spatio aliquo creato, præterquam in sua intrinseca quantitate & extensione: ita Deus non est in aliquo spatio reali, præterquam quod ipsius immēsitas constituit, quæ divinæ substantiæ & 37. *Existentia Dei extra mundum.*

sibi

ſibi & mundo ſufficiens eſt ſpatium & intervallum, capax omnis naturæ creabilis, tam ſpiritualis quàm corporalis. In idem ferè coincidit explicatio *Smiſing ſup. n. 69.* quòd ſcilicet Deus ratione ſuæ immenſitatis exiſtat modo tam illimitato, ut poſſit eſſe præſens & indiſtans reſpectu omnis entis in infinitum multiplicabilis extra mundum abſque aliqua ſui mutatione; adeò ut ubicumque imaginamur creaturam extra hunc mundum produci poſſe, ibi (quamquam impropriè dicatur ubi & ibi; cùm illi termini connotent aliquid reale) Deus de facto ſit, cum aptitudine coëxiſtendi creaturæ ibi creabili: ita ut ratio, cur Deus extra mundum non ſit alicubi vel in aliquo, ſolùm ſit defectus termini, cui poſſit dici præſens, vel reſpectu cujus poſſit dici eſſe alicubi: ſive (ut loquitur *D. Bonav. d. 37. p. 2. art. 1. q. 3.*) id non ſit propter limitationem ſuam ſed loci defectionem.

Concluſio ſic explicata eſt valde conformis Auctoritati Scripturæ & Patrum, dum dicunt Deum eſſe ſupra cælum, ſupra mundum, extra omnia, exteriorem rebus omnibus, iis extrinſecùs & forinſecùs circumfundi, ipſum circumcontinere, ambire, circumdare omnem rem vel locum; ut refert & citat *Smiſing n.* 64. Præclara eſt ſententia *S. Aug. 7. confeſſ. c. 5.* ubi hanc mundi machinam comparat ſpongiæ, & divinam immenſitatem vaſtiſſimo mari, dicens: *Concipiebam te Domine ex omni parte ambientem eam & penetrantem, ſed uſquequaque infinitum; tamquam ſi mare eſſet ubique, & undique per immenſum infinitum ſolum mare, & haberet intrà ſe ſpongiam quamlibet magnam, ſed finitam tamen, plena eſſet undique ſpongia illa ex omni ſua parte ex immenſo mare: ſic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam* &c.

Similitudine declaratur.

38. *Ratione probatur.* Probatur ratione: quia actualis illa & illimitata diffuſio nullam dicit imperfectionem, adeòque potiùs perfectionem ſimpliciter; ergo eſt in Deo. Deinde eadem valde conformis eſt communi conceptui, prout etiam alii fatentur; ergo aſſerenda eſt, cùm nil aliundè obſtet. Prætereà diffundi ita extra mundum poteſt, ergo debet: cùm ſit denominatio non connotans creaturam actualem ſeu terminum cõtingentem. Confirmatur: quia ſi Angelus per hunc locum eſſet diffuſus, eo evacuato à corporibus, adhuc in ſeipſo diffuſus maneret ut antè; ergo idem dicendum de Deo, tum in ſimili caſu, tum in caſu, quo totum univerſum deſtrueretur, tum in caſu concluſionis. Denique aliàs Deus poſſet diſtare à ſeipſo, & moveri localiter, ſaltem per accidens, ſimul cum corporibus ab invicem diſtanter creatis.

Dico VII. Immenſitas eſt ſoli Deo propria. Ita communiter Doctores. Patet: quia etſi poſſet creatura per Deum, ſicut in pluribus, ſic in omnibus locis & rebus, quæ actu ſunt, per replicationem collocari, adeòque eſſe actu ubique; ea tamen non foret immenſa: cùm id non competeret ei neceſſariò & ex ſe, ſicut Deo, ſed contingenter & ex infinita Dei potentia. Quæ ratio idem conficit, etſi per Deum poſſet creatura poni in locis infinitis ſecundùm idem ſui; quod fieri divinitùs non poſſe, affirmandum eſt ab iis, qui docent omne creatum infinitum actu eſſe impoſſibile; prout docet *D. Thomas. D. Bonav. Scotus.* & plerique Theologi. Qui à fortiori docere debent (quod & alii communiter non negant) impoſſibilem eſſe creaturam, quæ immenſitatem, ſeu infinitam præſentialitatem connaturaliter exigat: videtur enim repugnare eſſentiæ finitæ perfectio infinita; ſicut è contrà infinitæ eſſentiæ repugnat finita perfectio. Unde & ſphæræ angelicæ magnitudo proportionatur perfectioni eſſentiæ: proinde ſphæram immenſam exigit ſola immenſa eſſentia. Dato quidem corpore immenſo ſeu infinito (ſi poſſibile) ſphæra præſentialitatis eſſet quoque infinita, quæ reſpondet toti, ſed ſecundùm diverſas partes: ſingulæ enim partes occuparent exiguum locum. 39. *Immenſitas eſt ſoli Deo propria* *Creaturam ſe immenſa implicat.*

DISPUTATIO V.

De cognoſcibilitate Dei, ſive de inviſibilitate & viſibilitate ac viſione Dei.

Huic diſputationi nonnulli præfigunt titulum, *de veritate Divina.* Nec adeò infundatè: cùm veritas ſit ipſa conformabilitas cum intellectu, adeòque rectè explicetur per intelligibilitatem ſeu cognoſcibilitatem rei. Hac verò diſputatione expreſsè de perfecta Dei intelligibilitate agitur. Ipſe porrò ſicut eſt maximè ens, ſic maximè intelligibilis & verus. Quamquam ob imperfectionem imbecillitatemque intellectus noſtri contingat, eum non poſſe prout eſt viribus noſtris cognoſci. Sicut ſol etſi ſummè viſibilis, utl ſumma lux corporalis, nequit ita videri à viſu lippo aut debili ob ejuſdem imperfectionem. In quo diverſimodè elucet divina perfectio: ob infinitatem enim ſuam Deus partim eſt infinitè viſibilis, ſicque 1. *Qualem de Deo hic poſſimus habere notitiam.*

sicque à se solo videtur, ut patebit agendo de scientia Dei: partim à nulla creatura est naturaliter visibilis, aut etiam supernaturaliter comprehensibilis, ut hâc disp. dicetur: partim denique (ut ibidem dicetur) creaturam per omnipotentiam suam potest ad consortium suæ visionis, sed finitæ, admittere, illamque sui participatione tamquam finis ultimus beatificare.

2. *Duplex de Deo notitia.* Est autem prænotandum dupliciter Deum posse cognosci. Primò imperfectè & confusè, per alienas scilicet & emendicatas species, & non secundùm propriam suam quidditatem. Ejusmodi est notitia ænigmatica fidei, & ex lumine rationis naturalis hausta, quæ quidem quòd Deus sit, & aliqualiter quid sit, ostendit, sed sub confusa ratione, seu habitudine ad creaturas, vel conceptibus negativis. De hoc cognoscendi modo in prædictis satis actum est. Secundo perfectè & distinctè, idque per se aut propriam sui speciem: prout cognoscimus res quas videmus, aut quas nos vidisse distinctè recordamur. Potest autem dupliciter id fieri. *Notitia distincta est duplex.* Primò quidditativè abstractivè, secundò intuitivè. Qualis porrò sit distinctio inter notitiam intuitivam seu visionem & abstractivam, fusè nonnulli disputant, signanter *Smising d.6. q.1.* qui notitiam intuitivam ab abstractiva per hoc distinguit, quòd ex natura sua postulet causari ab objecto præsente in se vel sui specie, aut aliquo alio dependente ab objecto præsente: abstractivæ autem notitiæ ex se indifferens sit, sive objectum sit præsens sive non. *Distinctio inter notitiam intuitivam & abstractivam.* At *Poncius d. 3. q. 6. num.* 43. per visionem seu notitiam intuitivam intelligit actum, quo clarè & distinctè percipitur objectum sicut in se est, ita ut ipsâ experientiâ actûs appareat objectum existere, sine ullo discursu, & non per species emendicatas ab aliis rebus.

3. Potissimùm autem hic de notitia intuitiva, seu visione Dei est agendum: nam notitia abstractiva Dei non datur alia, quàm confusa & imperfecta, de qua actum est. *An possibilis sit notitia distincta abstractiva Dei.* An autem possibilis sit notitia abstractiva distincta & quidditativa, disputatur inter Doctores. *Scotus 2. d. 3. q. 9. n.* 10. putat esse possibilem (quod non improbabile censet *Malderus de Angelis q. 55. art. 1.*) adeòque fortassè angelis ab initio creationis infusam fuisse speciem abstractivam, distinctè repræsentantem divinam essentiam. Sic enim qui aliquando vidisset divinam essentiam (ut fortè *S. Paulus* in raptu) potuisset postea distinctè recordari eorum quæ vidit: quæ notitia foret abstractiva distincta. Nec obstat, quòd Deus nequeat intelligi, nisi actu existens, & fortè non nisi etiam necessariò præsens omni rei creabili, posito quòd sit: inde enim non sequitur notitiam fore intuitivam, cùm intuitiva & abstractiva non necessariò distinguantur objectis: illud ipsum namque de facto noscimus per fidem & rationem naturalem, tamen non intuemur. Quidni ergo distinctè & clarè id cognoscere possimus, & tamen non intueri, per hoc videlicet quòd notitia, etsi tendens ad objectum præsens & existens, non tamen in entitate sua sit talis, ut postulet ab objecto præsente causari? His præmissis, sit

QUÆSTIO I.

An Deus sit naturaliter invisibilis?

Dico I. Deus est invisibilis naturaliter oculo corporeo. Est de fide ex iis auctoritatibus, quæ asserunt Deum esse spiritum, & non corpus: quidquid enim naturaliter ab oculo corporeo videtur, corporeum est. Idemque est de aliis sensibus corporalibus. Patet etiam ex Scripturis seq. concl. allegandis, quæ asserunt absolutè, Deum esse invisibilem; quæ simpliciter falsæ forent, si Deus posset naturaliter videri etiam per oculum corporalē. Accedit expressa doctrina *Trid. ss. 25. in decreto de sacris imaginibus*, dicentis: *Doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit.* Accedit Auctoritas Patrum. Sufficiant verba *S. Ambrosii l. 1. in Lucam: Nec in loco Deus videtur, sed mundo corde: nec corporalibus oculis Deus quæritur, nec circumscribitur visu.* Denique patet à fortiori ex eo, quòd ne quidem intellectus creatus, etsi perfectior & universalior in cognoscendo, possit naturaliter videre Deum, ut seq. concl. dicetur. 4. *Invisibilitas Dei quoad oculum corporeum.*

5. *Scriptura, quæ objici possent, exponuntur.* Nec favet Saducæis & Antropomorphitis (*quos Epiphanius* hæresi 70. Audianos appellat) Deum corporeum fingentibus, quòd *Exodi* 33. dicatur locutus ad Moysen *facie ad faciem*, & *Numer. 12. ore ad os*: Scriptura enim tantùm vult Deum per Angelum in corpore assumpto conversatum fuisse cum Moyse, communicando ei secreta, uti solet amicus agere cum amico.

Non etiam favet illud *Job* 19. *In carne mea videbo Deum meum.* Non enim dicitur, videbo carne seu carneis oculis,

 sed

sed *in carne*, scilicet post resurrectionem, idque per oculos mentis visione intellectuali & beatificâ, juxta *D.Thom. q.12. art.3. ad 1.* & alios communiter. Verosimile tamen est Prophetam sperare visurum se, etiam oculis corporalibus in beatitudine Christum, seu Deum incarnatum, quem per fidem cognoscebat.

Denique non favet illud *Iob* 42. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Nam juxta *D.Thom.sup.* & alios, intelligitur de oculo & visione intellectuali, verosimiliùs hoc modo: multa audieram de tua providentia, nunc autem per experientiam eorum, quæ mihi contigerunt, eamdem elariùs cognosco; experimentalem scientiam vocans visionem, propter ejus cum visione similitudinem in certitudine & evidentia.

6. *Invisibilitas Dei quoad intellectum creatum.* DICO II. Deus est naturaliter invisibilis intellectui creato. Est de fide, definitum in Concilio Viennensi Clem. *Ad nostrum, de hæreticis* contra Beguardos & Beguinas, hæreticos in Germania (quos describit noster *Alphonsus à Castro* V. Beatitudo *hæresi* 4. *&* 5.) docentes inter alios ineptos errores relatos Clem. citatâ, *quòd homo potest ita finalem beatitudinem secundùm omnem gradum perfectionis in præsenti assequi, sicut eam in vita obtinebit beatâ: & quòd quælibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est beata: quòdq; anima non indiget lumine gloriæ, ipsam elevante, ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.* Et *hæc est major hæresis, quàm hæresis Pelagii, qui posuit quòd homo sine gratia possit justificari*, ut rectè *Scotus* 4. *d.*49. *q.*11. *nu.*2. Huic hominum generi affines, immo juxta *Less. lib.*2. *de Summo bono c.*8.*n.*42. iidem, fuerunt quidam contemplationi perperam dediti, qui dicebant posse hominem suis viribus beatitudinem assequi, si assuescat se introvertere, & ab omnibus imaginibus creaturarum expedire, & in fundum animæ se recipere; ibique inventurum Deum in otio quodam & vacuitate omnium actionum: & in hoc otio, quo putabant se elevari in Divinitatem, fieriq; unum cum Deo, sitam esse omnem perfectionem & beatitudinem. Quod hominum genus describit vir illuminatus *Ioannes Ruysbrochius* locis apud *Less.sup.* citatis.

7. Conclusio patet ex Scriptura, 1. *ad Tim.*1. *Regi sæculorum immortali, invisibili.* Et *cap.*6. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. Ad Rom.* 1. *Invisibilia Dei* &c. Quæ Scripturæ non subsisterent, si Deus naturaliter etiam per intellectum videri posset. Patet etiam ex eo, quòd fides, spes & charitas superent vires naturæ; adeòque magis visio beatifica, ad quam ista disponunt velut media. Quia verò Auctoritates absolutè & generaliter loquuntur, idem quoque sentiendum est de intellectu angelico, quod de humano, juxta omnes Theologos cum *D. Thom. q.*62.*art.*2. Et *D.Bonav.* 2.*d.*3. *p.*2. *art.* 2. *q.* 2. Quod ulteriùs confirmatur: quia constat etiam angelis beatitudinem esse supernaturalem, & ad illam pervenisse per opera supernaturalia habituum eis infusorum, ut omnes indubitanter docent cum *Augustino* tum alibi, tum 12. *de civit. cap.*9. dicente: *Confitendum est cum debita laude Creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verùm etiam de sanctis Angelis posse dici, quòd charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum S. qui datus est eis.* Adde ex *D.Bonav.sup.* quòd naturalia salva sint omnibus Angelis, maximè quæ spectant ad intellectum; adeòque si per naturam possent Deum videre, possent id etiam damnati dæmones. *Etiam Angelicum.*

Conclusio intellecta de homine viatore est manifesta: cùm is in cognoscendo dependeat à phantasmate, ideóque nullam substantiam spiritualem possit distinctè cognoscere vel videre. Verùm quia conclusio loquitur generatim, etiam de anima separata, & Angelis, ratio generalis sumitur ex *Scoto* 4. *d.* 49. *q.*11. *n.*9. & *quodlib.* 14. *n.*10. *&* 21. quia non potest intellectus creatus viribus suis naturaliter habere omnia requisita ad Deum videndum: ad hoc enim præter concursum universalem causæ primæ requiritur concursus ipsius objecti, scilicet Deitatis, per se aut per speciem: Deus autem sic non concurrit naturaliter, seu non est præsens naturaliter intellectui, uti cetera objecta, sed tantùm liberè, quatenus vult se intellectui præsentem sistere: hoc porrò non est naturale intellectui, nec ab eo connaturaliter exigitur: Spectat enim ad infinitam perfectionem Dei in ratione intelligibilis excessus talis ultra facultatem creaturæ, ut non possit ulli deberi connaturaliter volitio in Deo concurrendi instar objecti per se aut per speciem. Cui rationi consonat *S.Ambros.l.*1.*in Lucam c.*1. dicens: *Non enim similiter sensibilia videntur, & is in cujus voluntate situm est videri, natura verò est non videri: nam si non vult, non videtur; si vult, videtur.* 8. *Ratio conclusionis.*

9. *Quo sensu beatitudo sit homini naturalis.* Nec obstat, quòd beatitudo sit homini naturalis juxta *Scotum q.*1. *Prologi n.* 20. *&* 21. & 4.*d.*49.*q.*10.*n.*3. solùm enim vult *Scotus* beatitudinem esse juxta inclina-

clinationem hominis naturalem, quæ se extendit ad omne sui perfectivum; non autem vult eam esse posse ab agente naturali, aut secundùm debitum creaturæ. Adde ex *Scoto 4.d.49.q.11.n.8.* beatitudinem posse dici homini naturalem passivè, quatenus anima per se absque ulteriori elevatione est capax ejusdem recipiendæ.

10. *Notitia clara abstractiva Dei, vires naturæ superat.* Ex dictis colligitur superare etiam vires naturæ notitiam elaram abstractivam Dei: nam species intentionalis, per quam illa produceretur, non potest ab aliquo agente creato causari, sed liberè & citra debitum creaturæ à sola Deitate sive objecto. Nec refert, quòd *Scotus 2.d.3. q.9.n.7.* illam appellet naturalem: nam explicat ipse id posse dici hoc sensu, quòd sit naturæ angelicæ ab initio infusa, & non spectàs ad gratiam aut gloriam. Expressè tamen ibidem docet esse supernaturalem, quatenus nequit naturaliter acquiri vel produci, utpote quæ (ut ait *n. 16.*) *est à causa supernaturali & supernaturaliter agente.*

11. *Invisibilitas Dei, quoad intellectum creabilem.* Dico III. Deus est naturaliter invisibilis cuicumque intellectui, etiam creabili: sive (ut alii proponunt difficultatem) non est dabilis substantia supernaturalis intellectualis. Est longè communissima Theologorum, quorum aliqui oppositam (quam nonnulli Recentiores docent) velut temerariam censurant. Sed à censuris libenter abstineo.

Difficile tamen est eam probare efficaciter. Sed ingenio non protervo sufficit ratio, quæ pro subjecta materia, & juncto communi sensu Doctorum, solida meritò censeri debet: nimirùm, quia positâ quacumque substantiâ creabili, non poterit moveri ad visionem Dei, nisi ipse ultra omnem activitatem & exigentiam rerum creatarum liberè & gratiosè concurrat instar objecti: eùm divina invisibilitas fundetur in infinita naturæ divinæ excellentia & sublimitate: quæ militat contra quamvis naturam intellectualem creabilem. Accedit quòd Deus in sua omnipotentia habeat aliqua saltem accidentia, omni creaturæ possibili supernaturalia (congruit enim ut Deus aliqua possit efficere, quæ natura creata non possit petere seu exigere) ac proinde talia meritò censeantur gratia & visio Dei; eùm non possint alia excogitari, quæ sint superioris ordinis quàm ista, idemque communis sensus Doctorum confirmet. Denique non apparet, in quo consisteret istius substantiæ supernaturalitas: etsi enim posset dari substantia à solo Deo creabilis, perfectiorque hactenus creatis, non sequitur fore supernaturalem, ut patet exemplo Angeli, etiam perfectioris quàm sit ullus ex hactenus creatis. Eò ipsò itaque quò substantia erit creata, habebitur conceptus naturæ creatæ, adeòque erit substantia naturalis, creatumque principium motûs & quietis: nisi assignetur aliquod prædicatum intrinsecum, quod in se dici debeat supernaturale.

Si dicas: ideo fore supernaturalem, 12. quia exigit lumen & visionem beatificam. Contrà: nisi priùs ostendatur prædicatum, in quo distinguatur à substantia naturali (cum qua in ceteris convenit) potiùs dicendum, non posse exigere connaturaliter tales formas supernaturales. Confirmatur: quia non potest concipi possibilis creatura intellectualis, etiam perfectior ceteris omnibus, quin foret homo vel potiùs Angelus, qui est spiritus intellectualis creatus: tam autem homo, quàm Angelus est substantia naturalis.

Nec obstat, quòd sit dabile accidens 13. *Possibilitas accidentis supernaturalis non obstat.* supernaturale, quod etiam formaliter attingat Deum, ut visio, vel ad hoc corroboret, ut lumen gloriæ: quidni ergo substantia supernaturalis, quæ in genere suo est perfectior, dari possit? Non obstat, inquam: nam (ut taceam nonnullos existimantes præfata accidentia esse perfectiora quavis substantiâ creatâ) cùm constet ex fide substantiam creatam posse elevari ad actus supernaturales & videndum Deum, neque id possit per se, debet in potentia Dei inveniri donum superadditum alterius ordinis, quod imperfectionem creaturæ suppleat, & ad actus supernaturales moveat, ne procedatur in infinitum. Sanè non obstante majori perfectione substantiæ, de facto creatæ, adhuc constat illam debere per accidens aliquod supernaturale elevari: adeòque, eadem perfectione majori non obstante, idem posset esse verum de quacumque substantia creabili.

QUÆSTIO II.

An Deus sit saltem supernaturaliter visibilis creaturæ?

Dico I. Deus ne quidem supernaturaliter est visibilis oculo corporeo. Idem est de aliis sensibus corporis. Est communissima sententia Doctorum. 14. *Deus est absolutè invisibilis oculo corporeo.* Immo *Wiggers q.12.art.3.* dicit Theologicè certam, *Suarez l.2.c.6.n.5.* accedere ad dogma fidei, *Smising d.6.n.43.* esse de fide ex insensibilitate & incorporeitate Dei. Quod tamen eluderent pauci Recentiores, oppositum sentientes,

 dicen-

dicendo constare quidem de incorporeitate Dei, non tamen quòd sensus corporeus elevari nequeat ad intuenda incorporea.

15. *Mens S. August. in hac materia.* Ad mentem *S. August.* quod attinet, is asseveranter semper docet, oculis corporalibus, quales nostri modò sunt, Deũ utpote incorporeum non posse videri, qui non videtur in loco, sed mundo corde, ut patet *epist.* 111. & *epist.* 112. (quam *lib.* 2. *Retract. cap.* 41. vocat *librum de videndo Deo*) signanter *cap.* 21. *& seq.* Reservat tamen ibidem ulteriori inquisitioni, quid dicendum sit de corpore jam spirituali facto; eamque inquisitionem se postea fecisse *l.* 22. *de civit.* scilicet *cap.* 29. testatur *loco citato ex libro Retractationum.* Ex hoc proinde *cap.* 29. judicandum ultimatè est de mente *S. August.* Ibi verò post longam discussionem rem adhuc indecisam relinquit, tandem concludens: *Aut ergo per illos oculos*, jam quasi spiritualizatos cum ipso corpore, *sic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tanta excellentia menti simile, quo & incorporea natura cernatur...... Aut, quod est ad intelligendum facilius, ita Deus nobis erit notus atque conspicuus, ut videatur spiritu à singulis nobis in singulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in seipso, videatur in cœlo novo & in terra nova, atque in omni, quæ tunc fuerit, creaturâ, videatur & per corpora in omni corpore, quòcumque fuerint spiritualis corporis oculi acie pervenïente directi.* Ubi magis propendet in posterius disjunctivæ cõclusionis membrum: quo tamen non vult Deum videri per ipsos oculos corporis, velut instrumenta visionis (de hoc enim egerat in priori membro disjunctionis) sed videri Deum mente quidem, at per corpora, quatenus corpora nulla obstant, quò minùs Deus videatur ubivis: quòcumque enim beati oculos dirigent, mens ibi videbit Deum. Sicut diceremus Angelos videre nos per corpora assumpta, aut per quævis corpora densa, mente ea penetrante. Aut certè ibi loquitur juxta *D. Thom. q.* 12. *art.* 3. *ad* 2. de visione quadam experimentali Deitatis ex effectibus, scilicet creaturis mundi innovati, quatenus his visis intellectus mox percipiet Deum, sicut viso per oculos motu animalis, intellectus statim percipit illud vivere, prout *S. August.* antè præmiserat. Hæc præter morem fusiùs de mente *S. August.* eò quòd advertam illam à nonnullis haud satis expensam.

16. *Si oculus corporeus ad Dei visionem elevari possit, de facto elevabitur.* Est etiam notanda differentia inter *S. August.* & Recentiores adversantes Conclusioni nostræ: quòd hi solùm agãt de possibili, ille autem de eo etiam, quod de facto fortasse fiet. Et quidem possibilitate suppositâ, consequenter concedendam de facto oculis corporalibus visionem Dei censet *Poncius d.* 4. *n.* 24. cur enim (inquit) in gloria filiis hanc gratiam negaret, iis saltem qui numquam fuerunt oculis ad illius offensam abusi? v. g. Humanitati Christi, Deiparæ, Innocentibus. Deinde aliorum oculi sunt per pœnitentiam emundati, uti oculi mentales. Si supernaturalitas opponatur, etiam visio intellectualis Dei est supernaturalis, & pleraque in illo statu. His præmissis sive interpositis,

17. *Ratio conclusionis.* Probatur conclusio: quia objectum adæquatum visus corporalis est res corporea; non potest autem potentia egredi limites sui objecti adæquati. Gratis porrò & sinè fundamento fingitur objectum visus corporalis supernaturaliter esse etiam res incorporeas: cùm nullum hujus rei appareat vestigium, & experientia doceat visum corporalem nullos penitùs actus, etiam imperfectos, posse elicere circa aliud, quàm circa lucidum & coloratum. *Objectum visus.* Secùs quàm intellectus, qui etiam naturaliter potest actum aliquem, saltem imperfectum, habere circa res spirituales & ipsum Deum. Deinde eâdem ratione dici posset oculos brutorum posse videre Deum. Item aures posse Deitatem audire, nares olfacere &c. nil enim specialis mysterii est in oculis: ceteri namque sensus habent quoque notitias intuitivas, etsi specialiter oculis approprietur videre & intueri; adeòque pari jure dicetur objectum naturale auditûs (idem cum proportione est de ceteris sensibus) esse sonum, non tamen supernaturale. Eâdem quoque facilitate dicet quispiam protervus, supernaturaliter aures posse audire colorem, linguam gustare sonos &c. quæ omnia mox absurda apparent & gratìs conficta. Immo quis protervum hæc admittentem convincet, si etiam arbores & lapides dicat posse videre & audire supernaturaliter, non tamen posse aliquid horum naturaliter, ideoque vocari substantias insensibiles aut inanimatas?

18. *Potentia obedientialis adversarios non juvat.* Quòd si Recentiores isti urgeant potentiam obedientialem non tantùm recipiendi, sed etiam producendi quidlibet; in primis ea non est admittenda. Deinde etsi gratìs admittatur, non potiùs sequitur oculum posse videre Deum, quàm idem posse lapidem vel quodvis inanimatum. Præterea adhuc neganda erit omnibus istis visio Dei, quæ sit vitalis perceptio: nam ad quascumque denominationes non sufficit productio

& re-

& receptio formæ, sed præterea requiritur capacitas subjecti; quòd videlicet quantùm ad præsentem denominationem habeat vim vitaliter percipiendi tale objectum. Propter quod, si intellectio poneretur in lapide, etsi is denominaretur habens intellectionem, non tamen intelligens. Similiter etsi poneretur habere gratiam, defectu tamen capacitatis non esset sanctus & amabilis amore benevolentiæ.

19. *Visibilitas Dei quoad intellectum creatum.*

DICO II. Deus est supernaturaliter visibilis intellectui creato. Est de fide contra *Armenos* & Recentiores *Græcos*, existimantes Deum non posse videri in se, sed tantùm in quodam fulgore ab eo profluente, quem Theophaniam vocant, teste *Armacano*, & contra *Almericum* teste *Alphonso à Castro V.* beatitudo *hæresi* 1. Id namque definivit *Benedictus XI.* in quadam *Extravagante* (quam ex *Castro hær. 6.* refert *Smising d 6. n. 45.*) dicens: *Post* IESV *Christi passionem & mortem viderunt & vident & videbunt divinam essentiam immediatè, sic benè & clarè & apertè illis ostendentem, quòdq; sic videntes, eâdem divinâ essentiâ perfruuntur*, &c. loquitur de defunctis, non indigentibus purgatione. De quibus similiter *Florentinum* in *litteris Unionis* definit, *in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum Trinum & Unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectiùs.*

Probatur ex auctoritate.

Probatur ex Scriptura *Matth. 19. Angeli eorum semper vident faciem Patris.* 1. *ad Cor. 13. Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* & alibi. Quæ loca intelligi de clara & intuitiva visione, exigit, tum verborum proprietas; tum quòd facialis visio, quam in beatis agnoscunt, significet perfectissimam cognitionem rei præsentis. Proinde illa ita intellexerunt Patres, quos citat *Smising d. 6. n. 45.* Nobis sufficiant verba *S. August. epist. 112. Si quæris utrùm possit Deus videri? Respondeo, potest. Si quæris, unde sciam? Respondeo, quia in veracissima Scriptura legitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Si quæris, utrùm etiam sicuti est possit aliquando videri? Respondeo, filiis hoc esse promissum; de quibus dictum est: Scimus, quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

Rationem allegat *D. Thomas* desumptam ex appetitu visionis Dei, quem in nobis experimur. Verùm ista experientia supponit fidem de possibilitate visionis, neque ista ratio assignat novum possibilitatis indicium: si enim de appetitu elicito sit sermo, inclinatur ille in rem propositam, etsi falsò putatam possibilem: si de innato, non constat illum in nobis esse, nisi aliundè constet visionem supernaturalem esse possibilem.

Rectiùs suadetur hoc modo (cum quo ferè coincidit probatio *Scoti 4. d. 49. q. 8. n. 4.*) quia intellectus creatus respicit ens in communi, adeòque contenta sub illo, etiam Deum, pro objecto, ideoque in ipsum fertur etiam naturaliter actu aliquo imperfecto & abstractivo: quid ergo mirum, si divinitùs elevari possit ad perfectam & claram visionem Dei? posse namque tendere naturaliter in Deum imperfectè, signum est virtutis inchoatæ ad cognitionem perfectam seu intuitivam; quæ proinde compleri potest per fortius & supernaturale Dei auxilium. Adde, videri perfectionem Dei postulare, ut possit se ostendere videndum creaturæ intellectuali, eique hac ratione se communicare: neque ulla apparet in eo repugnantia. 20.

Ex ratione.

Objectum intellectus creati.

Objicitur I. Auctoritas Scripturæ & Patrum, signanter *D. Chrysost. hom. 14. in Ioan.* significantium Deum in substantia absolutè non posse videri. Resp. cum *D. Bonav. 3. d. 14. art. 1. q. 3.* auctoritates Scripturæ & Sanctorum diversimodè posse exponi juxta subjectam materiam. Primò de viribus naturæ. Unde super illud 1. *ad Tim. 6. Lucem habitat inaccessibilem*, Glossa: *inaccessibilis est viribus nostris, accessibilis muneribus suis.* Secundò de statu viæ. Unde super illud 1. *ad Tim. 6. Quem nullus hominum videre potest*, Glossa: *Poterit autem aliquando.* Tertiò de plena comprehensione. Unde super illud *Iob 11. Forsitan vestigia Dei comprehendes?* Glossa: *Ejus essentia à nullo plenè videbitur*, scilicet circumscribendo. De qua comprehensiva visione, juxta Theologos passim, etiam exponendus est *Chrysostomus* & quidam alii Patres, quos *Vasquez* ad sententiam Hæreticorum trahit; cùm non videatur credibile viros tantos errasse in re tanta, & satis evidenter in Scripturis expressâ. Quæ expositio colligitur ex ipsis verbis *Chrysostomi* (de quo est præcipua difficultas) *hom. citatâ*, & ex circumstantiis in quibus scripsit: agit enim contra Anomæos, sic dictos, quasi sine regula, vel potiùs (juxta *Smising d. 7. n. 21.* in fine) quasi inæquales, eò quòd Patrem & Filium divinum dicerent non esse æquales: qui delirabant se Deum etiam in hac vita comprehendere. Quos etiam insectatur *quinque homiliis de incomprehensibili natura Dei.* Doctrinam autem Catholicam satis indicat idem *D. Chrysost. hom. 3. ad Philipp. in parte morali.* 21.

Auctoritates, quæ objici possent, exponuntur.

22. *Cur lux increata non opprimat intellectum.* Objicitur II. Lux increata immensitate suâ potiùs opprimeret, quàm delectaret oculum intellectualem creaturæ, qui se habet ad illam, sicut oculus noctuæ ad solem, cujus corporale lumen in suo fonte ob excellentiam idcirco videre nequit: ergo similiter non potest creatura aspicere lumen æternæ claritatis in suo fonte, sed hoc debet se ei contemperare in quibusdam condescensionibus seu teophaniis, sicut sol contemperatur oculo mediante nube. Resp. Neg. Ant. Nam (ut ait *S. Bonav. 3. d. 14. art. 1. q. 3.*) est excellentia corrumpens, scilicet in lumine corporali, & est excellentia conservans, scilicet in lumine spirituali. Sensus namque dependet ab organo, in quo est quædam mediocritas seu harmonia, quæ corrumpitur per excellens sensibile, agens etiam realiter in organum: at intellectus immaterialis non dependet ab organo, ideoque nec tristatur in excellenti intelligibili, quod est Deus, quin immo confortatur, quatenus ipsum influit in intellectum virtutem cognoscendi. Sicut (inquit idem *S. Doctor 1. d. 1. art. 3. q. 1.*) si magnus mons daret virtutem portandi se, faciliùs ferretur, quàm parvus: sic autem est in intelligibili, quod Deus est.

23. *Proportio requisita inter intellectum & objectum.* Objicitur III. Inter potentiam & actum debet esse convenientia seu proportio; qualis non est inter intellectum finitum & Deum infinitum, qui sine proportione excedit quodcumque finitum. Resp. non requiri convenientiam seu proportionem in ratione entis, seu perfectione essendi (quam *Scotus 4. d. 49. q. 11. n. 6.* geometricam vocat, eò quòd unum sic excedat alterum, ut excessum aliquoties replicatum reddat suum excedens, seu ei æquivaleat) sed sufficere proportionem in ratione potẽtiæ & objecti, seu terminabilis & terminantis: quæ etiam potest inter finitum & infinitum intercedere. Quod patet in mysterio Incarnationis, ubi Verbum divinum terminat unionem humanitatis, & in omnipotentia Dei, quæ terminat dependentiam creaturarum: ejusmodi autem proportio sufficit inter potentiam & objectum, daturque inter intellectum creatum & Deum; aliàs ne quidem cognitione naturali haustâ ex creaturis & amore correspondente posset intellectus creatus & voluntas tendere in Deum. Unde patet majorem esse proportionem in ratione potentiæ & objecti inter Deum & intellectum creatum, quàm inter Angelum & visum corporalem, sub cujus objecto Angelus nullo modo continetur: etsi sit minor convenientia, majorque distantia in ratione entis, seu in ratione essendi.

Objicitur IV. Requiritur vis infinita ad cognoscendum clarè Deum, utpote infinitum: uti ad productionem rei infinitæ requiritur vis infinita. Resp. Neg. Ant. Constat enim naturaliter intelligi, & diligi Deum sine virtute infinita. Cõstat etiam naturaliter videri Angelum ab Angelo vel animam ab Angelo; & tamen ad ea producenda requiritur vis infinita, seu creativa Deo propria. Potest itaque cognosci, etiam clarè, ab aliquo, à quo nequit produci. Nec semper majus est rem cognoscere, quàm producere, vel perfectiores vires requirit. Nam (ut ait *D. Bonav. 3. d. 14. art. 3. q. 3. ad 6.*) multò excellentioris virtutis est aliquid posse facere, quàm posse nosse. Perfectius itaque est, Angelum producere, quàm nosse: & perfectius foret (si possibile) Deum producere, quàm intelligere. Quandoque tamen ob imperfectionem rei productæ, & perfectionem cognoscitivæ potentiæ, perfectius est Angelum v. g. ignem cognoscere, quàm hunc ignem alium producere. 24. *Perfectius est rem producere quàm nosse.*

Objicitur V. Visio Dei deberet esse infinitè perfecta: utpote crescens juxta perfectionem objecti, quod infinities excedit omnes creaturas; adeòq; excedens omnes alias visiones, sic ut quemadmodũ visio perfecti ad tria est perfectior, quàm perfecti ad duo, semperque ascendendo per omnia objecta, crescit semper perfectio visionis, ita visio Dei debeat esse infinitæ perfectionis. Resp. Hoc argumentum nimiùm probare, impossibilem scilicet esse quamlibet cognitionem & amorem Dei, etiam in hac vita; nam etiã ista crescit in perfectione juxta perfectionem objecti. Nihil itaque probat: nam cùm non requiratur tanta perfectio in visione quanta est in objecto, ut per se patet, non sequitur ipsam esse infinitè perfectam, si objectum sit infinitè perfectum, etsi sit aliquâ ratione perfectior juxta perfectionem objecti: sicut etsi culpa sit gravior, quò persona offensa est dignior, non tamen est infinitè gravis, si persona offensa sit infinitè digna. 25. *Visio non debet adæquari perfectioni objecti.*

QUÆSTIO III.

An Deus possit supernaturaliter videri ab intellectu in hac vita mortali, & an aliquando ab illo visus fuerit?

DICO I. Certum est posse Deum supernaturaliter videri ab intellectu in mortali corpore, seu in vita mortali. Patet 26. *Visibilitas Dei quoad intellectum pro hac vita.*

Patet exemplo Christi; qui juxta omnes ab initio conceptionis Deum vidit. Deinde nulla est repugnantia, sive ex parte mortalitatis corporis, sive ex parte dependentiæ à sensibus, à quibus potest intellectus etiam in hac vita divinitùs non dependere, ipsaque Dei visio intrinsecè independens est. Nemini tamen juxta omnes in hac vita fuit concessa Dei visio stabiliter, præterquam Christo.

27. *Videns clarè Deum raperetur in extasim.*

Petes, an is, qui clarè Deum videret, connaturaliter raperetur in extasim perfectam, sic ut cessaret ab omni sensuum, etiã interiorũ, operatione? Resp. Aff. cum *D. Tho. q.12. art.11. ad 2.* & *2.2. q.175. art.4. Smising sup. nu. 293.* & aliis. Et videtur aperta mens *S. Aug. l.12. de Gen. ad litt. c. 29 in fine: Eum* (inquit) *nemo videns vivet vitâ istâ, quâ mortaliter vivitur in istis sensibus corporis. Sed nisi ab hac vita quisque quodam modo moriatur, sive animo exiens de corpore, sive ita aversus & alienatus à carnalibus sensibus, ut meritò nesciat, sicut Apostolus ait, utrùm in corpore an extra corpus sit, cùm in illam rapitur & subvehitur visionem.* Idem indicat *epist.112. c.13.* Ratio est: quia vis animæ finita quò vehementiùs occupatur circa unum objectum, eò magis impeditur operari circa aliud, ut patet experiẽtiâ; adeò ut etiam per sublimiorem hujus vitæ, quamquam incomparabiliter minorem, rerum divinarum contemplationem fiat extasis, seu raptus à sensibus exterioribus (sensus interni usu etiam anima tunc indiget, utpote quæ hîc semper phantasmata speculatur) prout contigit *Adamo Gen.2. Petro Act.10.* & pluribus sanctis: quantò igitur ampliùs connaturaliter id efficiet sublimissima immensi istius boni & clara intuitio? Unde quòd beati possint aliis functionibus unà cum Dei visione & fruitione intendere, provenit à singulari Dei concursu, isti statui quasi connaturali. Vide *Smising n. cit. & seqq.*

28. *Cur illa visio potiùs sensũ quàm voluntatem impediret.*

Dices, cum *Poncio d.4. n.74. & 75.* oppositum sentiente post *Suarez* & *Molina*, etsi non ob horum fundamentum, veluti debile: visio Dei est independens à phantasmate & dispositionibus corporeis: cur ergo impediret actiones corporearum potentiarum, & non magis ipsius voluntatis, ab intellectu minùs distinctæ? Resp. quia intellectus & voluntas sunt essentialiter subordinatæ in operatione circa idem objectum, sic ut nequeat tota vis animæ exhauriri in intelligendo, nisi maneat expedita in volendo idem objectum. At non ita subordinatur operatio sensuum; ut de externis patet in extasi: de internis patet partim à paritate, quatenus his anima similiter nõ indiget, partim à fortiori, quatenus si externos sensus sopiat extasis, magis visio etiã possit sopire internos, qui equidem ad visionem Dei, à phantasmate independentem non conducunt.

Dico II. Visio Dei numquam in vita mortali concessa est ulli puræ creaturæ. Est longè probabilior sententia *Alexandri Alensis* & Scholasticorum, saltem Recentiorum, frequentiùs; quos sequitur *Smising d.6. q.9. n.301.* Eamdem quoad Moysen tradit *Evaristus Papa, Dionysius, Irenæus, Nazianzenus, Origenes, Tertullianus, Hilarius, Cyrillus, Chrysostomus, Epiphanius,* & alii apud *Smising sup.* Quoad Paulum indicat idem *Nazianzenus, Chrysostomus, Tertullianus,* & ceteri Patres, dum id negantes Moysi addũt universalem sententiam, quòd nullus homo purus in hac vita Deum viderit; ut ait *Smising sup.* 29. *Nullus purus homo in hac vita Deum vidit.*

Probatur: quia à lege generali, in Scripturis expressâ non est facienda exceptio sine sufficienti fundamento, ut apud omnes constat: atqui Scriptura universaliter exprimit neminem in hac vita Deum vidisse, *Ioan. 1. Deum nemo vidit umquam.* Et *cap.6. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem. 1. ad Tim. 6. Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Et nihil cogit ad faciendam exceptionem, ut patebit ex dicendis: ergo &c.

Contrarium conclusionis de Moyse & Paulo docuit *D. Thomas q.12. art.11. ad 2.* & alibi, cum multis Theologis post *S. Aug. l.12. de Gen. ad litt. c.27. & 28. & epist.112. c.12.* Qui tamen satis apertè à Moyse excludit visionem Dei, eamque soli Unigenito, videlicet Christo, adscribit *Tract. 3. in Ioan.* ad illa verba: *Deum nemo vidit umquam.* Ubi inter alia ait: *Ipse ergo* (Unigenitus) *venit & narravit quidquid vidit. Quid vidit Moyses? Moyses vidit nubem, vidit Angelum, vidit ignem; omnis illa creatura typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini præsentiam exhibebat. Namque apertè habes in Lege: Et loquebatur Moyses cum Domino, è contrà in contrà, sicut amicus cum amico suo. Si quæras ipsam Scripturam, invenies Moysen dicentem: Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi teipsum manifestè, ut videam. Et parum est quia dixit, responsum accepit: Non potes videre faciem meam. Loquebatur ergo, fratres mei charissimi, cum Moyse Angelus portans typum Domini, & illa omnia, quæ ibi per Angelum facta sunt, futuram istam gratiam & veritatem promittebant.* Quare S. Doctor non fuit firmus in opinione, quam antea fortasse alibi tradiderat, immo idipsum satis significat *epist.112. c.12.* dum utitur particulâ *fortè.* Adde, ipsum dubitare, an quando 30. *Opposita sententia de Moysé & Paulo.* *Opinio S. Aug. in hoc puncto.*

visio divinæ substantiæ Moysi vel Paulo contigisset, fuerint in corpore mortali, & nō potiùs anima à corpore exuta, ut patet locis suprà citatis. Solet etiam pro hac sententia referri *Scotus*, quatenus variis locis videtur supponere, Paulum in raptu vidisse divinam essentiam. Verùm id nullibi ex professo asserit, sed tantùm allegat gratiâ exempli, cujus nō requiritur veritas, docens quid sequatur, posito quòd (ut multi volunt, estque probabile, & possibile) essentiam viderit.

31. *Oppositum quoad Moysen fundatur in Scriptura.* Fundari potest hæc opinio quantùm ad Moysen in Scriptura *Exodi* 33. ubi dicitur: *Loquebatur Dominus Moysi facie ad faciem, sicut solet amicus cum amico loqui.* Sed Respondeo intelligi id debere, de Angelo in corpore assumpto, qui in persona Dei loquebatur præsens præsenti, efformando humanas voces, uti solet loqui amicus cum amico, in signum maximæ familiaritatis. Alioquin infrà non postulasset Moyses: *Ostende mihi faciem tuam.* Et quia id nonnulli intelligunt de divina providentia, aut simili modo, saltem inferiùs postulat: *Ostende mihi gloriam tuam*, scilicet Divinitatem, juxta *Aug. Greg.* & alios. Et tamen *apertissimum est* juxta *S. Aug. l.2. de Trin. c.16, nec desideranti hoc fuisse concessum*: cùm ibidem Dominus respondeat: *Faciem meam videre non poteris: non enim videbit me homo & vivet.* Quod itaque præmiserat ibidem Dominus: *Ego ostendam omne bonum tibi.* Intellige in altera vita; aut si in præsenti, quantùm scilicet es capax, per altissimam hujus vitæ contemplationem. In symbolum autem & figuram, quòd ipsam substantiam Deitatis hîc videre non posset, conceditur visio tergi seu posteriorum apparentis per Angelum Domini, scilicet quoad effectus, qui sunt velut umbra istius immensi luminis. Adde juxta multos Recentiores, Moysen tantùm petiisse visionem exterioris gloriæ & claritatis corporis Angeli, qui tectus caligine in corpore assumpto cum Moyse loquebatur. Ostensionem autem omnis boni promissam explicant de altera vita, vel si de præsenti, saltem non per visionem beatificam, sed aliquo alio modo, v.g. in signo sensibili; juxta quod subditur: *tollam manum meam & videbis posteriora mea*; tergum scilicet corporis assumpti nube amotâ, quod videlicet habebat lucē magis attemperatam: *Faciem autem meam videre non poteris*; eò quòd oculus mortalis ferre non posset nimiam lucem & claritatem. Sic *A lapide*.

32. *Præcipuum illius fundamentum.* Instabis (estque præcipuum fundamentum) videtur saltem postmodum Moyses obtinuisse quod *Exodi* 33. petierat; nam *Num.* 12. Dominus dicit Aaroni & Mariæ: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini in visione* (imaginariâ scilicet, sive per figuras seu species proprias rerum, sive per ænigmata) *loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses: ore enim ad os loquar ei, & clarè, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Resp. non aliud significari, quàm quòd Deus Prophetis ordinariè non appareret tam familiariter, sicut Moysi loquebatur (etsi solùm per Angelum in corpore assumpto) ore ad os, seu præsens præsenti, voce scilicet & apparitione verè corporali. Qui modus (quidquid sit de perfectione) testis est maximæ familiaritatis Dei cum homine. Unde *Exodi* 33. idem, sed aliis verbis dicitur: *Loquebatur facie ad faciem, sicut solet amicus cum amico loqui. Locutio quippe illa* (inquit *S. August.* 2. *de Trin. c.16.*) *quæ fiebat in vocibus, sic modificabatur, tamquam esset amici loquentis ad amicum.* *Solvitur.*

Fundatur eadem opinio quantùm ad Paulum in eo, quòd 2. *Cor.* 12. testetur ipse *se fuisse raptum usque ad tertium cælum* (sedem scilicet beatorum, quæ est tertium cælum respectu cæli siderei, & ætherei seu aërii, & infrà ab Apostolo Paradisus appellatur) *& audivisse arcana verba, quæ nō licet homini loqui.* Sed Resp. inde nullatenus colligi visionem divinæ essentiæ: nam audire arcana verba non est videre Deum, sed solùm indicat sublimē extasim Apostoli, ad sedem beatorum rapti, verosimiliùs non solùm imaginariè (quasi manens in terra solùm viderit ea quæ geruntur in cælis) sed verè & realiter, juxta *à Lapide* in d. Locum. Potuit nihilominus ibi vidisse varia, non visâ Deitate, ad cujus visionem raptus iste localis non pertinebat, utpote quæ ubique est, neque videtur in loco, sed mundo corde. Et si visionem Deitatis indicare voluisset, clarioribus verbis fuisset usus; præsertim cùm ipsemet 1. *ad Timoth.* 6. testetur: *Quem nullus hominum vidit.* Deniqne si illis verbis indicare voluerit hāc sublimissimam visionem, quomodo parciùs se sua recensere, majoraque subticere significat. ℣. 6. *Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, &c.?* 33. *Fundamentum oppositæ sententiæ quoad Paulum.* *Solvitur.*

Notandum cum *Smising sup. n.*299. si ulli puro homini credatur fuisse concessum in hac vita privileginm aliquando videndi Deum, idem omnino ac jure potiori dicendum fore de B. Virgine: nam juxta *D. Thomam* 3. *p. q.*27. *art.*1. *Rationabiliter creditur, quòd illa quæ genuit Unigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus aliis majora privilegia gratiæ acceperit.* Cui consonans *D. Bonav.* 34. *Si purus homo, utique Deipara Deum vidit in hac vita.*

3. d. 3.

3.d.3.p.1.art.1.q.3.*in corp.* ex *Bernardo*,ait: *Quod aliis legitur fuisse collatum, non est credendum Virgini fuisse negatum.* Nullus enim est, quin meritò adscribat Deiparæ sublimissimum contemplationis gradum, qui ulli puro homini contigit. Unde de ea specialiter id asserunt *S. Antoninus, Gerson, Rupertus*, ut refert *Smising sup.* & *S.Bernardinus Senensis*, ut refert noster *Franciscus Felix c.9.de Visione, diffic.2.n.5.* Idemque docent tamquã pium & probabile Varii, etiam supposito quòd nulli alteri id fuisset cõcessum: attamen ex mera congruentia insufficienter probãte. Quocirca nõ satis mirari possum, quod *Franciscus Felix suprà*, dicit: *Pudet referre nostrum Theodorum* (nempe *Smising*) *negantem hoc privilegium B. Deiparæ Mariæ, cùm Vasquez, Lorca & aliis, qui aliis negant, hoc Deiparæ concedant.* Pudore namque digna est potiùs ista censura: cùm Plurimi negent illud privilegium Deiparæ, uti omnibus aliis. Ipseque *Smising*, Deiparæ cultor præcipuus, eidem illud privilegium adscribit, posito quòd ulli fuerit concessum, illamque illationem optimam esse indicat *n.* 300. Immo nec censurâ dignus esset, qui illud privilegium admitteret, ob auctoritates, & speciales rationes Legislatori, seu ductori populi Judaici, Doctorique gentium ad horam fuisse concessum, & Deiparæ negaret; cui sacerdotium, similiaque privilegia, Prælatis Ecclesiæ convenientia, non fuisse concessa noscuntur.

Oppositum tamen censuram non meretur.

35. *Hoc privilegium ad alios sanctos non est extendendum.*

Porrò sine fundamento sufficienti: hoc privilegium quidam extendunt ad plures alios, puta *Adamum, Benedictum, Augustinum, Hieronymum, Iosephum*; & tandem (juxtà *Franciscum Felix sup.*) ad *S. Franciscum*, tempore impressionis sacrorum stigmatum. Et quidem pro postremo citat Auctor, mox relatus, *S.Bonaventuram in Prologo Itinerarii mentis in Deum*, & *S. Bernardinum tom.1. serm.61. & ultimo* (malè citat Felix *serm.66.*) *art.2. c.3.* Sed sine fundamento, ut patebit inspicienti loca citata.

36. *Paradoxum de increata Dei visione prophetis concessâ.*

Multò magis mirabile est, quòd Nonnulli hoc tempore audeant publicè propugnare visionem divinæ substantiæ (& quod maximè mirum, ipsam increatam visionem Dei) adeò multis concessam, ut Prophetis passim ad certitudinem divinæ revelationis fuerit necessariò communicata: cùm tamen Scriptura generaliter visionem omnem claram Dei à creatura in hac vita excludat; & ad summum inter Prophetas uni Moysi aliquando fuisse concessam subindicet, sic tamen ut ibidem (scilicet *Num.12.*) à ceteris idem privilegium excludat. Quod etiam ex professo facit *S.Aug. l.2. de Trin. à c.10. usque ad finem libri, & epist.112.* quam tamen in patrocinium sui paradoxi isti allegant.

QUÆSTIO IV.

Per quid intellectus elevetur ad videndum Deum?

Quandoquidem constet vires naturales intellectûs non sufficere, patet requiri auxilium, sive illustrationem supernaturalem, quæ à Theologis & *Concilio Viennensi Clem. Ad nostrum de Hæret.* vocatur lumen gloriæ, eò quòd sicut oculus indiget lumine ad videndum colores, sic intellectus indigeat auxilio supernaturali, ipsum elevante, ad videndum Deum. Satis autem manifestum videtur (etsi pauci *Thomistæ* contradicant) sufficienter posse intellectũ divinitùs elevari sine dono aliquo habituali superaddito, per specialem Dei concursum, sive auxilium actuale: sicut certum est hominem viatorem, qui caret habitibus infusis, posse producere actus supernaturales cũ simili auxilio. Ratio est: quia nihil invenitur particulare in visione Dei, cur minùs supplere posset Deus suo speciali concursu productionem illius, quæ alioquin esset per habitum vel causam creatam, quàm productionem aliorum effectuum, etiam supernaturalium: præsertim cùm cöagens supernaturale tantùm requiratur ob insufficientiam intellectûs creati ad actus supernaturales; omnem autem supernaturalitatem Deus tãquam fons contineat, adeòque supplere possit in genere causæ efficientis. 37.

Elevatur intellectus ad Dei visionem per lumen gloriæ.

Posset elevari per specialem Dei concursum.

Præterea satis constat lumen gloriæ requiri, non tam ut intellectus reddatur capax visionis suscipiendæ, quàm ut fiat potens illam efficere: suppositis enim viribus sufficientibus ad producendum, anima rationalis de se est satis capax ad recipiendum quælibet dona supernaturalia; ut patet in anima parvuli baptizati, cui infunduntur habitus supernaturales; & in ipso lumine gloriæ (si fit qualitas) quod recipitur absque alia prævia dispositione, ne detur processus in infinitum. Nec obstat quòd *Clem.cit.* dicatur *animam indigere lumine gloriæ, ipsam elevante ad videndum Deum*; videre autem non tantùm sit producere, sed etiam recipere: nam etiam, secundùm nos requiritur lumen gloriæ, ut recipiatur visio: non enim potest recipi, nisi producatur ipsa ipsiusque unio cum intellectu. Solùm itaque dicimus, quòd positâ sufficienti causâ ad illam producendam, non requiratur specialis dispositio ad illam recipiendam; 38.

Ad quid requiratur lumen gloriæ.

piendam; adeòque eatenus tantùm requiratur lumen ad posse recipere, quatenus requiritur ad posse efficere visionem, ejusque unionem cum subjecto.

39. *Intellectus quomodo visionem coëfficiat.* Insuper satis cõstat ex communi Doctorum sententia, contra quosdam *Thomistas*, apud *Smising d.6.n.63.* intellectum per virtutem sibi intrinsecam (quam varii potentiam obedientialem vocant; alii naturalẽ, veluti naturæ intellectûs identificatam, appellandam censent: quod solùm ad quæstionem de nomine spectat) coëfficere visionem Dei, adeòque lumen gloriæ non esse intellectui totam virtutem agendi, ut ipsi volunt: hoc enim non solùm absque fundamento dicitur, sed insuper repugnat, partim exemplo actuum supernaturalium hujus vitæ, quos potẽtia creata propriè coëfficit: partim ipsi naturæ actûs vitalis (qualis est visio) qui procedere debet à principio vitali, saltem connaturaliter, secundùm *Thomistas* absolutè; debet (inquam) procedere physicè. Aliàs sanè intellectus (quem equidem volunt concurrere) non magis ad visionem, quàm substantia aquæ calidæ ad calefactionem manûs concurreret. Quod etsi Alii non vereantur concedere; per se tamen absurdum apparet.

40. *Non habet se merè passivè.* Denique ex communi Doctorum sententia contra *Nominales*, satis constat lumen gloriæ non sic esse totam virtutem agendi, ut intellectus se merè passivè habeat, Deo solo tamquam lumine increato visionem sui infundente. Id enim similiter caret fundamento; estque contra naturam actûs vitalis, & contra exempla actuum supernaturalium in via, quos certũ est coëffici ab intellectu sive voluntate creata. De quo in *Tract. de Beatitudine.*

Itaque solùm requiritur lumen gloriæ, ut intellectus creatus per vires sibi innatas possit coëfficere actum adeò sublimem & supernaturalem, qualis est visio Dei. Quemadmodum in hac vita requiruntur habitus infusi, vel auxiliũ actuale illorum defectum supplens, ut intellectus aut volũtas possit coëfficere actus supernaturales viæ. His præmissis

Inquirẽdum restat, quidnam sit illud lumen gloriæ, per quod intellectus de facto elevatur.

41. *Lumen gloria non est species impressa.* Dico I. Lumen gloriæ non est species impressa divinæ essentiæ. Est communis Doctorum contra *Vasq. d.43.c.7.* quẽ sequitur *Smising d.6.n.69.* sub conditione, si lumen gloriæ sit qualitas; quod quidem probabile censet: nullatenus tamẽ putat probabile, si intelligatur de qualitate habituali, à specie distinctâ. Quod postremũ miror, cùm torrens Doctorum talem ponat, non sine fundamento, postea allegando. Videtur tamen favere *Scotus* 4.d.49.q.11.n.10. *Unde minùs mihi videtur necesse ponere lumen* (loquitur de habitu) *quàm speciem.* Sed solùm vult, non requiri, sicut requiri solet in visione corporali, scilicet tamquam conditio, tum ut objectum fiat lucidum & proximè visibile, tum propter oculum; eò quòd objectum visionis beatificæ sit de se summè lux & actu visibile, adeòque ex sua parte non indigens lumine distincto: ex parte etiam potentiæ non requiratur ad receptionem visionis, ut ibidem & sæpè alibi inculcat. Propter operationem tamen, seu productionem visionis potest talis forma poni ex parte potentiæ seu intellectûs, quæ dicitur lumen gloriæ, sicut charitas ex parte voluntatis, ut habet *ibid.n.9.* & *in Reportatis ibid.q.10.nu.8.* dicens: *Si autem ponatur, quòd intellectus est aliquo modo activus respectu cognitionis Dei, non tamen potest agere, nisi cum lumine gloriæ.* *Nec hoc docet Scotus.*

42. *Illa species foret superflua.* Ratio conclusionis est: quia dum objectum est præsens in se, & secundùm se satis visibile, frustrà requiritur species, quæ tantùm est vicaria & semen objecti, supplens ejus absentiam aut insufficientiam: sicut ideo Angelus intuetur seipsum sine specie impressa, concurrente propriâ ipsius substantiâ tamquam objecto. Deus autem sive objectum beatificum est præsens intellectui Beati, & est summè intelligibile, sicut est summè ens: igitur frustrà poneretur species impressa illius. Nec refert quòd Deus magis connaturaliter agat per causas secundas: hoc enim fallit, quando causa secunda poneretur ad supplendum concursum, quem Deus ipse tamquam objectum peculiari ratione præstare deberet; prout fit in præsenti: cùm ordinatè & consentaneè ordini rerum notitia intuitiva rei præsentis & actu visibilis secundùm se postulet fieri à potentia & ipsomet objecto.

43. *Non tamen impossibilis.* Dico II. Nihilominus species impressa sive intelligibilis divinæ essentiæ non est impossibilis. Ita plerique Doctores contra *Thomistas*, & nonnullos Recentiores. Probatur: quia possibilis est & de facto datur species Dei expressa, scilicet visio ejusdem; ergo saltem possibilis est species Dei impressa: non enim magis repugnat dari speciem, quæ repræsentet Deum effectivè, quàm quæ formaliter tamquam similitudo vitalis. Confirmatur: quia etsi non sit admittenda species impressa, quâ Angelus cognoscat seipsum, utpote superflua; quis tamen dicat esse propterea impossibilem?

Dices I. Inter objectum & speciem debet esse similitudo; qualis esse nequit inter Deum & speciem creatam. Resp.

non

Qualis similitudo requiratur inter speciem & objectum.

non requiri similitudinem entitativam, ut patet in specie intelligibili substantiæ, quæ non est substantia, & in specie visibili albedinis, quæ non est albedo. Unde sufficit similitudo repræsentativa, aut intentionalis: quam non repugnare, cernitur manifestiùs in ipsa visione, quæ est species expressa Dei.

44. Dices II. Ex nostra doctrina sequitur Angelum naturaliter posse Deum videre, videndo scilicet speciem impressam, repræsentãtem divinam essentiam. Resp. Neg. seq. nam in primis species hæc foret maximè supernaturalis; juxta *Thomistas* autem non potest angelus naturaliter intueri entia supernaturalia in substantia. Deinde etiamsi posset (de quo in *Tract. de Angelis*) illatio non valeret, eò quòd species non sit medium quod, sed medium quo videndi Deum (prout loquuntur Scholastici) id est, deducat in visionem alterius, non tamquam cognitum seu visum, sed tamquam ratio cognoscendi seu videndi, sive effectiva, sive formalis, ut rectè explicat *Scotus quodl. 14. n. 26.* Quare non potest quis per speciem tamquam medium, sive objectum cognitum cognoscere clarè, sed solùm abstractivè vel confusè ipsum objectum. Sicut idcirco ipsa species expressa seu visio Dei (quæ utique de facto datur, & tamen eodem argumẽto oppugnari posset) quia tantùm est medium quo formaliter videtur Deus, objectivè cognita ab Angelo, nõ faceret eum videre Deum, sed tantùm abstractivè cognoscere.

Hæc species foret mediũ quo videndi.

45. Dices III. Deus in ratione intelligibilis est perfectissimus; ideòque species, quæ ipsum compleret in ratione intelligibilis, foret essentialiter redundãs ac superflua, & consequenter impossibilis, sicut unio unionis, actio actionis &c. Resp. Neg. utramque sequelam: nam Deus est perfectissimè & completissimè intelligibilis, quatenus non indiget ad visionem sui specie ipsum complente, sed absque ea potest immediatè movere & determinare intellectum creatum ad visionem sui. Quã intelligibilitate non immutatâ potest equidem simul esse intelligibilis per speciem, quatenus eâ mediante potest pro suo arbitrio, non autem ex indigentia, movere ad visionem sui. Quod non est aliud, quàm ipsam speciem determinare potentiam intellectivam ad videndum Deum. Et ad hanc intelligibilitatem non redundat, nec est superflua species. Simili modo Deus est per se immediatè & completissimè calefactivus, seu productivus caloris; quo tamen non obstante pro suo arbitrio potest calefacere, etiam mediante alio calore à se producto, sic ut tantùm concurrat generaliter tamquam causa prima.

Ad quid serviret hæc species.

Instabis, species impressa nullo casu potest esse utilis: nam etiam ipsâ datâ, deberet adhuc Deus ipse pet se cõcurrere objectivè efficienter. Resp. Neg. Ass. ad probationem est duplex responsio. Prima est, tali casu non fore necessarium immediatum concursum Dei tãquam objecti: sufficit enim quòd objectum præsens & existens terminet, & connaturaliter postulet influere per se aut sui speciem. Quod de objectis secundariis visionis est clarius, ut patet ex visione creaturarum in Verbo, quæ non cõcurrunt objectivè efficienter ad visionem: ubi tamen singulare est, quòd creaturæ in Verbo eminenter contineantur. Secunda est, quòd etsi requireretur semper aliquis influxus objecti, non tamen tantus, dum adest species: tunc enim pars influxûs relinquitur speciei: sicut omnipotẽtia Dei necessariò quidem influit in productionem caloris, non tamen tantùm, quando adhibet consortium concausæ creatæ. Itaque hæc erit utilitas speciei informãtis intellectum. Præterea poterit servire ad cognoscendum in ea, tamquam medio cognito, abstractivè Deum.

Minor foret influxus objecti cum quàm sine specie.

DICO III. Lumen gloriæ valde probabiliter consistit in qualitate, sive habitu supernaturali à specie impressa distincto, qui teneat se ex parte potentiæ, eamque de se insufficientem elevet ad visionem Dei, ad quam proinde ultra concursum generalem causæ primæ cõcurrat, tum intellectus, tum habitus luminis, tum denique ipsa essentia divina tamquam objectum. Ita *D. Thomas, D. Bonav. Richardus* & alii passim, ut refert *Smising n. 58.* Immo etiam plures Scotistæ, *Lichetus, Pitigianus, Posnaniensis, Faber, Pilosius, Poncius, Felix*: sed & ipse *Scotus 1. d. 17. q. 3. n. 36.* ubi ad argumentum hoc: *sine habitu informante potest esse visio, ergo & fruitio perfectissima*; hanc unicam adhibet solutionem, adeòque ex propria sententia: *Resp. Nullus communiter negat in gloria habitum luminis gloria in intellectu, & iste ex parte intellectus potest poni correspondere charitati ex parte voluntatis.* Idem significat *3. d. 13. q. 2. n. 5.* & *4. d. 49. q. 11. n. 9.* Aliis autem locis, dum videtur propendere ad negandam necessitatem luminis habitualis, vult non esse necessarium ad recipiendam visionem, aut ut objectum fiat actu visibile, aut solùm ad decorem & pulchritudinem. 46.

In quo consistat lumen gloria.

Loca Scoti conciliantur.

Ratio conclusionis est: quia sicut ad actum fidei supernaturalem requiritur lumen fidei ex parte potentiæ intellectivæ se tenens, similiter ad sperandum & diligendum supernaturaliter, habitus

spei

ſpei & charitatis ex parte voluntatis: ſic potiori ratione ad actum illũ ſublimiſſimũ viſionis Dei requiritur ex parte intellectûs lumen gloriæ, ſeu ſpeciale auxiliũ ſupernaturale; quod cùm detur permanenter pro tota æternitate, congruentiſſimè ſtatuitur eſſe donum intrinſecum & permanens, prout contingit etiam in hac vita, in qua ad actus ſupernaturales eliciendos infunduntur habitus.

Cur non ſufficiat cõcurſus objecti quà talis.

Nec videtur ſufficere concurſus objecti quà talis: quàmvis enim ipſum ſit agens ſupernaturale, tamen non complet potentiam in ratione potentiæ, uti nec faceret ſpecies impreſſa, quæ ſimiliter ſe tantùm teneret ex parte objecti: cùm tamen potentia ſit etiam in ſua ratione incompleta, adeòque compleri debeat per aliquid, ſe tenens ex parte ejuſdem.

47.

In eo tamen conſiſtere lumen gloriæ, eſt probabile.

Dico IV. Probabile tamen eſt lumen gloriæ eſſe concurſum actualem ipſius objecti ſeu eſſentiæ divinæ; vel potiùs eſſe ipſammet eſſentiam divinam, inſtar objecti concurrentem cum intellectu ad viſionem. Ita *Smiſing d.6.n.93.* putans eſſe opinionem *Scoti*; in quo tamen fortaſſe fallitur, ut ex præmiſſis ſatis colligitur.

Quid de hoc ſentiat Scotus.

Solùm reſtat unicus locus *3.d.31.n.2.* ubi dicit, non neceſſariò in patria ſuccedere habitum loco fidei & ſpei, adeòque viſionem & tentionem Dei elici à potentia ſimul cum auxilio extrinſeco Dei, præſtantis idem quod præſtaret habitus ſuccedens. Sed in primis ibi non loquitur expreſsè de auxilio extrinſeco, ſe tenente ex parte objecti, ſed potiùs ex parte potentiæ, quemadmodum fides ipſa, cui ſuccedit. Deinde explicari poſſet, quòd non loquatur de facto (cùm alibi habitum de facto dari expreſsè aſſerat) ſed quòd velit habitum non eſſe neceſſarium, quia ſine eo Deus poſſet ſe præſentare, ut inquit *Cavellus in Scholio.* Quidquid tamen ſit de mente *Doctoris* iſto loco.

Probatur concluſio: quia lumen gloriæ tantùm requiritur propter ſupernaturalitatem viſionis; ad hanc autem videtur ſufficere concurſus unius principii ſupernaturalis, qualis in præſenti eſt concurſus ipſius objecti, ut patet: adeòque fruſtrà requireretur inſuper aliud principium ſupernaturale, ſcilicet habitus luminis. Aliud eſt de habitibus infuſis pro ſtatu viæ: niſi enim habitus fidei v.g. vel auxilium actuale, defectum habitûs ſupplens, ſpecialiter ad actum credendi concurreret, actus ipſe eſſet naturalis, utpote nullum habens principium efficiens ſupernaturale. Quòd autem objicitur, potentiã intellectivam eſſe ex ſua parte incompletam, adeòque adjuvandam per aliquid, ſe tenens ex parte in-

Cur potiùs ad fidem quã viſionẽ habitus requiratur.

Qui concurſus objecti hic compleat potentiam.

tellectûs, ſolui poteſt, dicendo objectum viſionis Dei etiam fungi officio adjutorii potentiæ, non ſolùm quatenus generaliter intellectus non poteſt agere ſine cõcurſu objecti, ſed ſpecialiter, quatenus objectum illud eſt agens ſupernaturale: eatenus enim elevat intellectum ad actum, qui ſuperat vires ſuas & ordinem: quod non habet locum in aliis objectis naturaliter concurrentibus, circa quæ potentia ex ſua parte & in ſuo ordine cenſetur habere completam virtutem.

48.

Nec obſtat *Clem. Ad noſtrum*, in qua damnantur dicentes, *quòd anima non indiget lumine gloriæ, ipſam elevãte, ad Deum videndum.* Quod quidam *Thomiſtæ* ita exaggerant, ut dicant eſſe de fide dari habitum propriè dictum luminis gloriæ. Sed ineptè: nam (ut Doctores paſſim rectè notarunt) *Concilium Viennenſe* tantùm intendit definire, animam non eſſe ſeipſâ naturaliter beatam, adeòque eam egere auxilio ſupernaturali, contra *Beguardes & Beguinas*: quod quidem auxilium vocat lumen gloriæ: quia Deum, qui eſt gloria & felicitas noſtra, nobis manifeſtat, quatenus eo mediante producitur viſio, quæ beatum formaliter illuminat, Deumque illi manifeſtat. An verò illud ſit habitus ſtrictè dictus, an ſpecies, an autem auxilium extrinſecum, ſive creatum ſive increatum, ſive partiale ſive (quod Nominales cenſent, à Cõcilio non taxati, ut rectè oſtendit *Smiſing d. 6. n. 275.* contra *Caietanum & Ferrarienſem*) totale, Concilium relinquit indeciſum, tribuendo Scholaſticis non errandi (ut quidam malè dicunt) occaſionem, ſed opinandi libertatem in re, quæ ex aliis auctoritatibus non ſatis poterat deduci: prout Pontifices & Concilia, quando damnant hæreſes, ſolent intactas relinquere Scholaſticorum opiniones & controverſias, præſertim ad intentum ſuum principale nihil facientes, & de quibus in ordine ad deciſionem non præceſſit diſcuſſio. Utitur itaque nomine luminis gloriæ in ſua generalitate, prout eſt commune ad varias ſignificationes, à diverſis Doctoribus Catholicis uſurpatas, & ſignificat auxilium ſupernaturale requiſitum ad viſionem Dei. Alioquin certum eſt, animam non indigere ſimpliciter habituali lumine; ſicut nec habitu fidei dicitur indigere ad credendum, ſed vel illo vel alio auxilio ſpeciali. Quòd ſi proprietatem vocis *lumen* urgeant *Thomiſtæ*, neque ea niſi metaphoricè convenit habitui, appellatione tranſlatâ à lumine corporali. Et quidem eâ ratione maximè convenit ipſi Deo, qui in Auctoritatibus dicitur *lux vera, lumen de lumine* &c. Similiter in Scriptura & Conciliis frequenter

Quid Eccleſia vocat lumen gloriæ.

Proprietas vocis, lumẽ, concluſioni non obſtat.

quenter etiam auxilia actualia dicuntur lumen, ut *Psal.* 12. *Illumina* oculos meos. *Psal.* 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Et alibi. Et *Trid. ss. 6. cap. 5.* gratiam seu auxilium actuale, præcedens infusionem habituum, vocat *illuminationem.* Denique *S. Aug. 12. de gen. ad litt. c. 31.* dicit *lumen, quo illustratur anima, ut omnia vel in se vel in illo veraciter intellecta conspiciat, ipsum Deum esse.*

QUÆSTIO V.

An in beatis sit inæqualitas visionis beatificæ, & an in solius luminis inæqualitatem sit inæqualitas visionis referenda?

49. *Inæqualitas visionis beatificæ.* DICO I. Beati inæqualiter vident Deum, sic ut unus altero videat perfectiùs pro diversitate meritorum. Est de fide contra *Iovinianum*, cujus hæreses impugnavit & extinxit *S. Hieron.* libris duobus adversùs eumdem. Atque ita expressè definivit *Florent. in litteris Unionis.* Colligitur quoque ex *Trid. ss. 6. can. 32.* definiente, justificatum *mereri etiam gloriæ augmentum.*

In scripturâ fundata. Probatur ex Scriptura. 1. ad Cor. 3. *Unusquisq; propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* 2. ad Cor. 5. dicitur: *ut referat unusquisq; propria corporis, prout gessit.* Et c. 9. *Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet.* Disparitas eadem seminandi & fructificandi significatur *Matth.* 13. exemplo seminis jacti in variam terram, sic quidē, ut sicut jactum in terram bonam dabat fructum inæqualem v. g. *aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum*, id est, centum, sexaginta vel triginta pro uno grano; sic & inæqualis sit fructus hominum in reddendis perseveranter fructibus bonorum operum, & consequenter in fructibus gloriæ. Præterea *Ioan.* 14. dicit Christus: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Quod non esse dictum de diversis gradibus, seu ordinibus Ecclesiæ militantis (ut volebat *Iovinianus*) satìs patet ex sequentibus verbis: *Vado parare vobis locum, ut ubi ego sum & vos sitis.* Significat igitur Christus aulam cælestem, quæ non solùm sit capax innumeræ multitudinis, sed in qua etiam sint diversissimi beatitudinis & gloriæ gradus, pro inæquali sanctitate electorum, ut exponit *Irenæus*, *Aug.* & alij Patres communiter, inter quos *Cyprianus l. de habitu virginis*, sub finem, notat, Christum varias proposuisse mansiones, ut nos excitet ad procurandas meliores. Huc deniq; spectat illud 1. *ad Cor.* 15. *Stella differt à stella in claritate, sic erit & resurrectio mortuorum.* Quod de inæquali gloria corporum exponunt passim Patres (etsi nonnulli Recentiores aliter explicent, ut videre est apud *Smising d. 6. n. 125*) unde ad inæqualem gloriam animæ ducitur argumentum. Locus tamen hic non facit conclusionem esse de fide, etsi Nonnulli inde eam tamquam dogma fidei statuant. Postremò idem postulat ratio æquitatis: datur enim visio tamquam merces; mercedem autem oportet proportionari meritis, quæ sunt inæqualia. Sicut è contrà in puniendo Christus judex servabit proportionem ad culpam.

Fundamentum præcipuum *Ioviniani* fuit parabola vineæ *Matth.* 20. in qua 50. *Fundamentum hæresis oppositæ solvitur.* Paterfamilias describitur, æqualem denarium, scilicet diurnum, dedisse inæqualiter laborantibus. Porrò hæc parabola diversimodè exponitur: à nemine verò in favorem *Ioviniani.* Optimè autem exponitur hoc modo: Deus Pater misit operarios homines in Ecclesiam per fidem & gratiam vocantem, idque diversis horis seu vocationis temporibus, scilicet mundi (ut plures Patres) vel ipsorum hominum, qui vocantur (ut alii) ætatibus, ac postremò circa horam undecimam, id est, tempus legis gratiæ (de quo 1. *Ioan.* 2. *Novissima hora est*) aut senectam hominis. In fine autem mundi Oeconomus, Christus judex, singulis reddet quod justum est, incipiens à novissimis, quibus uti ceteris dat singulos denarios, id est, vitam æternam seu regnum cælorum. Accipiunt autem novissimi primi, sive quia post horam unam laboris accipientes, videntur priores accepisse, quia minùs dilati sunt, ut *S. Aug. serm. 59. c. 4.* sive quia primi dignitate, utpote magis strenui operarij; sive quia primi tempore negativè, vel quoad gloriam animæ respectu judæorum, in fine mundi convertendorum, etiam positivè. Æqualis autem est denarius, non omnimodè, sed (ut post Patres intellexerunt *D. Thomas*, *Scotus* & Scholastici passim) objectivè; quia est visio ejusdem Dei, & æqualiter durans: omnes enim accipiunt vitam æternam. Murmur significat sanctorum admirationem; vel tantam esse gratiam Dei erga gentiles, aut in senectute vocatos, ut humano more, si fieri posset, alios ad murmur & invidiam excitaret, dum etsi singulis etiam novissimis promittatur & detur *quod justum est*, gratia tamen adeò exuberans datur vocatis novissimâ horâ ætatis vel mundi, ut magnitudine dilectionis æquentur, immo præferâtur priùs vocatis. Sicque fit (qui est scopus parabolæ, ut patet ex principio, quod habetur

Scopus parabola Matth. 20.

v. ult. c. prac. & fine parabolæ) novissimos fore primos, & primos novissimos. Adde, murmur istud (si quis de hac voce nimis velit contendere) solùm poni ad ornamentum parabolæ: certum enim est beatos in cælo non murmuraturos; neque veram murmurandi causam habituros. Singula namque, quæ in parabolis assumuntur, non debent habere propriam emphasim, ut patet ex parabola de villico iniquitatis, & optimè advertit *S. Chrysost. homil. 65. in Matth.* dicens: *In parabolis non oportet nimiâ in singulis verbis curâ perangi, sed cùm quid per parabolam intendatur didicerimus, inde utilitate collectâ, nil est ulteriùs anxio conatu ampliùs investigandum.*

51. *Vnde physicè proveniat inæqualitas visionis beatificæ.*

Dico II. Inæqualitas visionis beatificæ provenit physicè, partim ex inæqualitate luminis gloriæ, partim etiam ex inæqualitate intellectûs. Dixi, *physicè*: nam quòd moraliter oriatur ex inæqualitate meritorum, manifestum est. Conclusio colligitur ex *Scoto* variis locis apud *Smising d. 6. n. 134.* eamque amplectuntur omnes *Scotistæ* cum *Richardo, Durando, Cajetano, Molina, Lessio,* & pluribus aliis cōtra Recentiores communiùs: ex Veteribus enim neminem oppositum docuisse declarat *Smising n. 133.* Probatur: quia effectus procedens à duabus causis partialibus proportionatur perfectioni utriusque causæ: sic v.g. visio naturalis proportionatur perfectioni, tum potentiæ, tum speciei visibilis aut intelligibilis: atqui visio beatifica procedit ab intellectu & lumine gloriæ; ergo proportionatur perfectioni utriusque. Quæ ratio magìs declarabitur ex solutione objectionum. Itaque

Qui perfectio effectûs supernaturalis pendeat à causa naturali.

Non obstat I. quòd visio beatifica sit tota supernaturalis: nam cùm equidē tota procedat, tum à causa naturali, tum à supernaturali, debet tam bene uni quàm alteri proportionari. Sicut visio corporalis etsi tota sit actus vitalis, non minùs proportionatur causæ non vitali, scilicet speciei visibili, quàm vitali, scilicet visui, eò quòd æquè ab utraque procedat. Sanè nō obstante supernaturalitate luminis & visionis, debet eo agere intellectus, & facere, ut sit actus vitalis, ut sit visio &c. quidni ergo similiter facere possit, ut sit perfectior, etsi ipse sit agens naturale? cū plures concausæ in alijs exemplis operentur effectū perfectiorem, juxta perfectiorem activitatem singularū, vim totam impendentium. Accedit exemplum actuum supernaturalium hujus viæ; stante enim æqualitate habitûs & principij supernaturalis est actus charitatis perfectior pro majori conatu (ad quem idcirco homines invitantur) & quidem intensior ipso habitu, ut fatetur *Coninck de act. supernat. d. 5. dub. 5.* & consonat experientia.

Instabis: Intellectus tantùm habet virtutem incompletam respectu visionis Dei, sic ut nullo modo concurreret nisi elevatus: ergo non agit nisi juxta qualitatem principij elevantis. Resp. Neg. seq. habet enim quidem virtutem incompletam, quatenus se solo non sufficit (sicut etiam se solo non sufficit lumen) inde tamen non sequitur quod infertur. Sicut oculus est tantùm causa incompleta visionis, sic ut videre non possit sine specie, ex quo tamen non sequitur, oculum aquilæ cum æquali specie non videre perfectiùs, quàm oculum noctuæ. Simile quid est in motu currûs, qui perfectiùs trahitur à duobus equis, quo uterque vel alteruter est fortior, etsi neuter se solo sufficiat ad movendum. 52.

Quomodo intellectus sit incompletus respectu visionis Dei.

Tam intellectus quàm lumen gloria totam visionem attingit.

Instabis iterum: sic intellectus valde perfectus posset elicere visionem intensiorem ipso lumine gloriæ: quo casu excessus iste refundi deberet in solam causam naturalem, scilicet intellectum. Resp. causandum fore excessum ab intellectu & simul à lumine, cùm in tali visione nil foret, quod non procederet ab utroque: sicut in visione naturali procedente à potentia perfectiori cum imperfectiori specie, nihil est quod non attingatur ab utroque. Adde, eamdem instantiam posse fieri contra actus supernaturales viæ, qui ratione conatûs possunt esse intensiores ipso habitu infuso.

Potiùs tamen intellectus, quàm lumen, ad eam elevatur.

Instabis III. Sic non potiùs intellectus, quàm ipsum lumen dici deberet elevari ad videndum Deum; quod repugnat Cōcilio Viennensi. Resp. Neg. Ass. tum quia lumen non videt Deum, adeòque ad videndum Deum non elevatur: tum quia intellectus est causa naturalis, & ordinis inferioris quàm ipsa visio, ad quam ipse proinde, potiùs quàm lumen (quod est supernaturale & ejusdem ordinis cum visione) dicitur elevari. Sicut etsi intellectus perfectior cum æquali habitu perfectiùs credat, non tamen habitus, sed intellectus per habitum elevatur ad credendum.

Qualiter elevatur intellectus.

Instabis IV. Intellectus creatus elevatur ad visionem quatenus intellectus est, & nō quatenus talis intellectus est: ergo non est differentia in præsenti attendēda ex parte intellectuum. Resp. Neg. Ass. elevatur enim intellectus secundùm totam suam virtutem innatam, seu inchoatam, quæ competit ei etiam, quatenus talis intellectus est, estque perfectior, uti activior, quò perfectior est ipse intellectus.

Instabis V. Intellectus solùm est causa universalis respectu visionis, lumē gloriæ autem est causa particularis; adeòque huic soli proportionatur perfectio effectûs.

Resp.

Perfectio effectûs non correspondet soli causæ particulari.

Resp. Neg. seq. nam (ut alia exempla taceam) potentia respectu habitûs, intellectus & visus respectu speciei impressæ est causa universalis, & tamẽ effectus est perfectior aut inferior, etiam pro majori perfectione potẽtiæ, vel intellectûs aut visûs.

53. Non obstat II. & præcipuè, quòd ex nostra doctrina sequi videatur, quòd habens perfectiorem intellectum, perfectiùs visurus sit Deum, quàm alter inferioris intellectûs, sed æqualis meriti & luminis; adeòque contra æquitatem sit futurũ dispar præmiũ, ubi paria sunt merita. Quod etiam repugnat *Florentino in decreto Unionis*, definienti *alterum altero perfectiùs visurum pro diversitate meritorum.* Respondent *Tartaretus & Molina* Neg. seq. eò quòd istam inæqualitatem putent impediendam à Deo, quatenus impediet proportionatè intellectum perfectiorem à conatu adhibendo, vel quatenus eidem tantum de suo concursu subtrahet, similive modo. Sed hoc apparet contra ordinẽ rerum (qui exigere videtur, ut quælibet causa permittatur agere juxta gradum suæ activitatis) gratis esse confictum. Resp. itaque conc. seq. nam equidem salvabitur proportio præmij ad meritum: etsi enim tota visio sit præmium, non tamen sub omni respectu, sed quatenus procedit à Deo præmiante: eatenus autẽ tunc adhuc foret æqualis: cùm Deus in quantùm præmians, seu specialiter concurrens, tamquã agens supernaturale, æqualiter se gerat respectu utriusque, cõferens nempe utrique intellectui causam supernaturalem (sub qua ratione est præmians) æqualem respectu visionis. Quòd autem hæc visio sit perfectior, oritur ex naturali perfectione intellectûs, quam Deus præmians non immutat, sed perficit; cùm gratia aut gloria non destruat naturam, sed perficiat. Quod attinet ad *Florentinum*, illud loquitur de eo, quod de facto contingit, & de animabus beatorum inter se comparatis: omnium autem intellectus de facto sunt æquè perfecti. Deinde intelligi posset, ceteris paribus, sic ut assignet causam sufficientem, non unicam. Sicut rectè dicitur unus alio meliùs videre pro diversa perfectione visûs, etsi ad hoc etiam conferat diversitas speciei visibilis & dispositio medij. Alioquin non habet apparentiam, quòd *Florentinum* determinare voluerit quæstionem inter Scholasticos cõtroversam, & à præcipuis nobiscum decisam, ubi definitio ad scopum Concilij non spectabat, nec præcesserat desuper controversia inter Græcos & Latinos.

Qui salvetur ratio præmij in visione beatificâ.

54. Petes, in quo consistat inæqualitas visionis? Resp. potissimùm consistere in majori vel minori ejus claritate; id enim dicimur videre perfectiùs & meliùs, quod videmus clariùs: sicut eadem lux solis non æquè perfectè videtur ab aquila & noctuâ ob inæqualem visionis corporalis claritatem. Unde *Florent.* sup. postquã definivisset, omnes beatos *clarè videre Deũ unum & trinum sicuti est*, subdit, *alium tamen alio pro diversitate meritorum perfectiùs*, id est, clariùs. Alioquin ex parte objecti beatifici est æqualitas, quatenus omnes vident eumdem Deum, unum & trinum sicuti est, quoad omnia quæ formaliter in eo sunt, ut mox dicetur.

In quo consistat inæqualitas visionis.

QUÆSTIO VI.

An Beati necessariò videant omnia, quæ sunt formaliter in Deo?

DICO I. Beati vident de facto omnia, quæ sunt formaliter in Deo, scilicet essentiam, perfectiones absolutas, & relationes personarum; non tamen sub quavis habitudine, sive terminatione ad creaturas. Ita Theologi communiter. Prima pars probari solet ex *Ioan. 14. Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Et ratio additur: *non creditis, quia ego in Patre & Pater in me est?* Verùm ad litteram ibi agitur de visione obscura per fidem, quia qui credit perfectè Christum esse filium Dei, credit Deum esse Patrem ejus; ut satis colligitur ex contextu, & tradit *Scotus 4. d. 49. q. 4. n. 21. Smising d. 6. q. 5. n. 101. Vasq.* & alij. De eadem visione generaliùs sumptâ intelligendi sunt Patres, *Nazianzenus orat. 49. de fide* dicens: *Non immeritò, qui filium videt, videt & Patrem, quia unitate substantiæ & majestate divinitatis unum sunt.* Et alij. 55.

Quid & qualiter Beati videant formaliter in Deo.

Meliùs probatur ex *1. Ioan. 3. Videbimus eum sicuti est*, est autem sua essentia, est infinitus, immensus, trinus in personis. Et *1. ad Cor. 13. Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ubi significatur tunc nos clarè visuros, quod nunc de Deo credimus, juxta illud *S. Aug. 20. de civit. c. 21. Quid videbimus, nisi Deum, & omnia illa, quæ nunc non videmus, credentes autem &c.* Nunc autem credimus essentiam, attributa & Trinitatem personarum. Accedit definitio *Florentini in litteris Unionis* docentis, animas beatorum *intueri clarè ipsum Deum, trinum & unum sicuti est.* Unde est de fide quòd videant essentiã divinam cum tribus personis. Immo *Smising. n. 99.* putat (& quidẽ sine dubitatione, ut addit *n. 102.*) esse de fide etiã quoad attributa seu perfectiones absolutas: eò quòd nomine Dei unius & trini soleamus uti, ut sit adæquata distributio omniũ, quæ sunt formaliter in Deo: neque existimãdum sit egisse Concilium de Deitate abstractim

An sit de fide, Beatos actu videre attributa.

& præcisè sumpta, pront contra attributa, seu perfectiones absolutas distinguitur. Quidquid tamen sit de tam gravi nota (in qua non omnes consentiunt) indubitata saltem est doctrina tradita ob communem consensum, adeò in Scriptura & *Florentino* fundatum, sic ut non sine gravi saltē temeritate possit negari. Neque contra eam ulla militat auctoritas vel ratio. Immo ratio ipsa potiùs eam confirmat, cùm naturis rerum sit consentaneū, ut clara & perfecta visio feratur in omnia realiter identificata.

Non vident illa sub omni habitudine.

56. Secunda pars patet: tum quia non est fundamentum adscribendi beatis tam immensam notitiam, quæ nè Christo quidē quà homini est concessa: tum quia non sciunt omnia decreta Dei, de quibus proinde etiam Angeli ab Angelis illuminantur: tū quia scirēt alioquin quidquid Deus scit. Accedit intellectū, voluntatē & omnipotentiā Dei terminari ad infinita; visio autem infinitorum non convenit intellectui creato. Neque est necesse omnē terminationē in particulari distinctè cognosci; ad hoc ut videantur istæ perfectiones, quæ in se sunt absolutæ: sicut videns materiā primam non debet distinctè cognoscere omnes formas, quas potest recipere. Et quamquam dicerent intrinsecè relationē saltem transcendentalē ad objecta, etiam creata, sufficeret videri perfectiones istas divinas sub habitudine ad terminū in communi spectatum, v.g. potentiam sub habitudine ad omne possibile, scientiam ut extensam ad omne intelligibile: habitudo enim potest distinctè cognosci absque distincta cognitione termini. Iuxta hanc conclusionis partem secundùm *Swifing q.5.n.99.* intelligēdi sunt *Occam* & nonnulli alij, indicantes non videri omnes Dei perfectiones, utpote infinitas; vel de comprehēsiva cognitione, de qua expresè & pulchrè *D. Bonav.3.d.14. a.1.q.2.* nè leviter quidem insinuans oppositum primæ partis conclusionis.

Quæ in Deo sunt alijs absolutè videri non possint.

Difficultas restat, an saltē de absoluta potentiā possit unum illorum, quæ sunt formaliter in Deo, videri, non viso altero. Constat autem quòd non, quantū ad modos intrinsecos; utpote juxta *Scotum* contentos in conceptu perfecto & adæquato essentiæ. Constat etiam non posse videri personam sine suis intrinsecis constituentibus, scilicet naturâ & personalitate. Item non posse videri aut etiam abstractivè distinctè cognosci unam personam, non cognitâ correlativâ, v.g. Patrem nō cognito Filio: etsi non sit necesse, ut viso relativo, etiam quà tali, videatur correlativum vel terminus, sed sufficiat ipsum cognosci abstractivè & confusè. Hoc notato

57. Dico II. De absoluta potentia videri potest essentia divina non visis personalitatibus, & una persona nō visâ aliâ. Idēque est de attributis ad invicē, ad essentiam, vel ad personalitates comparatis. Ita communiter *Scotistæ* ex *Scoto d.1.q.2.n.2. & 5.* quos sequitur *Salas, Granadus. Arriaga* & varij Recentiores, contra *Thomistas* & plurimos alios.

Quæ possint.

Probatur I. quia inter omnia illa intercedit distinctio saltē formalis, immo inter ipsas personas distinctio realis, nec unum includitur in essentiali ratione alterius: ergo non est ratio, cur sicut unum illorū adæquatè concipitur, non cōcepto altero, sic nequeat produci talis species, aut ita attemperari divinus concursus, ut unum videatur non viso altero.

Probatur à pari.

Probatur II. Natura divina per æternā generationē realiter communicatur Filio & non paternitas: ergo etiam potest cōmunicari intētionaliter in ratione objecti absque paternitate aut aliâ personalitate. Item in mysterio Incarnationis humanitas unitur realiter Filio divino, & nō alijs personis, neque ipsi Deitati, saltē immediatè: ergo etiā potest intellectus per visionem objectivè quasi uniri uni personę, & non alteri, nec naturæ divinæ; & cōtrà. Denique intellectus divinus agit actione reali, quâ non agit aliud attributum, scilicet voluntas; quia tamquam principium quo intellectus producit Filium, & voluntas Spiritum S. ergo etiam potest videri unum attributū visione, quâ non videatur aliud. Consequentiæ patent à paritate, immo à fortiori: si enim communicatio realis & actio realis competere possit uni & non alteri, item possit unum realiter uniri & non alterum: cur non potiùs poterit unum communicari, aut agere intētionaliter, aut uniri objectivè absque altero; cùm potentia intentionalis magis abstrahat & præscindat, quàm realis?

S. August. explicatur.

Nec obstat I. Auctoritas *S. Aug. in Psal. 85.* dicentis: *Patris & Filij nō potest separari visio ubi nō separatur substantia & natura.* 58.
Quibus similia habet *Trac. 70. in Ioan.* & *alibi* Nā si loquatur de visione beatifica, & nō de visione generatim sumpta, prout etiā complectitur fidem, quatenus non potest Pater cognosci aut credi sine Filio, vel contrà (ut exponit *Swifing d.6.n.100.*) exponendus est de potentia ordinata.

Contradictio salvatur.

Non obstat II. quòd sic idem realiter videretur & non videretur: nam ad ista contradictoria verificanda sufficit distinctio formalis. Alij extra scholam *Scoti* respondent, sufficere distinctionem virtualem, pari jure (ut solido, sup. agendo de distinctione formali, discussimus) quoad alia contradictoria in divinis verificanda.

Non obstat III. quòd per visionē attingatur Deus sicuti est: nam de facto quidē

attin-

attingitur ſicuti eſt, etiam ſecundùm attributa & perſonalitates ; abſolutè tamen poſſet attingi ſicuti eſt ſecundùm eſſentiam , etſi non attingeretur ſecundùm rationem attributalem aut perſonalem, vel contrà, ut oſtenſum eſt.

Viſio eſſentia ſine attributis foret præciſiva.

Non obſtat IV. quòd eſſentia videri nequeat tamquam ens imperfectum: nam id non fieret, etſi videretur ſine attributis aut perſonalitatibus : cognitio enim illa non eſſet diviſiva, quâ ſcilicet negarentur attributa & perſonalitates convenire divinæ eſſentiæ : ſed eſſet præciſiva, quâ nempe videretur unum ſine alio.

Spetie diſtincta à viſione eſſentia cum attributis.

An autem ſit eadem ſpecie viſio, quâ videretur eſſeutia eadem ſemel præciſè, & ſemel cum attributis & perſonis, dubitari poſſet. Sed breviter Reſp. Neg. eò quòd eſſentia ſemel præciſè ſpectata, & ſemel ſpectata cum attributis & perſonis, ſit planè diverſum objectum in ratione ſcibilis.

59. *Qua viſio præciſiva Dei foret beatifica.*

Petes, an ejuſmodi inadæquata Dei viſio foret beatifica? Reſp. Viſionem perſonalitatum ſine Deitate non fore beatificam: non enim foret viſio ſummi boni & ſimpliciter infiniti; eſtò perſonalitates dicerent perfectionem formaliter infinitam in ſuo genere : quod tamen plurimi negant, ut in *Trac. de Trinitate* patebit.

Idem videtur dicendum de viſione unius attributi ſine alio vel ſine eſſentia. Si autem eſſentia videretur ſine perſonalitatibus, adhuc juxta *Scotum d. 1. q. 2. n. 5.* foret viſio beatifica, utpote ſummi boni & ſimpliciter infiniti. Confirmatur : quia beatitudo ipſius Dei eſt perfectio abſoluta, adeòque competens Patri pro priori ſigno originis, quo eſt prior Filio: pro illo autem ſigno videt eſſentiam ſuam prout eſt in ſe, & non prout in Filio. Deinde beatitudo competit Patri, ipſique eſſentię independenter à perſonis productis; quod falſum foret, ſi eſſentialiter involveret viſionem & fruitionem earumdē. Quæ clariora ſunt, ſi perſonalitas divina non dicat perfectionem, ſaltem infinitam , ne quidem in ſuo genere, ut *Scotiſtæ* paſſim, & plures alij docent.

QUÆSTIO VII.

An & quomodo Beati in Deo videant creaturas?

60. BEATOS præter Deum varias res cognoſcere ad ſe pertinentes, nemini dubium eſſe poteſt. Poſſunt namque variarū rerū notitiam viribus intellectûs habere, aut ab alijs beatis Angelis vel hominibus diſcere (prout Angeli inferiores à ſuperioribus, juxta doctrinā *Dionyſij* & Theologorum, illuminantur) aut per ſcientiam à Deo infuſam , vel immediatam illius revelationem evidentem in atteſtante multa cognoſcere. Immo conſtanter aſſerunt Patres & Theologi, beatos videre creaturas in ipſo Deo, ſive (ut cū *S. Aug.* loquuntur Doctores) in Verbo , appropriatè ſcilicet , eò quòd opera ſapientiæ & ſciētię approprientur Verbo. Sic *S. Aug. l. 4. de Gen. ad litt. c. 29. & 11. de civit. c. 29.* ſanctis ſeu beatis Angelis adſcribit duplicem cognitionem creaturarum: alterā in Verbo (quam diurnam vel matutinam vocat) alteram in ſeipſis, quam vocat veſpertinam; eò quòd multò clarior & perfectior ſit prior, ſic ut ei altera comparata meritò ad veſperam pertinere cenſeatur. Videtur tamen (ut notat *Scotus 2. d. 3. q. 9. n. 10. D. Bonav. 2. d. 4. a. 3. q. 1. & 2. D. Th. p. 62. a. 1. ad 3.*) S. Doctor præterea agnoviſſe in Angelis ante beatitudinem, utpote mox ab initio creationis ſuæ, duplicem cognitionem, matutinam & veſpertinam, neutram beatificam, unam rerum in Verbo, alteram in ſeipſis : ſic diſtinguens ſex dies creationis mundi, quaſi non fuerint tot dies naturales, ſed ſignificentur ſex diverſa rerum conditarum genera per ordinem ad ſextuplicem Angelorū cognitionem, qui ea, quæ ſingulis diebus creata referuntur, mox ut facta ſunt, cognoverunt in Verbo Dei; quatenus verò deinde cognoverūt eadē in ſeipſis ſit juxta *S. Auguſtin.* veſpera , non tamen ſequitur nox, quia in iſta cognitione non ſiſtentes, ſed ad laudem conditoris referentes, veſperā mox fecerunt recurrere in mane. Vide S. Doctorē *l. 4. de Gen. ad litt. c. 23. & ſeqq. & 11. de civit. c. 7.* Quæ doctrina quantùm ad dies creationis à Doctoribus cōmuniter non admittitur, tamē diſtinctio duplicis cognitionis ab ijſdem cōmuniter approbatur. Eamque quoad beatos etiam expreſſit *S. Bern. 5. de conſid. c. 1. Videt* (Beatus) *Verbū, & in Verbo facta per Verbū: nec opus habet ex his quæ facta ſunt, factoris notitiā mendicare: neque ut vel ipſa noverit, ad ipſa deſcendit , quæ ibi illa videt , ubi longè meliùs ſunt , quàm in ſeipſis.* Et *Concilium provinciale Senonenſe in decretis fidei, Decreto* 13. dicit , *Beatis pervium eſſe omniforme illud divinitatis ſpeculum , in quo quidquid eorum interſit, illuceſcat.*

Quid notitia matutina & veſpertina apud S. Auguſt.

Sed difficultas eſt, quomodo creaturæ in Deo à beatis cognoſcantur ſeu videantur ? *Nominales* , quos ſequitur *Vaſq. d. 50. c. 6. & 7.* exiſtimant creaturas videri tantùm poſſe cauſaliter in Deo, quia nimirum Deus viſus ſpecialiter revelat beatis , quæ ad ipſos ſpectat cognoſcere de rebus creatis. 61.

Beati vident creaturas in Deo formaliter.

Nihilominus alij DD. paſſim tradūt, poſſe creaturas videri à beatis in Verbo, ſeu Deo formaliter, ſic nimirū ut illas videant in Deo, tamquā objecto cognito, & medio

cognito seu ratione cognoscendi, idque eâdem visione. Pro hac doctrina refert *Smising d.6.n.157. Alensem, D. Bonav. D. Th. Scot. Richard.* dicens esse communem Theologorum, ac n.n.sequentibus, probans varios ex prædictis non rectè referri à *Vasquez sup.c.6.* pro sua opinione.

62. Probatur I. ex Patribus antè relatis, quorum loquendi modus propriè intellectus omnino significat quod hîc docemus. Nova porrò, & torta, communique explicationi adversa est expositio *Vasquez d.51.c.3.* dicentis *S. Augustin.* loqui de cognitione creaturarum in Verbo secundùm esse eminentiale, id est de cognitione ipsius creatricis essentiæ & sapientiæ divinæ: nam (ut ex contextu & scopo *S. August.* liquet) loquitur de eodem objecto diversimodè cognito, in seipso scilicet, & in Deo, dicitque locis citatis, creaturam in divina veritate videri faciendam, sciri in sapientia Dei tamquam in arte, quâ facta est: creatrix autem essentia, seu esse creaturæ eminentiale non videtur faciendum, non videtur in sapientia tamquam in arte, quâ factum est. Conjecturas *Vasquez* rectè elidit *Smising n.169.* Idem clarissimum est ex Verbis *S. Bernardi* relatis. Aliorū quoque responsionem de visione in Verbo causaliter, refutat *Smising n.168.* Sanè sic eximanitur distinctio duplicis notitiæ creaturarum, scilicet in Verbo, & in proprio genere: sed omnis erit in proprio genere, sive creaturarum in seipsis. Unde non erit cognitio in Verbo, sed potiùs cognitio á Verbo, scilicet causata; qualis etiam est notitia, cujus species beatis infundit Deus ratione status beatifici. Quàmvis itaque visio Dei sit occasio, quòd Deus beatis nonnulla revelet, id non sufficit ut in Deo videantur: sicut non videntur in magistro, quæ præsens & visus narrat discipulis. Pari quoque ratione dici possent creaturæ videri in Deo, etsi Deus non videretur. Item possent sic quælibet etiam in via cognosci in Deo; immo quodlibet in quolibet, si Deus ad cognitionem unius causaret cognitionem alterius.

Torta patrum explicatio refutatio.

Patres explicari nequeunt de visione in Verbo causaliter.

Probatur II. quia Deus in seipso, tamquam motivo & objecto cognito, cognoscit creaturas, ut apertè satis tradit *Dionysius de divin. nomin. c.7.* in medio: ergo simili modo id possunt beati.

Probatur III. quia potest idem actus tendere in plura, sic ut unum simul sit motivum & ratio volendi alterum, v.g. volitio in finem & media: ergo etiam potest eadem visio sic tendere in Deum & creaturas, ut Deus sit simul ratio cognoscendi creaturas.

Qualiter idem actus possit tendere in plura.

Probatur IV. quia Deum hoc modo posse in sua essentia repræsentare creaturas est magna perfectio sine ulla imperfectione aut repugnantiâ: ergo Deo competit.

Porrò non solùm possunt hoc modo videri in Deo creaturæ possibiles; verùm etiam actuales: Patres enim agunt expressè de creaturis actualibus. Aliæ etiam probationes in his locum habent. Est denique etiam inter has & Deum sufficiens connexio. 63.

Formaliter videntur in Deo creaturæ, etiam actuales.

Præterea idem est de decretis liberis, & occultis Dei consilijs: quæ etsi singulis beatis non pateant; prout tamen congruit singulis beatis, nonnulla eis patefieri possunt, etiam in Verbo. Non enim id difficilius, immo longè facilius ad intelligendum est, quàm quoad creaturas Deo extrinsecas; cùm decreta sint intrinseca Deo, etsi terminativè quodammodo extrinseca. Quare idem satis clarè expressit *S. Aug. 13. conf. c.15.* ubi de beatis Angelis, Deo loquens, ait, *non opus habere, suspicere firmamentum hoc, & legendo cognoscere verbum tuum: vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit æterna voluntas tua.* Idem indicat *S. Bern. l. 5. de considerat. c. 4.* docens ratione beatæ visionis sic à beatis *videri cor Dei*, ut *ibi probetur, quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta, pateant viscera misericordiæ, cogitationes pacis, divitiæ salutis, mysteria bonæ voluntatis, benignitas æterna.* Denique non solùm prædicta possibilia sunt, sed etiā de facto fiunt in beatis. Patres enim loquuntur de eo, quod de facto fit. Idemque congruit perfectioni status beatitudinis. Postremò negantes id fieri fundant se potissimùm in hoc, quòd putent fieri non posse. Neque aliquid aliundè obstat facto vel possibilitati.

Ac decreta libera & occulta Dei consilia.

Idq de facto.

Opposita sententia fundamentum.

Non enim obstat I. quòd Deus & creatura sint valde diversa: nam etiam distinctissima possunt attingi unico actu, saltem quando inter se habent aliquam subordinationem aut connexionem: ut prima Veritas & res revelatæ, quantumvis disparatæ, finis & medium, imago & prototypon: Deus autem & creatura habent connexionem, non tantùm in ratione causæ & effectûs, sed etiam in ratione objecti primarij & secundarij, seu motivi & terminativi. 64.

Non obstat II. quòd si creaturæ possent formaliter videri in divina essentia, deberent videri omnes; cùm essentia non unam potiùs quàm alteram repræsentet. Nam id nullatenus sequitur: cùm essentia, etsi omnium creaturarum repræsentativa, actu tamen repræsentet quas vult, adeòque ad has potiùs, quàm ad illas repræsentandas determinet ut per suam voluntatem.

Essentia divina repræsentat res liberè.

luntatem. Sicut enim Deus suâ visibilitate non naturaliter à creatura est visibilis, sed per liberam & gratiosam condescensionem, idque quantùm & qualiter vult: sic etiam creaturas in se non repræsentat, nisi liberè, scilicet quas & quātùm vult. Ob quod à *Scoto* 3.d.14.q.2.n.20. & alijs Theologis vocatur speculū voluntariū: speculū quidē (etsi non cū omni proprietate & similitudine) quatenus sicut speculū visum exhibet aliud objectū velut in se, cujus nimirum speciem visibilem reflectit, & ad oculum mittit, sicque est causa ut videatur aliud objectum; ita divina essentia visa exhibet in se videndam creaturam, estque causa ut ipsa videatur: voluntarium autem, quia hoc facit pro sua libertate.

Ideoq; vocatur speculum voluntarium.

65. Hinc posset Deus se exhibere videndum, nullâ omnino creaturâ repræsentatâ: sicut enim certum est eum videri posse, aliquibus creaturis non visis, sic etiam nullâ omnino creaturâ visâ, cùm non sit potior ratio de illis, quàm de ceteris omnibus. Deinde creaturæ sunt Deo extrinsecæ, & realiter ab eo distinctæ. Immo ne quidem respectum ad illas transcendentalem Deus involvit, ob summam ab omni extra se independentiam, & excedentem omnes creaturas, etiam possibiles, necessitatem essendi. Et quamquam ad creaturas possibiles respectum transcendentalem diceret, posset tamen videri non visis creaturis possibilibus (utpote quæ non sunt objectum scientiæ visionis seu intuitivæ) multò magis nullâ creaturâ actuali visâ, ad quam similem equidem ordinem non diceret. Atque estò, posset adhuc sine ea videri: sicut videtur à nobis color non viso Deo, ad quem dicit habitudinem transcendentalem dependentiæ. Quòd si gratis daretur, ipsam habitudinem ad res possibiles non posse videri sine termino, sufficeret cognitio termini in generali & confuso, v.g. rei possibilis in genere. Denique si (prout in superioribus probatum est) posset divinitùs videri essentia non visis personalitatibus; quidni similiter sine isto respectu transcendentali (si daretur) & magis sine ipsis creaturis?

Hinc posset essentia videri nullâ visâ creaturâ.

Ex his patet non esse recurrendum cum quibusdam Doctoribus ad differentiam luminis gloriæ, dum quæritur, cur hæ potiùs quàm illæ creaturæ determinatè videantur in Deo: sufficit enim divina voluntas determinans essentiam ad has potiùs quàm illas repræsentandas. Alioquin etiam incongruè ad differentiam luminis gloriæ recurritur: cùm omne illud sit homogeneum, sive ejusdem rationis, idem autem speciе lumen non possit præstare ejusmodi variationem aut determinationem, utpote indifferens, tam ad has, quàm ad alias creaturas. Ob quod etiam nequit recurri ad majorem luminis intensionem. Quamquam ceteris paribus congruum videatur, ut qui plus habet luminis gloriæ, plures & perfectiores videat creaturas in Deo. Non sic tamen, quin stante quâvis intensione luminis, possent videri aliæ, aut pauciores, aut nullæ, si speculum illud increatum sic vellet.

Cur potiùs hæc quàm illa creatura in Deo videatur.

Dices cum *Vasquez*: si divina essentia ejusque perfectiones nullam habitudinē, seu respectum ad creaturas importent, nequit vi agnitę essētię divinę cognosci creatura: res enim absoluta ut sic nequit deducere in notitiam alterius distinctæ & formaliter dissimilis. Resp. Neg. seq. ejusque probationem: sufficit enim ut altera res ei connexa sit, aut illam eminenter contineat. Sic enim Deus cognoscitur per creaturas, passio seu proprietas, etiam physica, per essentiam, quatenus hæ sunt res absolutæ, connexæ tamen cum Deo, aut essentiâ. Quin & imago aliqua est medium cognoscendi prototypon, non formaliter ratione relationis, sed ratione esse absoluti, seu unitatis; quam in figura & coloribus habent imago & prototypon, quæque unitas est fundamentum respectûs similitudinis inter illa. Ipsa autem relativa quà talia, sunt quidem simul cognitione, non tamen unum est medium, seu ratio cognoscendi alterum. Sic rectè *Smising. n.* 174. & post illum *Wiggers q. 12. a. 8. n. 90.* 66.

Quid requiratur ut una res absoluta aliā repræsentet.

Instabis: quod in altero formaliter non est, non potest in altero formaliter videri. Resp. Neg. Ass. sufficit enim ut in altero viso sit vis determinativa simul ad visionem alterius: prout est in divina essentia.

Petes, quidnam sit formaliter vis determinativa in Deo ad visionem creaturarum, seu quænam sit in Deo ratio formalis repræsentandi creaturas? Resp. esse specialem infinitatem divinæ essentiæ in repræsentando, quæ ad infinitam Dei visibilitatem potest revocari, quà Deus sic est visibilis, ut in eo alia etiam videri possint: quòd enim creaturæ possint in eo videri, spectat ad divinam visibilitatem, eamque reddit omnino perfectam. Ratio porrò cur ejusmodi infinita vis repræsentandi debeat Deo competere, est, quia debet esse in omni genere perfectionis puræ, seu simpliciter simplicis infinitus. Neque his repugnat *Dionysius de divin. nomin. cap. 7.* dicens: *Divina mens per causam rerum omnium, in se omnium rerum scientiam anticipatam habet.* Ubi videtur vim repræsentandi collocare in 67.

Quæ sit ratio formalis in Deo repræsentandi creaturas.

continentia virtuali seu eminentiali. Quod etiam faciunt plures alij Doctores. Non (inquam) repugnat: non enim disputavit S. Doctor de formali ratione alia repræsentandi. Solùm itaque rationem aliquam assignavit, & quidem fundamentalem, aut saltem concomitantem: quia enim Deus est causa rerum omnium, continet omnia eminenter, & quidem infinitè, sicut quoad esse, sic quoad repræsentari: quòd enim creaturæ possint seipsas repræsentare est perfectionis, adeòque idem potest per se præstare Deus loco illarum. Unde nonnulli aiunt Deum subire vicem speciei impressæ creaturarum, quatenus non solùm est objectum formaliter cognitum, sed catenus simul est beatis ratio cognoscendi creaturas; uti est sibiipsi, qui videns se, videt in se alia omnia. Sic noster *Felix c.11.difficult.6.* confundens hunc dicendi modum cum nostro, qui est *Smising d.6.n.192.*

Quî Deus subeat vicem speciei impressæ creaturarum.

68. Non repugnat etiam prædictis *S.Aug. 11. de civit.c.29. & alibi.* Docens, creaturam ab Angelis cognosci in arte & sapientia Dei, quâ facta est. Ob quod varij Doctores formalem vim repræsentandi statuunt ideas divinas. Verùm *S. Aug.* intelligendus est loqui appropriatè, sicut indubiè intelligendus est, dum docet creaturam videri in Verbo. Solùm itaque vult creaturam videri in essentia divina; non explicans formalissimam rationem repræsentandi creaturas: sicut Patres non solent formalissimas rerum rationes operosiùs indagare.

Vim repræsentandi creaturam non statuit S.Aug. in ideis divinis.

Præterea in rigore non subsistit prædicta opinio: cùm ideæ seu ars divina tantùm respiciat res quatenus possibiles. Si autem generaliter statuatur scientia divina, quæ etiam terminatur ad creaturas actuales, difficulter apparet, quomodo ipsa sit alteri, quàm divino intellectui formalis ratio repræsentandi objecta creata, saltem distinctâ & intuitivâ notitiâ. Ob quod etiam non subsistit aliorum opinio, statuentium formalem rationem repræsentandi creaturas actuales ipsum decretum, seu volitionem divinam. Estò, noscens scientiam vel decretum Dei de aliqua re, noscat abstractivè objectum ejusdem. Perfectior enim est notitia creaturarum in Verbo, de qua in præsenti quæritur. Denique non subsistit opinio aliorum, statuentium formalem repræsentandi rationem in respectu, sive rationis (qui veluti figmentum ad rem non pertinet) sive reali, qualis non est in Deo ad creaturas; & quàmvis esset, non foret medium, seu ratio cognoscendi creaturas, estò non posset cognosci sine creaturis (saltem abstractivè cognitis) aut contrà: aliud enim est aliqua esse simul cognitione, aliud unum esse medium cognoscendi alterum. De his fusè *Smising n.183. & seqq.*

Nec in ijs statuis potest.

Vti nec in decretis divinis.

Nec in respectu.

Petes II. An beati ab initio beatitudinis videant in Verbo quæcumque sunt in eo visuri per totam æternitatem? Respondent nonnulli *Scotistæ* (quibus favet *Scotus 1.d.1.q.2.n.6.*) beatos visuros successivè nunc has, nunc illas creaturas, prout congruum erit, manente tamen eodem actu visionis, ob invariatum objectum primarium & motivum: sicut eadem scientia divina tendit ad aliqua objecta secundaria, ad quæ ab æterno potuisset eadem manens non tendere. Sed Responsio est difficilis, immo à *Smising n. 178.* & alijs non censetur probabilis: eò quòd eadem cognitio creata & limitata, quæ specificatur ab objecto, etiam secundario & creato, non possit denuò repræsentare aliquid formaliter, quod antea non repræsentabat. Unde ab eo non potest trahi in exemplum præfatus actus illimitatus, à sola divina essentia specificatus: in quo hoc ipsum nequit ab intellectu nostro capi. Nec dici potest manere eamdem visionem, mutato solùm respectu tendentiæ ad nova objecta creata: nam iste respectus est ipsa formalis repræsentatio objecti, quæ est visioni essentialis, adeòque eâ variatâ necessariò variatur visio: unde ideo potiùs dicendum est visionem variari. Alioquin pari ratione fingeret aliquis etiam in alijs cognitionibus non fieri variationem, sed tantùm acquiri novum respectum tendentiæ. *Scotus* facilè explicatur de identitate specifica subalterna, quòd scilicet semper maneat visio beatifica, seu faciens beatum, quamdiu versatur circa essentiam divinam. 69.

An beati videant successivè diversas res eâdem visione.

Meliùs itaque Respondetur, beatos visuros, nunc has, nunc illas creaturas, prout expediens erit, idque per diversas visiones beatificas sibi succedentes. Neque hoc derogat perpetuitati beatitudinis: cùm equidem beati continuò Deum videant, sitque indifferens, utrùm per eamdem semper, an per diversas visiones, succedentes sine interruptione. Nec obstat *S.Aug.15. de Trin.c. 16.* dicens: *Fortassis volubiles non erunt nostræ cogitationes, ab alijs in alias euntes atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus. Nam* (ut taceam esse verba dubitantis) *intelligitur de his, quæ sunt de essentia gloriæ, quia illa semper erunt in actuali cognitione,* inquit, *S.Bonav.3.d.14. a.2.q.2.ad.1.* numquam enim ab illorum cognitione recedent, & rursum revertentur; etsi non velit semper fore eumdem circa illa actum. Quia nihilominus plerique censent visionem beatificam esse sem- 70.

Dici potest quòd diversâ.

per

per stabilem fine aliqua variatione, quod etiam indicat *Scotus 3. d. 14. q. 2. n. 3.* Ad quæstionem.

71. *Aut etiam quòd eâdem.* Respondeti potest cum Doctoribus communius Aff. Sed difficultas est, non solùm ob nimiam objectorum multitudinem, quæ per totam æternitatem videnda unicus indivisibilis actus deberet respicere, sed etiam ex eo, quòd simultanea ista visio videatur frustranea, cùm aliquando quædam expediat à beatis cognosci pro uno tempore, & non pro alio, v. g. preces ad se fundendas post centum annos, aut circa tempus Antichristi, non expediat sciri, nisi pro tunc. Ad quod tamen dici potest, adeò dilatandum cor nostrum lumine gloriæ, ipsâque Deitate, ut facilè uno intuitu & actu quasi innumera possit objecta secundaria, in uno primario connexa, contemplari; neque id frustraneum esse, sed valde excellentiam beatæ visionis, notitiæque beatorum commendare. Nec tamen inde sequitur, beatos videre diem judicij (quamquam id nonnulli admittant, & probabilem esse responsionem putet *Arriaga disp. 11. sec. 6.*) preces enim prope istud tempus fundendas scire possunt, non cognito determinatè ipso tempore vel die judicij, sicut ipsi qui preces fundent, id non scient.

72. *Vel tandem quòd aliqua videant eâdem visione, aliqua diversâ.* Respondeti præterea potest, non omnia beatos videre in Verbo formaliter, sed ea solùm, quæ numquam ab eis congruit ignorari, seu quæ expedit videri invariabiliter: cetera verò, quæ solùm congruit sciri, quando contingunt, vel certo tempore, videri à beatis variabiliter, non autem in Verbo, nisi causaliter, v.g. per revelationes aut illuminationes eis immissas, vel simili modo. Unde valde credibile est, beatos hoc modo intelligere preces ad se fusas, suppositâ invariabilitate visionis beatificæ.

QUÆSTIO VIII.

Quidnam ex rebus creatis singuli Beati in Deo videant?

De quibus animabus procedat quæstio. Agitur hîc de solis animabus beatorum, qui sunt puri homines. De eminenti enim scientia animæ Christi, fundatâ non tam in statu beatitudinis, quàm in Christi unione hypostatica, & statu universalis rectoris, redemptoris, glorificatoris & judicis, agetur in *Tr. de Incarnatione.* Suppono tamen ex ibi dicendis, nè quidem Christum quà hominem actu videre infinita, vel omnia quæ Deus scit: adeòque multò minùs reliquos beatos; quod etiam alii Doctores satis communiter tradunt. Hoc supposito

Dico: Beati vident in Deo omnia quæ ad suum statum pertinent. Ita communiter Doctores, abstrahendo à modo quo videntur, an scilicet causaliter, an formaliter: potissimum enim, quod intenditur, est, beatos prædicta omnia scire. Conclusioni consonat *Concilium Senonense q. præc.* relatum, & *Greg. 2. moral. 2.* dicens: *Quid de his, quæ scienda sunt, nesciunt, qui scientem omnia sciunt?* Conformiter etiam explicandi sunt varij Patres, qui scientiam beatorum aliquando videntur nimis extendere, etiam ad cogitationes internas cordis, seu conscientias aliorũ, ut *S. Aug. l. 22. de civit. c. 29. in fine. S. Bern. serm. de triplici genere bonorum,* sub fin. ubi præmittit: *O sapientia, quâ tunc omnia, quæ in cælo & quæ in terra sunt, perfectissimè cognoscemus, in ipso fonte sapientia rerum omnium cogitationem bibentes.* Intellige, quantùm interest quemque scire, ut indicat ratio, quam præmittit: *Quòd si nihil deerit nobis, aliquid autem nos latuerit, numquid erit gloria consummata? ideo nihil latebit nos.* Hinc sumitur ratio conclusionis: quia beatitudo satiat omnem rationabilem appetitum beatorum, utpote status omnium bonorum aggregatione perfectus: rationabiliter autem appetunt beati scire ea, quæ ad statum suum pertinent; idque perfectissimâ scientiâ, quantùm convenienter fieri potest. Et hoc est quod vult *Anselmus l. de similitudinibus c. 59.* dicens: *Sapientia tanta in futura vita bonis erit, ut eorum quæ scire voluerint* (utique rationabiliter) *nihil sit quod ignorent.* Hoc est quod vult *D. Bonav. Soliloquij c. 4. longè post med.* dicens: *In quo* (æternitatis speculo) *omnia præterita, præsentia, & futura, quæ summæ beatitudini competunt, apertissimè speculabitur.* Et infrà: *O anima quæ naturaliter scire desideras, hoc speculum* (divinitatis) *videre affecta, in illo studere & legere desidera: quia hoc semel vidisse est omnia didicisse. Ibi revera videbitur, & reputabitur stultitia, Platonis Theoria, Aristotelis Philosophia, Empedoclis Theoremata, Hypocratis Scrutinia, Ptolemæi Astrologia* &c. (addo, ipsa Theologia multorum hîc aridis speculationibus & ambiguis curiositatibus inhærentium) *quia quidquid hîc de veritate intelligimus, minima pars eorum est, quæ ignoramus: sed tunc ô anima videbis & affluet, & mirabitur & delatabitur cor tuum.* 73. *Beati vident omnia quæ pertinent ad suum statum.* *Ratio conclusionis.*

Hinc Doctores communiter, existimant quoslibet beatos cognoscere omnes species rerum naturalium actu productas, totumque ordinem universi. Quod satis colligitur ex prædictis, & specialiter 74. *Vident omnes rerum species actu productas.*

specialiter ex doctrina *S. Aug.* praec. qu. relatâ, quâ Angelis beatis adscribit cognitionem matutinam, sive in Verbo, totius universi.

Quae mysteria fidei videant. Secundò censent quemlibet beatum videre omnia fidei mysteria, quorum fidem infusam habuit in via. Consonat *S. Aug. 20. de civit. c. 21.* dicens: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, & omnia illa quae nunc non videmus, credentes autem pro modulo capacitatis humanae, longè minus quàm sunt atque incomparabiliter, cogitamus: & videbitis, & gaudebit cor vestrum, hic creditis, ibi videbitis*, & alibi. Hoc namque maximè congruum est & conforme desiderio beatorum: ipsaque fidei mysteria, veluti media beatitudinis, cognoscere, maximè spectat ad beatos. Quod potissimùm de praecipuis mysterijs, atque etiam generaliter de omnibus, quae hic explicitè crediderunt, dicendum est. De alijs verò non ita constat: quamquam *Less. l. 2. de summo bono c. 9.* existimet singulos beatos clarè nosse omnia scripturarum arcana, omnes prophetias, omnes figuras, omnes mysticos sensus, omnes Ecclesiae definitiones ac traditiones.

75. *Videant individua ordinis gratiae.* Tertiò censent Doctores, singulos beatos visuros ea individua, quae per se pertinent ad ordinem gratiae, v. g. humanitatem Verbo unitam, Deiparam, Apostolos, Principes Hierarchiarum & ordinum angelicorum, Prophetas, & similes, qui specialia fuerunt instrumenta Dei ad exequendum ordinem gratiae. Immo si revelante spiritu Domini, Sancti etiam in hac vita, etsi invicem ignoti, non rarò invicem noverint, etiam quoad merita & sanctitatem; quantò ampliùs credendum est, quoslibet beatos homines & Angelos in caelo invicem exactissimè nosse, etiam quoad dignitatem, ordinem & gloriam, ubi sunt amantissimi concives, immo condomestici & coheredes ejusdem amantissimi Patris? Cui consonat *S. Anselm. l. de similitudinibus c. 59.* dicens: *Ibi à singulis omnes, ibi ab omnibus singuli cognoscentur. Nec quemquam omnino latebit, quâ patriâ, quâ gente, quâ stirpe quis editus fuerit, vel quid etiam in vita sua fecerit.* Denique

Quae individua ordinis naturae videant. quoad individua ordinis naturae vident partes principales universi, sphaeras caelorum cum stellarum ornatu, ordinem, motum &c. elementa &c. nam *S. Aug. locis qu. prac. citatis*, cognitionem matutinam Angelorum extendit ad universa, quae in principio mundi Deus creavit. Immo *Less. sup.* extendit adeò scientiam beatorum, ut putet sub illam cadere ordinem & cursum divinae providentiae, quâ Deus ab initio mundi usque ad finem utitur cum genere humano, ac proinde ipsos nosse omnia in mundo gesta, ac si coram oculis suis spectassent dum gererentur: eò quòd ad haec omnia sit naturale beatorum desiderium, nec varietas aut multitudo causet impossibilitatem: cùm etiam oculus corporeus res innumeras ac longissimè dissitas simul videre possit, & ipsis quoque reprobis in die judicij facta singulorum sint futura patentia. Quod proinde longè faciliùs creditur posse fieri ab intellectu, per lumen gloriae mirabiliter dilatato. Unde dicit *Greg. 2. dialog. c. 35. Videnti Creatorem angusta est omnis creatura: quamlibet etiam parùm de luce Creatoris aspexerit, breve ei fit, omne quod creatum est.* Quod adducit ad fidem faciendam visioni *S. Benedicti*, qui etiam sine visione ipsius divinae substantiae, in altiori quadam illustratione divina, velut sub uno lucis radio, semel totum mundum collectum vidit; eò quòd *per illustrationem divini luminis de facili possint quaecumque videri*, ut ait *D. Th. 2. 2. q. 180. a. 5. ad 3.*

Incerta tamen haec sunt, eò quòd naturalis beatorum appetitus non sit explendus, utpote qui fertur in summam beatitudinem possibilem: sed solus elicitus ac rationabilis, qui non fertur, nisi in id quod conformiter ad merita, & statum tam felicem singulis debetur; non satis autem certò constat, singulis deberi notitiam omnium gestorum aut gerendorum, quae non pertinent omnia ad singulos beatos. Quare de individuis personis & actionibus hujus mundi censet *Smising n. 220.* beatos singulos ea nosse, quae spectant ad suum statum, v. g. orationes ad se fusas, Regem ea quae sui regnum, Institutorem religionis ea quae suam religionem, Patremfamilias ea quae suam familiam concernunt, & generaliter ea, quae hic & nunc quilibet beatus rationabiliter scire desiderat. Sed 76. *Quis beatorum appetitus sit explendus.*

Dices, fieri potest, ut sanctus inferioris gradûs plura habeat ad statû suum pertinentia, v. g. rex, quàm alius superioris gradûs, v. g. eremita: adeòque iste plura, quàm hic videret juxta jam dicta, essetque per consequens beatior. Resp. In primis non necessariò videri in Verbo formaliter omnia, de quibus jam dictum est. Atque estò videantur, non sequi sanctum inferioris gradûs plura visurum, eò quòd alteri, loco rerum ad se non pertinentium, possint à Deo ostendi, & quidem clariùs, plura alia arcana suae voluntatis, creaturae possibiles &c. sic exigentibus meritis, adeòque rationabili superioris sancti desiderio. Adde, ex multitudine majori objectorum, in Deo visorum, non fieri visionem perfectiorem, quate-

quatenus est beatifica, eatenus autem solùm est præmium essentiale, respondens meritis cum proportione. Unde huc accommodari potest illud *S. Aug. 5. confess. c. 4.* etsi loquentis de beatitudine viæ: *Beatus qui te scit, etiamsi illa nesciat, qui verò & te & illa novit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus.*

QUÆSTIO IX.

An visio beatifica sit simplex notitia, directa seu non reflexa, species seu similitudo expressa, & verbum mentis?

77. PRo adæquatiori notitia visionis beatificæ quæstio hæc videbatur necessariò proponenda, & à Doctoribus communiter proponitur. Pro intellectu autem primæ partis quæstionis

Triplex notitia species. Observandũ est triplicem in nobis reperiri notitiam, nempe simplicem apprehensionem, quâ res objecta repræsentatur absq; eo, quòd intellectus asserat vel neget illam sic se habere, prout objicitur seu repræsentatur: notitiam judicativam, quâ asserit (& dicitur compositio) vel negat (& dicitur divisio) intellectus terminos apprehensos esse connexos: & discursivam, quâ intellectus judicat veritatem unius propositionis, dependenter à judicio aliarum, cum quibus connectitur, seu à quibus dependet. Judicium autem & discursus in nobis ordinariè est formalis: judicium enim præsupponit in nobis distinctum actum simplicis apprehensionis terminorum, seu objecti propositionis. Similiter discursus præsupponit, tum simplices apprehensiones, tum judicium. At quando est unicus actus simplex actus, æquivalens duobus, quo quis & apprehendit & judicat, dicitur judicium virtuale: similiter quando est unicus actus, quo intellectus tam bene, quàm per distinctos actus, & apprehendit, & judicat, & cognoscit propositionem, tamquam connexam cum aliis, seu ab ijs dependentem quoad veritatem, dicitur discursus virtualis. Hoc notato *Quid judicium & discursus virtualis.*

78. *Visio beatifica est formaliter simplex.* DICO I. Visio beatifica formaliter est simplicissima notitia: virtualiter tamen seu eminenter est judicativa & discursiva. Ita communiter Doctores. Prima pars patet: quia cujusmodi notitia est perfectior: ut patet in notitia divina; nec in præsenti aliquid obstat. Deinde essentia divina sufficientissimè proponitur unico simplici actu videnda. Immo generaliter omnis intuitiva notitia, sive corporalis sive intellectualis, est simplex actus. Confirmatur: quia si visio Dei non esset simplex notitia, deberet alia simplex apprehensio præsupponi: hæc autem vel esset intuitiva, adeòque ipsa visio; vel abstractiva, & ad hanc non posset sequi judicium vel discursus, qui sit visio seu notitia intuitiva. Neque repugnat *Scotus q. 3. prolog. n. 27.* concedens, visionem beatificam habere omnes conditiones scientiæ: quarum tamen una est, esse discursivam formaliter: nam loquitur disputativè. Præterea potest intelligi de discursu virtuali, qui simul involvit dependentiam quamdam visionis, quatenus terminatæ ad consequens à seipsâ ut terminatâ ad antecedens: qui fortè sufficit ad rationem scientiæ, & in visione creata beatorum potest habere locum. Alioquin *Doctor 2. d. 1. q. 5. n. 3.* expressè asserit, *animam beatam in objecto beatifico non discurrere circa illud.*

Altera pars conclusionis probatur: quia alioquin visio Dei esset actus valde imperfectus. Deinde non repugnat simplicissimum actum æquivalere distinctis judiciis & discursibus, adeòque beatos videndo Deum, scire & discernere, quid sit Deus, quòd sit sapiens, bonus &c. quòd non sit injustus &c. quid ex quo sequatur: indubiè igitur id de facto faciunt. Quare eadem visio æquivalet distinctis judiciis, quos hîc componendo vel dividendo de Deo formamus, distinctisque discursibus, quibus unam veritatem ex alia inferimus. Idemque expressè docet *S. Bonav. 3. d. 14. a. 1. q. 3.* dicens, *nihil impedire, quin possit concedi, quòd anima beata certissimè judicet, illud esse summum lumen, quod intuetur.* Etsi *S. August.* (vel quisquis est Auctor) refert *l. de vera religione* docentem, *quod de summa veritate nullus potest judicare*; intellige auctoritativè quodam modo, eò quòd nostrum non sit curiosè divina consilia scrutari, eaque dein approbare vel reprobare, sed potiùs judicium nostrum summæ veritati, quæ errare nequit, submittere. Vide *D. Bonav. 1. d. 3. p. 1. a. 1. q. 1. ad 4.* 79. *Est virtualiter judicativa & discursiva.*

DICO II. Visio beatifica est notitia directa, seu non reflexa formaliter; potest tamen esse reflexa virtualiter. Prima pars patet: quia formalis reflexio requirit distinctionem realem: cùm objectum immediatum actûs formaliter reflexi sit alius actus, prout omnes reflexionem formalem explicant. 80. *Non est formaliter reflexa.*

Secunda pars est controversa: nam *Nominales & Smising d. 6. n. 256.* existimant nè quidem virtualiter esse reflexam supra seipsam, id est eodem actu quo videtur Deus, non videri ipsam visionem. Reflexio enim virtualis juxta *Smising n. 249.* dicitur, quando eodem actu cognoscitur res & cognoscitur cognosci. *Sed virtualiter.*

nosci. Accedit *Poncius d.4.n.71.* qui non tam fundat se in impossibilitate (uti *Smising*) quàm in eo, quòd non sit necesse: quamquam satis probabile putet, etiam de facto visionem esse virtualiter reflexam. Quod simpliciter docet *Suarez l.2. c.18.n.9. Salas 1.2. Tr.2. disp.3. sect.4.* allegans *D. Bonav.3. d.14. a.1. q.3. ad ult.* & plures alii; estque probabilius. Et

Notitia virtualiter reflexa possibilitas. Probatur: quia non repugnat visioni objecti, quòd per eamdem intellectus cognoscat se videre objectum; ut patet in scientia Dei, quâ ipse intuetur suam essentiam: per eamdem enim cognoscit se suam essentiam intueri, sive eadem est virtualiter reflexa supra seipsam: ergo similiter non repugnat visioni Dei, quòd terminetur ad seipsam in Verbo, seu quòd intellectus creatus per ipsam cognoscat se videre. Ex quo ulteriùs infertur, de facto ipsam sic esse virtualiter reflexam: cùm id cederet ad majorem perfectionem, nec sit aliquod inconveniens. Confirmatur: quia ad statum beati maximè spectat propria beatitudo; ergo illam, adeòque semetipsam repræsentat in Verbo visio beatifica.

81\. Nec obstat, quòd tunc idem esset objectum sui ipsius; quod non videtur posse fieri, cùm (ut argumentatur subtiliter *Smising n. 253.*) objectum quâ ratione objicitur actui, debeat illi præsupponi. *Quomodo idem possit esse objectum sui ipsius.* Non obstat (inquam) quia potentia quandoque agit circa seipsam, v.g. intellectus intelligit seipsum, voluntas vult seipsam; immo ipsa cognitio Dei versatur circa seipsam: ergo similiter poterit visio beatorum versari circa seipsam; utpote priùs naturâ tendens in objectum primariū sive essentiam divinā, & subordinatè sequenti instanti naturæ reflexa supra seipsam, tamquam objectum secundarium repræsentabile in objecto primario. Unde objectum secundarium & terminativum (quale esset ipsa visio respectu sui ipsius) nō debet esse antequam sit ipsa cognitio, sed solùm præsupponi debet objectū motivum & primarium. Et planè hoc ipsum argumentum solvi debet ab objicientibus (velint, nolint) quoad scientiam ipsius Dei, quæ est virtualiter reflexa supra seipsam.

Non obstat etiam, quòd visio beatifica non possit repræsentare seipsam in Verbo, tamquam perpetuò duraturam; sic enim foret ab intrinseco æviterna, & à Deo indestruibilis vi veritatis sibi essentialis. *Super quid in se reflectatur visio beatifica.* Nam si hoc foret absurdum (quod non satis adhuc est ostensum) dicendum foret, ob hoc ipsum visionem posse quidem reflecti super seipsam, sed non ut perpetuò duraturam, posseque unum ab alio separari. Neque id necesse foret ad securitatem beatorum: cùm ad illam sufficeret, nosse decretum Dei de visione semper continuandâ; continuandâ (inquam) vel in se, vel saltem in simili, cùm non satis constet, an semper eadem numero visio sit mansura.

Pro fine adverte, visionem non fore imaginem, repræsentationem, similitudinem sui, nec ad se relationem realem habituram: hæc enim omnia distinctionem realem important, possuntque à cognitione generaliter sumptâ separari, ut patet in cognitione divina, quâ Deus se cognoscit, & simul se cognoscere.

Dico III. Visio beatifica est species expressa, & formalis seu intentionalis imago Dei. 82. *Qualis illa sit imago Dei.* Est communis Doctorum contra quosdam Thomistas. Patet ex *1. Joan.3. Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Si similes per visionem, ergo ipsa visiu est similitudo Dei, utique expressa ab intellectu & formalis: non enim impressa & virtualis; hæc enim imprimitur intellectui ab objecto, & dicitur eatenus similitudo virtualis, quatenus vice objecti nata est cum intellectu exprimere, seu efficere similitudinem formalem & intētionalem objecti. Idem patet ex *S. Aug.14. de Trin.c.17. In hac imagine tunc perfecta erit Dei similitudo, quando perfecta erit Dei visio.* Et *l.9. c.11.* Similiter loquuntur alii Patres, dum beatos appellant Deiformes, nempe ratione visionis. Ratio est: quia etiam juxta adversarios intellectus beati format, seu exprimit vitalem repræsentationem Dei sicut in se est: *Quid similitudo formalis expressa.* Hoc autem intelligitur nomine similitudinis formalis expressæ: sicut idcirco visio ocularis objecti dicitur ejusdem similitudo intentionalis, seu formalis & expressa.

Nec obstat, quòd Deus, qui est objectum, toto genere distet à visione sui: 83. nam id non obstat, quin equidem Deus possit vitaliter ut in se est repræsentari: neque idem obstat, quin visio Angeli (quæ est accidens toto genere distinctum à substantia Angeli) sit similitudo expressa, Angelum vitaliter repræsentans.

Non etiam obstat præsentia Deitatis: nam equidem id non obstat, quin vitaliter repræsentetur. Deinde, præsentiâ non obstante, Angelus præsens videtur à seipso aut alio Angelo per similitudinem intentionalem expressam: *Ad hunc præsentia objecti est impertinens.* adeòque localis præsentia vel absentia objecti est impertinens. Quod (uti & totam conclusionem) pulchrè expressit *D. Ansel. monologij c.31.* dicens: *Nulla ratione negari potest, cùm mens rationalis seipsam* (utique sibi præsentem) *cogitando intelligit, imaginem ipsius nasci in sua cogitatione, immo ipsam cogitationem sui esse imaginem ad sui similitudinem, tamquam ex ejus impressione*

prossione formatam :] quamcumque enim rem mens, seu per corporis imaginationem, seu per rationem cupit veraciter cogitare, ejus utique similitudinem quantùm valet in ipsa sua cogitatione conatur exprimere. quod quantò veriùs fit, tantò rem ipsam veriùs cogitat. Quo nil aptius ad cōfirmationem dictorum pronunciari posset.

84. Pro resolutione ultimæ partis quæstionis supponendum in primis est, intellectum videntem Deum producere in se aliquam qualitatem, quæ dici solet notitia, conceptus &c. sicut dum videt aut intelligit alia objecta. Quàmvis enim absolutè qualitatem istam posset Deus se solo producere in intellectu creato, ut habet probabilior opinio: de facto tamen & magis connaturaliter intellectus beati concurrit, ut docent communissimè Theologi contra *Nominales*, & tractabitur in materia de Beatitudine. Interim videri potest *Smising d. 6. q. 9. à n.* 273. De hac qualitate, quæ est visio Dei, quæritur, an instar aliarum cognitionum aut visionum, sit verbum mentis?

Quid verbum mentis. Supponendum II. Verbum mentis esse imaginem objecti naturaliter expressam ab intellectu secundo, quæ manet in illo quamdiu durat cogitatio actualis. Sic ex variis locis *Augustini* (ex quo Theologi hoc vocabulum acceperunt) describit *Smising d.6. n.239.* signanter autem debere naturaliter esse expressum, colligitur ex iisdem locis *Augustini*, in quibus asserit verbum nasci, gigni, esse partum & prolem, quæ omnia dicunt ordinem ad naturam. Quare *Smising n.246.* & alij censent, visionē beatificam non esse propriè verbum mentis, eò quòd non procedat naturaliter, sed liberè ab essentia divina per se, aut sui speciem liberè productam; requiri autem videatur, quòd memoria fecunda, id est, intellectus cum objecto aut specie producat verbum naturaliter ex parte utriusque causæ. Favet etiam *Scotus qdl. 14. n. 19. & qdl. 15. n.21.* Nihilominus

85. *Tale est visio beatifica.* Dico IV. Visio beatifica rectè dicitur verbum mentis. Ita plures *Scotistæ*, & alij passim. Et videtur sentire *Scotus d.2. q.7. n.17. & d.27. q.3. n.15. in fine.* Probatur: quia (ut ait *S. Aug. 9. de Trin. c. ult.*) *Omnis res quamcumque cognoscimus congenerat in nobis notitiam sui*; adeòque idem facit essentia divina visa: atqui generatio mentis terminatur ad verbum mentis, ergo visio Dei est verbum mentis. Deinde *cogitatio nostra* (inquit idem *S. Aug. 15. de Trin. c.16.*) *perveniens ad id quod scimus, atque inde formata, verbum nostrum verum est*; hoc autem competit quoque visioni Dei. Denique visio Dei est naturaliter expressa ab intellectu beati; quod sufficit: gratis enim requiritur, ut etiam objectum aliæve causæ concurrentes agant naturaliter. Immo causa prima semper concurrit liberè ad verbum mentis circa quævis objecta. Nec ampliùs requiritur ad partum sive generationem: nam B. Virgo verè generavit veram prolem, etsi Spiritus sanctus concurrerit liberè & non naturaliter. Unde sicut Christus idcirco propriissimè est filius Virginis, non autem Spiritus sancti, sic visio beatifica dicenda est partus & verbum mentis sive intellectus, quia ab eo procedit naturaliter: etsi non deberet dici verbum objecti (ut notat *Scotus quodl. 14. n.19.* Qui proinde non repugnat jam dictis; præterquam quòd tam ibi, quàm *qdl. 15.* solùm disputativè procedat) eò quòd ab objecto seu essentiâ divinâ procedat liberè. In quo nonnihil deficit visio Dei à verbo circa alia objecta: circa quæ elicitur verbum naturaliter, tam ab objecto quàm ab intellectu.

Qua causæ ad verbum mentis debeant naturaliter concurrere.

Explicatur Scotus.

QUÆSTIO X.

De incomprehensibilitate Dei.

Incomprehensibilitas spectat etiam ad invisibilitatem Dei, qui dicitur invisibilis intuitivè, quatenus naturaliter videri nequit ab intellectu creato; incomprehensibilis autem seu invisibilis comprehensivè, quatenus nequit à creatura, etiam per lumen gloriæ elevatâ, videri adæquatè, seu quantùm visibilis est. Sicuti visibilitas & incomprehensibilitas sunt eadem Dei perfectio, quæ appellatur visibilitas, quatenus Deus potest à creatura videri; comprehensibilitas, quatenus à suo intellectu increato videtur quantùm visibilis est. 86.

Itaque comprehensio hîc non sumitur pro assecutione rei, quo sensu beati dicuntur comprehensores; & 1. *ad Cor. 9.* dicitur *Sic currite, ut comprehendatis.* Et ad *Philipp. 3. Sequor, si quo modo comprehendam.*

Sed sumitur pro cognitione omnino adæquata rei, cujus nil lateat cognoscentem. Conformiter ad *S. Aug. epist. 112. c. 9.* dicentem: *Totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nil ejus lateat videntem.* Et *l. 12. de civit. c. 18. Quidquid scientiâ comprehenditur, scientis comprehensione finitur.* Ad hoc autem duo requiruntur. Primum, ut cognoscatur totum quod in aliqua re est cognoscibile. Et hæc dici solet comprehensio extensiva. Secundum, ut cognoscatur totaliter seu commensuratè ad

Pro quo sumatur comprehensio hic.

Qua dicatur extensiva.

objecti intelligibilitatem; sic ut tanta sit perfectio in intellectualitate intelligentis, quanta est intelligibilitas intelligibilis, ut loquitur *Scotus 3.d.14.q.2.n.7.* id est, ut tanta sit cognitionis repræsentativitas, quanta est objecti repræsentabilitas, seu quantam exigit objecti cognoscibilitas. Et hæc dici solet comprehensio intensiva. Quò namque entitas est perfectior, eò perfectior est veritas seu intelligibilitas; adeòque exigitur cognitio in repræsentando perfectior, ut repræsentet commensuratè. Quæ quidem commensuratio distinguitur ab extensiva: cognitio enim abstractiva, etsi repræsentans totum quod visio, non tamen repræsentat tam perfectè & commensuratè; & actus scientificus, quàmvis remissior, magìs adæquat intelligibilitatem objecti, quàm opinio, etiam intensior. Unde comprehensio definiri potest, cognitio quâ non tantùm cognoscitur totum quod est in re cognoscibile, sed etiam tam perfectè, quàm objecti cognoscibilitas exigit. His præmissis

Quæ intensiva.

Comprehensionis definitio.

87. Dico: Deus intellectui creato est non solùm naturaliter incomprehensibilis (ut fide certum est ex invisibilitate Dei) sed etiam absolutè. Est certa Doctorum sententia (suppositâ notione nominis, *incomprehensibilitas*, quam posuimus: quidquid sit, aliter accepto hoc nomine) quam *Smising d. 7. n. 20. 22. & 23. & alij* putant de fide, contradicente *Vasquez*, in quem idcirco graviter invehitur *Lorca*, teste *Smising sup. n. 20.* Colligitur ex *Concil. Later.* & refertur *c. firmiter*, de *Sum. Trin.* ubi Deus simpliciter definitur *Incomprehensibilis.* Quod intelligendum est absolutè; ut colligitur ex subjecta materia: nam aliter à Patribus & Doctoribus dicitur Deus incomprehensibilis, aliter invisibilis; cùm tamen sit naturaliter etiam invisibilis: quare juxta sensum Patrum & Doctorum censetur Concilium loqui de absoluta incomprehensibilitate. Scripturæ testimonia juxta *Vasquez* possent explicari, partim de incomprehensibilitate naturali judiciorum & consiliorum Dei, quæ tamen Deus potest alicui revelare; partim de invisibilitate Dei. De qua invisibilitate conatur *Vasquez* etiam accipere dicta Patrum. Sed malè; ut optimè ostendit *Smising n. 21.* eò quòd Patres plerumque creaturis rationalibus claram visionem Deitatis tribuentes, cōprehensionē ejusdem penitùs excludāt; ut patet apud *D. Greg. 10. moral. c. 7. aliàs 10. & c. 11. & l. 18. c. 27. aliàs 28. S. Aug. ep. 112. c. 8. & 9. & alios. Bedam illud 1. Ioan. 3. Videbimus eum sicuti est.* Sufficiant verba *S. Aug. serm. 38. de tempore*, ubi ait: *Attingere aliquantùm te mente Deum magna beatitudo est; comprehendere autem omnino impossibile.* Et *Beda* suprà, ubi ait: *Promittitur nobis videre Deum, nam comprehendere concedi non potest.*

Absoluta Dei incomprehensibilitas.

Fundatur hæc incomprehensibilitas in omnimoda infinitate divinæ naturæ; vi cujus sicut nequit comprehendi aliquo loco, quin illum excedat; nec tempore, quin illud antecedat, ac sit diuturnior; nec amore, quin ampliori sit amore dignior, quàm ab ulla mēte creata exhiberi potest; sic neque intelligētiâ creatâ, sic ut hanc nil Dei lateat. Itaque in infinita Dei natura fundatur infinita ejusdē intelligibilitas, seu cognoscibilitas; cui exactissime adæquatur seu cōmensuratur ipse actus, quo Deus intelligit seipsum: adeòq; sicut ab hujus perfectione in repræsentando deficit omnis cognitio creaturæ, etiam possibilis, sic quoque deficit à comprehensione Dei. Unde etsi dabilis foret cognitio creata infinita, nondum per eam comprehenderetur Deus: nam adhuc esset sine comparatione imperfectior in intelligendo, quàm actus divinus, qui præcisè adæquatur divinæ intelligibilitati. Deinde ad hoc, ut comprehenderetur Deus, deberent cognosci omnia, quæ Deus simul intelligit aut potest, adeòque infinita: aliàs enim non penetraretur perfectissimè vis intellectiva seu sapientia, & omnipotentia Dei: hoc autem argueret in creatura infinitam vim intelligendi, quæ creaturæ repugnat. 88.

Divinæ incomprehensibilitatis fundamentum.

Ex quibus evidenter patet absoluta Dei incomprehensibilitas, etiam respectu cujuscumque intellectus à Deo creabilis: quiscumque enim à Deo creetur, ejus cognitio non adæquabit intelligibilitatem Dei, sicut adæquat ipsa intellectio divina: quantùmvis dabilis foret creatura, quæ simul intelligeret Deum secundùm omnes terminationes & terminabilitates.

Etiam quoad intellectum creabilem.

Dices, secundùm *S. Aug. epist. 112. c. 8.* *Totum comprehenditur, quod ita videtur, ut nil ejus lateat videntem*; id autem verificaretur de Deo respectu ejusmodi creaturæ; uti & illud *S. Aug. 12. de civit. c. 18.* *Quidquid scientiâ comprehenditur, scientis comprehensione finitur.* Accedit, quòd ad comprehensionem corporalem impertinens sit specifica perfectio corporis continentis; adeòq; etiam ad comprehensionem intentionalem (quę ex analogia ad corporalem desumpta est) impertinens est perfectio ipsius cognitionis, sed sufficit totum objectum intentionaliter contineri in cognitione. Resp. talem creaturam (quæ quidem communi sententiâ impossibilis est) adhuc aliquid Dei lateret, quatenus ab ea non videretur totaliter, seu adæquatè & commensuratè: in tantùm enim latet ob- 89.

Quem aliquid Dei lateret.

jectum,

objectum, in quantùm repræsentabilitas illius non exhauritur per repræsentationem, prout non exhaurireturˌsed in fonte velut adhuc remaneret inexhaustaˌac sine fine profunda Dei repræsentabilitas. Neque Deus scientiâ ejusmodi creaturæ per consequens finiretur seu clauderetur: solius enim Dei illud est,cujus intelligentiæ nô est finis, ut idem *S. Aug. 12. de civit. c.* 18. exprimit: *Quapropter si quidquid scientiâ comprehenditur, scientis comprehensione finitur, profectò & omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est, quia scientia ipsius incomprehensibilis non est.* q.d. etsi quod comprehenditur in comprehendente finem habeat(intellige, non positivè, cùm in infinito non sit finis seu limes, sed negativè, quatenus nil rei cognitæ est extra cognoscentem,adeòque cognoscibile non excedit cognoscens, ut rectè explicat *Scotus* 3.*d.*14.*q.*2. *n.*7.) non mirum Deum à seipso,utpote infinito,posse comprehendi, cùm infinitum sit quodammodo finitum infinito, quatenus non repugnat infinitum adæquatè commensurari infinito.

90. *Disparitas inter comprehensionem corporalem & intentionalem.* Ad exemplum comprehensionis corporalis,Resp. dispăritatem esse,quòd hęc sit tantùm secundùm quantitatem continentis & contenti, quæ non variatur secundùm majorem perfectionem substantialem corporis continentis; ideoq; tam perfectè liquor comprehenditur in vase ferreo,quàm in aureo: at comprehensio intentionalis fit secundùm attingentiam actûs cognoscendi, quæ attingentia spectatur non solùm secundùm extensionem ad objectum,sed etiam secundùm intensionem,seu perfectum modum attingendi objectum; quod eatenus continetur, quatenus attingitur; adeòque perfectiùs côtinetur,quãdo perfectiùs attingitur; & tunc solùm perfectè côprehenditur,quãdo attingitur totaliter, seu tam perfectè, quàm postulat ipsa attingibilitas seu cognoscibilitas objecti. Aliàs dicendũ foret notitiã dubiam vel probabilem solùm,attingentem tamê omnia prædicata objecti, esse comprehensivam ejusdê cognitionê, quod hactenus nemo somniavit. Ex quo proinde etiam confirmatur *S. Aug.* sup. objectum,esse explicandũ modo allegato.

91. *Quæ incomprehensibilitas soli Deo sit propria.* Petes, an incomprehensibilitas sit soli Deo propria? Resp.Aff.loquendo de incomprehensibilitate intensiva, quæ fundatur in infinita entitate & intelligibilitate Dei,& potissimum côsideratur:creatura enim habet finitam intelligibilitatê, suæ videlicet entitati proportionatam. Unde cognitio,quâ Deus creaturam cognoscit,non solùm exhaurit intelligibilitatê creaturæ,sed etiam infinitè excedit, adeòque creaturam infinitè supercomprehendit, tam perfectam.nimirum cognitionem non exigente objecto cognito, sed ipso subjecto, scilicet Deo cognoscente,qui ex natura sua infinitus est, omnisque scientia ejus similiter.Similis quodammodo excessus(sed sine comparatione minor) reperitur in comprehensione corporali, si videlicet parvum contentû collocetur in immenso continente, v.g. nos in circumferêtia supremi cæli. Quare Angelus potest intensivè comprehendere semetipsum;& multò magis alium inferiorem Angelum vel hominê:cùm possit tam perfectè intelligere, quàm postulat intelligibilitas sui vel alterius inferioris.

Quod autem ad incomprehensibilitatem extensivam attinet,si ad illam, loquendo etiam de creatura, requiramus cum *Smising n.*10.& alijs,ut distinctè cognoscantur, non tantùm omnia creaturæ intrinseca,sed etiam omnes termini,quos respicit,vel quos ipsa terminat (quemadmodum de Deo præmisimus) atque adeò ut cognoscatur secundum omnem terminationem & terminabilitatem: satis constat,nullam creaturam posse ab altera hac ratione comprehendi; cùm quælibet dicat ordinê ad terminos infinitos,& specialiter ad ipsum Deum:nequit autem creatura intellectualis, utpote finita, distinctè simul cognoscere infinita. Quod adhuc magis dicendum erit, si cum *Smising* requiratur non solùm distincta,sed etiam comprehensiva omnium terminorû cognitio,quasi alioquin non sit plenè exhausta intelligibilitas rei extensiva secundùm omnia quæ respicit: Deus enim,qui unus est ex terminis,nequit à creatura comprehensivè cognosci.Si quis verò ad côprehensionem extensivam creaturæ pauciora requirat (prout non infundatè posset) adeòque aliter in præsenti loquatur, per me licet. — 92. *Quid requiratur ad incomprehensibilitatem extensivam.*

QUÆSTIO XI.
De Ineffabilitate Dei.

INEFFABILE seu innominabile dicitur, quod verbis explicare seu exprimere non possumus.Agitur autem hic de ineffabilitate vocali,seu per verbum oris: de ineffabilitate enim mentali (quæ cum incognoscibilitate coincidit)satis actum est, dum ostendimus non posse Deum exprimi verbo mentis, seu cognitione creatâ comprehensivâ, neque naturaliter cognitione intuitivâ,aut abstractivâ distinctâ, sed solùm cognitione imperfectâ & confusâ. Hoc supposito — *Quid ineffabile hic.*

DICO I. Certum est, nos in via,sicut aliquo modo possumus Deum concipere, sic posse aliquo modo & imperfectè Deû effari, ipsius perfectiones verbis explicare, nomenque ei proprium seu soli conve- 93. *Dei effabilitas.*

 niens

niens imponere, eodemque Deum appellare. Exemplo est ipsa sacra Scriptura, quæ varia nobis de Deo loquitur, nominaque illius describit, videlicet *Dei omnipotētis, Dominus exercituum, qui est*, seu (quod verisimiliùs coincidit) *jehova*, quod dicitur nomen tetragrammaton, id est, quatuor litterarū. Ipseq; *Dionysius*, qui ineffabilitatem Dei sic deprædicat, *de divinis nominibus* librum scripsit; utiq; frustrà, si nullatenus nominari posset, ut rectè notavit *S.Bonav.1.d.22.a.1.q.1.* Et ut acutè dixit *S.Aug.l.1.de doctrina christiana c.6. Ne ineffabilis quidem dicendus est Deus, quia & hoc cùm dicitur, aliquid dicitur, & fit nescio quæ pugna verborum; quoniam si illud est ineffabile, quod dici non potest, non est ineffabile, quod vel ineffabile dici potest.*

94. *Varia Dei nomina.* Notandum verò est nomina Dei, alia esse positiva, alia negativa. Positiva alia sunt absoluta: & hæc rursum vel Deo propria, ut vox Deus, jehova; vel transcendentia cum creaturis, ut substātia, bonus, sapiens &c. quæ nostro imperfecto concipiendi modo facimus Deo propria, cōbinando aliquod prędicatum negativum, aut comparativum, v.g. substantia infinita, bonus per essentiam, essentia creatrix, sapiens summè &c. Et hæc quidem nomina ex creaturis desumpta sine ulla improprietate, seclusis tantùm imperfectionibus, sunt ad Deum translata. Unde per priùs dicantur de creatura quoad ordinē institutionis: at quoad rem signatam priùs insunt Deo, ac de illo verificantur; ut rectè notavit *D.Bonav.1.d.22.a.1.q.3.in corp. D.Th.q.13.a.6.* esse enim, sapientia, bonitas &c. priùs & essentialiter Deo insunt, indeque omne esse, omnis sapientia & bonitas &c. in creaturas derivatur. Alia sunt respectiva & Deo propria, sed per comparationem ad creaturas, v.g. Creator, Dominus omnium &c. quæ tamen non significant aliquid Deo intrinsecum, quatenus desumuntur à creaturis, seu aliquo extra Deum. Alia sunt nomina metaphorica, v.g. leo, lapis, petra &c. quæ utique Deo quoad proprium significatum non competunt, cùm illud involvat per se imperfectionem, sed Leo dicitur quia aliquid simile leoni, scilicet fortitudo, citra imperfectionem in Deo reperitur, & sic de ceteris; ut rectè *D.Bonav.sup.* de quibus etiam eruditè & piè idem *S.Doctor d.34.a.2.q.4.*

Respectiva.

Metaphorica.

Nomina porrò respectiva, quæ fundantur in operatione Dei transeunte, seu ad extra, ut Dominus, Salvator, Creator, dicuntur de Deo ex tempore: secùs est de importantibus respectum Dei ad intrà, ut esse prædestinatorē, præsciū futurorū &c.

95. *Absoluta.* Nomina autē absoluta, etsi sæpè ex aliquo effectu primitùs sint desumpta, possunt equidem significare, non solùm aliquam perfectionem Deo intrinsecam, sed etiam ipsam Dei naturam seu essentiam: ut nomen, *Deus*, quod juxta idioma græcum varias habet derivationes, vel ab urendo, vel à currendo, omniaque confovendo, vel à perspiciendo (ut patet apud *Damasc.l.1.de fide c.12. & Smising Tr.1.d.1.n.1.*) & tamen ad significandam ipsam naturam divinam est institutum; ut dicat *S.Aug.l.1.de doctrina Christiana c.6. Omnes latina lingua scios, cùm aures eorum sonus iste* (vox, *Deus*) *tetigerit, movet ad cogitandam excellentissimam quamdam immortalemq; naturam.* Et *Ambrosiaster in c.3. ad Gal. Deus naturæ nomen est, non potestatis.* Aliud siquidem esse potest, unde nomen imponitur, aliud verò ad quod significandum imponitur, ut optimè *D.Bonav. d.2.in expos.textûs dub.3.* prout vox *Lapis* est imposita ad significandam quamdam substantiam, etsi fortasse occasione sumptá ab actione quod pedem lædat; ut rectè notavit *Scotus d.22.q.1.n.2.* Nobis equidē pro hoc statu nomen *Deus*, aut quodvis aliud, significat substantiam Dei tantùm confusè, propriè quidem quoad rem significatam, non tamen quoad modum significandi: cùm substantiam ipsam significatam mente nostrâ quasi circumloquamur per respectum aut comparationē ad creaturam, v.g. causa prima, ens supremum, vel sub negatione imperfectionis creaturarū, v.g. ens infinitum, immensum &c. quamquā sub isto significandi modo concipiamus & nominemus ac significemus perfectionē positivā, quæ est talis negationis radix. Deniq; etsi omnia nomina divina significēt eamdē rem (exceptis nominibus trium personarū, sive relationū, quatenus ab invicem distinctarum) non tamen sunt synonima, quia sive perfectiones significatæ sint diversæ ex natura rei, sive non, saltem eas diverso modo nobis significant; ut rectè *D.Th.q.13.a.4.*

Unde derivetur nomen, Deus.

Dico II. Certum est Deum esse naturaliter & quidditative ineffabilem respectu viatorum, non habentium aliquem distinctum conceptum Dei. Hoc sensu docent Patres *Dei neque nomen neque sermonem esse, Deo nomen imponi non posse, ipsum nullis verbis explicari posse, ascendere in linguam non posse, esse innominabilem* &c. ut videre est apud *Smising d.7.n.30.* Et alios. Accedit c. *firmiter de Sum. Trin.* ubi expressè definitur Deum esse *ineffabilem.* Idē clarè sequitur ex naturali invisibilitate & incognoscibilitate quidditativâ Dei: cùm enim viatores intuitivè vel distinctè quidditativè nequeant Deum cognoscere, consequenter iis nemo potest Deum sic explicare, ut inde assurgant in conceptum intuitivum, vel quidditativum 96. *Dei ineffabilitas respectu viatorum.*

Ejus radix.

distin-

At ratio ulterior. distinctum Dei. Cujus ulterior ratio est: quia etiamsi loquens clarè Deum videret, non potest tamen claram aut distinctam notitiam loquendo ingerere audienti, qui aliundè non est instructus sufficientibus ad id principijs, scilicet lumine gloriæ vel specie distinctè Deum repræsentante. Unde nō tantùm viatores, sed nec ipsi beati, immo nec ipse Deus potest loqui Deum viatoribus quidditativè, posito quòd sufficientibus principijs viatores audientes non instruantur: aliàs enim tantùm concipient significata nominum & verborum secundùm quod sunt instructi speciebus aut habitibus: nam qui loquitur non tribuit audienti principia sciendi, sed occasionem, ut auditâ voce intelligat significatum, eo modo quo est instructus. Quare id non oritur defectu nominis, sed potiùs cognitionis illorum, quibus fit locutio: adeòque ex eodem capite Deus est ineffabilis, ex quo invisibilis aut distinctè quidditativè non cognoscibilis. Ideoque Doctores passim admittunt, Deum non esse ineffabilem beatis ad invicem comparatis, quia nimirum sunt instructi supernaturalibus principijs ad Deum distinctè & intuitivè cognoscendum. Est tamē ipsis, omnique creaturæ ineffabilis comprehensivè; ut patet ex omnimoda incomprehensibilitate Dei respectu cujusvis intellectus creati.

Sed difficultas est, utrùm sicut Deus est quidditativè ineffabilis viatoribus, sic etiam sit ineffabilis à viatoribus, scilicet respectu Angeli vel beati. Multi enim existimant, Deum etiam sic ineffabilem esse. Ita *Alensis. D. Bonav. D. Th.* & plures tum Antiqui (quos refert *Smising d. 7. n. 36.*) tum Recentiores. Nihilominus

97. *Deus est effabilis à viatoribus.* Dico III. Potest viator Deo nomen imponere ipsum quidditativè significans, Angelis videlicet vel beatis. Ita *Scotus d. 22. q. 1. n. 2. & 3. & q. 2 n. 8. & 9.* quē præter suos sequuntur *Nominales, Molina, Vasquez, Arriaga* & multi Recentiores. Ratio est: quia vox potest significare perfectiùs, quàm conceperit instituens vel eâ utens, v. g. nomen impositum coloribus à cæco, perfectiùs illos significat ceteris, quàm ipsi cæco: nomen enim significat rem juxta intentionem instituentis, & secundùm quod audientes erūt capaces, seu aliundè ad intelligendū sufficienter instructi: ergo quàmvis viatores non cognoscant Deum quidditativè & distinctè, possunt tamen imponere nomē, quod ipsam Dei quidditatem, etiam distinctè significet, illis videlicet qui sunt capaces, seu aliundè sufficienter instructi ad sic cognoscendum.

98. Nec obstat I. quòd etsi voces non significent loquenti, sed audienti, tamen illarum significatio non sit mensuranda ex conceptu audientis, qui se habet passivè instar recipientis, sed potiùs ex conceptu loquentis, qui se habet activè instar causæ significationis. Non obstat (inquam) quia causa operatur perfectiùs pro dispositione passi. Quare si plures eamdem locutionē audiant, inæqualiter illam intelligent, juxta inæqualē dispositionem intellectûs audientium. *Voces significant pro dispositione audientis.* Falsum tamen est, loquētem esse causam significationis aliam, quàm occasionalem: quatenus scilicet locutio est occasio, ut excitentur species rei significatæ, seu conceptus audientis: cujus quidem cōceptus physica & propria causa est ipse audiens. Unde locutio ex sua parte est indifferens, & significat perfectè vel imperfectè, quidditativè vel confusè, prout est occasio ejusmodi conceptûs in audiente: est autem occasio hujus vel illius cōceptus, prout audiens aliundè principijs instructus, istius locutionis occasione elicit conceptum perfectum vel imperfectum.

Non obstat II. quòd voces audienti significent conceptum loquentis; hic autem in viatoribus non sit quidditativus: nam voces principaliter & directè significant ipsam rem, idque juxta dispositionem audientis; indirectè autem & quasi arguitivè indicant, loquentem habere de eadem re aliquem conceptum, perinde qualem aut quàm perfectum. *Quomodo significent conceptum loquentis.*

Non obstat III. quòd viator respectu beatorum nullum habeat commercium: quia equidem notitia institutionis vocum potest esse in beatis, uti in dæmonibus (cum quibus pariter non est commercium) qui etsi de re non cogitarent, occasione tamen vocum aut locutionis excitarentur ad cogitandum de eadem re, per voces significatâ.

Non obstat IV. quòd beati præviè ad locutionem Deum videant; adeòque vox audita nequeat eis significare, seu excitando sui cognitionem deducere in cognitionem Dei, utpote antecedenter jam visi. 99. Nam in primis idem militat contra beatos, quibus tamen, respectu habito ad invicem, Deus non est ineffabilis, etiam juxta alios passim. Deinde non militat saltem contra non beatos, qui haberent speciem abstractivam distinctam Dei; qualis non est impossibilis, & fortè fuit in Angelis viatoribus. Denique ad loquendum & significandum non requiritur, ut is, cui loquimur, anteà de re non cogitet: nam loquimur invicem de rebus notis & actu visis. Sic de Petro, quem video, posset alter mihi dicere, Petrus hic vel illud desiderat: tunc autem nomen istud indubiè mihi significaret Petrum.

Locutio poteſt eſſe de re præcognita. Eodem itaque modo beati de facto audientes nomẽ Dei, ſtatim intelligunt eſſe ſermonem de Deo, quem vident. Quare etſi locutio excitet ad notitiam rei, quando de ea audiens non cogitabat: ſufficit tamen, ut ſi antea de re cogitet, audito nomine intelligat quid ſignificet, ſeu advertat & notet, rem à ſe cognitam ſignificari nomine per loquentem prolato; adeò ut, ſi alioquin poſſet eſſe ſine tali cognitione, audito nomine ſtatim excitarentur principia ad conceptum Dei proportionatum principijs. Unde id certum apparet *Poncio d.3.n.56. Arriaga d.14.n.2.* Etſi *Suarez.* & *Valentia* apud *Smiſing d.7.n.36.* putent à nemine, etiam beato, reſpectu beati poſſe imponi nomen quidditativum, ſeu ſignificari Deum quidditativè.

100. Hinc ulteriùs *Smiſing.n.42. Poncius n.47. Arriaga ſup.* exiſtimant, poſſe à viatoribus imponi nomen ad ſignificandum Deum, etiam comprehenſivè, ſcilicet reſpectu Dei: eodem enim modo ſibi ſignificari, quo à ſe, etſi præviè cognito, concipi poteſt; ſimili ferè ratione, quâ poteſt ſignificari beatis, eum actu videntibus. Quamquam *Altiſiodorenſis, D. Bonav. Richardus* & alij apud *Smiſing ſup.* ex principio, hâc concluſione refutato, exiſtiment tale nomen poſſe imponi à ſolo Deo, quaſi nomen non poſſit ſignificare perfectiùs, quàm concipiat imponens. Præter quam rationem allegat *Prap. q.13.n.4.* aliam, quòd ſcilicet nè quidem beati poſſint Deo imponere nomen, eò quòd ipſe non excitetur ad ſe cognoſcendum ex eo, quòd aliquis ei loquatur. Sed etiam beati non excitantur inde ad Deum cognoſcendum, & tamen admittit ibidem poſſe beatos invicem loqui Deum quidditativè. Quare ſufficit utrobique, ut Deus intelligat ſe tamquam ſignificatum tali nomine.

An Deus ſit à viatoribus effabilis comprehenſivè.

DISPUTATIO VI.

De Intellectu & Scientia Dei.

1. Explicatis modis intrinſecis, ſive perfectionibus, quæ per negationem à nobis exprimuntur, foret primo loco agendum de perfectionibus generaliter cum omni ente tranſcendentibus, quæ ſolent vocari paſſiones ſimplices entis, ſcilicet de unitate, veritate & bonitate. Quæ quidem indubiè Deo, utpote maximè enti, conveniunt; & quidem, prout in ipſo reperiuntur, infinitæ & ſummæ ſunt, adeò ut ſit maximè unus, verus & bonus. De his tamen ſufficienter actum eſt (quantùm Theologiam concernunt) de unitate quidem *diſp.1.q.5.* agendo de ſingularitate, ſive unitate ſingulariſſimâ Dei; de bonitate *diſp. 3.* agendo de infinita perfectione & appetibilitate Dei; de veritate *diſp.proæ.* ubi de ejuſdem cognoſcibilitate actum eſt. Ad alias itaque perfectiones attributales, poſitivam perfectionem, etiam in nomine, præ ſe ferentes, & ſecundùm aliquam generalem rationem, ſaltem imperfectam, communes Deo & quibuſdam creaturis, etſi cum infinita diſtantia & inæqualitate, properandum nobis eſt. Inter quas primo loco occurrit Intellectus & Scientia. Unde ſit

QUÆSTIO I.

An Deus ſit præditus intellectu & ſcientiâ infinitâ, & qualis inter utrumque & eſſentiam intercedat diſtinctio?

Dico I. Deus eſt præditus intellectu & ſcientiâ. Eſt de fide. Patet ex Scriptura, quæ ſæpiſſimè adſcribit Deo intelligentiam, ſapientiam & ſcientiam, ut *Iob 12. ad Rom.11.* & alibi paſſim. Rationẽ deſumit *D.Th.q.14. a.1.* ex immaterialitate Dei. Quam tamen nihil valere, inquit noſter *Poncius d.5.n.1.* Etſi enim omnis ſubſtãtia immaterialis de facto ſit intellectualis, non apparet tamen quin poſſit divinitùs dari ejuſmodi ſubſtantia, quæ intellectualis non ſit; ut proinde ex gradu immaterialitatis præcisè non videatur convinci intellectualitas. 2. *Intellectus Dei & ſcientia.*

Aliter ergo probatur: quia intellectus & ſcientia eſt perfectio ſimpliciter, quam Deus etiam communicat creaturis; qui proinde eâdem carere non poteſt. Deinde agenti nobiliſſimo convenit modus agendi nobiliſſimus, qui eſt agere per cognitionem & voluntatem. *Probatur.*

Nec refert, quòd natura producat nobiliorem effectum quàm ars, adeòque modus agendi inſtar naturæ videatur nobilior, quàm modus agendi per cognitionem ſive artem, ob quod ars dicitur imitari naturam, non adæquare. Nam etſi id verum foret ubi voluntas non eſt omnipotens, ſi tamen ars poſſet facere omne quod voluntas cupit (qualis eſt ars divina) non minùs nobiliùs ageret, quàm natura, ut ait *D.Bonav.d.45.a.3.q.1. ad 3.* Præterea falſum eſt modum agendi artificioſum non eſſe nobiliorem (quidquid ſit de nobilitate effectûs) utpote prælucente ratione, quâ nil in creatis eſt nobilius, ideóque ſolis Angelis & hominibus competens. Denique ipſum agens naturale ob imperfectum agendi modum

egет

eget agente artificiali, quod illud dirigit & in finem agit, cùm ipsummet se dirigere nequeat. Ob, quòd opera naturæ clamant supremum aliquem artificem, qui cuncta curet & agat.

3. *Perfectio intellectûs & scientia Dei.* Dico II. Intellectus & scientia Dei est infinitæ formaliter perfectionis. Est de fide. Et patet ex infinitate Dei simpliciter, seu in tota latitudine entis. Specialiter probatur ex Scriptura *Psal.* 146. *Magnus Dominus, & sapientia* (*S. Aug.* legit *intelligentia*) *ejus non est numerus.* Idem patet ex illis auctoritatibus Scripturæ & Patrum, quæ dicunt Deum sibi soli notum, scilicet adæquatè & comprehensivè: ad quod utique necessaria est infinitè perfecta vis intelligendi, sicut in objecto seu ipsa Deitate est infinita perfectio & intelligibilitas. Ratio est, quia essentiam seu naturam intellectualem infinitam decet infinita in intelligendo ceterisque perfectionibus absolutis perfectio. Dixi signanter *perfectionibus absolutis*: utrùm enim relationes consequentes divinã essentiam sint formaliter infinitæ, est quæstio peculiariter *in Trac. de Trinitate* disputanda. Pro præsenti sufficiat rationem specialem de his esse, si non sint infinitæ, 'eò quòd per consequens non sint determinatæ perfectionis, adeòque non debeant, esse limitatæ vel illimitatæ, sed possint ab utroque abstrahere; prout abstrahere non possunt proprietates absolutæ, utpote determinatæ perfectionis: adeòque cùm limitatæ esse nequeant in Deo (ut patet) debent esse necessariò illimitatæ & infinitæ.

4 *Complectitur perfectionem intellectûs omnis creaturæ.* Ex hac conclusione sequitur I. quidquid est perfectionis in omni intellectu & scientiâ omnis creaturæ angelicæ & humanæ, tam in præsenti quàm in præterito, aut futuro per totam æternitatem dispersum, id seclusâ omni imperfectione esse collectum in unico & simplicissimo intellectu & scientiâ Dei. Immo quidquid omnis intellectus creatus possibilis, per omnem possibilem scientiam, per tempus infinitum potest, id intellectus Dei unico simplicissimo intuitu infinities perfectiùs præstat.

5. *Excludit omnem imperfectionem.* Sequitur II. quidquid est imperfectionis in intellectu aut notitia creata, esse secludendum ab intellectu & scientia Dei. Unde nulla in Deo reperitur opinio, obscura notitia, compositio vel divisio, aut formalis discursus, nulla simplex omnino apprehensio, nulla formalis reflexio, nulla consultatio aut deliberatio: quia hæc omnia involvunt imperfectionem. Quare omnis cognitio Dei est infallibilis, evidens, indistincta & indivisibilis, virtualiter judicativa, exhauriens simplicissimo & comprehensivo intuitu totum objectum citra ullum laborem aut inquisitionem. Est etiam virtualiter reflexa, quatenus per illam scit Deus se cognoscere: hoc enim est perfectionis, seclusâ distinctione reali, quam importat reflexio formalis. Nec obstat, quòd intellectio divina sic esset objectum terminativum sui; idem autem nequeat terminari ad seipsum secundùm idem: nam cùm hoc nil aliud sit, quàm percipere seipsum, potest & debet competere intellectioni infinitè perfectæ. Est insuper virtualiter discursiva, quatenus simplicissimo actu exhaurit directè antecedens, consequens & connexionem. Si tamen cum Nonnullis ad discursum virtualem requiratur, quòd terminetur directè ad consequens, indirectè autem ad antecedens; vel cum alijs, quòd terminetur ad consequens vi cogniti antecedentis, seu quatenus fundatum in antecedente, patet discursum virtualem Deo non competere, qui omnia videt directè & æquè immediatè in sua essentia. Ulteriùs

Qualis sit cognitio Dei.

An sit virtualiter discursiva.

Sequitur III. scientiam seu cognitionem Dei posse practicam dici, dupliciter. Primò quatenus dirigit praxim nostram sive alieni suppositi. Quod tamen an sufficiat ad scientiam practicam propriè dictam, dubitari potest, cum *Scoto q. 4. prolog. n.* 37. Sufficere autem tamquam probabilius censet *Smising in Proæmio n.* 135. etsi oppositum obtinuerit modus loquendi, quem imitandum sibi proposuit, ut ait *n.* 152. Secundò quatenus voluntati & operationi divinæ prævia semper est cognitio; quæ proinde ostendit rectitudinem volitionis & operationis. Si tamen ad scientiam practicam requiratur, ut sit regula directiva, & mensura volitionis & operationis, sic divina scientia nequit dici practica respectu suæ volitionis aut operationis: ipsamet enim voluntas Dei est prima & suprema omnimodaque sui regula in agendo, nec aliud in ratione mensuræ aut directivi supponere potest. Ita *Scotus d.38.q.un. Smising sup.* Etsi solùm sit quæstio de nomine, de qua *Scotus q. 4. prolog.* ferè problematicè differit. 6. *Potest dici dupliciter practica.*

Sequitur IV. in divino intellectu non dari habitus, non tantùm realiter distinctos (utpote manifestam involventes imperfectionem) sed neque formaliter aut ratione ratiocinatâ intellectui superadditos: ipse namque intellectus divinus formalissimè in se habet summam facilitatem ac promptitudinem ad quamlibet notitiam sive intellectionem. Unde sicut creaturis summè promptis & determinatis naturaliter, nō superadduntur habitus, 7. *In intellectu divino non dantur habitus.*

v.g. lapidi ad cadendum &c. sic intellectui infinito, ex se sufficientissimè determinato respectu cujusvis cognitionis cum omni perfectione possibili, non est superaddendum aliquid, etiam formaliter aut ratione distinctum, quod vicem habitûs sustineat. Nec obstat, quòd habitus significet promptitudinem ac facilitatem perfectissimè agendi: nam consignificat simul supplementum potentiæ imperfectæ, scilicet non tam expeditæ sine habitu: adeòque necesse abstrahere ab omni imperfectione significari, & per consequens, nec Deo convenire potest, potiùs quàm lapidi ad cadendum.

8. *Nec species impressa.* Sequitur V. Intellectum Dei non requirere aliquod comprincipium metaphysicum, quod subeat rationem speciei impressæ: quia absque omni eo sufficit intellectus cum ipso objecto, scilicet essentiâ divinâ præcisè; adeòque superflua esset species, & per consequens in Deo impossibilis. Deinde seclusis imperfectionibus, significatis nomine speciei impressæ in creatis, signanter quòd sit vicaria & determinativa objecti, etiam primarii, non manet nisi ipsa ratio objecti, de se completè intelligibilis. Denique sic substantia Angeli videntis seipsum dicenda foret species impressa respectu ejusmodi visionis; quod tamen dici non solet: cùm sit ipsum objectum, species autem sit supplens vicem objecti: idem autem non suppleat vicem sui ipsius.

9. *Nec memoria vel oblivio.* Sequitur VI. In Deo non esse memoriam, sumptam pro facultate recordandi, aut pro ipsa actuali recordatione: prout neque in ipso potest esse oblivio. Unde *Prosper sentent.* 108. *Neque oblivio cadit in Deum, quia nullo modo mutatur, neque recordatio, quia nihil obliviscitur.* Memoriâ namque repetimus illa, quorum in præterito aliquando actualem notitiam aut visionem habuimus; quod utique Deo (cui nulla cognitio umquam præterit, sed semper præsens adest) non competere, patet. Vide *D. Bonav. 1.d.35.in expos. textûs dub.6.*

Aliquo tamen sensu datur in Deo memoria. Sumendo tamen memoriam pro intellectu fecundo per objectum aut speciem intelligibilem, adeòque proximè & completè expedito ad intellectionem, indubiè datur in Deo. Sic Doctores passim dicunt, memoriam fecundam Patris esse principium generationis Filij, seu Filium procedere de intellectu fecundo Patris, scilicet de intellectu simul cum essentia.

10. Sequitur VII. Etsi in Deo non sit intellectus instar potentiæ realiter distinctæ à substantia divina (prout juxta sententiam discipulorum *D. Thomæ*, & variorum aliorum Doctorum, distinguitur intellectus à substantia Angeli aut animæ rationalis) neque instar potentiæ productivæ, aut receptivæ actuum realiter distinctorum à natura & intellectu divino, sed scire & sapere Dei sit ipsum esse Dei (ut ex dictis de distinctione divinarum perfectionum & de simplicitate Dei est manifestum) sitque unica dumtaxat intellectio, quâ Deus omnia intelligit: nihilominus

Dico III. Congruè statuitur in Deo intellectus essentiæ superadditus formaliter aut virtualiter, qui habeat rationem actus primi; unde ulteriùs metaphysicè, emanat ipsa actualis scientia divina, pariter distincta ab intellectu & essentia divina; quæ proinde non est formalissimè ipsa essentia Dei. Ita *Scotus varijs locis* apud *Smising Tr.3.d.2.n.13.* ubi *n.14.* solvit alia loca in speciem opposita. Idem docent alii Doctores passim contra *Aureolum* & nonnullos Recentiores, negantes in Deo intellectum, aut intellectionem ab essentia Dei distinctam, sed hanc ipsam constituentes formalissimè in actuali intellectione, seu scientiâ Dei. 11. *Intellectûs divini ab essentia distinctio.*

Ratio est 1. quia secundùm modum saltem nostrum concipiendi intellectus profluit metaphysicè ab essentia, tamquam primâ radice, & ab intellectu ipsa intellectio; neque est de his potior ratio, quàm de voluntate & volitione aliisve attributis, quæ sic profluunt ab essentia, saltem juxta nostrum modum concipiendi. Deinde essentia divina est principium processionis, tam Filii quàm Spiritus sancti; intellectus autem solius processionis Filij; ergo intellectus distinguitur aliquo modo ab essentia.

Ex quo ulteriùs sequitur, scientiam seu intellectionem ipsam non esse formaliter primam essentiam Dei: si enim intellectus, qui habet rationem actus primi, non sit formaliter ipsa essentia, quomodo potest ipsa formaliter cōsistere in actu secundo intellectionis, qui juxta nostrum saltem concipiendi modum adhuc est posterior? Quòd si quis urgeat intellectum in actu primo, non esse principium processionis Filij (prout tamen verè esse *in Trac. de Trinitate ostendetur*) sed spectatum in actu secundo, adhuc urget argumentum: essentia enim est principium utriusque processionis, intellectio verò est principium solius generationis, ergo intellectio non est formalissimè ipsa essentia. Immo juxta principium stabilitum *d.2. q.2.* inde sequitur inter essentiam, intellectum, & intellectionem intercedere distinctionem formalem ex natura rei; cùm distinctio virtualis, vel rationis ratiocinatæ, non sufficiat ad verificanda ejusmodi contradictoria. Confirmatur 12. *Sci. & intellectionis.*

ex

ex Patribus, *D. Chrysost. hom. 2. de Incomprehensibili Dei natura* dicente, *non à sapientia substantiam, sed potiùs ex substantia sapientiam.* Et *Damasc. l. 1. de fide c. 4.* In fine: *sive sapientem, sive quodcumque tandem aliud dicere libeat, non Dei naturam, sed quæ natura insunt exponis.*

13. Objicitur I. Ipsa saltem essentia est sufficientissima radix intellectionis; adeòque frustrà fingitur superadditus ei intellectus, habens rationem actus primi seu potentiæ. Immo id videtur repugnare Infinitæ perfectioni essentiæ divinæ. Resp. Neg. Ass. Etsi enim Deus, uti Angelus, sit essentialiter intellectivus radicaliter, uti & volitivus; requiritur tamen in ipso, uti in Angelo, potentia indistincta realiter, magis determinata, scilicet intellectus ad intelligendum, voluntas ad volendum; ut ex prædictis satis probatum relinquitur. Neque magis repugnat essentiam, quæ generalis est radix omnis perfectionis attributalis, determinari per intellectum, & hunc per intellectionem, quàm per voluntatem aut volitionem aliasve perfectiones, vel quàm per tres personalitates: cùm non determinetur per illas tamquam potentia perfectibilis per actum perfectivum, sed tamquam purus actus non ultimus per actum ulteriorem. Immo id necessarium est ad distinctionem divinarum processionum, quarum utraque est quidem per essentiam, sed una per intellectum, altera non, at per voluntatem. Unde patet, quòd etsi ex limitatione creaturarum oriatur, quòd earum essentia perficiatur per potentias & actus, ac formas realiter distinctas; formalis tamen distinctio (qualem nos statuimus) oriatur ex intrinseca ratione naturæ, quæ est de se universalis radix & principium, determinabile per particularia principia ad particulares actus aut operationes. Si autem statuatur tantùm distinctio rationis, clariùs oritur ex perfectione ipsius naturæ, quæ ob æquivalentiam ad plurima, concipitur à nobis diversimodè in adæquatis conceptibus.

Qualiter essentia per intellectum determinetur.

14. Dices II. Divina essentia debet constitui per conceptum vitæ perfectissimum; perfectior est autem conceptus vitę in actu secũdo, quàm in actu primo, sicut intelligere est perfectius, quàm posse intelligere. Confirmatur: quia hoc sensu Patres dicunt solum Deum *per essentiam* esse *intelligentiam*, ut loquitur *Maximus apud Euthymium in Panoplia p. 1. tit. 3.* In Deo *non esse aliud sapere, quàm esse*, ut loquitur, *S. Aug. 15. de Trin. c. 13.* Resp. Conceptum vitæ infinitè perfectæ (de qua hîc agitur; aliàs non esset ad propositum) in actu secundo non esse perfectiorem conceptu vitæ infinitè perfectæ in actu primo, sed æqualis perfectionis, uti sunt æquè infiniti, ex parte objecti. Deinde si per impossibile supponatur inter conceptus objectivos in Deo dari inæqualitatem perfectionis, & conceptus minùs perfectus esset prior (uti prior est conceptus vitæ in actu primo) per hunc potiùs deberet essentia constitui, quàm per conceptum perfectiorem, sed posteriorem ex sua formali ratione; cùm essentia sit primum in unaquaque re.

Vita in actu primo & secundo in Deo est æqualis.

Ad Confirmationem Resp. Soli Deo cõvenire essentialiter sic esse intellectualem, ut sit realiter suum intelligere; & idem in eo sit sapere & esse: secùs quàm in creaturis essentialiter intellectualibus, etiam Angelis (qui alioquin intelligentiæ etiam appellari solent) in quibus actus intelligendi est ab essentia distinctus & separabilis realiter.

QUÆSTIO II.

Quodnam sit objectum divini intellectus ac scientiæ?

Dico I. Objectum adæquatum intellectûs & scientiæ Dei est omne intelligibile sine imperfectione intelligentis. Patet ex infinita perfectione intellectûs & scientiæ divinæ. Sicut ob infinitatem divinæ potentiæ potest facere quidquid est factibile sine imperfectione facientis. Nec tantùm potest omne illud à divino intellectu intelligi, sed etiam actu necessariò intelligitur: cùm enim intellectus sit potentia necessaria, intelligit necessariò quidquid intelligere potest. Secùs est, de divina potentia, quæ essentialiter in operando subordinatur divinæ voluntati, immo est ipsa voluntas aut volitio libera Dei. Quare in quantùm à voluntate divina dependet scibilitas seu veritas objecti, in tantùm potest quoque intellectus divinus aliquid non scire, quod scire alioquin potuisset, si videlicet divina voluntas ipsum fecisset scibile; ut patet in numquam futuris, quæ potuissent à Deo præsciri, si divinâ voluntate fuissent aliquando futura. Confirmatur: quia foret magna in Deo imperfectio, ignorantia aliquarum rerum scibilium; qualis in Deo esset, si aliquid actu non sciret: quod utique in æternum consequenter scire non posset, ob invariabilitatem suæ scientiæ. 15.

Objectum intellectûs & scientiæ Dei.

Coincidit autem infinita Dei scientia cum omniscientia: quàmvis enim formaliter & præcisè foret infinita, etsi essent aliqua, quæ sine imperfectione intel-

ligentis

ligentis sciri non possent, revera tamen omne scibile est tale sine imperfectione scientis, etsi non omni modo, utpote non actu obscuro, incerto &c.

16. *Quæ cadant sub Dei scientiam.* Hinc sequitur I. non tantùm Deum, omnesque perfectiones Deo intrinsecas cadere sub scientiam Dei, sed etiam quaslibet creaturas, etsi minutissimas. De quibus ad minus loquitur Scriptura *Esther* 14. *Domine, qui habes omnium scientiam. Eccli.* 23. *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem* (Græca habent: *Decies millies clariores sole*) *circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur omnia sunt agnita: sic & post perfectum* (id est, postquam creata sunt) *respicit omnia.* Et *c.* 42. *Cognovit Dominus omnem scientiam. Ad Hebr.* 4. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus.*

17. Neque huic adeò evidenti, etiam ex lumine naturæ, veritati repugnat *D. Hieron.* in illud *c.* 1. *Habacuc*; *mundi sunt oculi tui ne videas malum*, ubi ait: *Absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula quot nascantur culices, quotve moriantur, quæ cimicum, & pulicum & muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus majorum præda cedere debeant.* Solùm enim negat eamdem rationabilium, & irrationabilium providentiam esse, ut postea seipsum explicat. *Authoritates explicantur.* Quo etiam sensu dixit Apostolus 1. *ad Cor.* 9 *Numquid de bobus cura est Deo?* Irrationabilia siquidem Deus gubernat tamquam causa universalis, & propter hominem: hunc verò præterea specialiter curat in ordine ad beatitudinem supernaturalem. Alioquin Deum etiam quælibet minuta cognoscere, & curam quoque omnium habere, clarè expressit idem S. Doctor in illud *Matth.* 10. *Nonne duo passeres asse veneunt.* Ut proinde non sit toleranda libertas *Vasquez*, qui *q.*14.*a.*6. *in comment.* adeò facilè tantum virum de adeò absurdo errore suspectum reddit, rejectis benignis ipsius loci interpretationibus: quamquam fateatur idem *Vasquez* ipsum veritatem tradidisse *loco citato in c.*10. *Matth.*

18. *Quomodo Deus dicatur aliqua nescire.* Dices: In Scriptura dicitur quandoque Deus aliqua nescire, ut *Habacuc* 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris. Matth.* 25. *Nescio vos.* 1 *ad Cor.* 14. *Si quis ignorat ignorabitur.* Resp. cum *D. Bonav. d.*39. *a.*1.*q.*2.*in corp.* & aliis Doctoribus communiter, hæc loca intelligi de notitia approbationis, quæ connotat complacentiam voluntatis, solùmque habet locum in iis, quæ bona sunt. Quare hoc sensu illa quæ Deus reprobat, eique displicent, dicitur ignorare, vel (ut alii loquuntur) scire scientiâ reprobationis. De qua *Habacuc* 1. mox subditur: *Quare respicis super iniqua agentes?* Vide *S. Aug. l.* 83. *qq. q.* 60. *& q.*152. *in Exodum.* Solet autem notitia hæc à Doctoribus frequentiùs applicari ad scientiam visionis, sive eorum quæ fiunt: quamquam convenienter etiam applicari possit ad scientiam simplicis intelligentiæ, seu rerum quatenus possibilium: quia tam bona malave in potentia, quàm bona malave in actu Deus approbat vel reprobat, ut rectè notat *Smising Tr.*3. *d.*5. *n.*16. & alii.

Sequitur II. non solùm omnes creaturas actuales, sed etiam possibiles, seu spectatas secundùm suam naturam & essentiam, sive in esse essentiæ cadere sub divinam scientiam: nam etiam eatenus habent veritatem perfectè cognoscibilem. 19.

Hinc oritur celebris apud omnes Theologos divisio scientiæ divinæ in scientiam simplicis intelligentiæ, quæ respicit creaturas quatenus merè possibiles; & scientiam visionis, quæ respicit creaturas quatenus actu existentes in aliqua differentia temporis, scilicet præsentis, præteriti aut futuri. Soletque hæc dici intuitiva, ista verò abstractiva, veluti abstrahens ab existentia objecti. Scientia namque simplicis intelligentiæ est prior decreto de futuritione rei: quo decreto accedente, res priùs ratione merè possibilis, & quæ ut talis simpliciter intelligebatur, jam est futura, & à Deo videtur. Nihilominus credendum non est, ipsam scientiam simplicis intelligentiæ per hoc transire in scientiam visionis, sed ipsa manet eodem modo repræsentans objectum, nempe secundùm essentiam quatenus est possibile, seu quatenus est objectum omnipotentiæ divinæ, sicut ante decretum, & sicut repræsentat ea, de quibus velut aliquando futuris Deus nil decrevit. Unde cum scientiâ visionis rerum coëxistentium alicui temporis differentiæ, manet simul scientia simplicis intelligentiæ decretum antecedens, & à coëxistentia objecti cum aliqua temporis differentia præscindens. Prædicta tamen divisio non exhaurit omnem Dei scientiam, nisi per scientiam visionis generaliter intelligatur omnis scientia divina terminata ad ens actuale: nam Deus habet perfectissimam notitiam intuitivam sui, adeòque scientiam visionis sui ipsius: etsi Doctores passim sic loquantur cum *D. Th. q.*2. *de veritate a.*9. *ad* 2. ut per scientiam visionis Deus scire non dicatur, nisi quæ sunt extra ipsum. Scien- 20. *Duplex scientia Dei.*

tia autem simplicis notitiæ in Deo respectu sui non habet locum: cùm enim essentialiter actu existat, non potest notitia divina de essentia Dei abstrahere ab existentia, sed necessariò est intuitiva.

21. *Etiam entia negativa & rationis Deus cognoscit.* Sequitur III. non tantùm vera & positiva entia, sed etiam non entia, scilicet negationes, privationes, & entia rationis, pertinere aliquo modo ad objectum divini intellectus. Non cognoscit tamen Deus illa ad instar formæ vel entis realis, prout nos solemus concipere, ex quorum modo intelligendi quasi celatur negatio entis, quam includunt; ut quando tenebras vel cæcitatem concipimus per modum formæ, cùm sit non esse formæ: vel chymæram tamquam ens, cùm sit ens & non ens. Quare Deus negationes

Quomodo noscat entia negativa. & privationes cognoscit modo negativo, sive per oppositum positivum; v.g. tenebras, cognoscendo aerem sine lumine; peccatum, cognoscendo actum factum à subdito contra voluntatem superioris. Entia autem rationis, v.g. chymæ-

Quomodo entia rationis. ram cognoscit, concipiendo intellectum nostrum conjungere species non conjungibiles, aut etiam cognoscendo tales species non esse in aliquo uno compossibiles.

An haec faciat. An verò Deus faciat entia rationis, quæstio potest videri de nomine: si enim facere ens rationis nihil sit aliud, quàm illud cognoscere, dicendum est quòd sic: si autem facere ens rationis sit istud fingere per cognitionem falsam aut imperfectam, patet id Deo non posse competere. De hoc corollario fusè *Smising Tr. 3. d. 2. q. 6.*

22. *Objectum primarium divini intellectus.* Dico II. Essentia divina est objectum primarium divini intellectus ac scientiæ, non tantùm primitate dignitatis (quod est manifestum) sed etiam primitate virtutis, quia nimirum in ea, tamquam objecto motivo & cognito, Deus cognoscit formaliter omnia reliqua. Videtur esse communis Theologorum sententia, ut ait *Smising d. 2. q. 2. n. 20.* & apertè *Scotus d. 3. q. 3. n. 5.* & multis alijs locis apud *Smising sup. n. 21.* quidquid nonnulli oppositum ei tribuant. Est autem contra *Vasquez d. 60. c. 2.* & quosdam alios.

Probatur ex *Dionysio de divinis nominibus c. 7* ubi ait: *Divina mens per causam omnium omnium, in se omnium rerum scientiam anticipatam habet, ita ut Angelos antequam fierent, cognosceret: neque enim ea quae sunt, ex iis quae sunt discens novit divina mens, sed ex se & in se per causam rerum omnium cognitionem anticipatam habet, non quod specie singula consideret, sed quòd uno causa complexu omnia sciat & contineat.* Et paulò post: *Seipsam ergo noscens divina Sapientia, novit omnia* &c. Et infrà: *hâc ergo Deus ea quae sunt noscit, non rerum notitiâ, sed sui.* Quæ manifestè indicant Deum in seipso, tamquam causâ cognitâ formaliter cognoscere cetera. Atque ita *Dionysium* passim scriptores intellexerunt: etsi *Vasquez sup. c. 4.* etiam hujus auctoritatem conetur ad alium sensum detorquere. Huc etiam facit, quòd *S. Aug. l. 83. qq. q. 46.* dicat, Deum *nil extra se intueri.*

Ratio conclusionis est: quia hic modus cognoscendi nullam involvit impossibilitatem aut imperfectionem, quinimmo summam dicit perfectionem, infinitam nempe divinæ naturæ visibilitatem seu repræsentabilitatem, ratione cujus non solùm ipsa in se, sed etiam cetera in ipsa & per ipsam repræsentabilia, adeòque repræsentata sunt: ergo non est hic modus divino intellectui negandus. 23.

Cùmque hic modus cognoscendi sit perfectissimus & sufficiens, superfluè cum nonnullis adscriberetur Deo alius cognoscendi modus, quo cognosceret cetera immediatè in seipsis; immo consequenter implicat, cùm in Deo nil possit esse superfluum. Deinde omnis cognitio, quâ perfectior dari potest, est limitata, adeòque limitationem imperfectionemque ponens in cognoscente. *An Deus cognoscat creaturas immediatè in seipsis.*

Confirmatur conclusio: quia essentia divina infinita est, quæ tribuit in ratione objecti perfectionem divinæ scientiæ infinitæ (quæ ex natura sua debet posse repræsentare quodcumque repræsentabile) adeòque determinat sufficienter ad illam, etiam quatenus tendit ad reliqua cognoscibilia. Deinde sufficienter determinat ad perfectissimam & comprehensivam cognitionem ipsius essentiæ; talis autem necessariò non sistit in ipsa essentia, sed etiam tendit ad creaturas. Præterea si in visione essentiæ formaliter non contineretur notitia creaturarum, esset terminatio ad essentiam ex sua formali ratione limitata, utpote non extendens se ad omne verum. Insuper Deus debet continere eminenter omnem perfectionem creati objecti, adeòque posse determinare & terminare in se notitiam rerum creatarum. Denique accipere cognitionem à creatura, tamquam objecto, est imperfectum; haberet enim Deus ab ijs magnam perfectionem. Unde Doctores communiter cum *Scoto q. 3. Prologi n. 22.* & alibi dicunt, quòd vilesceret divinus intellectus, si acciperet cognitionem à creaturis; intellige non solùm, si per effectivam causalitatem (sic enim neque accipit cognitionem à sua essentia) sed etsi tantùm tamquam à primo & immediato termino aut motivo. 24.

Nihilominus certum est creaturas à Deo cognosci in seipsis, hoc saltem sensu, quòd cognoscantur ab ipso secundùm proprium 25. *Quo sensu cognoscat immediatè in seipsis.*

proprium suum esse, quod habent extra Deum, quatenus tamen in ipso formaliter repræsentatum. Unde procul dubio falsum est, illas solùm à Deo cognosci secundùm esse increatum, quod habent in Deo: nam sic re verâ Deus creaturas non cognosceret. Unde manifestus est error *Commentatoris*, asserentis tam esse diminutam realitatem veri creati, ut Deus præter suam infinitam substantiam nullum verum creatum, sive possibile, sive actuale cognoscat, eò quòd alioquin intellectus ipsius vilesceret. Quod etiam docuit *Aristoteles* 12. *Metaph. textu* 51. prout eum intellexerunt *Scotus ibid.* & *Greg. 1. d. 35.* & alij: quàmvis alij eum excusent, adductis variis testimoniis ejusdem, quibus omniscientiam Deo videtur concedere, & *Durando* videatur probabilius *Aristotelem* hac de re pugnantia fuisse locutum.

QUÆSTIO III.

An Deus habeat certam scientiam futurorum contingentium?

26. *In quo consistat rerum contingentia.* NOTA cõtingentiam rerum consistere in quadam indifferentia ad esse & non esse. Unde contingens dicitur, quod potest esse & potest non esse: opponiturque necessario, quod necessum est esse, seu quod non potest non esse. Contingẽtia autem semper desumitur à libertate causæ, ratione cujus res contingens potest poni & nõ poni, prout causa libera potest operari & nõ operari: quantùvis necessitas nõ semper sumatur ex ordine ad causam, ut patet in Deo, qui à se est ens omnino necessarium. Ex quo apparet omne ens creatum esse contingens propter divinam libertatem in operando ad extrà: quâ proinde sublatâ creaturæ essent necessariò, immo etiam necessariò operarentur (ut contra nonnullos docet *Scotus d. 39. n. 12.*) quia si causa prima ageret necessariò, ageret quantum agere posset, instar aliarum causarum naturalium; adeòque cùm ratione suæ omnipotentiæ possit causas secundas determinare ad necessariò agendum, illas determinaret. Quam *Scoti* sententiam sic intellectam (etsi eam sic intelligere noluerit) *Suarez d. 19. Metaph. sec. 3. n. 12.* veram censet: quàmvis non rectè intellectam varij impugnent. Vide *Smising d. 2. q. 4. n. 43. & seqq.*

Convenit omni enti creato.

27. Omnia porrò creata entia, etiam quæ pendent à solo Deo, v. g. Angeli, sunt simpliciter & absolutè contingentia: uti & effectus, qui pendent à causis creatis necessariò agentibus, sic ut à causa libera ne quidem impediri possint. De his tamen nulla potest esse quæstio aut difficultas, quin Deus ea infallibiliter cognoscat vi sui decreti. Itaque effectus specialiter dicuntur contingentes, qui sunt tales etiam in ordine ad causam creatam contingenter, seu liberè & non necessario agentem; quatenus illa potest tales effectus ponere & non ponere, adeòque ipsi effectus esse & non esse, aut quatenus saltem ne à causis alioquin necessariis ponantur, potest pro libitu impedire; prout possum impedire ne comburatur lignum, liberè amovendo ignem, etsi hic necessariò agat seposito impedimento.

Specialis contingentia effectũs.

28. De his igitur est potissima difficultas; & specialissimè de ipso actu voluntatis creatæ seu creati arbitrij, qui proximè & immediatè est contingens & liber respectu suæ propriæ causæ creatæ; & unde contingentia derivatur in actus imperatos, aliosque effectus exteriores. Difficile namque apparet, infallibilem Dei præscientiam futurorum, seu effectuum existentium in tempore, quod nondum est præsens, conciliare cum eorumdem libertate & contingentia. Unde ad falsandam hanc præscientiam, *Stoici* apud *S. Aug. 5. de civit. c. 8.* libertatem & contingentiam rerum negarunt: quos secutus est *Ioannes Wiclef art. 27.* inter damnatos *in Conc. Constant.* ʃʃ 8. Contrà verò *Cicero l. 2. de divinat.* præscientiam ejusmodi Deo negavit (quàmvis *l. 3. de natura Deorum* indicet oppositum) atque ita *dum vult* homines *facere liberos, facit sacrilegos*, inquit *S. Aug. 5. de civit. c. 9.* utpote suffurantes magnam Dei perfectionem. Quem etiam errorem *Suar. Vasq.* & alij Recentiores adscribunt *Aristoteli*; sed hunc ab errore liberat *Scotus, Richar. Occam* & plures alii, quos refert & sequitur *Smising n. 122.* qui *n. n. seqq.* fusè agit de mente *Philosophi*: cujus tamen mens parum debet esse nobis cura in re ex fide & ratione adeò manifestâ; ut meritò *S. Aug. sup.* dixerit: *Confiteri Deum, & negare præscium futurorum apertissima insania est.* Unde.

Errores circa Dei præscientiam.

29. DICO: Deus habet infallibilem præscientiam futurorum contingentium. Est de fide ex Scriptura, *Psal. 138. Intellexisti cogitationes meas de longè.... & omnes vias meas prævidisti: Eccli. 23. Domino Deo antequam crearentur omnia sunt agnita. Isa. 41. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos. Et c. 45. Hæc dicit Dominus: ventura interrogate me.* Et *c. 46. Ego sum Deus, & non est ultrà Deus, nec est similis mei: annuntians ab exordio novissimum, & ab initio quæ necdum facta sunt.* Et alijs locis. Idem patet ex innumeris prædictionibus, seu prophetijs in sacra Scriptura contentis:

Deus præscit futura contingentia.

qua-

quarum majorem partẽ impletam esse videmus, & ostendit *Less. in opusc. de Providentia numinis Ratione* 10. Non enim potuit Deus absque futurorum præscientiâ illa prædicere: nec absque imprudẽtia revelasset absolutè futura, si nõ infallibiliter præscivisset. Unde rectè *Tertull. l. 2. contra Marcionem c. 5.* De præscientia dicit: *tantos habet testes, quantos fecit Prophetas.*

30. *Cur Scriptura de iis subinde dubitativè loqui videatur.* Nec obstat, quòd Scriptura de futuris contingentibus subinde loquatur dubitativo modo; ut *Jerem. 26. Noli subtrahere Verbum, si fortè audiant*; & alibi. Nam (ut ait *Hieron. ibid.*) *Verbum ambiguum, forsitã, Majestati Domini non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum homini servetur* (id est, servari significetur) *arbitrium.* Secundò juxta *Aug.* in illud *Psal. 2. Ne quando irascatur*, sic loquitur Scriptura, *ratione eorum qui commententur, qui cum dubitatione solent existimare Dei futuram iram*; q. d. Scriptura more humano loquitur dubitativè, sicut loqui solent homines de futuris; utpote eis incertis. Tertiò, ut significetur difficultas rei futuræ in se, ob quam naturâ suâ est dubii eventus; prout exponit *Greg. hom. 18. in Ezechiel.* Quartò interdum ad exaggerandam & increpandam hominum pertinacissimam malitiam, de qua in se considerata vix aliquid boni expectari & prædici possit. Sic *Aug. Trac. 37. in Joan.* exponit illud *Joan. 8. Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis*, dicens: *Ille qui omnia scit, cùm dicit, forsitan, non dubitat, sed increpat... illâ dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.* Deniq; in Scriptura particula *fortè* interdum est idem quòd *certè* vel *utique*, juxta *Auctorem Glossæ interlinealis Anselmum Laudunensem.* Unde *Matth. 11. pro fortè*, in Græco est *utique*, ut observavit *Titelmannus* ibidem & alii.

31. *Ratio conclusionis.* Probatur conclusio ratione naturali: quia intellectus divinus ob suam infinitatẽ necessariò cognoscit infallibiliter omne verum & scibile: futurum autem contingens est verum & scibile. Deinde futurorum ignorantia foret magna in Deo imperfectio; ut proinde illam Deo adscribens nõ aliud dicat juxta *Aug. 5. de civit. c. 9.* quã quod dixit insipiens in corde suo: *Non est Deus.* Præterea Deus cognoscit infallibiliter futura dum actu sunt; ergo etiam antequam sint: cùm scientia Dei sit æterna, nec temporalem patiatur accessum aut variationem. Denique sine ejusmodi præscientia non cõsistit æterna & perfectissima providentia Dei. Confirmatur: quia gẽtes solo ductu luminis naturalis sibi persuadent Deũ futura cognoscere; cũ Deos suos de futuris contingentibus consulant.

Præscientia futurorum contingentium Deo est propria. Nihilominus indubitatũ est, immo fide certum, cognitionem infallibilem futurorũ contingentium soli Deo ex se competere: nam inde frequenter Deus probat suam divinitatem & idolorum vanitatẽ, ut *Isa. 41. & 44.* consonantque omnes Patres. Ratio quoque evidens est: quia nullũ est medium seu motivum, quod intellectũ creatum, etiam angelicum, ad bujusmodi cognitionem determinare queat: nõ enim ipsa futura in se, utpote non existentia: non etiam ipsorum causæ, utpotè indifferentes: non denique decretum divinum, utpote naturaliter non cognoscibile.

Dices I. Si Deus infallibiliter præsciat futura, ergo hæc necessariò contingent: cũ scientia Dei falli nequeat, & ex antecedente necessario sequatur consequens necessarium. Confirmatur, quia sic frustranea erit diligentia nostra circa effectus contingentes. Resp. Neg. seq. nam potius sequitur: ergo liberè contingent: cùm Deus, qui falli nequit, præsciat liberè futura. Cõtingent quidem infallibiliter, quæ futura à Deo prævidentur: sicut & ea quæ in præsenti fieri videntur; sed tamen liberè: quia nil prævium impedit exercitium libertatis. Per necessariam similiter consequentiã infertur, esse futura, si prævideantur; sed non necessariò infertur, futura fore necessariò. Neque antecedens argumenti est simpliciter & absolutè necessarium, ut rectè *D. Bonav. 3. d. 38. a. 2. q. 2. Scotus d. 39. n. 33. &* alii communiter (quàmvis paulò aliter loquatur D. Tho. *q. 14. a. 13. ad 2.* quem refutat *Smising sup. n. 101. & seqq.*) sed contingens: si enim futura non essent (quod simpliciter est possibile) in Deo præscientia non esset, ut rectè *Hugo de S. Victore l. 1. de Sacram. p. 2. c. 16.* Idem tradit *c. 18. & 22.* 32.

Effectus libertatem non tollit.

Ad confirmationem Resp. non frustraneam, sed omnino adhibendam esse nostram diligentiam; cùm præscientia divina illã præsupponat: prævidet enim Deus tales vel tales effectus liberè ponendos per nostrum conatum & diligentiam. Pro quorum, & aliorum, quæ frequenter in materia de providentia Dei, de gratia & libertate occurrent, intellectu. *Nec diligentiam ad illam.*

Nota I. Necessitatem aliam esse absolutam & simpliciter, v. g. quã Deus est, quã homo est animal; & hæc repugnat libertati: aliam ex hypothesi, seu suppositione. Et hæc vel est antecedens exercitiũ libertatis, vel concomitans, vel consequens. Prima officit libertati, quando voluntas inde determinatur intrinsecè ad unum; prout secundùm Ethnicos facit fatũ, secundùm Calvinum gratia efficax: sic enim voluntas positis prærequisitis non potest agere & nõ agere. Soletque hæc necessitas dici antecedens. Suppositio concomitans relinquit indifferentiam sufficientem ad libertatem creati arbitrii: cùm sic nil præ- 33. *Duplex necessitas.* *Qua officiat libertati.*

 vium

viũ ipsius determinationi sit; quod ipsum adstringat uni parti contradictionis. Et talis est juxta *Smising*, *Poncium*, & alios suppositio decreti sive concursus divini. Denique suppositio consequens, cùm exercitium libertatis sequatur, non potest ei nocere; utpote ad quam sufficit indifferentia agendi & non agendi positis præviè prærequisitis. Talis autem est suppositio divinæ præscientiæ: nam præscientia præsupponit effectus liberè futuros, juxta Patres passim, signanter *Hieronymum in c. 26. Jerem.* ubi ait: *Non ex eo quòd Deus scit futurũ aliquid, idcirco futurũ est, sed quia futurum est, Deus novit.*

Dei præscientiâ effectus liberos præsupponit.

Undehinc non potiùs sequitur necessitas actionis, quàm ex eo, quòd necessariò sequatur hominem agere, posito quòd agat; aut potius, quàm sequatur hominem necessariò currere, posito quòd ego vel Deus id videat. Quare divina præscientia habet se quasi testis ad actionem, & qualitatem illius: adeò ut ex ipsa potiùs, tamquam ex teste veridico libertas actionis inferatur, ut præclarè notavit *Aug. l. 3. de lib. arb. c. 3.* dicens: *Non igitur per ejus præscientiã mihi potestas*, sive libertas, *adimitur; quæ propterea mihi certior aderit, quia ille cujus præsciẽtia non fallitur, adfuturam mihi esse præscivit.*

34\. *Quid necessitas in sensu composito.*

Nota II. cum necessitate ex hypothesi coincidere necessitatem in sensu composito. Estque illa, quâ quidpiam dicitur necessarium, si componatur cum aliquo alio, seu posito aliquo alio. Et hæc similiter non officit libertati, quando fit compositio cum aliquo subsequente, aut concomitante exercitium libertatis; prout fit in præsenti. Sic v. g. liberè sedeo, etsi necessariò in sensu composito, scilicet posito quòd Deus id videat.

35\. *Necessitas consequentis.*

Nota III. necessitatem aliam esse consequentis, aliam consequentiæ. Prior est, secundùm quam ipsum consequens in se est necessarium, seu significat connexionem non dependentem à libertate. Qualis est in consequente hujus argumenti: ignis habet combustibile satis applicatum, ergo ignis illud comburet.

Necessitas consequentiæ.

Necessitas consequentiæ in hoc consistit, quòd propositio, quantumvis importans connexionem liberam, per necessariam consequentiam ex altera inferatur. Talis cernitur hîc: canis videt Petrum currere, ergo Petrus currit. Similis necessitas solùm reperitur, si effectus à Deo prævisus inferatur ex divina præscientia. Immo ex hac parte per necessitatem consequentiæ sequitur effectûs libertas: si enim præviderit Deus Petrum liberè peccaturum, necessariò sequitur, quòd liberè peccabit. Nec inde sequitur Deum posse falli: nam equidem infallibiliter fiet, etsi contingenter, quod Deus prævidit: & si effectus prævisus non poneretur, Deus illum non præscivisset.

Dices II. Scientia Dei est causa rerum, & quidem necessaria: ergo etiam res ipsæ sunt necessariæ. 36.
Antecedens pro priori parte patet ex Scriptura asserente Deum, omnia fundasse, seu fecisse in Sapientia. *Similiter Aug. 6. de Trin. c. 10. & 15. de Trin. c. 13. & Greg. 20. moral. c. 23.* docent, ea quæ sunt aut facta sunt, non ideo sciri à Deo, quia sunt aut facta sunt, sed ideo esse aut facta esse, quia à Deo sciuntur.

Præscientia Dei non est causa futurorum.

Resp præscientiam Dei nullatenus esse causam futurorum (quidquid nonnulli Thomistæ dicant eam esse causam executivam & proximam) cùm futura quà talia præsupponantur visioni Dei, juxta Patres apud *Smising d. 3. n. 115.* Scientia autem simplicis intelligentiæ est suo modo causa rerum idealiter seu exemplariter, & de hac loquuntur Scriptura & Patres citati. Ideoque *Augustinus* posteriori loco subdit, *Non enim nescivit, quæ fuerat creaturus*; quia scilicet non operatur ad extrà, nisi per cognitionem simplicis intelligentiæ, seu per ideas, utpote agens intellectuale perfectissimum. Quàmvis autem hæc scientia sit necessaria in essendo, non tamen in causando: quia non causat, nisi quatenus applicatur per liberam Dei voluntatẽ. Sicut effectus procedentes ab arte non sunt necessarii, estò ipsa ars sit necessaria: quia ars non operatur illos, nisi quatenus à libera volũtate artificis applicatur ad operandũ.

Propositiones singulares de futuro contingenti sunt determinatè veræ.

Posset præterea fieri objectio ex indeterminata veritate, adeòque non determinatâ cognoscibilitate futurorũ contingentium de subjecto singulari: sed ex dictis in logica suppono manifestè falsum esse quod assumitur, & contra *Scotum d. 39. D. Bonav. & Scholasticos* communiter. Nec apparet, quâ viâ possint salvare divinam præscientiam, qui determinatam veritatem propositionibus singularibus de futuro contingenti denegant (prout tamen nonnulli referuntur negare apud nostrum *Felix de scientia Dei c. 5. difficul. 1.*) quod enim non est determinatè verum, nequit determinatè sciri aut revelari; Deus tamen determinatè scit & revelat ejusmodi propositiones.

37\. *Aliter tamẽ quàm vera de præsenti vel præterito.*

Subtiliter tamen constituit *Scotus d. 39. q. un. ad 1. primæ quæst.* differentiam inter determinatam veritatem propositionum de præterito & præsenti, & propositionis de futuro, quòd in pręsentibus & pręteritis veritas ita sit determinata, ut alterũ extremum sit positũ, & quatenus intelligitur positũ nõ sit in potestate causę ut ponatur

vel

vel non ponatur: quia licèt in potestate causae, ut est naturâ prior effectu, sit ponere effectum vel non ponere; non tamen, ut effectus intelligitur jam positus in esse. Talis autem non est determinatio ex parte futuri: quia licèt alicui intellectui una pars sit vera determinatè, sicut ipsa in se determinatè vera est etiam nullo cogitante: non tamen ita, quin in potestate causae sit pro illo instanti ponere oppositum. Ita ferè *Scotus*. Et consonat *Anselmus l. de Concordia c.* 1. cum hoc discrimine, quòd *Anselmus* eamdem rationē assignet propositionis de praesenti & futuro; *Scotus* verò eamdem de praesenti & praeterito. Sed facilè uterque conciliatur. *Anselmus* enim considerat praesens, quatenus quodammodo induit rationem futuri, videlicet quoad continuationem praesentiae, eatenus enim nondum habet esse extra suam causam, adeòque est in potestate causae, ut illud habeat vel non habeat. *Scotus* autem considerat, & quidem exactiùs, ipsum praesens, quatenus habet jam actu esse extra suas causas, adeòque, quantùm ad propositum spectat, induit quasi rationem praeteriti: eatenus enim per consequens non est in potestate causae, ut praesens fiat vel non fiat, esto sit, ut praesens continuetur.

QUAESTIO IV.

In quo Deus certò & infallibiliter praesciat futura contingentia?

QUAERITUR, quae sit ratio, ob quam futurum contingens, antequam actu & de praesenti est determinatum ad esse, sit determinatè repraesentabile, adeòque repraesentatum in divina essentia, & praescitum ab intellectu divino.

38. *Deus futura non praescit ob jugem eorum praesentiam in aeternitate.* DICO I. Deus non praescit futura contingentia, eò quòd sint semper praesentia aeternitati, sive ipsi Deo. Ita *Scotus d.* 39. *n.*9. & 10. *D. Bonav. d.* 39. *a.* 2. *q.* 3. *Alensis q.* 23. *m.* 4. *a.* 3. & alii plerique contra quosdam *Thomistas*. Ratio est: quia futura ut talia non existunt realiter; ergo non coëxistunt realiter aeternitati, & multò minùs coëxistunt ei semper: cùm coëxistentia supponat existentiam: ergo ratione istius coëxistentiae, seu praesentiae non potuerunt à Deo aeternaliter praesciri. Deinde praesentia ista jugis ad aeternitatem locum non habet in futuris conditionatis, quae numquam existent, & tamen determinatè à Deo sciuntur; quidni ergo similiter possent praesciri futura absolutè sine praesentia sempiterna ad aeternitatē?

39. Objiciuntur varia Patrum testimonia, in quibus asserunt Deo aut aeternitati nihil praeteritum aut futurum, sed omnia esse praesentia. Unde etiam subinde inferunt, in Deo non esse praescientiam, sed solùm scientiam & visionem omnium sibi praesentium. Sic loquitur *Augustinus l.* 2. *ad Simplicianum q.* 2. *Greg.* 20. *moral. c.* 23. & plures alii, estque fundatum in Scriptura *Eccli.* 39. *Opera omnis carnis coram illo. Job* 14. *Numerus mensium ejus apud te est.* Resp. Scripturam & Patres nō loqui de praesentia secundùm veritatem existentiae rerum, sed de praesentia objectiva, seu (ut loquitur *D. Bonav. d.* 35. *in exposi. textus dub.* 6.) secundùm cognitionē Dei, in qua ob immutabilitatem nulla est successio; juxta illud Augustini in Psal. 49. *Quare apud ipsum omnia? quia & antequam essent omnia, ut crearentur, ei nota erant omnia.* Itaque solùm volunt, res priusquam sint, aeternaliter ac immutabiliter cognosci à Deo, & tam perfectè, quàm si essent praesentes; dicente eodem *Augustino* 15. *de Trin. c.* 13. *nec aliter scivit creata, quam creanda.* Eodemque sensu negant in Deo esse praescientiam, quasi imperfectiorem scientiam futurorum quàm praesentium; ut contingit in nobis, qui praesentia perfectiùs penetramus, quàm praeterita aut futura, ideòque de illis intuitivam, de his solùm abstractivam habemus cognitionem. Dei autem cognitio, utpote aeterna & infinitè perfecta, nihil ex reali praesentia objectorum capit perfectionis, aut ex absentia imperfectionis, sed tam praesentia quàm praeterita & futura eodem modo & aequè perfectè & clarè conspicit. Alio tamen sensu Deo aliquid esse futurum, quia nimirum ejus duratio seu aeternitas praecedit creaturas, non negant Patres. Quo sensu etiam est Deo aliquid praeteritum, quia scilicet ipse permanet rebus pereuntibus. Neque etiam negant Deo praescientiam, prout importat cognitionem duratione antecedentem propriam futurorum existentiam; immo expressè admittit & inculcat *Augustinus* 5. *de civ. c.* 9. & 10. inter alia dicens *c.* 9. *Praescietiam ejus confitemur.*

Nec hoc dicūt Patres.

Quo sensu negent Deo praescientiam.

Quaeres, quâ ratione queat semper esse visio seu notitia intuitiva, nisi sit rerum semper praesentium in aeternitate; cùm defectu existentiae & praesentiae Deus merè possibilia non videat, sed nudè intelligat? Resp. semper esse visionem: cùm sit talis, dum res actu existunt & praesentes aeternitati sunt; scientia autem Dei sit immutabilis & aeterna, adeòque esse debeat visio antequam futura sint, & manere visio postquam praeterierunt. Quare sufficit infinito intellectui ad semper videndum, quòd objectum sit aliquo tempore praesens & existens, & eminenter contineatur in divina essentia, quae determinatè & invariabiliter illa, etiam quae 40. *Quo modo illa sit visio.*

sunt secundùm se indeterminata & variabilia repræsentat, positâ determinatione seu decreto suæ voluntatis, de quo *concl.* 5.

41. *Deus non præscit futura contingentia in ideis.* Dico II. Deus non præscit futura contingentia in ideis. Ita *Scotus sup. n.* 7. & alii communiter contra quosdam *Thomistas*. Ratio est: quia idea solùm repræsentat rem quatenus factibilem, adeòque indifferenter respicit futura & non futura, & ab utrisque præscindit, sic ut in Deo essent planè eædem ideæ, etsi nil esset futurum: ergo manifestum est futura in ideis non posse præsciri.

42. *Nec in efficacia suæ præscientiæ.* Dico III. Deus non præscit futura contingentia in efficacia suæ præscientiæ. Est etiam contra nonnullos. Ratio est: quia scientia visionis nullam habet efficaciam respectu futurorum contingentium; cùm hæc quà talia præsupponatur scientiæ visionis, ut ex antè dictis patet.

43. *Nec in dispositione causæ proximæ.* Dico IV. Non præscit etiam Deus certò futura contingentia in dispositione causæ proximæ. Est contra nonnullos docentes, Deum infallibiliter videre, quid liberum arbitrium sit facturum, videndo ejus dispositionem, v. g. applicationem ad hoc objectum cum tali dictamine intellectûs, inclinatione naturæ, & aliis circumstantiis, quæ possunt movere liberum arbitrium. Sed omnino negandum est cum aliis Doctoribus communiter: quia indeterminatum ad utramque contradictionis partem non potest certò & determinatè alterutram partem repræsentare: atqui arbitrium, etiam in proximis dispositionibus constitutum, manet adhuc indeterminatum & indifferens ad ponendum & non ponendum effectum: cùm causa libera quà talis (de cujus effectu hic quæritur) maneat indifferens ad utrumlibet, positis omnibus prærequisitis: ergo nequit in eo certitudinaliter prævideri effectus contingens.

Dices, ex ejusmodi dispositionibus potest homo, & magìs Angelus cum maxima probabilitate conjicere, quid liberum arbitrium sit facturum: ergo ex illis potest hoc Deus, qui est infinitè perspicax, prævidere infallibiliter. *Resp.* Neg. Conseq. quia cùm ista connexio simpliciter sit fallibilis, nequit etiam Deus inde infallibiliter cognoscere effectum: nam ex signo vel antecedente fallibili nequit intellectus quantumcumque perspicax cognoscere infallibiliter significatum aut consequens.

44. *Sed in ipsa sua essentia.* Dico V. Deus infallibiliter & determinatè novit futura contingentia, suppositâ eorumdem futuritione, in ipsa futurorum entitate, ac veritate tamquam ratione objectivâ formaliter repræsentatâ in divina essentia; adeòque in ipsa sua essentia, tamquam objecto motivo & cognito. Suppositâ namque futuritione, futura tam sunt intelligibilia, quàm res possibiles suppositâ earum possibilitate: adeòque repræsentantur eo ipsò in divina essentia, tamquam per se vera & cognoscibilia; & consequenter cognoscuntur ab intellectu divino, qui veluti infinitus necessariò cognoscit omne cognoscibile. Porrò causa determinans ad futuritionem est æternum Dei decretum: sine quo utique nil est futurum. Itaque ratio, cur Deus videat futurum, est, quia positâ futuritione (quæ habetur ex divino decreto de ipso creando) verè est cognoscibile, adeòque repræsentabile & de facto repræsentatum in divina essentia; & consequenter ob infinitam vim intelligendi de factò à Deo cognitum. Ita *Scotus d.* 39. *n.* 23. *Smising d.* 2. *n.* 129. referens se ad dicta *n.* 73. *Ponceus, Suarez* & plurimi alii. *Quid vero ad futuritionem determinet.*

Ex quo patet futura prævideri à Deo in determinatione suæ voluntatis, tamquam in ratione determinante indifferentiam futuri contingentis ad alteram partem contradictionis; non autem tamquam in objecto proximo. Posset quidem ex notitia decreti de creando v. g. Antichristo tali tempore, haberi notitia infallibilis de Antichristo tali tempore futuro, junctâ notitiâ de immutabilitate & omnipotentiâ, seu inimpedibilitate divinæ voluntatis: hic tamen modus cognoscendi minùs est consentaneus divinæ perfectioni, ideóque rejicitur à *Scoto sup. Smising n.* 70. & aliis. Ratio est: quia Deus simplici intuitu clarè videt futura secundùm se, sicut præsentia: adeòque sicut Deus non videt præsentia per ejusmodi ambagem, scilicet ex consideratione suæ voluntatis, immutabilitatis & omnipotentiæ, sic nec futura. Unde ibi involvitur virtualis quidam discursus, isque imperfectus, scilicet cum dependentia cognitionis futurorum à cognitione prædictorum principiorum cognoscendi futura. Quare cùm alio modo perfectiori possint futura cognosci, is solus Deo adscribendus est. 45. *Quatenus Deus futura prævideat in determinatione sua voluntatis.*

Nec prædictis obstat, quòd futurum actu nihil sit: nam equidem est cognoscibile, & de facto à Deo certò cognitum; sicuti etiam præteritum actu nihil est, & tamen ratione entitatis præteritæ est cognoscibile. Non obstat etiam, quòd peccata sint à Deo præscita, quæ tamen ipse non vult: nam illa Deus prævidet in decreto permissivo, seu permittendi peccata, & ad actum physicum concurrendi, 46. *Etsi actu nihil sint.* *Immo & ipsa peccata.*

Gravis tamen difficultas restat, quomodo 47.

Difficultas illud efficax decretum cum libertate conciliandi. modo efficax determinatio divinæ voluntatis circa actus liberos consistat cum eorumdem libertate: cùm sit antecedens, & independens à creato arbitrio, illâque positâ non possit non poni actus. Hæc equidem difficultas non est specialis in nostra sententia; cùm sit etiam aliis solvenda, qui fatentur omnia Dei decreta esse æterna; solvetur autem à nobis in proprio loco *de providentia Dei.* Mirari tamen satis nequeo nostrum *Felix c.5. de scientia Dei, diffic. 3.n.6.* citare *Smising Trac.3.d.2.n.73.* quasi existimantem, quòd tale decretum (in quo determinatè viderentur futura) tollat libertatem: cùm *n.129.* modum ibi allatum, & hîc à nobis traditum, de medio divinæ præscientiæ, veluti expressissimè traditum à *Scoto* approbet, & argumentum de libertatis præjudicio *n.73.* propositum directè solvat.

48. *Illud decretum priùs ratione quàm sit, non videtur ut ponendum* Petes, an decretum divinæ voluntatis priùs ratione quàm positum sit, cognoscatur à Deo ut ponendum: sive an Deus viderit, quid esset decreturus facere, priùs ratione quàm aliquid decreverit? Resp. Neg. cum *Smising. d.2.n.95.* (qui ait esse de mente veterum Scholasticorum) *Poncio, Vasquez, Molina, Arriaga* & plerisque aliis contra *Suarez* & nonnullos alios. Ratio est: quia in isto priori voluntas divina tantùm intelligitur ut indifferens ad decernendum & non decernendum; adeòque nil ampliùs intelligi debet, quàm ipsam esse indifferentem. Deinde divinum decretum non potest habere rationem ponendi sive futuri; cùm præsens, præteritum & futurum desumantur solùm per ordinem ad realem durationem, quâ unum antecedat aliud, quæ in æternis non habet locum: atqui *non nisi quod futurum est, præscitur*, juxta *Anselm. c.2. Concordia*: ergo &c. Denique decretum divinum non pendet à visione sui, sed potiùs contrà; adeòque visio nō est prior decreto: cū signa rationis, secundùm quæ unum in divinis decretis aut scientiâ dicitur prius altero, sint tantum signa quædam dependentiæ aut suppositionis.

49. Dices, in illo priori, quo consideratur needum prodiisse æternum Dei decretum, alterutrum debet verificari, scilicet esse futurum vel non esse futurum. Resp. I. falsum esse in illo priori, quòd decretum pro sequenti signo est futurū, seu quòd erit, & verum esse quòd non est futurum, seu quòd non erit, sed quòd pro sequenti signo rationis est. Sic in priori signo originis, quo Pater est prior Filio, falsum est, quòd Filius pro sequenti *In illo priori contradictoria simul* signo erit, sed est. Respondert potest secundò, alterutrum contradictoriorum debere verificari pro quovis instanti durationis realis, non autem pro quovis *à veritate præscindunt.* instanti naturæ vel rationis. Quare in priori illo signo potest præscindi ab utroque: sicut in priori signo, quo humanitas est prior risibilitate, nec est risibilitas (aliàs enim non esset ipsa posterior naturâ) nec non risibilitas: aliàs non posset humanitati competere risibilitas, cùm negatio, quæ verè inest non possit simul tempore consistere cum forma opposita sequenti signo naturæ seu rationis advenienti.

QUÆSTIO V.

An Deus habeat certam scientiam de futuris contingentibus conditionatis?

NOn est dubium, quin Deus noverit infallibiliter contingentia illa, quæ etsi numquam evenient, evenirent tamen sub conditione, cum qua necessariam habent connexionē: v.g. quòd domus comburetur, si ignis sufficienter applicetur, & absit impedimentum: quòd homo peccabit, si Deus efficaciter in tentatione permanente non opituletur &c. Et hæc quidem novit per scientiam simplicis intelligentiæ, quâ intelligit necessariam inter hypothesim seu conditionem & eventum connexionem. Quæstio itaque movetur de futuris conditionatis, quæ contingentem, seu nō necessariam connexionem ex se habent cum conditione; quæ tamen numquam evenient, eò quòd conditio numquam ponetur.

DICO I. Negari omnino non potest, quin Deus habeat certam notitiam ejusmodi futurorum conditionatorum. Ita communissimè Theologi, præsertim Recentiores: inter quos noster *Pilosius* & alii oppositum censent periculosum in fide. Quod quidē nonnulli Thomistæ referūtur docuisse; sed illos excusat *Joannes à S. Thoma*, ut refert noster *Felix c.6. dif. 1.n.2.* 50. *Deus præscit futura conditionata.*

Probatur I. ex Scriptura *Gen. 11. Nec desistent* (ædificatores turris Babel) *à cogitationibus suis, donec eas opere compleant*; scilicet nisi in cœpto impediantur, prout impediti fuerunt: sciebat ergo Deus, quid futurum fuisset, si eos non impedivisset. 1. *Reg. 23.* David consuluit Dominū, dicens: *Descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel indica servo tuo. Et ait Dominus: descendet. Dixitq; David: Si tradent me viri Ceilitæ & viros, qui sunt mecū, in manus Saul? & dixit Dominus, tradent.* Ubi apertè est sermo de futuro contingenti conditionato: nam David reipsa non fuit traditus, sed solùm prædicitur tradendus, si in ea urbe permaneat. *Sap. 4. Raptus est ne malitia mutaret intellectum*

&c. ubi supponitur, quid futurum fuisset, si justus præmaturè raptus non fuisset. *Matth.* 11. testatur Christus: *Va tibi Corozain, va tibi Bethsaida. quia si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, qua facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Similia futura conditionata prædicuntur *Ezech.* 3. *Jerem.* 38. *Matth.* 24. Et alibi. Ergo Deus infallibiliter illa scit.

51. Nec potest cum nonnullis dici, Deum aut Prophetas solùm exprimere conjecturalem notitiam, fundatam in dispositione causæ proximæ, vel quid in simili eventu aliquando acciderit, & adhuc natum sit evenire. Nam conjecturalis notitia ineptè Deo tribuitur. Scientia autem simplicis intelligentiæ, quâ Deus perfectissimè novit proportionem causæ ad certum effectum, non sufficit, etiam adjunctâ scientiâ visionis eventuum, qui aliquando in simili occasione acciderunt: nam Scriptura præterea simpliciter asserit & testatur, quid in hac particulari occasione eventurum fuisset, & de hoc absolutam continent verba Scripturæ Prophetiam, ut proprietas verborum convincit, & Patres intellexerunt, signanter *Aug. l. de bono persev. c.* 9. agens de pœnitentia Tyriorum & Sidoniorum. Deinde alioquin imprudenter Deus hoc modo revelasset, quod tantùm erat possibile, & cui in particulari poterat subesse falsum. Denique David inquirebat de ipso eventu speciali futuro sub conditione, idque applicando Ephod, prout inquiri solebant certa oracula: adeòque supponebat Deum infallibiliter istum eventum cognoscere; cui quoque absolutè respondenti tenebatur fide divinâ credere, non minùs quàm aliquid aliud simpliciter revelanti.

Idq; infallibiliter & in singularibus eventibus.

52. Nec refert quòd *Matth.* 11. dicatur: *Si in Sodomis facta fuissent virtutes, qua facta sunt in te, fortè mansissent usque in hanc diem:* nam (ut ex Græco patet) particula *fortè* ibi non est dubitantis, sed confirmantis, ut sit idem ac *utique* vel *omnino*. Deinde etsi videretur dubitantis, non significaret dubitationem Dei, sed dubietatem effectus contingentis ex natura sua. Vide dicta *q.* 3.

Non scriptura conjecturalem notitiam Deo tribuit.

53. Probatur II. Ex Patribus, qui frequenter hanc scientiam conditionatam, seu conditionalium in Deo supponunt. Sic *Aug. l.* 2. *de bono persev. c.* 9. manifestè ejusmodi scientiam admittit circa Tyrios & Sidonios. Et *ibid. c.* 11. dicit, Deum non subvenisse etiam *his quos pravidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros.* Et rursum *c.* 9. *cit.* de reprobis, qui à justitia excidentes in malo statu decedunt, ait: *Certè poterat illos Deus, prasciens esse lapsuros, antequam id fieret, auferre de hac vita;* certè non poterat positâ præscientiâ absolutâ futuri lapsus (ut patet) sed conditionati; uti justum electum tempestivè rapit, alioquin præscitum casurum. Vide eumdem *l. de correp. & grat. c.* 8. *versùs finem.* Sic etiam quærunt Patres; cur Deus elegerit Saülem, quem sciebat spreturum gratiam Dei; cur creaverit Angelos & Adamum, eisque præceptum imposuerit, cùm sciret eos lapsuros. Supponūt igitur Deum scivisse, si creem Angelos, tales vel tales peccabunt &c. nam scientia visionis, utpote supponens creationem, non poterat movere ad non creandum, sed potiùs illam necessariò infert. Similiter antiqui Scholastici frequētēr movent quæstiones, de iis quæ fierent à Deo contingenter, si talis vel talis conditio numquam ponenda poneretur: adeòque scientiam conditionalium in Deo supponunt; ita ut *Smising d.* 2. *n.* 158. dicat se non posse dubitare, quin Scholastici illam Deo tribuerint.

Conclusio fundatur in Patribus.

Probatur III. ratione: quia ejusmodi futura conditionata tam verè sunt futura sub conditione, adeòque intelligibilia, quàm futura absoluta sunt futura absolutè & intelligibilia. Confirmatur I. quia etiam nos quamdam conjecturalem notitiam ejusmodi futurorū subinde habemus, & ad scientiam illorum anhelamus: ergo Deo deneganda non est scientia istorū infallibilis. Confirmatur II. quia potest Deus de ejusmodi eventibus interrogari; absurdum autem est arbitrari, Deum interroganti non posse respondere. Confirmatur denique: quia si non erat determinatè verum, adeòque scibile, *Si Saul veniat Ceilam, Ceilita tradent David in manus Saul* (idem est de alijs similibus) ergo contradictorium erit simpliciter verum, adeòque Deus dixit, seu revelavit Davidi simpliciter falsum. 54.

Futura conditionata tam sunt verè futura, quàm absoluta.

Dices I. *Augustinus l. de prædest. SS. c.* 14. tractans illud *Sap.* 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus;* ait: *Dictum est enim secundùm pericula vita hujus, non secundùm præscientiam Dei, qui hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat; id est, quòd ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationibus subtraheretur incerto, non quòd peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* Et *l.* 1. *de anima & ejus origine c.* 12. *Quid quòd ipsa exinanitur omnino præscientia, si quod præscitur, non erit? quomodo enim rectè dicitur præsciri futurum, quod non est futurum? quomodo ergo puniuntur peccata qua nulla sunt?* &c. Et *Prosper in epist. ad Aug. præfixâ lib. cit.* de Semipelagianis, ait: *In tantùm quibuscumque commentitijs meritis electionem Dei subji-* 55.

Auctoritates in speciem oppositæ.

ſubjiciunt, ut quia præterita quæ non extant, futura quæ non ſunt futura confingant, novóq; apud illos abſurditatis genere, & non agenda præſcita ſint, & præſcita non acta ſint. Ergo ſecundùm hos Patres non datur in Deo ſcientia conditionata. Reſp. de mente *Auguſtini* ſatis conſtare ex ipſis *libris de prædeſt. SS. & de bono perſever.* quin & ex *l.1. de anima & ejus origine c.12.* ubi quærit, cur Deus hominem faciebat, quem utpote præſcius ſciebat futurum non bonum? Quæ interrogatio, ne ridicula ſit, ſupponit ſcientiam conditionatam: cùm non ſit, cur quæratur id, ſuppoſitâ præſcientiâ abſolutâ, adeòque decreto abſoluto creandi.

Explicantur.

Itaque *Auguſtinus* in locis objectis agit de præſcientia abſoluta (quæ propriè præſcientia dicitur) qualis requiritur ad præmium vel ſupplicium, ut maniſeſtè patet ex ſubjecta materia: impugnat enim errorem ineptum quorumdam *Semipelagianorum*, aſſerentium hominem puniri aut præmiari ob ea quæ numquam geſſit aut geſturus eſt, ſed geſturus fuiſſet, ſi ſupervixiſſet, quem errorē egregiè refutat *l. de prædeſt. SS. c.12.* & 14. *Lib.1. de anima & ejus origine*, & alibi. *Secundùm* hanc itaque *præſcientiam non eſt dictum, Raptus eſt*, &c. ſed *ſecundùm pericula hujus vitæ*, ſic nempe Deo explorata, ut ſciret certò quid hîc & nunc fuiſſent operata. Hæc *præſcientia omnino exinanitur*, immo ipſa Dei juſtitia; nam *quomodo* (inquit *Auguſtinus*) *puniuntur peccata quæ nulla ſunt?* Quare *l. de bono perſev. c.16.* loquens *de mortuorum operibus, quæ facturi erant ſi viverent, bonis aut malis*, ſubinfert: *ac per hoc nullis, & in ipſa Dei præſcientia*, abſoluta, *non futuris.* Eodem ſenſu loquitur *Proſper*, ut ex contextu eſt manifeſtum.

Quomodo conditionales contingentes ſint veræ.

56. Dices II. Veritas conditionalium conſiſtit in legitima conſequentia; atqui hæc deeſt conditionalibus contingentibus, ergo in his non eſt veritas, adeòque nec cognoſcibilitas. Reſp. Neg. Majorem, intellectam juxta vulgarem intelligendi modum (quidquid ſit de rigore dialectico) juxta quem propoſitiones conditionales habent veritatem per hoc quòd eventus reipſa poneretur, ſi poneretur conditio ſive occaſio, etſi dependentia ſeu connexio ſit tantùm contingens. Deinde accedente decreto conditionato Dei de ejuſmodi eventu ponendo, ſi ponatur conditio, neceſſariò ſequitur ponendum eventum ſub ea conditione, adeòque eatenus non deeſſet quoque rigor dialecticus.

57. Dices III. Ejuſmodi conditionales præſciri non poſſunt independenter à decretò conditionato Dei; atqui hoc eſt ſuperfluum & fruſtraneum, ergo &c. Reſp. diſſimulatâ Majori (de qua ſtatim) Neg. Min. ſicut enim in nobis ſæpè ſunt ejuſmodi decreta, ſic poſſunt eſſe in Deo, & ſervire ad oſtenſionem ſuæ bonitatis vel juſtitiæ, ut patet in voluntate ſalvandi reprobos, ſubvertendi Niniven &c. Deinde ſi decretum iſtud ſit Deo neceſſarium ad ſciendum, quid poſitâ aliquâ conditione ſit futurum, eo ipſo habet ſuam utilitatem, immo neceſſitatem. Addit *Felix c.6. diffic.2. n.39.* voluntatem Dei potiùs fore otioſam, ſine ejuſmodi decretis, utpote manſuram ſuſpenſam circa aliqua objecta Deo ſub conditione propoſita.

In Deo dantur decreta conditionata.

58. His ita diſcuſſis, reſtat acris controverſia, an ſcientia conditionata antevertat in Deo omnem determinationem actualem voluntatis divinæ, quâ abſolutè vel conditionatè decernat, quid in quavis hypotheſi futurum eſſet; v. g. an priuſquam abſolutè vel conditionatè decerneret concurrere cum Magdalena ad pœnitentiam, cum Petro ad negationem, Deus ſciverit: Si Magdalena eſſet tali tempore in domo Simonis leproſi, & mediante tali gratiâ excitaretur, converteret ſe ad pœnitentiā: Si Petrus eſſet tali tempore in domo Pontificis, & tali modo tentaretur, negaret Chriſtum? Idem eſt de ſimilibus. Affirmant communiter *Auctores Societatis* Iesu, quos ſequuntur plures Recentiores, & ex *Scotiſtis Philippus Faber, Poncius*, & probabile aſſerit *Cavellus in ſcholio præfixo n.13. d.39.* Quæ quidem ſententia ob plauſibilem & faciliorem (ut apparet) explicationem providentiæ divinæ & libertatis creatæ contra hæreticos recentiores valde multis arridet. Ejuſque ſe inventorem gloriatur *Ludovicus Molina.* In illam tamen nonnulli graviter invehuntur; immo in diſputationibus habitis ſub *Clemente VIII.* & *Paulo V.* de auxilijs divinæ gratiæ, inter Patres Dominicanos & Patres Societatis, eò uſque deventum fuiſſe teſtantur, ut Cenſores ſive arbitri eam duxerint condemnandam, velut commentum *Semipelagianorum.* Unde volunt illam inter articulos *Molinæ*, in bulla ſub *Paulo V.* jam formatâ fuiſſe collocatam: prout aliquando in libellis pro parte *Janſenij* aut *Janſenianorum* (ut vocant) ante definitionem controverſiarum per *Innocentium X.* factam, vulgatis contineri vidi. Huic tamen fundamento non eſt modò nitendum: cùm præfatus *Innocentius X. anno* 1654. *die* 25. *Aprilis* ſpeciale ediderit decretum, locis conſuetis affixum & publicatum in Urbe *die* 27. *ejuſdem menſis:* quo *declarat ac decernit prædictis aſſertis actis, & autographo ſive exemplari prædi-*

Scientia media antecedens omne decretum.

Sententia affirmans illam dari.

Non eſt damnata.

cta asserta constitutionis Pauli V. nullam omnino esse fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, seu à quocumque alio allegari posse vel debere.

59. *Nec est ratio illam damnandi.* Neque aliundè apparet, quo titulo posset hæc scientia condemnari, quantumvis à *Semipelagianis* asserta foret: cùm indubitatum esse debeat, Deum habere scientiam conditionatam; maxima autem sit ratio dubitandi, cur non ante omne suum decretum: neque id ulli Scripturæ vel Auctoritati apertè contradicat. Quod ad *Semipelagianos* (viros cæteroqui bonos & Catholicos, teste *Prospero in epist. sup. cit.*) spectat, non omnia quæ docuerunt sunt hæretica: cùm in plerisque sanam doctrinam habuerint. *Etsi fuisset Semipelagianorum.* Neque *Augustinus* in iis scientiam conditionatam reprehendit, sed abusum in parvulis quoad præmium vel supplicium, juxta dicta *præc. conclus.* Quin immo eamdem potiùs *Augustinus* supponit, & ab illo traditam fuisse existimat ipse *Jansenius l. 9. de gratia Christi c. 7. in fine*; citaturque in margine *c. 10. de prædest. SS.* in quo tamen nil ad propositum habetur, juxta hodiernam capitum discriminationem. Quare *Jansenius* passim in opere suo prohibito, non tam taxat ipsam scientiam mediam, quàm abusum (ut putat) illius. Neque *Jansenianí* adeò illam repudiant; sed nolunt adhiberi ad concordiam gratiæ & libertatis.

Sunt præterea, qui invidiam adfricant huic sententiæ ob novitatem nominis olim non auditi. Sed parum est curandum de vocabulis; quæ dum rem bene explicant, possunt quotidiè institui. *Quare vocetur media.* Non incongruè autem scientia ista vocatur media, scilicet inter simplicem intelligentiam & visionem, participans quidem de priori, quòd tendat in res simpliciter numquam futuras; de posteriori autem, quòd tendat non solùm in res quatenus possibiles, sed quodammodo in futuritionem rei, quæ verè esset in tali vel tali conditione, numquam de facto ponenda. Ad rem ipsam quod attinet, etsi non diffitear opinionem, quæ asserit hanc scientiam, esse satis probabilem & rationi conformem, eo modo quo à suis Auctoribus defenditur; inhærendo tamen doctrinæ scoticæ.

60. *Illa in Deo non datur.* Dico II. Probabiliùs non datur in Deo scientia media, seu conditionata ante omne decretum Dei, absolutum ex parte actus, conditionatum ex parte objecti, quo Deus in his vel istis conditionibus decernat, quid acturus aut permissurus esset. Ita communiter Discipuli *Doctoris Angelici* & *Doctoris subtilis*. Et videtur omnino communis doctrina antiquorum Theologorum, apud quos nulla reperitur mentio, nisi duplicis scientiæ Dei, scilicet simplicis intelligentiæ (quam confundunt cum scientia necessaria) & visionis, quam confundunt cum scientia libera, & quæ utique sequitur decretum. Specialiter idem colligitur ex *Scoto d. 38. n. 2. & d. 39. n. 7.* ubi expressè docet omnem cognitionem in Deo, quæ præcedit omnem actum divinæ voluntatis, esse merè naturalem seu non liberã; quod non consistit cum scientia media, quæ libera esset seu contingens, sicut ipsum objectum, & tamen anteverteret omnem actum divinæ voluntatis. Aliud est de scientia conditionata sequente decretum: hæc enim est libera, & pertinet seu reducitur ad scientiam visionis.

Probatur conclusio I. quia si daretur scientia media, ipsaque sit verum & optimum medium conciliandi libertatem creatam & infallibilitatem divinæ providentiæ atque efficaciam gratiæ, incredibile foret eam fuisse ignoratam & non adhibitam à Concilijs & Patribus, præsertim *Augustino*, vel ullo antiquo Theologo, contra *Pelagianos* aliosve hæreticos; qui tamen tale medium concordiæ (fatente *Molina*) ignorarunt, certè numquam adhibuerunt, immo nec leviter insinuarunt; sed potiùs semper recurrerunt ad omnipotentissimam voluntatem Dei, qui potens est quod vult facere, & facit nos velle etiam liberè, prout vult. Ipsa quòque facilitas ab aliis prætensa non immeritò hanc rem suspectam reddit: si quidem Doctores Catholici cum *Augustino* constanter semper asseruerint, concordiam præfatam esse intellectu difficillimam, quam proinde penetrare pauci valent, ut patet apud *Augustinum l. de gratia Christi c. 47. Lib. 4. contra Julianum c. 8. Lib. 2. contra epist. Petiliani c. 84.* 61. *Si daretur, foret à Patribus cognita.* *Et facilis gratia cum libertate concordia.*

Probatur II. quia nequit scire Deus, quid creatura libera ageret, nisi sciat quid ipsemet esset acturus in iisdem circumstantiis, si ponerentur; hoc autem scire nequit, nisi saltem sciat, quid ipsemet esset decreturus, seu quid decerneret in iisdem circumstantiis agere: atqui hoc non scit, priusquam aliquid actu saltem conditionatè decernat. Quod probatur: quia antequam aliquid decernat absolutè & efficaciter, non videt quid sit decreturus absolutè; prout *quæst. præc.* ostensum est, & admittunt etiam *Molina* & alii passim: ergo priùs ratione quàm aliquid in aliqua circumstantia decernat conditionatè, non videt quid sit conditionatè decreturus. Est enim par ratio. Quare pro isto priori tantùm videt, se indifferentem tam ad unum quàm ad alterum, etiam in tali hypothesi seu conditione: adeòque seclusâ actuali determinatione volun- 62. *Citra decretum non scit Deus, quid ipsemet ageret.*

luntatis ad unam partem pro tali hypothesi, remanet mera possibilitas.

63. *Conditionales spectant ad simplicem intelligentiam.*

Probatur III. quia in objecto scientiæ conditionatæ involvitur etiam concursus Dei, ut alii fatentur: per illam enim Deus scit, quid creatura libera faceret, si haberet omnia requisita, adeòque concursum & decretum Dei: atqui illud ipsum scit per simplicem intelligentiam, uti alias consequentias vel connexiones necessarias: si enim adesset concursus Dei, & decretum, indubitatum est quòd creatura ageret, cùm concursus iste sit identificatus actioni creaturæ, adeòque eo supposito necessariò sequatur esse actionem creaturæ.

64. *Non datur concursus Dei indifferens.*

Dices, per scientiam conditionatam videri quid creatura ageret, si haberet paratum in actu primo concursum Dei indifferentem; hic autem non necessariò infert actionem creaturæ, cùm ex parte sua sit indifferens, tam ad hanc actionem creaturæ, quàm ad oppositam. Resp. non posse videri quid creatura ageret determinatè, nisi simul proponatur concursus Dei determinatus in eadem conditione: cùm is sit identificatus cum actione creaturæ. Unde quoque patet falsitas suppositi, videlicet de concursu indifferenti: cùm præter voluntatem Dei indifferentem non sit nisi determinata & communis actio Dei & creaturæ, ac decretum Dei ad illam concurrendi. Et gratis concesso concursu ex parte Dei indifferenti, adhuc non sufficeret, ut Deus sciat quid creatura in hac vel illa conditione ageret: nam sanè cum illo cõcursu solo nil omnino in quacumque hypothesi ageret, nisi accederet in eadem hypothesi concursus determinatus Dei. Hoc autem accedente & supposito, jam spectabit ejusmodi conditionalis enuntiatio, sive objectum illius, ad scientiam simplicis intelligentiæ, prout probatio præmissa contendit.

Nec sufficeret ad scientiam mediam.

65. Probatur IV. quia citra decretum absolutum & efficax nihil potest esse aut sciri futurum absolutè; ergo citra decretum conditionatum nihil potest esse aut sciri futurum conditionatè; sed solùm tamquam indifferens ad unum & alterum, seu tamquam merè possibile. Unde sicut secluso decreto absoluto nequit futurum videri in causis, sic nec futurum conditionatum in causis vel conditionibus, secluso decreto conditionato.

Ante omne decretum est mera possibilitas.

66. *Scientia media non requiritur ex parte libertatis.*

Probatur V. quia scientia media, nec requiritur ex parte libertatis creatæ, nec ex parte providentiæ divinæ. Primum patet: quia in statu conditionato debent præsupponi eadem prærequisita conditionatè, quæ in statu absoluto supponuntur absolutè: adeòque si lædatur libertas per prærequisita in statu absoluto, illam non salvabit scientia statûs conditionati; si autem non lædatur, non requiritur scientia conditionata ex hoc capite. Secundum patet: quia ad infallibilitatem divinæ providentiæ sufficit scientia simplicis intelligentiæ, quâ Deus novit, quid sit possibile sibi per talia vel talia principia operari cum creato arbitrio liberè concurrente: huic enim scientiæ accedente divino decreto infallibiliter futurum est, & quidem liberè, prout ipse Deus decreverit.

Nec ex parte providentiæ divinæ.

67. Dices I. Divina providentia exponitur periculo fallendi, si absolutè decernat effectum creaturæ liberæ ponendum per principia relinquentia indifferentiam creati arbitrii, nisi priùs exploret per scientiam conditionatam, an creatura sit adhibitura consensum: tam enim fieri poterit, ut creatura consensum non adhibeat, quàm ut adhibeat. Resp. Neg. Assump. scit enim Deus, quia quod efficaciter vult, infallibiliter fit eo modo quo vult; adeòque videt futurum effectum liberum creaturæ, prout illum decrevit fieri, seu ei cooperari. Mirum quidem hoc apparet: sed quis nesciat Deum totum admirabilem & incomprehensibilem? Præterea eadem difficultas manet admissâ scientiâ mediâ: per hanc enim videt Deus, quid in quavis conditione fieret à creatura, quid ab ipso Deo; & quidem videt, quòd in quavis hypothesi sit idem acturus quod creatura, seu ei cooperaturus, adeòque videt infallibilem simultatem inter determinationem Dei & creaturæ in quavis hypothesi. Sufficit itaque in Deo scientia comprehensiva suæ omnipotentissimæ voluntatis, & ejusdem infallibilitatis in determinatione qualibet tangente creatum arbitrium, quam novit in quavis occasione concomitaturam determinationem ipsius arbitrii creati. Deinde novit concursum suum & creaturæ esse indivisibiliter eamdem actionem: adeòque efficaciter determinato suo concursu, futuram quoque actionem creaturæ; liberam tamen, cùm concursus sit simultaneus.

Quomodo hac non exponatur periculo fallendi.

68. *Neque peccandi.*

Dices II. saltem in actibus malis necessariò videtur ponenda scientia media, quæ exploret resolutionem creati arbitrii: cùm Deus alioquin videretur seipsum determinare ad actus malos, & non quatenus determinatus à creatura; adeòque non tantùm permissivè, sed etiam positivè cooperaretur ad peccata. Resp. Neg. Ass. nam Deus actus malos, etiam quoad materiale, non prædefinit, quasi velit antecedenter, ut creatura libera illos faciat (etsi id *Thomistæ* censeant

sciant: quorum sententia difficulter salvat sanctitatem Dei) sed tantùm concomitanter decernit coagere creato arbitrio: quod quidem decretum tantùm est permissivum peccati, utpote non fundati in actione Dei, sed creaturæ, à qua (secùs quàm à Deo) procedit contra legem aut rationem.

69. *Neque etiam aliqua conditionata ignorantia.*

DicesIII. Ex nostra sententia sequitur, Deum non scire quid in quavis conditione, aut occasione numquam ponendâ, creatura libera vel Deus ipse esset acturus; atqui hoc videtur absurdum: nam circa singulos eventus conditionatos interrogatus non posset respondere. Resp. Neg. seq. quia potuit Deus conditionatè decrevisse, quid in quavis conditione esset acturus aut permissurus. Deinde dissimulatâ seq. Neg. subsump. ejusque probationem: nam si de quibusdam eventibus nil etiam conditionatè decreverit, respondebit Deus, tales eventus absolutè esse quidem possibiles, sed ne quidem in tali conditione futuros, utpote non futuros absolutè vel conditionatè sine præsenti decreto proportionato. Hinc seposito omni decreto Dei, falsum est, immo impossibile in sensu composito, seu supposito, quòd nil Deus decreverit: *Si Petrus in tali circumstantia poneretur, peccaret*; è contrà verum, immo necessarium est, & per scientiam simplicis intelligentiæ cognitum, quòd non peccaret: nisi conditionalis prior sic explicetur, ut sit necessariò vera, adeòque pertinens ad scientiam simplicis intelligentiæ, v. g. hoc modo: *Si Petrus in tali circumstantia poneretur, & adesset concursus ac permissio Dei, peccaret.* Quare quovis modo explicetur, non manet conditionalis contingens; de qualibus tamen tantùm hîc est sermo.

70. *Qualiter Deus sciat conditionales disparatas.*

Petes, quid dicendum sit de conditionalibus disparatis, v. g. *Si Petrus Romæ dormiat, Paulus Lovanij studebit?* Resp. verius esse, quòd non sciantur à Deo, etiam admissâ alioquin scientiâ mediâ, tamquam veræ, sed tamquam propriè falsæ: nam particula conditionalis significat quamdam dependentiam, seu connexionem operis cum conditione, tamquam causâ vel occasione movente vel alliciente; ut patet in omnibus conditionalibus per Scripturam expressis, aut iis quæ in sermone humano & rationabili adhibentur. Impropriissimè autem significat particula conditionalis meram concomitantiam temporis, quasi hic sit sensus: *Petrus Romæ dormiet, & simul tempore Paulus Lovanij studebit.* Hoc autem, si utrumque sit futurum, videt Deus per scientiam visionis. Dependentia tamen non debet esse ex natura rei, sed potest esse voluntaria; ut patet ex 4. *Reg.* 13. Ubi Eliseus Propheta ad regem Israel ait: *Si percussisses* (scilicet terram sagittâ) *quinquies aut sexies, percussisses Syriam usque ad consummationem.* Deus enim dependenter à tali signo, alioquin ex natura rei non connexo, & non aliter, decreverat operari istum effectum.

Omitto conditionales sub conditione impossibili, de quarum veritate ac cognoscibilitate nonnulli moderni Theologi disputant: quales sunt v. g. *Si chymera esset Aristoteles, studeret Philosophia: si Bucephalus esset Alexander, in tali vel tali circumstantia pugnaret.* Dolendum namque est, similes curiositates inutiles in sacram doctrinam esse invectas: in qua plurima sunt necessaria & utilia, numquam satis discenda, brevi hoc vitæ nostræ corruptibilis, ac velut momentaneo tempore. Maneant proinde similes chymeræ in suo nihilo, & *Alexander* cum suo Magistro *Aristotele* in inferno. Nos verò ad alia properemus.

QUÆSTIO VI.

De Ideis divinis.

IDEA græcum nomen, latinè idem quòd forma spectabilis, communi usu significat formam exemplarem, quam artifex in operando intuetur & imitatur. In qua acceptione ideas quasdam spectare ad intellectum divinum, constans est sententia Patrum & Theologorum; adeò ut illas nemo *verâ religione imbutus negare audeat, immo non etiam profiteri*, ut inquit *Aug. l. 83. qq. q. 46.* Hoc sensu accipi potest illud ad *Hebr.* 11. *Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent*, id est, *ut ex rationibus idealibus in Verbo Dei omnis creatura fieret*, inquit *D. Thomas* Ibid. sive *ex intellectuali mundo* (qualis erat in sapientia & arte Dei) *visibilis*, uti explicat *Anselmus monologij c. 8. 9. & 10.* Quare Veteres appellant ideas mundum originalem, mundum intelligibilem, archetypum, sigillum primitivum, rationes primordiales &c. Neque eas negavit *Plato* juxta *Aug. sup. & 12. de civit. c. 26.* *Scotum d. 35. n. 11. & 4. d. 50. q. 3. n. 4.* ubi ait *Platonem posuisse eas in mente divina, sicut per se entia.* Quamquam *Aristoteles* ideas *Platonis* diversis locis impugnet, putans, vel potiùs imponens (quo vocabulo utitur *Scotus* loco priùs citato) ei, quòd voluerit esse formas 71.

Menti divinæ ideas adscribit auctoritas.

quasdam

quasdam universales ab omnibus singularibus separatas, ac per se existentes extra Deum. Quod sanè figmentum absurdius est, quàm ut cadere potuerit in mentem sapientissimi Philosophi.

Et ratio. Ratio porrò cur ideæ sint menti divinæ adscribendæ, est manifesta: quia nimirum Deus est agens intellectuale producens omnes effectus juxta formam mente præconceptam. Quare omnia Dei opera sunt artefacta illius, ipseque omnia agit artificialiter seu exemplariter. Unde *Sap. 7.* divina Sapientia vocatur *omnium artifex.* Quæ paucis & bene colligit *Scotus d. 35. n. 12.* ex hac descriptione divinæ ideæ: *Descriptio ideæ divinæ.* *Est ratio æterna in mente divina, secundùm quam aliquid est formaliter extra, ut secundùm propriam rationem ejus:* nam *Deus* (inquit) *omnia causat vel causare potest; non irrationabiliter, ergo rationabiliter; igitur habet rationem, secundùm quam format: non autem eamdem omnium: ergo singula propriis rationibus format: non autem rationibus extra se, quia non eget in efficiendo aliquo alio à se: igitur rationibus in mente sua: nihil autem in mente sua est nisi incommutabile: ergo omne formabile potest formare secundùm rationem propriam sibi, æternam in mente sua: nihil autem in mente sua tale ponitur, nisi idea, secundùm istam descriptionem.*

72. *Quomodo sit in mente divina.* Est autem dissensio, an ideæ sint in intellectu divino formaliter, an objectivè: sive an ipsa intellectio Dei, quà intelligit creaturam factibilem, an verò objectum ipsius intellectionis sit dicendum idea. Varii Recentiores priorem loquendi modum amplectuntur, citantes pro se plures Antiquos; minùs quidem rectè, ut ostendit *Smising d. 2. q. 7. n. 200. & seqq.* Posteriorem verò loquendi modum amplectuntur antiquiores Scholastici, *D. Bonav. d. 35. a. 1. q. 1. in corp. & q. 3. in corp. D. Thomas q. 15. a. 1. & 2. Scotus locis suprà citatis.* Verùm uterque loquendi modus in concordiam revocari potest: nam intellectio divina, & generatim conceptus existens in mente artificis, est idea formalis: objectum verò est idea objectiva sive exemplar objectivum. Opus etenim artis fit ad imitationem utriusque, objecti quidem tamquam imaginis realis, conceptus autem tamquam imaginis intentionalis, quæ applicat realem sive objectivam, ut possit influere in opus: quamquam nec conceptus sive idea formalis possit existere, nisi adsit, adeòque suo modo concurrat (quidquid dicat *Smising sup. n. 207.*) idea objectiva correspondens; sicut generatim nequit esse cognitio sine *Est in ea objectivè.* objecto. Nihilominus ratio ideæ sive exemplaris cum antiquis Scholasticis dicenda est potiùs convenire objecto, quàm cognitioni: non enim hanc, sed ipsum objectum propriè intuetur artifex in operando. Equidem existimandum non est, Deum habere aliqua exemplaria objectiva extra se, quæ intueatur extra se, instar pictoris, habentis ante se & intuentis aliquod prototypum, juxta illud *Aug. l. 83. qq. q. 46. Has rationes* (loquitur de ideis) *ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris? non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret, quod constituebat: nam hoc opinari sacrilegum est.* Itaque in operatione non intuebatur, nisi seipsum sive suam essentiam, in eaque relucentem possibilitatem operum sive creaturarum: sic ut ipsa ejusmodi intuitio sive intellectio divina operis faciendi, vel potiùs operis factibilis, sit idea formalis. De idea verò objectiva, adhuc restat controversia, in quo consistat. Pro cujus resolutione,

Dico I. Rectè statuitur idea objectiva ipsa divina essentia; idque quatenus repræsentans omne factibile. Prima pars est *D. Thomæ q. 15. a. 1. & 2. D. Bonav. d. 35. a. 1. q. 3. in corp.* & videtur consentire *Scotus 4. d. 50. q. 3. n. 4.* dicens: *Oportet ergo quòd* omnia ad extra cognoscantur *per illam essentiam, quæ perfectissimè omnia repræsentat, quæ ut sic repræsentans illa ut objecta cognita habet rationem ideæ.* Et paulò pòst: *Immo ipsa essentia est exemplar illimitatum.* Videtur etiam magis consona modo loquendi veterum Patrum, qui ideas appellant increatas, æternas, incommutabiles rationes in ipso Deo existentes, ut loquitur *Augustinus* frequenter, & *Dionysius de divin. nom. c. 5.* dicens: *Exemplaria dicimus esse rationes in Deo substantificas rerum præexistentes, secundùm quas superessentialis vita omnia quæ sunt prædestinavit & produxit.* 73. *Et potest statui in ipsa essentia divina.*

Probatur ratione: quia perfectissimus artifex debet habere exemplar perfectissimum; quale nequit esse, nisi ipsa divina essentia. Deinde ad hoc ut Deus operetur, debet priùs respicere & intueri suam essentiam, in qua & ob quam novit creaturas à se effici posse; sic ut nil appareat Deo possibile, nisi ratione essentiæ suæ comprehensivè cognitæ.

Secunda pars est *D. Bonav. sup. q. 1. in corp. Scoti sup.* & aliorum contra *D. Thomam sup. a. 2.* & alios, rationem ideæ objectivæ statuentes in essentia divina, quatenus est causa æquivoca, continens eminenter 74. *Quà repræsentativà.*

minenter creaturas, adeòque eatenus participabilis & quodammodo imitabilis à creaturis, scilicet secundùm naturam seu in ratione entis. Probatur quia imitabilitas in natura non requiritur ad rationem exemplaris, sed sola imitabilitas repræsentantis, ut patet in idea creata, quæ plerumque est alterius naturæ ab opere artificiali: positâque præcisè objectivâ repræsentativitate operis faciendi, & secluso quovis alio, habetur quidquid ad exemplar artificiale requiritur. Confirmatur: *quia* (ut ait *D. Bonav. sup. ad* 2.) *similitudo imitationis est medica, quia in medico potest finitum imitari infinitum, unde semper major est dissimilitudo quàm similitudo*: perfectissima autem ratio operandi supremi artificis postulat summam similitudinem inter ideam seu exemplar & artefactum; adeòque similitudinem repræsentantis & repræsentati, quæ summa & perfectissima est.

Non quà imitabili. Confirmatur II. Quia Essentia divina est idea creaturarum secundùm se totas, sicut secundùm se totas sunt artefacta Dei: creaturæ autem solùm imitantur divinam essentiam secundùm gradus quosdam communes & transcendentes, v. g. entis, substantiæ &c. quoad gradus autem proprios, quibus à Deo differunt, non imitantur, sed potiùs recedunt à natura divina: ergo ipsa est idea creaturarum, non quà imitabilis, sed quà objectivè repræsentans.

75. *Potest etiam statui in ipsis creaturis ut cognitis.* Dico II. Non incongruè tamen, etiam ipsæ creaturæ factibiles, quatenus à Deo in semetipso repræsentatæ & cognitæ, dicuntur esse idea objectiva. Ita *Nominales, Durandus, Gerson, Pesantius* & passim *Scotistæ*, quos citat & sequitur *Felix c.4. diffic.5. n.7.* Idem videtur docere *Scotus* 1. *d.35.n.12.* etsi problematicè loquens: *Igitur videtur, quòd lapis intellectus possit dici idea: ipse enim habet omnes istas conditiones* (scilicet contentas in descriptione, suprà allegatâ ex ipso) *quia est ratio factibilis extrà, propria sibi, sicut arca in mente potest dici ratio respectu arcæ in materia, & est propria ratio secundùm quam arca in materia formatur, & ista ratio est in mente divina, ut cognitum in cognoscente, per actum intellectus divini: quidquid autem est in Deo secundùm quodcumque esse, sive rei, sive rationis, est æternum.*

Unde in via *Scoti* videtur hîc liberum tenere quod lubet. Probatur Conclusio exemplo ideæ objectivæ creatæ, quæ est res facienda secundùm esse cognitum: nec aliquid deest creaturis quatenus cognitis, quò minùs etiam sint idea respectu Dei. Deinde eò ipsò præcisè, quò actio artificis est conformis rei faciendæ quatenus præconceptæ, habetur in Deo denominatio operantis secundùm ideam: ergo ipsa res facienda quatenus præconcepta est idea. Denique ipsa essentia divina eatenus tantùm concurrit, quatenus requiritur, ut creatura possibilis à Deo cognosci possit; *Qualiter concurrat essentia divina.* ideoque non sufficeret, si ipsa cognosceretur non cognitis creaturis possibilibus; ergo ipsæmet creaturæ præcisè loquendo potiùs sunt idea, essentiâ quasi mediatè & materialiter se habente, quatenus nempe requiritur ut idea sit cognoscibilis: sicut species impressa rei non est idea, etsi requireretur ut res cognoscatur; quæ utique nequit esse idea, nisi quatenus cognoscitur. Si autem per impossibile posset Deus sine imperfectione cognoscere res factibiles, non quatenus in essentia divina relucentes, haberetur quidquid ad intellectualiter operandum in Deo esset necessarium, sine essentia. Quare potiùs ipsis rebus cognitis quàm essentiæ videtur adscribenda ratio ideæ. Et consonat *Boëtius l. 3. de consolat. metro 9.* Ubi ipsum mundum, quatenus in mente divina repræsentatur factibilis, videtur statuere exemplar objectivum dicens:

Tu cuncta superne
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens similiq; ab imagine formans.

Dices I. *Augustinus l.83. qq.q.46.* dicit, *idearum visione animam rationalem fieri beatissimam.* Plura similia encomia apud Patres reperiuntur, quæ non rectè quadrant in creaturas, sed solùm in perfectionem increatam. Resp. cum *Scoto d. 35. n. 13. Augustinum* sic loqui, eò quòd ideæ spectent ad objectum secundarium visionis beatificæ, quatenus in essentia divina visâ relucent creaturæ possibiles. Alia autem encomia, si de ideis agant, nec quadrant in creaturas, possunt intelligi de ipsis adæquatè sumptis, scilicet de formali, seu scientiâ divinâ, & objectivâ. 76. *Quomodo visio idearū animam beatificet.*

Dices II. Artifex dependet in operando ab ideis, quando illæ non sunt identificatæ ipsi arti: atqui Deus nequit ita dependere à creaturis factibilibus, ergo ipsæ nō sunt ideæ respectu Dei. Resp. dist. Min. nequit dependere dependentiâ aliquâ imperfectâ, scilicet tamquam à causa vel motivo, Conc. Min. & nego Conseq. nequit dependere dependentiâ non imperfectâ, scilicet tamquam à puro 77. *At ab ideis in operando Deus dependeat.*

à puro termino, secundariò repræsentato in divina essentia, velut objecto primario motivo & cognito, vel tamquam à mera aliqua coditione, Nego. Min. simili enim modo dependet scientia visionis à rebus futuris; quæ nisi futuræ essent, non esset utique in Deo scientia visionis. Itaque creaturæ quatenus cognitæ, se habent terminativè respectu divinæ scientiæ, ipsa autem scientia ostendit Deo creaturas factibiles, & modum quo factibiles sunt ab ejus omnipotentia, sine qua ostensione voluntas (quæ est essentialis sui regula & directio) nil decerneret vel ageret.

An Deus imitetur ideas. An autem dicendus sit Deus imitari præfatas ideas; videtur pertinere ad quæstionem de nomine: in qua rectè respondetur quòd sic, quatenus per hoc nil significatur, quàm Deum facere adinstar creaturarum factibiliū, quatenus ostensarum formaliter in divina scientia, citra tamen ullam causalitatem objectivam aut errandi periculum.

78. *Illarum pluralitas.* DICO III. In Deo sunt aliqualiter plures ideæ. Ita communiter Doctores cum *Augustino sup.* dicente, *non tàdem ratione* (id est ideâ) *hominem, quâ equum*, esse conditum, *sed singula propriis esse creata rationibus.* Qualiter autem plures seu distinctæ sint, explicandum est cum distinctione: *Loquendo de formali.* loquendo enim de idea formali, quæ est ipsa cognitio seu scientia Dei, certum est esse actum realiter eumdem & indivisibilem, qui terminatur ad quælibet distinctissima objecta. Idem autem hic actus dicitur idea angeli, quatenus terminatur ad angelum, idea hominis, quatenus terminatur ad hominem, &c. ad quod sufficit sola distinctio rationis. *Loquendo de objectiva.* Si autè loquamur de idea objectiva, & hæc constituatur in ipsa essentia divina, patet similiter nullam esse distinctionem realem idearum; immo juxta Doctores communiter cum *D. Bonav. d.35. art.1 q.3.* solam distinctionem rationis, quâ essentia divina comparata ad angelum, quem objectivè repræsentat, cujusque est idea, censetur distingui à seipsa, quatenus comparatâ ad hominem, &c. Quidquid *Pontius sup. n.* 41. existimet, satis probabile tot esse ideas formaliter ex natura rei distinctas (si ponantur in aliquo increato) quot sunt perfectiones distinctæ in rebus idealiter distinctis, seu habentibus distinctam ideam; quod planè est multiplicare sine ratione formalitates in Deo distinctas in infinitum. Si verò idea objectiva constituatur in ipsis rebus creabilibus, patet esse distinctionem talem inter ideas, qualis est inter ipsas res creabiles.

79. *Quarum rerum detur in Deo idea.* DICO IV. Datur in Deo idea omnium & solorum à Deo factibilium: hæc enim omnia & sola possunt à Deo fieri ad instar exemplaris.

Non impossibilium. Hinc patet I. Deum non habere ideam impossibilium, nec figmentorum aut negationum: cùm non habeant propriam entitatem factibilem. Negationes itaque habent ideam per accidens, scilicet ideam positivorum: cùm tantùm ponantur, quatenus tollitur aliquid positivum. *Non peccatorum.* Similiter peccatorū, utpote à Deo non factibilium, non est in ipso idea. Quod tamen attinet entitatem physicam actus mali, sicut illum Deus coëfficit, sic ejusdem ideam habet.

80. *Non essentiæ divinæ.* Patet II. Deum non habere ideam suæ essentiæ aut divinarū personarum: essentia enim non est factibilis neque producibilis: *Vel personarum divinarum.* personæ autem licèt duæ sint producibiles, non tamen propriè factibiles, multò minùs per directionem intellectûs seu cognitionis, quæ etsi concomitetur, vel etiā præcedat ratione (quod valde probabiliter negari censet *Pontius sup. n.* 42.) non tamen practicè: sicut homo non generat exemplariter alium hominē, etsi illum cognosceret, eò quòd cognitio illa impertinēter se habeat ad generationem. Procedunt itaque personæ divinæ, non secundùm principium repræsentativum, sed secundùm principium fecundum, seu ex naturali fecunditate divinæ essentiæ.

Sed omnium factibilium habentium proprium esse. Patet III. Deum habere proprias & distinctas ideas omnium factibilium, habentium proprium esse; adeòque non solarum specierum, sed etiam singularium, juxta *D. Bonav. sup. art.1. q.4.* & alios communiter contra *Henricum quodl. 7. q.5.* existimātem, singularia non habere propriam ideam, sed fieri per ideam speciei. Quod quidem absurdum est: quis enim dubitet, quin Deus singula individua realiter distincta secundùm proprias & individuales rationes distinctissimè noscat, non solùm tamquam actu existentes, sed etiam tamquam possibiles? Hæc autem notitia singulorum tamquam factibilium est propria cujusque idea formalis.

Etiam singularum partium distinctarum. Nec tantùm Deus habet proprias ideas cōpositorum, sed etiam singularum partium distinctarum; adeòque propriam ideam etiam materiæ primæ, & propriam accidentium: quamquam *D. Tho. q.15. art. 3. ad 3.* id neget de materia prima, quam ait fieri per ideam compositi, & *ibid. ad 4.* de accidentibus, quæ fiunt simul cum subjecto, seu quæ sunt à subjecto inseparabilia, quæ dicit fieri per ideam subjecti.

81. *Ac merè possibilium.* Patet IV. Deum nō solùm habere ideas creaturarum aliquando existentium, ut vult *D. Th. sup. ad 2.* sed etiam merè possibilium, v. g. aliorum mundorum: nam etiam hæ repræsentantur in divina essentia, & per artem sive scientiam Dei factibiles sunt, adeòque nil deest, quò minùs scientia hæc, & objectum illius dicatur

idea. Ars enim sive scientia artificialis, adeòque idea & exemplar, præscindit ab existentia artefacti, solùmque considerat naturam ejusdem, & modum quo factibilis est: hæc enim sola nata est dirigere artificem in operando. Immo (ut rectè notat *Scotus d.39. n.7.*) futura quà talia in idea repræsentari non possunt: notitia enim rerum, quatenus aliquando existentium, est scientia visionis, merè speculativa, posterior divinâ volitione, & non factibilium, sed quorum factio jam supponitur: at scientia idealis sive artificialis spectat ad scientiam simplicis intelligentiæ, estque quodammodo practica, sive ostensiva operis agendi per voluntatem Dei, adeòque prior ipsâ volitione (cùm artifex operetur per voluntatem) ac proinde non factorum, sed factibilium.

QUÆSTIO VII.

De Virtutibus Intellectus Divini.

82. *Quot sint virtutes intellectuales.* NOTA virtutes intellectuales à *Philosopho 6. Eth.3.* enumerari quinque; artem scilicet, prudentiam, scientiam, sapientiam & intellectum. Quibus adde fidem Theologicam. Satis autem patet, nō reperiri illas in Deo cum imperfectionibus, quæ sunt in virtutibus intellectualibus creatis. *Qualiter in Deo reperiri possint.* Quare removenda est ratio habitûs accidentalis, omnisque distinctio realis, limitatio ad certum objectum, dependentia à discursu, & similes imperfectiones. Quibus omnibus remotis, si adhuc restet aliqua pura perfectio, per nomen significata, dicendum est nomen, vel rem significatam, Deo competere; aliàs non: juxta regulam traditam, & pulchrè declaratam ab *Augustino Lib. 2. ad Simplicianum q.2.*

83. *Omnes in eo reperiuntur præter unam.* DICO I. In Deo sunt omnes virtutes intellectuales, præter fidem Theologicam. Probatur ex Scriptura & Patribus, qui passim illas Deo adscribunt, scilicet sapientiam, artem, scientiam &c. nec est ratio metaphoricè has auctoritates exponendi. Deinde significatum prædictarum vocum potest abstrahere ab imperfectionibus, quæ in arte creatâ, prudentiâ creatâ, &c. inveniuntur. *Quid sint in actu primo.* Si enim in actu primo ac velut habitualiter considerentur, significant ipsissimum Dei intellectum, quatenus expeditissimus seipso est ad correspondentes notitias seu cognitiones, quæ sunt actualis ars, actualis prudentia &c. *Quid in actu secundo.* In actu autem secundo ars divina, est evidens & simplicissima notitia factibilium, seu eorum quæ fiunt per actionem transeuntem: prudentia verò agibilium, sive actuum immanentium, ad mores spectantium: sapientia & scientia sunt evidens ac speculativa notitia conclusionum per causas necessarias, & quidem sapientia per causas primas & supremas: Intellectus denique similis notitia ipsorum principiorum. Omnium porrò prædictorum perfectissima notitia Deo competit, citra discursum, instabilitatem, limitationem ad certum objectum, consultationem &c. quæ imperfectiones in præciso conceptu prædictarum virtutum non includuntur. *Seclusis imperfectionibus.*

84. *Ob quas nō reperitur in Deo fides.* Hinc è converso non reperitur in Deo fides, quæ obscura est, innititurque testimonio alterius tamquam motivo; à qua imperfectione nequit significatum istius vocis abstrahere: sublatâ enim eâ, non restat nisi notitia evidens; quæ habet aliud nomen.

Similiter inter virtutes comprehensas sub prudentia, seu ei affines, non reperitur *eubulia*, quæ rectè consultat de mediis; consultatio enim est de iis, de quibus quis dubitat, vel quæ ignorat, ob quod *Philos.3. Eth.3.* ait, *eum qui consultat videri quærere & resolvere*. in qua inquisitione oportet tardè procedere, ut idem ait *6. Eth.9.* Est tamen in eo *consilium*, juxta Scripturam *ad Ephes.1.* id est, certum judicium seu certa cognitio agendorum. *Nec eubulia.* Nec refert, quòd *Damasc. lib. 2. de fide c.22. post med.* dicat: *In Deo non est cōsilium, quia consilium est ignorantis naturæ.* Nam agit de consilio, prout adjunctam habet consultationem. Alioquin quæ apparentia est ignorantiæ in hoc præcisè, quòd rectè quis judicet de agendis? Agit itaque de consilio inquisitionis. Verba ejus sunt: *Neque enim deliberat Deus. Ignorantis quippe est consilium inire &c.*

Non est quoque in eo *docilitas*, quâ promptè discat; non *solertia*, quâ media apta inquirat, ac conjectando facilè inveniat: est autem in eo *providentia* futurorum, *intelligentia* præsentium, *circumspectio* circumstantiarum, *cautio* vitandorum incommodorum; quæ non involvunt scilicet imperfectionem. *Nec docilitas.* Ex partibus subjectivis, seu inferioribus prudentiæ, in Deo reperitur sola prudentia gubernatrix, quæ rectè disponit agibilia in ordine ad alterum: utpote arguens perfectionem sine imperfectione: secùs de monastica seu solitaria, quæ rectè disponit agibilia ad privatum operantis bonum pertinentia: eâ enim Deus non indiget, ut sit simpliciter bonus, seu rectè ordinatus in ordine ad se, sed id ei necessariò & immediatè competit per essentiam. *Quæ prudentia in eo reperiatur.*

Denique omnis scientia Dei est vera sapien-

sapientia, utpote per causas altissimas & supremas, nempe per divinam essentiam comprehensivè cognitam, quæ est Deo motivum cognoscendi cetera.

85. *Harum virtutum inter se & ab intellectu distinctio.* DICO II. Virtutes intellectuales inter se & ab intellectu distinguuntur solâ ratione. Est communis Doctorum, & inclinat *Scotus 4.d.46. q.4.n.3.* agens de virtutibus divinæ voluntatis. Quare sic tenent ex *Scotistis Smising d. 4. q. 1. Poncius d. 5. q. ult.* contra plures *Scotistas*, statuentes distinctionem formalem ex natura rei. *Non est formalis.* Est autem sermo de virtutibus in actu primo, seu quasi habitualiter considerati. Rationem conclusionis indicat *Scotus sup.* quia nil est superaddendum potentiæ, ab ea ex natura rei distinctum, dum potentia ex sua formali ratione est sufficiens ad omnem perfectionem intelligendi; prout sufficiens est intellectus divinus, utpote infinitus, nullamque habens difficultatem, aut indeterminationem in intelligendo.

Confirmatur I. quia alioquin virtus intellectualis haberet in Deo rationem habitûs; qualem tamen omnem, etiam realiter indistinctum, exclusimus *q.1.*

Confirmatur II. quia intellectui creato, quatenus non indiget habitibus naturalibus realiter superadditis (prout juxta *Scotum 2.d.3. q. 10. n. 18.* non indiget intellectus angelicus) sed seipso sufficientissimè determinatus est ad totam perfectionem sui actus, non idcirco superadduntur distinctæ formalitates ad diversa objecta sic intelligenda: ergo multò minùs superaddi debent intellectui divino. *Ut nec in intellectu angelico.*

Ac ipsâ intellectione Dei. Confirmatur III. quia unica est intellectio, etiam formaliter indistincta, quâ Deus se, omniaque alia in se comprehensivè cognoscit: ergo est unica potentia intellectiva, citra ullam virtutum seu comprincipiorum formalem distinctionem: cùm potentiæ seu principia minùs multiplicentur quàm actus.

86. *Scotus explicatur.* Nec obstat *Scotus 4.d.46. q.3. n.3.* ℣. *Concedo*: nam non loquitur resolutivè; cùm *q.4.n.3.* & *q.1. n.12.* ℣. *Ad aliud dicendum*, potiùs inclinet in nostram conclusionem. Ad summum igitur resolvit, justitiæ & misericordiæ divinæ (quæ sunt virtutes divinæ voluntatis, & de quibus agit) non repugnare distinctionem formalem, quatenus est ex parte simplicitatis Dei, quasi huic universim repugnet distinctio formalis.

87. *Contradictio salvatur.* Non obstant etiam contradictoria, quæ de arte & prudentia divina, de justitia & misericordia &c. affirmantur: nam contradictio non sumitur ab intrinseco in Deo, sed penes diversos terminos extrinsecos; qualis potest competere eidem formalissimè perfectioni divinæ secundùm diversam ejus terminationem. Prout patet in ipsa actuali intellectione & volitione Dei: eadem enim contradictio, quæ cernitur verificari de virtutibus in actu primo spectatis, cum proportione verificatur de actuali arte & prudentiâ, actuali justitiâ & misericordiâ &c. Itaque virtutes intellectuales spectatæ in actu primo sunt formalissimè ipse intellectus, & distinguuntur ab essentia divina & virtutibus, in actu secundo spectatis pari modo, quo distinguitur ipse intellectus ab essentia & intellectione. Similiter spectatæ in actu secundo sunt formalissimè unica Dei intellectio, & sicut illa distinguuntur ab intellectu & essentia.

DISPUTATIO VII.

De Voluntate & Volitione Dei.

QUÆSTIO I.

An in Deo sit Voluntas, eaque libera?

DICO I. In Deo est voluntas. Est de fide ex Script. *ad Rom.12. Ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona. Ad Ephes.1. Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Ex oratione Dominica, & aliis locis. Ratio est: quia est perfectio simpliciter, quæ etiam in aliquibus creaturis reperitur: ergo potiùs debet formaliter reperiri in Deo. Deinde omnis substantia intellectualis (cujusmodi est Deus) est prædita appetitu rationali, sicut sensitiva appetitu sensitivo: potentiæ enim cognitivæ ordinantur ad appetitivas sibi proportionatas. 1. *Dei voluntas.*

Distinguitur autem voluntas ab essentia & volitione divina formaliter (juxta alios ratione ratiocinatâ) ut patet ex dictis de distinctione essentiæ & attributorum, & *d. præced. q.1.* de intellectu divino. Ratio præterea specialis sumitur ex eo, quòd Deus sit indifferens ad volitionem & nolitionem objecti contingentis: consequenter datur actus primus indifferens seu potentia. Satis etiam ex antè dictis constat, voluntatem divinam esse formaliter infinitam in ordine talis attributi, sicut intellectus & scientia, aliæque perfectiones divinæ absolutæ. 2. *Ejus distinctio ab essentia & volitione.* *Ac infinitas.*

Sed dubitatur, an in Deo præter appetitum elicitum sit etiam aliquis appetitus innatus seu naturalis, quem pondus vocant? Resp. cum *Smising d.3. n.3. Prop.* 3. *Dei appetitus innatus*

 & aliis

& aliis affirmativè: nam Deus etiam propendet & inclinatur naturaliter in suam propriam perfectionem & bonum, v. g. in suas perfectiones intrinsecas. Similiter persona divina producens inclinatur ad productionem personæ procedentis. Deinde inclinatur Deus naturaliter ad communicandum se creaturis, quatenus hoc in suum bonum redundat; quam tamen inclinationem liberè exequitur, sicut creatura rationalis liberè producit effectus, ad quorum productionem propendet. Nec hic appetitus est in Deo superfluus: sicut nec in creatura rationali aut animali: nam cùm natura intelligens aut sentiens sit etiam substantia & ens, debet quoque eatenus in suum bonum ferri; quod fit per appetitum innatum. Sicut etsi homo per appetitū rationalem possit ferri in quodlibet bonum, non est tamen in eo superfluus appetitus sensitivus, quia nimirum in bonum suum ferri debet, non tantùm quatenus est rationalis, sed etiam quatenus est animal.

Non est superfluus.

4\. *Voluntatis divinæ libertas.*

DICO II. Voluntas Dei est libera. Est de fide ex Scriptura, dum inculcat gratuitam & liberam esse electionem ad fidem & salutem, pro libitu & beneplacito divinæ voluntatis factam, *Matth.* 20. in parabula operariorum. *Ad Rom.* 9. ubi inter alia dicitur: *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Et alibi. Et de gratiis gratis datis *1. ad Cor. 12.* dicitur: *Dividens singulis prout vult.* Et *Psal. 93.* dicitur: *Deus ultionum liberè egit.* Et generaliter *ad Ephes. 1. Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*, id est, secundùm consilium sibi placitum, seu à volūtate sua acceptatum; consilium autem est de iis, quæ consilium capiens potest aliter & aliter facere, vel facere & non facere.

In quo consistat.

Ratio est: quia libertas arbitrii est perfectio pura, consistens in dominio suarum operationum, & consequenter effectuum ut fiant vel non fiant: estque id multò perfectius, quàm adstringi ad unam partem; nisi specialis objecti ratio induceret imperfectionem, si appeteretur, v. g. peccatum, aut è contrà, si ab illius amore cessaretur, v. g. ipsa essentia & perfectiones Dei. Unde non est Deus liber ad peccandum & non peccandum: potestas enim peccandi est imperfectio repugnans essentiali sanctitati & rectitudini divinæ voluntatis: neque spectat ad libertatem arbitrii, sic ut *Anselmus* Dialogum de Libero arbitrio sit exorsus ab hoc titulo: *Quòd potestas peccandi non pertineat ad libertatem arbitrii.* Est verò hæc ipsa potestas potiùs quidam defectus liberi arbitrii creati, qui ratione nihili sui deficere potest à regula præfixa. Quare multò perfectius erit liberum nostrum arbitrium, quando etiam à peccandi potestate erit liberatum: liberrimum etenim adhuc manebit in bonis eligendis. Quo sensu dixit *S. Aug. lib. de natur. & grat. c. 46. Nec dicere audemus ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere justitiæ, quia non potest velle peccare.* Habet namque voluntatem liberrimam justitiæ, id est, in decernendis & exequendis operibus justis, sic ut potuisset non decernere & exequi, vel decernere & exequi alia justa, prout omnes viæ, seu opera Domini justa & sancta sunt, juxta illud *Psal. 144. Justus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.*

Se non extendit ad peccatum.

Præterea, non est Deus liber ad se amandum & non amandum: perfectius enim est amare bonum infinitum, quàm non amare; immo ex terminis apparet imperfectio in hoc, quòd potens amare tale objectum, possit ab amore illius cessare: ergo necessariò Deo competit talis boni amor. Deinde Deus essentialiter est felicissimus & beatissimus: beatitudo autem Dei saltem completa consistit in fruitione sui per amorem. Denique cùm volitio Dei sit simpliciter necessaria, necessariò circa aliquod objectum versatur; utique circa seipsum, qui est objectum primarium & motivum volendi cetera. Neque hæc necessitas est imperfecta, extrinseca, aut irrationalis, sed perfectissima, intrinseca, vitalis, & summè voluntaria, cum perfectissima ratione ac scientiâ.

Vel Deum non amandum.

Ulterior ratio conclusionis est: quia si divina voluntas non esset libera, necessariò vellet quæcumque posset: adeòque vel plurimi alii mundi darentur, saltem aliquando, vel nullus præter hunc esset possibilis. Immo omnia fierent de necessitate, etiam à nobis; quos cùm possit necessitare ad agendum, utique necessitaret, qui faceret necessariò quod & quantum posset. 5.

Si Deus non ageret liberè, omnia fierent necessariò.

Denique potentia appetitiva proportionatur cognoscitivæ: hæc autem proponit Deo pleraque tamquam indifferentia, & ad finem intentum (qui est gloria Dei) minimè necessaria; v. g. creare hunc potiùs mundum quàm alium, hoc potiùs tempore quàm alio, immo creare ullam creaturam potiùs quàm nō creare: cùm ipse sibi sufficientissimus nullius creaturæ egeat, nec ex ea aliquid propriæ felicitatis accedat; sed æquè perfectè sui possessione foret beatissimus sine creaturis, uti erat ante mūdum conditum. Confirmatur: quia si Deus necessariò operetur ad extrà, non sunt

Nec ipsi forent agenda gratia pro beneficiis.

sunt ei agendæ gratiæ pro beneficiis, utpote ex necessitate collatis. Quare non tantùm fidei, sed etiam rationi repugnât quidam Philosophi (ut *Aristoteles* ejusque *Commentator*) ac recentiores Hæretici (inter quos post *Abailardum* & *Wiclef* referuntur *Lutherus*, *Bucerus* apud *Bellarm. Lib. 3. de grat. & lib. arbit. c. 15.*) negantes Deo libertatem arbitrii in volendo & operando ad extrà.

6. Difficultas gravissima, quæ hîc moveri posset, desumpta ex immutabilitate Dei, tractabitur *quæst. seq.*

Potest Deus ex bonis inæqualibus velle minùs. Dices, divina voluntas ex bonis inæqualibus non potest velle minùs, quia hoc est imperfectionis, neque ex æqualibus unum alio relicto, quia hoc est irrationabile: ergo nõ est libera, saltem quoad specificationem. Resp. Neg. Ant. nam recta ratio exigit, ut qui habet independens ac perfectissimum actionum suarum omniumque rerum dominium, possit eligere & operari pro mero suo beneplacito quodvis, sive sit minùs bonum, sive æquale ei quod omittitur. *Et ex æqualibus unum altero relicto.* Sanè si ex bonis æqualibus non posset Deus eligere unum altero relicto, sequeretur, quòd vel ex æqualibus nihil posset facere, vel necessariò deberet facere omnia quæ sunt æqualia: adeòque cùm hunc mundum, hos homines &c. creaverit, sequeretur ipsum de facto creasse tot, quot sunt possibiles in eadem specie. Qualiter autem potuerit facere, adeòque velle meliora & perfectiora, quàm fecerit, *disp. ult. de Potentia Dei* dicetur.

7. Sed adhuc dubitari posset, an stante (quæ indubiè supponi debet) perfectissimâ divinæ voluntatis libertate in eligendis rebus sive operibus, adeòque plenissimâ potestate faciendi & non faciendi, vel faciendi hoc & ejus oppositum, *Qualiter Deus liberè eligat absolutè meliora.* equidem verum sit, quòd Deus de facto semper eligat id, quod simpliciter omnibus cõsideratis tamquam & melius decẽtius per divinam sapientiam proponitur volũtati. Id namque asserere vidẽtur Patres *Concilii Francofordiẽsis, in Ep. Synodica ad Præsules & Christianos Hispaniæ*, in qua habetur: *Credamus eũ omnia velle, quæ meliora sunt. S. Aug. Lib. 3. de lib. arb. c. 5. quidquid tibi verâ ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum, tamquam bonorum omnium conditorem.* Et alii. Nec repugnat idem *Aug. 13. de Trinit. c. 10.* dicens de Deo: *Cujus potestati cuncta æqualiter subjacent.* Nam electio libera optimi bene compatitur æquam circa cuncta potentiam seu potestatem Dei. Denique ipse *Philosophus* solius luminis naturalis instinctu docuit, Deum & naturam semper facere quæ meliora sunt.

8. Hinc apud Patres & DD. passim reperiuntur argumentationes à majori cõgruentia: quæ utique omni apparentiâ carerent, si Deus indifferenter eligere soleat, tam quod minùs, quàm quod magìs bonum & congruum est. *Et in eo fundentur argumenta à majori congruentia.* Sic rectè juxta *D. Bern. D. Bonav. D. Thom.* arguimus, non esse negatum Deiparæ, quod alicui puro homini est concessum. Sic probatur ejusdem innocentia perfecta, cum aliis privilegiis à congruentia. Sic probatur etiam contra Gentiles animæ immortalitas, cum præmiis & suppliciis alterius vitæ. Et plura similia passim apud sacros Scriptores occurrunt. Quorum oppositum, etsi Divinam non superet potestatem, non censetur tamen ob congruentiam cecidisse in divinam voluntatem; quæ cùm optima sit, magìs ei meliora placent, & in ea liberè ferri solet. Unde infinitè perspicax Dei intellectus, primò singula proponit, adeòque intelligit Deus, se posse facere & non facere quod libet, neque meliùs sibi fore, sive faciat, sive non faciat, sive faciat unum, sive alterum: dignius tamen, seu magìs decens fore, si liberè eligat voluntas, quod melius est sibique placentius: quod proinde ipsa eligit liberè. Quàmvis enim propensio hæc sit Deo innata, non tamen necessariò, sed liberè infert actum.

9. Fatendum tamen, argumenta à congruentia saltem plerumque esse infirma, *Horum efficacia.* ideoq; sæpe solùm accessoria ad auctoritates, quibus hoc vel illud decretum aut factũ Dei probatũ fuit. Nam in primis non constat, inter DD. utrùm quòd optimum est semper à Deo eligatur. Deinde congruentiæ sæpè sunt pro & contrà, aut non omnes nobis satis patent; adeò ut de majori congruitate certum nequeamus judicium ordinariè ferre. Immo quod secundùm humanas rationes videri posset congruentius, non est tale secundùm judicium Dei: v.g. quòd magìs sancto & justo infallibiter daret donum perseverantiæ, minùs peccanti majores gratias &c. quorum oppositum sæpè agit Deus, cui licet facere quod vult, & hoc magis censet congruere ostensioni, tum suæ liberalitatis & misericordiæ, tum quòd dona non sint debita. Sæpè etiam, quod per se melius foret, v.g. punire aut non conferre beneficia, non manet tale ob aliquod extrinsecum, quod nos latere potest, v.g. ob preces fusas ad avertenda mala, aut consequenda bona &c. Denique sæpè non datur optimum in tali vel tali rerum serie aut congerie, sed vel singula sunt æquè bona (ut inter hæc indubiè Deus promiscuè, nunc unum nunc alterum eligit) vel in iis nõ datur status, v.g. juxta plurimos in perfectione specierum,

rum, vel certè, an detur; non constat: in iis namque arguere non possumus à meliori, quia semper recurret quæstio de meliori adhuc sine fine; ut notat *D. Bonav. d. 44. art. 1. q. 1. ad* 4. Sic etiam argui non potest, hoc potiùs quàm priori tempore, hoc potiùs quàm alio numero debuisse res creari; quia ibi non est status, adeòq; non alia est quærenda ratio, quàm Dei beneplacitum. Quare electio melioris solùm est quærenda in inæqualibus, in quibus non abitur in infinitum; idq; factâ comparatione cum tota ferie divinorum operum: v.g. in his & similibus contradictoriis, creare universum vel non, incarnari Verbum vel non, redimere angelos peccantes vel non &c. Vide *Didacum Ruiz. de voluntate Dei d. 9. per* 17. *sectiones, & d. 10. per* 8. *sectiones.* fusissimè disputantem pro divina electione optimi.

QUÆSTIO II.

In quo consistat ratio actus liberi in Deo?

Sicut fide & ratione constat Deum liberrimè decernere res creatas, sic ad plenum investigari non potest, in quo consistat ejusmodi contingentia seu libertas, salvâ necessitate essendi & immutabilitate Dei divinarumque perfectionum. Prout non rarò contingit, nos fide vel etiam ratione certos esse de duobus mysteriis, nescire tamen ob imbecillitatem ingenii, sublimitatemque mysteriorum, certum modum, quo utrumq; simul concordari debeat. Nihilominus varios modos in præsenti varii excogitàrunt: Ex quibus meliorem seligere conabimur.

10. *Ratio actus liberi non est in Deo respectus rationis.* Dico I. Ratio actus liberi non rectè statuitur in actu necessario volitionis divinæ, quatenus ei superadditur respectus rationis ad creaturam. Ita communiter Doctores contra *Capreolum, Ferrarr. Bannez.* & paucos alios. Ratio est manifesta: quia Deus liberè vult & operatur independenter à nostro conceptu, aut fictione intellectûs; immo ab æterno liberè voluit, dum necdum esset aliquis, qui respectum rationis confingeret. Quòd si loquantur illi Auctores de respectu rationis fundamentaliter sumpto, quæstionem non explicant, in qua hoc ipsum inquiritur, quodnam scilicet illud fundamentum sit.

11. *Neque solùm libera productio creaturarum.* Dico II. Actus liber non consistit in productione creaturarum, quatenus illam Deitas sic habet in potestate & dominio, ut absque alio determinativo intrinseco omnipotentia ejus, quatenus à voluntate distincta, possit creaturas producere & non producere; instar ignis, qui liberè combureret, si haberet potestatem indifferentem comburendi & nō comburēdi stupam applicatam. Ita communiter Doctores contra *Aureolum*, prout post *Greg. Capreol.* & *Suarez.* ipsum intellexit *Smising. Tract. 2. d. 3. n. 14.* etsi *Poncius d. 6. n. 9.* cum aliis putet, eum à vera doctrina solùm discrepare in modo loquendi.

Probatur conclusio: quia sic relinquitur ad summum in Deo contingentia operandi, scilicet immediatè vi dominii & potestatis, quatenus liberè efficeret vel haberet effectum seu creaturas; non autem propriè libertas volendi existentiam creaturarum (ut patet exemplo ignis mox allegato, quo *Aureolus* utitur) cùm tamen etiam liberè velit Deus creaturas, immo velle contra facere patenter distinguat Scriptura. *Psal. 113. Omnia quæcumque voluit, fecit. Ad Ephes. 1. Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ. Isa. 46. Omnis voluntas mea fiet.* Alioquin sensus foret: *Omnia quæ Deus facit, fient.* Deinde agens rationale liberum, eatenus liberè operatur, quatenus cum indifferentia se determinat voluntas ad volendum: ergo eatenus Deus liberè producit creaturas, quatenus voluntas illius liberè decrevit, seu se determinavit ad productionem earumdem. Præterea perfecta libertas fuit in Deo ab æterno, quâ secundùm Scripturam *ad Tit. 1.* nos ante mundi constitutionem liberè elegit, v.g. ad fidem & salutem; operatio autem extrinseca tantùm est in tēpore: ergo in hac consistere nequit libertas volitionis divinæ: neque enim operatio futura poterat Deum ab æterno denominare volentem, sed potiùs voliturum liberè. Adde operationis futuritionem supponere liberum Dei decretum, à quo omnis creatura & operatio accipit esse futurum.

Dico III. Volitio Dei libera quà talis non superaddit Deo, sive actui Dei necessario perfectionem intrinsecam distinctam, quâ Deus potuerit ab æterno carere, non tamen semel habitam amittere. Ita communiter Doctores contra *Caietanum*, qui (ut communiter refertur) hâc viâ per conclusionem rejectâ salvat libertatem; immutabilitatem autem & infinitam perfectionem Dei, per hoc, quòd perfectio ista sit voluntaria, Deoque non necessaria, cujus oppositum non sit imperfectio, ut proinde possit illâ carere Deus sine imperfectione. 12. *Neque perfectio Deo superaddita.*

Probatur conclusio: quia perfectio ista voluntaria, vel est tantùm ratione sive virtualiter distincta, realiterque eadem cum Deo, ejusque actu necessario (quo sensu aliqui referunt & refutant doctri-

nam

nam *Caietani*) vel realiter diſtincta. Non primum:quia diſtinctio relinquens identitatem realem non ſufficit ad realem ſeparabilitatem:hæc enim eſt certiſſima nota diſtinctionis realis:atqui perfectio iſta potuit ſeparari à Deo,ſive Deus eſſe ſine illa; ergo &c. Non ſecundum: quia nil Deo intrinſecum eſt, quin ſit Deus; omniſque perfectio divina de Deo prædicatur identicè & in abſtracto,ut patet apud Patres, ſignanter *Bernardum & Patres Concilii Rhemenſis in ſymbolo contra Gilbertum*: quod nō ſtat cum diſtinctione reali. Deinde ſi diſtinguatur realiter à Deo,neceſſariò ſequitur eſſe ens contingens & creatum (quidquid enim non eſt Deus, eſt creatura : aliàs erunt plura entia à ſe) adeòque inhærebit Deo tamquam accidens:quæ utique ſunt abſurda. Præterea divina ſimplicitas excludit ſuſceptionem omnis formæ realiter diſtinctæ : uti & ſubjectiva immutabilitas.Denique ſic eſſent in Deo innumera accidentia, ſive perfectiones realiter diſtinctæ, ſcilicet pro diſtinctione volitorū,quorum unum potuit velli ſine altero,v.g.prædeſtinatio Pauli, reprobatio Judæ &c. diſtinctio enim minor non ſufficit ad realem ſeparabilitatem.Hæc itaque doctrina (quam nonnulli parum in fide tutam vocant) non ſufficit, niſi ad aliquid aliud fugiatur.

13. Nec juvat mitigatio,quam (teſte *Derkennis d.10.c.2.n.10.*) quidam Recentiores adhibent,dicentes,volitionem mundi, v.g. ſolâ quidem ratione diſtingui ab eſſentia divina, diſtingui tamen ſeu potiùs eſſe non idem cum nolitione mundi;adeò ut ſi per impoſſibile eſſent ſimul, diſtinguerentur realiter inter ſe,uti divinæ perſonalitates, forent tamen identificatæ eidem eſſentiæ,ſicut perſonalitates: potuiſſe autem volitionem hujus mundi abeſſe ab eſſentia, non quatenus ei identificatur, ſed quatenus diſtinguitur à nolitione oppoſita,quæ eſſe debuiſſet, ſi non fuiſſet volitio.Juxta quam explicationem myſterium hoc majus eſſet illo Trinitatis, in quo perſonalitates diſtinctæ ſunt ab invicem, uti à natura divina, inſeparabiles. Rectè autem illam refutat *Derkennis ſup.* nam manifeſtè implicat ſeparabilitas ejuſdem planè rei à ſeipſa , quomodocūque acceptâ;prout ſeparabilis foret volitio mundi, & de facto ſeparata eſt nolitio mundi à divina eſſentia. Præterea per ſe abſurdum apparet, aliquid quod nunc entitativè eſt Deus, ſcilicet volitionem hujus mundi, potuiſſe eſſe nihil, ſi videlicet Deus ad illam ſe non determinaſſet: & è contrà,quod nunc eſt merum nihil, ſcilicet nolitionem hujus mundi, potuiſſe entitativè eſſe Deum, & conſequenter, quod nunc eſt à Deo realiter diſtinctum,ſeu non idem,potuiſſe Deo identificari.

DICO IV. Ratio actus liberi non eſt volitio Dei neceſſaria, quâ ſibi complacet in ſe & creaturis poſſibilibus, juncto aliquo connotato ſeu denominatione,extrinſecâ quidem ipſi Deo, intrinſecâ autem ipſi volitioni quatenus liberæ, deſumptâ ſcilicet à creatura,vel ab actione ſeu cauſalitate, quâ producitur effectus ſeu creatura, quatenus videlicet volitio eſſentialis Dei indifferens ad omnia poſſibilia determinatur ſeipsâ formaliter & liberè ad productionem objecti extra ſe; adeò ut ſicut voluntas noſtra eſt libera producendo actum volitionis immanentis, ſic Deus ſeu ipſius volitio ſit in exercitio libera , quatenus ipſa producit actione tranſeunte objectum ſeu creaturam.Eſt contra *Vaſquez* & quoſdam Recentiores:cujus opinionis primus auctor extitiſſe videtur *Aureolus*, juxta *Arriaga d.28.ſect.1.n.2.*qui cum aliis *Aureolum* ſic interpretatur. Hanc opinionem fuſiſſimè *Arriaga ſup.per 8.ſubſectiones* refutat. 14.

Neque conſiſtit in connotato extrinſeco.

Probatur Concluſio I. quia ſic tota libertas & indifferentia conſiſteret formaliter in productione tranſeunti effectûs ſeu creaturæ; quidquid autem reliquùm & vitale eſt, eſſet ipſa volitio neceſſaria Deitatis & poſſibilium : quod planè alienum eſt à communi conceptu. Sic namque potiùs dicendus erit Deus liberè producens, quàm (quod libet actus ſonat) liberè volens ſeu amans. 15.

Secundò, ſic non erit decretum liberum Dei æternum, aut immutabile, magìs quàm ipſa productio,quæ formaliter conſtituit liberum. Nec refert, ſi dicas, principale & rectum ſignificatum volitionis liberæ eſſe Deo intrinſecum, adeòque æternum ; complementum autem ſolùm eſſe extrinſecum,adeòque temporale : nam equidem hoc deficiente, ſimpliciter nequit dici eſſe decretum liberum Dei; cùm, ipſo *Vaſquez d.170.n.9.* fatente, & ex *Durando* notante, ut aliquid dicatur temporale, ſufficiat, ut ſecundùm aliquid ſui temporale ſit; ideòque miſſio Filii divini dicenda eſt temporalis,etſi ſecundùm *Vaſquez ſup.n.4.* dicat in recto proceſſionem æternam Filii à Patre, eò quòd ex parte termini requiratur effectus temporalis.

Tertiò ; priùs naturâ quàm creatura exiſtat, intelligitur decretum liberū Dei, utpote cauſa creaturæ: ergo creatura formaliter non conſtituit decretum liberum Dei, utpote naturâ prius. Nec refert,ſi dicas, ipſam actionem ſeu efficientiam creaturæ eſſe conſtitutivam decretorum liberorum Dei : nam etiam ipſa

actio, secundùm hos Auctores media inter Deum & creaturam, habet pro principio & causâ decretum liberum Dei, v.g. incarnatio & missio Filii Dei, donatio gratiæ &c. specialem & liberalem amorem Dei erga nos.

Quartò: ex opposita sententia sequitur (& Auctores ejusdem fatentur) non posse dari in Deo decreta specialia libera, sine aliqua reali variatione in ipsa creatura: hâc enim seclusâ manet secundùm istam sententiam tantùm complacentia possibilium, indifferens tam ad unâ, quàm ad alteram partem contradictoriorum. Consequentis autem falsitas patet multipliciter. Potest namque Deus condonare peccatum, etiam mortale, v.g. in statu puræ naturæ, sine ulla physica mutatione creaturæ. Idem est de remissione pœnæ, voti &c. Potest productio gratiæ, quæ nunc est, non habere annexam condonationem peccati mortalis. Potest productio gratiæ baptismalis non habere annexam condonationem peccatorum venialium. Potest Deus mundum, quem nunc condidit ob certos fines, voluisse condere ob alios fines. Potest noluisse condere quidpiam, sive ob hunc finem, sive disjunctivè ob alium finem. Denique idem patet in decretis cōditionatis, quorum conditio numquam impletur: hæc enim libera sunt, & tamen nulla cernitur physica variatio in creaturis seu objectis.

Quintò denique: opposita sententia difficultatem patitur ex parte præscientiæ, seu scientiæ liberæ Dei, quæ, consequenter loquēdo, statuenda foret in scientia possibilium, junctâ eorumdem productione. Hoc tamen non videtur subsistere: tum, quia scientia conditionata rerum numquam futurarum est libera in Deo, & tamē non habet adjunctam productionem earumdem, immo secundùm Auctores oppositæ sententiæ, ne quidem decretum conditionatum, quod omne antevertit sciētia media juxta ipsos. Tum, quia productio (sine qua præscientia divina nequit concipi juxta illos) est temporalis; adeòque videtur non possē notitia futurorum esse æterna. Tum, quia existentiam vel actionem productivam lapidis inanimati, v.g. esse formaliter complementum judicii divini, de hac veritate, *Lapis existit*, videtur contra communem conceptum intellectionis, actus immanentis, & vitalis.

16. *Sed est libera tendentia volitionis necessaria Dei.* DICO V. Ratio actus liberi nil superaddit actui essentiali & necessario volitionis divinæ, sed est adæquatè ipsa volitio necessaria Dei, quatenus ab ea egreditur nova denominatio, quæ potuisset non egredi, per hoc quòd tendat, seu terminetur liberè ad objecta creata producenda. Quare si Deus voluisset creare alium mundum, id voluisset eâdem volitione, quâ voluit creare hunc, sed tunc fuisset terminata ad alium mundum. Similiter eâdem volitione potuisset nolle creare hunc mundum, ipsâ scilicet terminatâ ad negationem hujus mundi: eò ipsò quòd placuisset sibi per volitionem suam statui potiùs nolens, quàm volens hunc mundum, potiùs volens alium mūdum quàm hunc. Nam divina ***voluntas potest unicâ volitione simplici & illimitatâ tendere in quæcumque volibilia, ita quòd si volitio illa tantùm esset unius volibilis, & non posset esse oppositi, quod tamen est de se volibile, hoc esset imperfectionis in voluntate, sicut prius deductum est de voluntate nostra***; ut optimè *Scotus d. 39. q. unic. n. 21.*

Itaque omnimoda illimitatio volitionis, quæ Deus est, facit, ut seipsâ sufficiat ad omne volibile juxta illius exigentiam attingendum, adeòque Deum necessariò creaturas liberè; & consequenter facit, ut non necessariò quoad creaturas omnem suam denominationem formalē tribuat, sed secundùm eam solùm rationem, quâ Deo placet. Ratio à priori est: quia alioquin simplicissima Dei volitio non colligeret in se (quod tamen necesse est) omnem perfectionem omnis volitionis & nolitionis possibilis, sive liberæ sive necessariæ, citra ullam imperfectionem, sic ut quidquid infinitæ voluntates valent per infinitas volitiones & nolitiones, id Deus per unicam. Igitur eadem res, quæ est volitio mundum creandi, potuisset esse nolitio, utpote indivisibiliter includens omnem perfectionem omnis volitionis & nolitionis possibilis. Ita in terminis docet *Scotus sup. & n. 22. Poncius, Pelosus, Smising, Felix, Præpositus, Ruiz.* & plurimi Recentiores. *Fundata in omnimoda ejus illimitatione.*

Eâdem ratione explicanda est ratio scientiæ Dei liberæ, ipsam scilicet esse scientiam simplicissimam & necessariam Dei, quæ vi suæ infinitatis tendit in omne scibile, & colligit in sua simplicissima formalitate omnem perfectionem omnis notitiæ possibilis; adeòque tendere potest in aliquid, in quod invariata potuisset non tendere; sicut ex libertate divina aut humana potest oriri, quòd aliquid sit scibile, tamquam futurum absolutè aut conditionatè, quod potuisset non esse tale. 17. *Idem est de scientia Dei libera.*

Nec incredibile videri debet, eumdem actum tendere vitaliter in objectum, in quod idem manens potuisset non tendere; & contrà. Hoc enim adscribendum est infinitæ actûs à sola Deitate specificati perfectioni, & independentiæ ab objectis creatis: in quæ proinde tendere vel non tendere *Ejus independentia ab objectis creatis.*

tendere est in potestate voluntatis divinæ, quæ se determinat per ipsam volitionem ad hæc aut illa objecta volenda, prout placet. Immo non defuerunt etiam hoc tempore, qui simile quid adscribunt visioni creatæ Dei, quòd scilicet invariata manens possit tendere, nunc in in hæc, nunc in illa objecta creata videnda in Verbo. Plures etiam *Thomistæ* censuerunt, Christum eodem actu charitatis diligere necessariò Deum clarè visum, & liberè creaturas in Verbo; eâdemque specie impressâ angelum, modò hæc, modò illa objecta videre; ut refert *Felix c. 4. diffic. 1. n. 13.* Denique idem actus voluntatis respiciens plura in confuso, v. g. volitio obligandi subditos, respicit me subditum, & non respexisset, idem manens, si subditus non fuissem. Quæ solùm allegantur, ut credibiliùs fiat in Deo infinito illud, cujus similitudo vel umbra quædam in creatis cernitur, aut locum habere à pluribus creditum fuit.

Quî detur denominatio nova sine adventu novæ formæ. Deinde non debet videri impossibile, quòd Deus denominetur, v. g. volens salvare Petrum absque adventu novæ formæ denominantis, quâ tamen denominatione carere potuisset; eò quòd causa formalis adæquata alicujus denominationis nequeat esse in subjecto capaci, quin denominationem tribuat. Non (inquam) hoc est impossibile: nam principium istud fallit in causâ infinita & virtualiter libera, seu æquivalenti formæ liberæ, quantùm ad dandam denominationem liberam: volitio autem divina liberè dat denominationem volentis salvare v.g. Petrum, ob suam æquivalentiam, seu eminentialem continentiam omnis volitionis & nolitionis possibilis. Sic *Poncius d. 6. n. 11. & d. 1. Philosophia n. 62.*

An etiam denominatio contradictorii sine mutatione. Deniqne non obstat, quòd sic dari posset transitus de contradictorio in contradictorium sine mutatione. Nam in primis iste transitus non daretur: cùm semper velit Deus, quod semel ei placuit, adeò ut sit impossibile, cum ex non volente aliquid, fieri postea volentem idem; immo ex ista immutabilitate sequeretur mediatè saltem in Deo mutatio. Deinde hoc impossibili supposito, non erit inconveniens in ente illimitato; quod sicut absque nova forma potest dare novam denominationem, sic etiam subire denominationem contradictorii sine mutatione ad novam formam.

QUÆSTIO III.

Quodnam sit objectum divinæ Voluntatis?

18. *Objectum primarium divinæ voluntatis.* Dico I. Divina essentia est objectum primarium divinæ voluntatis, non solùm primitate dignitatis sive perfectionis (quod patet) sed etiam primitate virtutis seu motivi, quatenus est ei ratio volendi omnia quæ vult. Ita omnes Theologi, teste *Smising Tract. 3. d. 3. n. 20.* & consonat Scriptura *Proverb. 16. Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Eòdem solet accommodari illud *Apoc. 21. & 22. Ego sum α & ω: principium & finis.* Idem autem est de ceteris, quæ diuina voluntas respicit, non tamquam media ad finem: prout tantùm respicit creaturas actuales, non autem suas perfectiones attributales aut relativas, & creaturas merè possibiles: ad harum enim volitionem & amorem movetur etiam divina voluntas ab infinita sua essentia. Ratio est: quia amor perfectissimus debet esse propter motivum perfectissimum; quod est ipsa Deitas. Deinde eadem est sufficientissima ratio divinæ voluntatis ad volendum quæcumque volibilia: immo esset quædam imperfectio, si non sufficeret, sed deberet determinari seu moveri ab aliquo creato. Denique sicut divina essentia ratione suæ infinitæ visibilitatis & repræsentabilitatis est divino intellectui ratio adæquata intelligendi, tum ipsum Deum, tum cetera omnia; sic eadem divina essentia, ratione suæ infinitæ bonitatis & amabilitatis, debet esse ratio motiva ad volendnm seu amandum, tum ipsum Deum, tum cetera omnia. Quam rationem attigit *D. Thom. q. 19. art. 5. in corp.* dicens: *Deus sicut uno actu intelligit omnia in sua essentia, ita uno actu vult omnia in sua bonitate.* Denique nulla est solida & perfecta amabilitas extra Deum: ideo quidquid ab ipso amatur, propter se solum amatur.

Notandum varios Doctores sic loqui, ut etsi dicant essentiam divinam esse motivum ultimatum omnis divinæ volitionis, bonitas tamen creata possit juxta ipsos esse motivum subordinatum. Consonatque vulgarus modus loquendi, quo Deus dicitur diligere nos, quia bene vivimus, dare gloriam propter merita &c. Sed rectiùs dicitur, Deum propriè non velle ullam creaturam propter aliam, sed solùm velle unam creaturam esse propter aliam, ut significetur non finis aut motivum volitionis Dei, sed solùm conditio sine qua non; aut 19.

Tale non est ulla creatura.

finis

finis quidem, sed ipsius creaturæ volitæ: vel ut significetur Deum velle unâ creaturam, quia vult aliam propter seipsum, seu suam infinitam bonitatem. Quare creata bonitas quidem terminat, non tamen movet divinum amorem: sicut creata veritas non movet divinam scientiam. Sufficit namque increata bonitas, immo hæc eminentissimè præstat movendo, quidquid omnis creata bonitas posset. Aliàs quoque vilesceret divina voluntas, si à limitata bonitate, tamquam objecto formali motivo, dependeret; sicut in simili vilesceret divinus intellectus. Multò minùs probandus est modus loquendi *Herice* & *Arriaga*, qui admittunt insuper Deum uno actu sistere in bonitate creata in se, & propter se amatâ, etsi alio actu omnia ad se referat: cùm enim omnis amor Dei sit perfectissimus, necessariò habet motivum perfectissimum, qui est solus Deus. Neque actus referens ad Deû purgaret imperfectionem actus sistentis in creatura. Accedunt ea, quæ priùs in conclusione & corollario dicta sunt.

20. *An attributa & relationes.* Petes, an ad objectum primarium divinæ voluntatis pertinere censeantur attributa & perfectiones divinæ relativæ? Resp. videri quæstionem de modo loquendi. Et quidem rectè affirmatur, si nomine objecti primarii quis appellare velit, quidquid est eadem res cum objecto primario. Et ita *Scholastici* communiter solas creaturas appellât objectum secundarium. Quàmvis non negent, sed potiùs velut rem parvi mométi dissimulent, quin divina attributa & relationes aliquâ ratione reduci quoque possint ad objectum secundarium: quatenus videlicet cōsideratur essentia divina ab eis virtualiter, & præsertim formaliter distincta, & eatenus earum radix infinita, continens sufficienter vim determinandi & movendi divinam voluntatem. Deinde quatenus essentia sic cōsiderata, concipitur tamquam dignissimum, quod in Deo est.

21. *Objectum secundarium divinæ voluntatis.* Dico II. Ad objectum secundarium divinæ voluntatis spectant, non solùm creaturæ actuales, seu aliquando existentes, sed etiam creaturæ quatenus possibiles, seu spectatæ secundùm esse essentiæ.

Prima pars patet ex *Sap.* 11. *Diligis omnia quæ sunt. Psal.* 113. *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Ratio est: quia omnium creaturarum Deus est causa per voluntatem.

Ad hoc spectant creaturæ, etiam ut possibiles. Secūda pars est *Scoti d.* 32. *n.* 2. *& quodl.* 16. *n.* 7. & aliorum communiter contra *Suarez.* & quosdam alios, & citari solet *Alensis, D. Thom. & D. Bonav.* qui tamen negantes amorem Dei circa possibilia, loquũtur de amore efficaci, ut notavit *Ruiz. d.* 6. *sect.* 3. Ratio est: quia creaturæ eatenus sunt bonæ, adeòque amabiles, uti eatenus sunt veræ, adeòque cognoscibiles. Nec potest solidum discrimen assignari inter amorem & scientiam possibilium.

Notandum tamen amorem Dei circa possibilia esse tantùm simplicem complacentiam: si enim efficaciter à Deo amarêtur, vi talis affectûs producerentur, adeòque non essent merè possibiles. Cum hoc tamen consistit, Deum circa omnia aut nonnulla possibilia habere decreta conditionata, quæ respiciunt existentiam rei sub conditione tali vel tali ponendam vel non ponendam, aut etiam habere decreta absoluta per modum nolitionis, quâ vult illa non poni. *Amata à Deo simplici complacentiâ.*

De simplici autem omnino complacentia dubium est, an Deus in creaturis possibilibus sibi complaceat necessariò, an verò liberè? Varii *Scotistæ* (quibus favet *Scotus* 2. *d.* 1. *q.* 1. *n.* 12. & alibi) *Prep. q.* 19. *art.* 3. *dub.* 3. & alii docent, quòd liberè. Verosimiliùs tamen docent alii Doctores communiùs, quòd necessariò. Favet *Scotus quodl. cit.* & ex *Scotistis* tenet *Smising d.* 3. *n.* 45. *in fine, & n.* 47. *Rada, Pilosius, Potterus.* Ratio est: quia actus divinæ voluntatis, qui in se est planè necessarius, non videtur liberè posse terminari, nisi ad terminum contingentem: cùm quidquid in Deo est, necessariò in ipso sit, nisi connotet terminum contingentem. Quod non oritur ex divina indigentia, sed infinitate. Sicut ex hoc capite Deus, etsi sibi sufficientissimus, necessariò per omnipotentiam suam terminatur ad omnes res possibiles, quæ sunt terminus seu objectum divinæ potentiæ. Idem proinde est de voluntate. Neque etiam id officit divinæ libertati: cùm ex simplici complacentia possibilium non sequatur necessariò illorum productio. Cōfirmatur: quia sic est perfectior actualitas divinæ voluntatis, idque salvâ libertate ad extrà, si videlicet actu sit necessariò extensa ad possibilia, adeòque per complacentiam; cùm ob defectum malitiæ non possit eorum displicentiam habere. 22. *Idque necessariò.*

Dico III. Entia rationis sicut per se nullam habent bonitatem aut entitatem, ita nec per se à Deo sunt volita: per accidens tamen & indirectè ea vult Deus, quatenus vult concurrere cum intellectu creato ad actus quibus finguntur, vel quatenus vult eorum fundamentum. v. g. vult formalem rationem honestatis (prout à multis consideratur instar entis rationis) quatenus vult aut sibi complacet in actibus intellectûs & voluntatis aliisque circumstantiis, in quibus illud ens rationis fundatur: vult honorem & gloriam 23. *Entia rationis non sunt per se volita à Deo. Sed solùm per accidens.*

tiam suam (prout spectantur tamquam entia rationis) quatenus vult, imperat, aut etiam causat actus creaturæ liberæ, ex quibus in Deo honor resultate fingitur, aut per actum comparativum sine fictione juxta aliquos *Scotistas* resultat.

24. *Vel etiam negationes.* Dico IV. Negationes, privationes & mala naturalia sunt aliquo modo à Deo volita. Colligitur satis ex Scriptura *Psal. 103. Posuisti tenebras & facta est nox. Isa. 45. Ego Dominus creans tenebras, & creans malum*, utique volens. Vult autem tenebras v. g. volendo lumen non esse in aëre; cæcitatem, volendo visum non esse in organo visorio; aut puras negationes, volendo aliquod ens simpliciter non esse. Sicut tamen hæc per se non dicunt entitatem aut bonitatem, ita nec per se à Deo appeti possunt, sed solùm per accidens.

25. *Et mala pœna.* Dico V. Malum pœnæ est à Deo volitum. Patet ex Scriptura *Amos 3. Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit? Deut. 32. Mea est ultio, & ego retribuam.* Patet etiam ex eo, quòd Deus tam in præsenti, quàm in futuro sæculo, tamquam justus Judex, puniat malum culpæ per malum pœnæ; adeòque velit malum pœnæ, sed per accidens ratione boni adjuncti, puta propter justitiam vindicativam & alios fines Deo notos. De malo culpæ sit

QUÆSTIO IV.

An Deus sive voluntas divina etiam velit mala culpæ seu peccata?

26. IOannes *Calvinus* (ut relatis ejus verbis ostendit *Bellarminus l. 2. de amiss. gratia & statu peccati c. 3.*) docuit, Deum peccata non solùm permittere, sed etiam fieri velle, omniaque ab æterno decrevisse fieri, non prævisâ humanæ voluntatis determinatione: quin immo imperare Satanæ ac improbis hominibus, ut maleficia concipiant, ac hominem ad peccandum inducant, ipsosque ad hoc inclinare, impellere atque etiam cogere: sed & ipsum quoque idem operari in mentibus hominum impiorum, & per eos tamquam instrumẽta facere, quidquid respectu ipsorum peccatum est: adeòque suo decreto, impulsu, præcepto, internâ operatione efficere, ut homines cogitent, intendant, agant quæ sibi non licent: respectu Dei equidem non esse, neque dici posse peccata, sed opera bona & justa, quia quod homines malâ intentione, Deus bono cõsilio facit: ac proinde Deum ipsum nec peccare, nec peccati causam, sive auctorem sive approbatórem esse. Quomodo autem postremum non sequatur, fatetur *Calvinus* non posse à nobis intelligi sive explicari. Quod quidem verissimè dixit: cùm enim optimè sequatur ex præmissis Deum esse auctorem transgressionis & peccati, mirum non est, si nequeat intelligi, quomodo cum iisdem consistat, Deum non esse peccati auctorem. Consimilia scripserunt *Zuinglius & Beza*. Verùm contra ejusmodi blasphemias.

Dico: Deus non vult peccata, neque ad ea voluntatem creatam ex intentione movet, impellit aut inclinat, neque ab æterno ex se ipso ea fieri præordinavit: sed fiunt illa contra voluntatem Dei, ipso justis de causis eadem permittente. 27. *Non mala culpæ.*

Est de fide ex Scriptura *Psal. 5. Non volens iniquitatem tu es. Habacuc 1. Mundi sunt oculi tui ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Jerem. 19. *Ædificaverunt excelsa Baalim ad comburẽdum filios suos igni in holocaustum Baalim: quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum. Sap. 14. Odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Igitur Deus peccata ex se non vult, aut præordinat, aut ad illa impellit.

Præterea Jac. 1. dicitur: *Nemo cùm tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur*, scilicet ad peccandum: *Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat. Eccli. 15. Nemini mandavit impiè agere.* Et ibid. paulò sup. *Quæ odit, ne feceris. Non dicas: ille me implanavit* (id est, fecit errare) *non enim necessarii sunt ei homines impii.* Quæ capitaliter adversantur assertis hæreticorum.

Insuper Scriptura alibi docet, peccata & perditionem nostram non esse ex Deo, sed ex nobis aut diabolo; omnia autem quæ à Deo sunt bona esse. *Osee 13. Perditio tua Israël* (id est, tu tibi causa es perditionis) *tantummodo in me auxiliũ tuum. Jean. 8. Cùm loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mẽdax est & Pater ejus. 1. Jean. 3. Qui facit peccatum, ex diabolo est. Sap. 11. Nihil odisti eorum quæ fecisti*; quia videlicet *cuncta, quæ fecerat* Deus, *erant valde bona. Gen. 1.* *Quæ adscribit scriptura soli creaturæ.*

Denique Scriptura ubique testatur, Deum seriò & graviter prohibere peccata; similiter passim testatur eadem severissimè ab eo puniri, ut *Psal. 7.* & 10. & 33. *Matt. 25.* & alibi. Quomodo igitur Deus peccata efficaciter vult, & ex se præordinat, immo ad eadem impellit hominem ac necessitat? *Et à Deo prohiberi testatur.*

Nec satisfacit, quòd hæretici similes Scripturas dicant intelligendas de voluntate Dei, quæ nobis in Scripturis declarata est, & voluntas signi à Theologis appellatur: Deum nihilominus aliâ quâdam volun- *Quod nequit intelligi de voluntate signi.*

voluntate arcanâ omnino velle ut homines peccent, quoniam alioquin non assequeretur finem sibi propositum declarandæ gloriæ suæ ac justitiæ in condemnatione ac punitione malorum, quos creavit ad interitum, ut sic in illis ostendat justitiam suam. Non (inquam) satisfacit: nam sequeretur in Deo contrarietas voluntatum, vellet enim & prædefiniret peccata, & ex se absolutè ea abominaretur & aversaretur. Deinde scriptura non tantùm loquitur de voluntate signi, qualis est prohibitio peccatorum, sed in variis locis insuper significat Deũ ex natura sua odisse, & nolle atque aversari peccatum. Præterea seria prohibitio adjuncta gravissimæ punitioni transgredientibus infligendæ (quæ etiam ex præmissis constat) non stat cum voluntate absoluta, quâ Deus ipse procuret, prædefiniat efficaciter, ac moveat potenter, immo etiã mandet ac præcipiat peccata; prout juxta *Calvinum Instit.c.*18.§.1. Satan jussu Dei tentavit Job, & Deus præcepit Judæis ut crucifigerẽt Christum. Denique hæretici asserunt, Deum velle peccata, eò quòd Scriptura indicare videatur Deum illa præcipere, ut infrà patebit: adeòque non aptè allegatur distinctio voluntatis in scripturis declaratæ, & alterius arcanæ.

28. *Idem docent Concilia.* Probatur II. ex Conciliis & Patribus. *Arausic.2. can.5.* cum omni detestatione anathema dicit iis, qui credere velint *aliquos ad malum divinâ potestate prædestinatos esse.* Et *Trid.ss.6. can.6. Si quis* (inquit) *dixerit, nõ esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona Deum operari, non permissivè solùm, sed etiã propriè & per se, adeò ut sit proprium ejus opus, non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli* (sic fuerat locutus *Philippus Melanchton in c.8. ad Rom.* sed postea retractavit, teste *Bellarm.sup.c.1.*) *anathema sit.*

Patres. Inter Patres *Dionysius de divin. nomin. c.4. Non est* (inquit) *in Deo malum, sed nec ex Deo est malum: aut enim bonus non est, aut bona facit. Tertull. exhortat. ad castitat. c.2. Excusabitur omne delictum, si contenderimus nihil fieri à nobis sine Dei voluntate. Basilius* integram scripsit homiliã de hoc, *quòd Deus non sit auctor malorum.* In eodem ostendendo totus est *Damascen. Lib.4. de fide c.20. Leo Papa hom.16. de Pass. Domini. Numquid* (ait) *iniquitas persequentium Christũ ex Dei est orta consilio, & illud facinus, quod omni majus est crimine, manus divina præparationis armavit? non hoc planè de summa justitia sentiendum est. S. Aug.5. de civit.c.8. & 9. & lib. de spir. & littera c. 31. & lib.2. de pecc. merit. c.18. & alibi,* docet *malas volũtates non esse à Deo.* Et *l. de bono persev. c.10.* ait: *Prafectò potens est Deus etiã quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata.* *Prosper* variis in locis gravissimè invehitur in contrariam doctrinam. *Resp. ad Object.10. Vincentianam. Detestanda* (inquit) *& abominãda opinio, quæ Deum cujusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem, cujus prædestinatio numquam extra bonitatem, nũquam extra justitiam est, &c. adulteria enim maritatarum & corruptelas virginum non instituere novit sancta divinitas, sed damnare, nec disponere, sed punire. Et infrà: Non ergo casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, nec cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut excitavit aut suasit aut impulit.* Videri possunt quoque Responsiones ad objectiones sequentes, & *Resp.11. cap. Gall.*

Denique (ut alios omittam, quos vide apud *Bellarm. sup. c.9.*) *Fulgentius l.1. ad Monimum* totus versatur in hac quæstione, *utrùm peccata fiant ex prædestinatione Dei.* Sufficiant quæ habet *c.23. Si ad peccatum aliquod hominem Deus prædestinaret, pro peccatis hominem non puniret.*

Quid ad hæc respondebit *Calvinus* cũ suis? fortè irreligiosissimus audebit redarguere omnes veteres, cõfundens per hoc sufficientissimè semetipsum, quòd *religiosius* (ut inquit *Lib.2. instit. c.4. §.3.*) *simplicem veritatis confessionem hac in parte reformident*, quia videlicet in Dei operationem, excitationem, decretum sive ordinationem, & agẽdi ejus efficaciam non referunt hominum peccata; addens: *Ne Augustinus quidem illâ superstitione interdum solutus est.* En irreligiosam hominis sacrilegi responsionem.

Probatur III. multiplici ratione Theologicâ. Prima: Deus non est auctor eius 29. *Et multiplex ratio.* cujus est ultor, juxta illud *Fulgentii sup. c.19. sub finem: Illius rei Deus est ultor, cujus non est auctor, id est iniquitatis, quam Deus potest punire, non facere.* Nam sanè nemo potest prudenter aliquem punire ob id, quod ipso instigante, prædefiniente & compellente fit.

Secunda: Deus frequentissimè prohibet & damnat peccata: ergo eadem non vult, neque ad ea hominem incitat: quis enim non diceret esse delirum principem vel iniquum, qui severissimè prohiberet ea, quæ absolutè fieri vellet, & ad quæ subditum instigaret, immo necessitando cõpelleret, ut juxta *Calvinum* facit Deus?

Tertia: Conformans se divinæ voluntati, utpote infinitè rectæ, benè operatur: ergo si peccatum sit volitum à Deo, faciens illud benè operabitur, & consequenter peccatum non erit peccatum.

Quarta: Divina voluntas est infinitè recta & conformis dictamini rectæ rationis: ergo non potest ullatenus velle peccatum; cùm hoc habeat intrinsecã obliquitatem & difformitatem à recta ratione.

Calvi-

30. *Deum à peccato non liberant bona intentio.* *Calvinus* & alii ut excutiant à se invidiam apertissimæ blasphemiæ, etsi loquantur, ut præfati sumus, solent tamen inficiari Deum esse auctorem peccati, neque ei peccatum imputandum, qui id facit bono fine & intentione, sed homini, qui agit perverso fine & libidinosâ intentione. Verùm non salvant in primis auctoritates, suprà allegatas, excludentes à Deo omnem peccati voluntatem, dispositionem, &c. Deinde insufficienter excusant Deum, quin sit causa moralis, adeòque auctor peccati: qui enim consulit, & præsertim qui compellit & urget ad peccandum, est causa & auctor illius. Neque juvat bonitas intentionis: cùm non sint suadenda vel facienda peccata ut eveniant bona: neque furem à peccato excuset bonitas finis: cùmque non tantùm ad pravum opus, sed & ad ipsam pravam intentionem Deus instiget hominem juxta adversarios. Immo sequitur, Deum esse auctorem peccati principalem: cùm illud ex se efficaciter ordinet, hominemque ad illud necessitet, & voluntas divina utatur hominum voluntatibus, tamquam instrumentis, ut ipsi loquuntur; sicut quisque judicaret in humanis, sic agentem esse causam & auctorem primarium operis. Ulteriùs sequitur, Deum ipsum verè peccare: nam sciens & volens esset causa particularis & determinata actus inordinati talis speciei. Deinde qui inducendo vel imperando est alteri auctor peccati verè peccat: ideoque in republica benè ordinata tam puniuntur imperantes, quàm exequentes homicidium. Caret quidem Deus lege alicujus se superioris, adstringitur tamen essentiali suæ rectitudini, cui è diametro adversatur, esse hoc modo auctorem peccati. Quin immo sequitur, ipsos homines non peccare: cùm hi ad peccatū necessitentur juxta *Calvinum*; sine libertate autē non stet ratio peccati. Et sic tandem peccatum remanebit solùm falsa & inanis opinio, nullumq; verè erit peccatum, ut dixerunt *Libertini*; quos (inquit *Bellarm. sup. c. 7.*) *Calvinus* à se genitos immeritò recusat agnoscere.

31. *An naturæ nostra corruptio.* Denique non excusat Deum corruptio nostræ naturæ per peccatum primi parentis; ut Nonnulli allegant. Nam hoc in primis locum non habet in ipso primo peccato Adæ, quod juxta *Calvinum* similiter fuit commissum necessitate, decreto, & prædefinitione, ac operatione Dei. Neque eadem juvat ut recta sit voluntas divina de peccatis sequentibus, quę equidem facere, adeòque velle est intrinsecè inordinatū. Nec denique sufficit ista corruptela ad opera omnia nostra inficienda, cùm eâ non obstante omnes nos hortetur Scriptura ad opera pietatis & justitiæ.

Objiciuntur I. Scripturæ, in quibus significari videtur Deum opera peccaminosa decernere; ut *Gen. 45. Non vestro consilio* (inquit Joseph Patriarcha ad fratres) *sed Dei voluntate huc missus sum*, adeòque & venditus. Et *c. 50.* idem ait. *Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati?* qui scilicet voluit me à vobis vendi. *Act. 2.* dicitur Christum *definito cōsilio & præscientiâ Dei traditum*. Et *c. 4.* Judæos & Gentiles convenisse adversus JESUM *facere quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri*. Resp. Josephum *Gen. 45.* non asserere, se voluntate Dei venditum, sed missum in Ægyptum; quod Deus ob rectum finem, exaltandi scilicet eum, & per eum multos salvandi, rectè potuit consilio suo ordinasse, non præordinatâ malâ fratrū (quibus non erat curę, quò Ismaëlitæ abducerent Joseph aut ubi venderent) perdere cogitantium voluntate, sed eam permittendo, & permissam ad finem bonum dirigendo, in quo tum sapientia, tum potentia & bonitas Dei relucet. Neque id allegat Joseph ad fratres à culpa excusandos, sed ad illos timore consternatos ex cōsideratione majoris boni & felicis eventûs, per divinam potentiam consecuti, animandos & consolandos. Sicut eodem fine dicit *c. 50. Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me.... & salvos faceret multos populos.* Quod autē ibidem immediatè præmittit: *Num Dei possumus resistere voluntati:* quidam consequenter intelligunt de voluntate, quâ voluit Deus Josephum exaltare. Quod etsi Lectioni vulgatæ satis videatur accommodū: aliud tamen indicant alię Versiones, idemq; patitur Versio vulgata. Hebraicè enim est: *Nonne sub Deo ego sum?* LXX. autem vertunt: *Dei sum ego*, supple, servus. Et Chaldęus: *à facie Dei timeo*. q.d. nolite timere ob culpā in me commissam, Deū enim timeo vetantē vindictam, ejusq; voluntati pręcipienti culpā īgnosci nō possum resistere. 32. *Scriptura ab hæreticis objecta solvuntur.* *Quel Joseph Dei consilio sit missus in Ægyptum.*

Locum *Act. 2.* quidā sic explicant: Christum scilicet traditū definito consilio, nō Dei, sed Judæorū, præscientiâ tamē ipsius Dei, qui scilicet pravum istud consilium præscivit. Sed nō est necesse eò recurrere. Definito namque consilio ipsius Patris Christus est traditus, qui & seipsum tradidit atque obtulit in mortem sustinendā agnus innocens, admisâ scilicet & permissâ, non autē definitā vel ordinatā malā impiorum actione. Idemq; fieri decrevit consilium Dei *Act. 4.* scilicet, ut Christus mortem pateretur & sustineret; non autem ut Judæi illam procurarent: quamquam malitiam illorū prævideritt & permiserit, idque cum variis modificationibus, mysterio deservientibus (in quibus *Et Christus traditus.*

 per

per se consideratis nulla malitia inerat) quas Deus suo consilio direxit. Recole verba Leonis Papæ *serm.16. de pass. Domini, sup. relata.* Qui ibid. quoque ait: *Multùm diversum multùmq; contrarium est, id quod in malignitate Judæorum est prætognitum, & quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi: nec de uno extitit spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia Redemptoris: non enim impias furentiū manus immisit in se Dominus, sed admisit: nec præsciendo quod faciendū esset, coëgit ut fieret, cùm tamē ad hoc carnem suscepisset ut fieret.*

33. *An hic potuerit decerni non prævisâ Judæorum malitiâ.* Solùm posset moveri quæstio, utrùm potuerit Deus passionem & mortē Christi prædefinire ante prævisam & permissā Judæorum malitiam? Et videtur quòd sic, abstrahendo à modo exequendi mortem & passionem decretam: potuisset enim Deus absolutè ex se decrevisse (an fecerit, non satis constat) Christum immolari pro peccatis nostris, in cujus decreti objecto nulla per se malitia aut inordinatio includitur; ipsumque potuisset fine ullo peccato mandare executioni, si videlicet Deus per seipsum, aut per Christū, metūvi absoluti dominii ordinasset exequi ejusdem immolationem & occisionem. Quamquā de facto id noncontigerit, sed prævisâ & permissâ inimicorū Christi malitiâ, fecerit eā Deus famulari suæ volūtati de passione seu tolerantiâ mortis Filii sui, admittens seu permittens occisionē activam, quæ de facto plena impietate fuit.

34. Objiciuntur II. Scripturæ quæ significare videntur, quòd excitet & inclinet hominum voluntates ad opera peccaminosa: item quòd eadem præcipiat, quòdq; seducat & spiritum erroris immittat. Sic *Psal.*104. dicitur: *Convertit cor eorum ut odirent populum ejus.* 2. *Reg.*24. Dicitur commovisse David ut numeraret Israël; in quo facto David graviter deliquit. *Exodi* 9. & 10. dicitur excitasse & indurasse Pharaonem in malo. 2. *Reg.*16. Dicitur præcepisse Semei ut malediceret David. 3. *Reg.*22. Dicitur immisisse Spiritū mendacii in Prophetas. *Ezech.*14. Dicitur decepisse Prophetam. Similia alibi Scriptura refert. Ergo peccatū ita est à Deo, ut ipse per se illud velit, & ad idem propriè hominem commoveat ac impellat.

Scriptura non facit Deum auctorem peccati. Resp. Neg. Conseq. *Hæc enim omnia loca non à Deo ut agente accipienda sunt, sed ut permittente,* inquit *Damasc. l.4. de fide c.*20. Permissio itaque significatur in Scriptura nomine actionis, ut non solùm idem *Damascenus*, sed & *Theodoretus* aliique Patres exponunt. Unde *Anselm. l. de concord. c.*2. *Deus mala quæ non facit, dicitur facere, quia permittit: nam dicitur hominem indurare cùm non emollit, ac inducere in tentationem, cùm non liberat.* Et *Aug. l. de grat. & lib. arb. c.*20. *Quomodo dixerit Dominus huic homini* (Semei) *maledicere David, quis sapiens & intelliget? non enim jubendo dixit, ubi obedientia laudaretur, sed quòd ejus voluntatem proprio vitio suo malam in hoc peccatum judicio suo justo & occulto inclinavit* (scilicet permissivè & occasionaliter; quatenus *cor ejus malum miserit vel dimiserit*, ut postea subdit) *nam si jubenti obtemperasset Deo, laudandus potiùs quàm puniendus esset, sicut ex hoc peccato postea novimus esse punitum.* Et *c.*23. *Quando ergo auditis dicentem Dominum, Ego Dominus seduxi Prophetam illum, & quod ait Apostolus: cujus vult miseretur, & quem vult obdurat, in eo quem seduci permittit vel obdurari, mala ejus merita credite* &c.

Neque est in Scriptura insolens, permissionem exprimi verbo præ se ferente formam præcepti. Nam Pharisæis, dicentibus *Marci* 10. *Moyses permisit scribere libellum repudii*, respondit Christus: *Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptū istud.* Et *Matth.*19. petitio eadem sic refertur: *quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii?* Christi autem responsio talis scribitur: *Ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras.* Ubi mandare seu præcipere confunditur cum permittere. Necessariò autem in præsenti hæc expositio est admittenda: tum ut Scriptura Scripturæ apertissimè testanti, Deum peccata nolle, abominari, &c. concordetur: tum ne convincatur Scriptura adscribere Deo impietatē, quam fides & ratio vetat Deo adscribi: tum quia Patres & Doctores sic exponunt; nullus autem ad sensum hæreticorum. Et sanè mirum est ipsos objicere ejusmodi Scripturas ad probandum, quòd Deus peccata velit, præcipiat, &c. cùm fateantur, Deum voluntate in Scripturis declaratā peccata nolle, prohibere, &c. at aliā secretā & nō declaratā voluntate ea velle, præcipere, &c. Alioquin certè esset repugnātia etiam in voluntate Dei per Scripturā declaratā. 35. *Essi verba sonent præceptum.* *Cur verba sic explicanda.*

Exprimitur autem in Scripturis divina permissio per modum actionis seu motionis: partim quia dæmones aut homines, quantumvis malevoli, seu in malum propensi, non aliud, nec aliter, quoad locum, tempus, personas, opera ipsa, possunt, quàm prout Deus permiserit, ipsisque habenas relaxaverit: partim quia ejusmodi permissionem Deus peculiari providentiâ & positivâ voluntate temperat, & ad bonum finem ordinat; dicente *Augustino Enchir. c.*100. *Nec sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens de malo facere posset bene.* Inde enim consequuntur divinâ bonitate & potentiâ multa bona, quæ Deus intendit, 36. *Cur illa permissio exprimatur per modum motionis.*

dit, quòd scilicet puniantur mali, probentur boni, detur locus meritis, tandemque remuneratio. Partim denique quia positivè multa operatur, tum circa ipsos malitiosos, tum circa alios, quæ quidem bona sunt, & ex quibus malitiosi debuissent fieri meliores, unde tamen novit eos vitio suo accepturos occasionem peccandi: sic enim aliqui ex benedictionibus proximo immissis sumunt occasionem invidendi, calumniandi & persequendi: alii ex flagellis à Deo immissis in gravia, etiam contra divinum nomen, peccata prorumpunt: alii ex longanimitate divina circa ipsorum mala toleranda ansam sumunt in peccatis pergendi &c.

37. *Singula Scriptura loca explicantur.* Dicitur itaque Deus convertisse Ægyptios ut odirent populum Israël, bunc multiplicando & specialiter ei benefaciendo, quâ occasione Ægyptii sunt excitati ad odiendos Israëlitas alienigenas; quod Deus permisit ob justos fines.

Dicitur commovisse David ad numerandum Israël, permittendo Satanæ, ut talem cogitationem in cor Davidis, quē noverat ad elationem animi excitandum, immitteret; idque eo fine, ut populum jam sæpè promeritum puniret. Unde 1. *Paralipp.* 21. dicitur *consurrexisse Satan contra Israel, & concitasse David, ut numeraret Israël.*

Dicitur præcepisse Semei, ut malediceret David, permittendo amarum illius animum, per maledictionem jam cœptam, in Davidem effundi, occasione occursûs Davidis tum humilitati & afflicti, ad ejusdem exercitium & patientiæ probationem.

Dicitur afflixisse Jobum, quatenus Satanæ instar furiosi canis, sed vinculis divinæ potentiæ alligati, nocere cupienti, & ut affligere posset, petenti, permisit ad exercitium patientiæ ipsius Job, eumdem affligere; sed frustrà, quia scilicet Satan finem intentum non obtinuit.

Dicitur immisisse spiritum erroris seu mendacii, quatenus satanæ decipere poscenti permisit Prophetas suâ directione destitutos, ejusdem illusionibus exponi ex providentia fineque speciali.

Maximè ubi dicitur indurasse cor Pharaonis. Dicitur indurasse cor Pharaonis, quatenus in pœnam præcedentium delictorū subtractis gratiæ auxiliis, quibus noverat convertendum, insuper operatus est circa ipsum varia, è quibus sumpsit occasionē indurandi semetipsum obstinatâ voluntatis malitiâ, prout intelligitur illud, quod sæpè repetitur *Exodi* 7. 8. & 9. *induratum* sive *ingravatum est cor Pharaonis*, scilicet ab ipsomet, juxta quod *c.* 8. dicitur quod ipse Pharao *ingravavit cor suum*. Eodemq; sensu *Isa.* 6. & *Joan.* 12. dicitur Deus excæcare: cùm tamen propria excæcationis causa sit ipsa hominum malitia, juxta illud *Sap.* 2. *Excæcavit illos malitia eorum.*

Quia verò in sacris Litteris & Patribus, præsertim *Augustino*, frequens est mentio indurationis sive (quod in idem redit) excæcationis, pro ulteriori intellectu

Observandum est obdurationem cordi tribui metaphoricè, eò quòd instar rei duræ non cedat, sed inflexibile ad rectam Dei voluntatem ac jussionem permaneat: adeòque obdurationem esse inflexibilem firmitatem voluntatis in malo proposito. Quæ cùm sit motus animi inhærentis malo, pessima est & peccaminosa, adeòque non est Deo tribuenda tamquam auctori, sed ipsi cordi humano. Simili quâdam metaphorâ explicatur excæcatio, quâ peccator mentem suam avertit à lumine divinæ gratiæ, sic ut stante ejusmodi obstinatâ cordis aversione videre, sive credere non possit. 38. *Quid cordis induratio.* *Quid excæcatio.*

Triplici autem ratione Deus indurare sive excæcare dicitur peccatores, eosque tradere desideriis malis. Primò permissivè, quatenus cor lapideum non emollit per suam gratiam, quæ sola illud emollire potest. Non quòd quævis substractio gratię sit propriè induratio, sed quādo illa fit per justum Dei judicium in pœnam gravium peccatorū præcedentium, sic ut parcissima, eaque indoli peccatoris non congrua, nec propinquè sufficiens gratia relinquatur. Hunc obdurandi modum exprimit *Augustinus* 3. *de Trin. c.* 12. *Modus autem iste, quo traditus est homo in diaboli potestatē, non ita debet intelligi, tamquā hoc Deus fecerit, aut fieri jusserit, sed quod tantùm permiserit, justè tamē. Ille enim deserente peccantem, peccati auctor illico invasit.* Et in illud *Psal.* 77. *Misit in eos immissiones per angelos malos*, ait: *Hanc iniquissimam malignissimam obstinationem Deus eum facere dicitur, nō instigando & inspirando, sed deserendo facit.* Et *epist.* 105. *Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.* Et *Tract.* 53. *in Joan. Sic excæcat Deus, sic obdurat, deserendo, non adjuvando.* Voluntas namque in peccatum prona, si relaxetur diabolus ad tentandum promptissimus: nec ipsa per gratiam rectricem refrænetur, infallibiliter in quodvis malitiæ genus præceps ruet, & in eodem firma hærebit. *Deus indurat tripliciter.* *Primò. Permissivè.*

Secundò obdurat Deus etiā per patientiam, quatenus peccatorem in vita tolerat, seu diutiùs conservat, vel non punit; aut punit quidem, sic tamen ut inde nō emolliatur, sed pœnis magis indurescat. Ita quoque Pharao fuit induratus per patientiam, quâ ei Deus parcebat, dando requiē à plagis, ut notat *Aug. q.* 23. *in Exodū*. Hinc enim putabat, nullā ampliùs plagam secuturam, & præteritas non esse curandas. *Secundò, per patientiam.*

 Tertiò

Tertiò. Per potentiam. Tertiò indurat etiam per potentiam, cùm Deus justo judicio circa peccatores quædam potenter operatur, unde ipsi occasionem sunt accepturi sese obstinatiùs in malo firmandi: sic avaro quandoque tribuit opportunitatem augendi opes, iracundo vindicandi, lubrico fornicandi &c. Sic Pharaoni obtulit magos facientes falsa miracula, ex quo obduratum fuisse Pharaonem, notat Scriptura *Exodi* 7.v.22. Ex quo patet, quo sensu *Augustinus l.5. contra Julianum c.3.* doceat, Deum non tantùm obdurare per patientiam, sed etiam per potentiam, ut sic priora peccata puniantur. Qui *eodem c. versùs finem* acutè redarguit Julianum ex eo, quòd alioquin petendo, ne tradat nos Deus malis desideriis, peteremus ne fit erga nos patiens, seu ne longanimitas ipsius ad pœnitentiam nos expectet.

39. *Quales sint hi modi respectu voluntatis peccandi.* Modi equidem isti operandi positivi sunt respectu voluntatis peccandi, seque obdurandi solùm permissivi, boni quidē & justi, nec sine obdurandi à Deo adhibiti, sed aliis justis de causis, quibus homo juxta malam sui cordis constitutionem ad majorem duritiam abutitur; sicut bonus odor Christi est quibusdam odor mortis in mortem, juxta *Apostolum 2. ad Cor.* 2. Et ob hæc obduratio, quasi à Deo fiat, exprimitur in Scriptura, & *Aug. sup. c.3.* dicente: *Occulto Dei judicio fieri perversitatem cordis.* Eodemq; sensu idē *Augustinus l. de grat. & lib. arb. c.20. & 21.* Ex testimoniis Scripturarum deducit, Deum quò voluerit posse inclinare hominum voluntates, sive ad bona, sive ad mala, quàmvis non eodem modo. Quare non est necesse allegare plura loca *Augustini* (cujus mens ex præmissis est plusquā manifesta) ab hæreticis objici solita, in quibus more scripturæ duriusculè loquitur: nam conformiter sunt explicanda, etiam ex ipsomet *Augustino*. Solùm operæ pretium est referre illud *Aug. de correp. & grat. c.7.* Ubi Judam aliis Apostolis comparans, ait: *Illos elegit ad obtinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem suum.* Sed non vult, quòd elegerit eodem modo. Elegit itaque Judam ad hoc malū opus, id est, decrevit uti malâ voluntate Judæ, quam se permittente in eo futuram noverat, ad complendum opus redemptionis nostræ: *ab illo quippe electus est, qui novit bene uti etiam malis, ut per ejus opus damnabile, illud, propter quod ipse venerat, opus venerabile compleretur*, ut ibidem *S. Doctor* præmittit.

40. Objicitur III. Esse malum est quoddam bonum, dicente *Augustino Enchir. c.96. Quàmvis ea quæ mala sunt, in quātùm mala sunt, non sint bona; tamen ut non solùm bona, sed etiam sint & mala, bonum est*: ut videlicet per oppositionem ad bonum perfectio boni & universi magis elucescat, ut tradit idem *Augustinus sup. c.11. & 11. de civit. c.16.* & alibi. Unde iisdem locis subjungit, quòd Deus mala non permitteret, nisi de eis sciret bene facere. Deinde unum potest esse pœna alterius; pœna autem utilis est ad bonum universi. Denique lapsus sæpè electis est occasio majoris humilitatis & fervoris; ut patet in Davide, Petro, Magdalena &c. Unde *Aug. 14. de civit. c.13.* ait: *Audeo dicere, superbis esse utile, cadere in aliquod apertum manifestumq; peccatum.* Ergo Deus potest causare, vel saltem intendere malum culpæ.

Resp. Neg. Ant. cum *Augustino* seipsum explicante ac dicente *l.3. de lib. arb. c.9. nō ipsa peccata vel ipsam miseriam perfectioni universitatis esse necessariam, sed animas in quantùm animæ sunt; quæ si velint, peccant, si peccaverint, miseræ fiunt.* q.d. malum culpæ & pœnæ non esse necessarium perfectioni universi, sed permissionem peccati, & commissi punitionem; illa scilicet ut ostendat liberum arbitrium, hæc ut divinam justitiam. Quod autem ipsum peccatum non sit appetibile à Deo, est, quia nec in se, nec in ordine ad aliud habet ex se aliquam bonitatem, cùm sit intrinsecè malum, nec ad aliquid ex se deserviat in ratione causæ vel effectûs. Solùm igitur potest esse quædam occasio per accidens, quâ suppositâ Deus ex sua bonitate operatur aliquod bonum. Quod ad summum vult *Augustinus* locis citatis, & *Gregorius* in benedictione cerei paschalis appellans, *felicem culpā, quæ talem ac tantum meruit redemptorem.* Has & plurimas alias objectiones latè discussas vide apud *Bellarm. l.2. de amissione gratiæ & statu peccati à c. 11. usque ad* 18. *Peccatum bonum non est.* *licèt possit esse occasio per accidens alicuius boni.*

Quod ex concursu physico Dei, tamquam causæ primæ ad actiones physicas, etiam malas, creaturæ rationalis, objicitur à Theologis Catholicis majoris explicationis gratiâ, dissolvetur *Tract. de Deo creatore.*

QUÆSTIO V.

De variis divisionibus divinæ voluntatis seu potiùs volitionis.

41. VOLUNTAS seu potiùs volitio divina, etsi unica & simplicissima, ob æquivalentiam tamē ad plures volitiones nostras, & multiplicem terminationem ad diversissima objecta & effectus, subinde in Scriptura pluraliter appellatur, ut *Psal.110. Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus.* Sicut etiā justitiæ & misericordię Domini pluraliter in Scriptura aliquādo exprimuntur. Immediatissimè

ſimè autẽ dividi poſſet actus divinæ voluntatis in volitionem, quæ reſpicit eſſe, & nolitionẽ, quæ reſpicit non eſſe objecti: & utraque in ſimplicem & efficacem: efficax denique in antecedentem & conſequentem: ut optimè indicavit *Scotus in Report. d. 48. n. 11.*

Diviſio volitionis Dei, in voluntatem ſigni.

Communiter tamen Theologi cum *Magiſtro, Alenſi, D. Bonav. D. Th. Scoto,* dividunt volitionem Dei in voluntatem beneplaciti & voluntatem ſigni. Quæ diviſio eſt æquivoca: nam voluntas ſigni eſt tantùm metaphoricè, ſeu methonymicè voluntas, quia ſcilicet eſt ſignum externum divinæ voluntatis ſive affectûs: ſicut teſtamentum ſive inſtrumentum ſcriptum dicitur voluntas teſtatoris. De hac juxta *D. Bonav. d. 45. a. 4. q. 1. in corp.* intelligitur illud 1. *Theſſal. 4. Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra;* iſta enim eſt effectus, & ſignum divinæ voluntatis.

Et beneplaciti,

Voluntas beneplaciti generaliter eſt actualis inclinatio divinæ voluntatis in objectum cognitum; ſive volitio alicujus objecti, quæ Deo verè ineſt. Quo ſenſu, omnis divina voluntas eſt beneplaciti. Subinde tamen voluntas beneplaciti ſumitur pro voluntate abſoluta & omnino efficaci; ut patet apud *Scotum d. 46. n. 2.* Similiter *Auguſtinus, & Magiſter* ſequens *Auguſtinum*, quando de voluntate beneplaciti loquuntur, ſemper accipiunt pro voluntate, quâ Deus abſolutè vult aliquid evenire, inquit *D. Bonav. d. 47. in expoſ. textûs dub. 4.* Aliquando etiam ſumitur pro voluntate ſeu complacentia apptobativa; prout *Pſal. 146.* dicitur: *Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum.* Plerumque tamen videtur Voluntas beneplaciti ſic accipi, ut aliquo modo ſit efficax, ſive impleatur; ut notat *Smiſing d. 5. q. 2. n. 21.*

42. *Voluntas ſigni eſt quintuplex.*

Voluntas ſigni eſt quintuplex, expreſſa à *D. Bonav. d. 45. a. 4. q. 2. in principio,* hoc verſu: *Præcipit, & prohibet, permittit, conſulit, implet.* Id eſt, præceptum, prohibitio, permiſſio, conſilium, & opus ſive operatio. Sufficientiam diviſionis rectè deducit *D. Th. q. 19. a. 12. in corp.* nã illud, quod volumus, aut volumus fieri per nos, & hanc voluntatẽ ſignificare tantùm poſſumus per operationẽ ſive opus, quãdo ſcilicet per nos aliquid implemus, ſive operamur; *Implens,* aut volumus tantùm non impedire, quin fiat, etſi opus ipſum diſpliceat, ſeu nolumus illud fieri, idque ſignificamus per permiſſionem. *Permittens.* Aut volumus fieri per alios, idque ſignificare poſſumus inducendo illos, ſive obligando ut aliquid faciant, & eſt præceptũ; *Præcipiens.* ſive ſolùm ſuadendo ut faciant, & eſt conſilium. *Conſulens.* Aut denique nolumus fieri ab aliis; idque ſignificamus inducendo illos, ſive ne faciãt, *Prohibens.* obligando, & eſt prohibitio, ſive tantùm diſſuadendo, & eſt conſilium. Comminatio, quæ videri poſſet deeſſe, eſtque ordinariè ſignum divinæ voluntatis cõditionalis, revocari poteſt ad præceptum vel prohibitionem. Præparatio ſeu diſpoſitio, quam Deus ad aliquid facit, eo modo ac ſi vellet illud ad effectum perducere, cùm tamen hoc ipſum nõ velit (quo ſenſu *Mar. 6.* dicitur: *Volebat præterire eos.* & *c. 7. Neminem voluit ſcire, & non potuit latere. Lucæ ult: Se finxit longiùs ire.*) neceſſariò videtur diſtinctè annumeranda prædictis ſignis, juxta *Eſtium d. 45. §. 7. ℣. porrò quinque ſignis.* Verùm alii Doctores unanimiter hanc voluntatem præparationis non cenſuerunt voluntatem ſigni, ſed beneplaciti, antecedentem ſcilicet: de qua etiam exponunt illud 1. *ad Timoth. 2. Deus vult omnes homines ſalvos fieri* &c. quidquid hoc de voluntate præparationis exponat idem *Eſtius d. 46. §. 4. ℣. juxta hanc.*

Qualis ſit voluntas præparationis.

43. *Quam voluntatem in Deo ſignificent præceptum & conſilium.*

Petes, an, vel cujus voluntatis ſeu affectûs ſigna ſint, quæ ordinariè enumerãtur? Reſp. præceptum, prohibitio & cõſilium non ſunt ſigna voluntatis Dei abſolutè efficacis de opere præcepto & cõſulto ponendo, vel de prohibito & diſſuaſo omittendo: cùm plerumque non fiant, quæ Deus præcipit aut ſuadet; plerumque è contrà fiant; quæ prohibet aut diſſuadet. Ordinariè tamẽ ſunt ſigna voluntatis antecedentis, quâ Deus optat, ut opus præceptum & conſultum fiat, utq; opus prohibitum & diſſuaſum omittatur. Non ſemper tamen: cùm enim Deus tentando fidem & obedientiã Abrahæ, præcepit ei immolationem Filii, non habebat volnntatem ipſius effectûs ſeu occiſionis, ſed volebat Abrahamum habere talem voluntatem ſeu conatum, ut rectè *D. Bonav. d. 47. in expoſ. textûs dub. 5.* Sicut etiam ſuperior creatus poſſet experimenti gratiâ præcipere aut ſuadere aliquid, quod poſitivè vult impedire. Equidem ſaltem eſt ſignum voluntatis antecedẽtis, quâ vult nos conari ad faciendum quod præcipit, & ad omittendum quod prohibet: quin etiam ſignum eſt voluntatis conſequentis & efficacis, quâ vult efficaciter nos obligare ad ipſum opus ſive omiſſionem, vel ſaltem ad poſſibilem conatum adhibendum. Similiter conſilium ſignificat ſemper complacentiam operis quod ſuadetur; præterea voluntatem antecedentem nos alliciendi ſeu inclinandi ad opus faciendum, aut ſaltem ad operis (ſi efficaciter vellet id non poni, quod nõ eſt natum contingere) deſiderium & conatum; inſuper ſignificat voluntatem conſequentem ponendi id, per quod voluntas noſtra allicitur ſeu inclinatur.

An Dei operatio & permissio. Operatio Dei est signum voluntatis consequentis & efficacis de eodem ponendo, vel ad illud concurrendo. Permissio denique signum est similiter voluntatis consequentis & efficacis non ponendi impedimentum objecti permissi. Unde *S. Aug. Enchir. c.* 95. *Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Et *c.* 100. *Nec utique nolens sinit, sed volens.* Estque id manifestum de permissione illorum, quæ à creatura fiunt, Deo nolente, scilicet malorum operum: non enim fieri possunt, nisi Deo concurrente, adeòque volente concurrere.

44. *Quid si hæc sumatur pro non impeditione.* An verò, sumendo permissionem pro non impeditione, seu non positione impedimenti, per quod effectus permissus fuisset impeditus, sive non secutus, significetur eatenus per ipsam positiva Dei volitio, quâ velit non ponere tale impedimentum; v. g. quâ velit non dare gratiam efficacem per quam fuisset impeditum peccatum, non immittere pluviam, per quam fuisset extinctus ignis &c. dubitatur. Negat *Poncius d. 6. n.* 14. eò quòd non sint multiplicandi actus sine necessitate, sufficiat autem mera carentia volitionis ponendi impedimentum, v. g. absentia volitionis dandi gratiam &c. eò ipsò enim quò non est volitio dandi gratiam, gratia non est. Sed *Etiam tunc significat positivam Dei volitionem.* rectiùs affirmat *Smising d. 5. n.* 13. & plurimi alii. Estque conforme *Scoto d.* 41. *n.* 12. & *Augustino.* qui permissionem peccati, sitam in non cõcessione gratiæ efficacis, passim explicat per hoc, quòd Deus nolit illam dare, quòdque illam deneget. Immo dicendum videtur nullam dari in Deo puram omissionem liberam: adeòque circa alios mundos infinitaque possibilia, numquam futura, Deum habere actum voluntatis, quo positivè velit ea numquam esse; quàmvis enim sufficienter non erunt, eò ipsò, quò Deus caret actu positivo contrario illa aliquando faciendi; congruit tamen magis summæ perfectioni divinæ voluntatis, ut hæc omnia sint perfectissimo modo ei voluntaria, adeòque per actum positivum ea volendo numquam esse. Perfectius namque est aliquid vitaliter velle vel nolle, quemadmodum etiam posse velle vel nolle; dum tamen salvetur libertas, quæ hic nihilominus salvaretur. Sic præterea liquet summa actualitas divinæ voluntatis, quo modo scilicet salvâ libertate circa quævis objecta, etiam libera, sit in actu: immo quo modo tam sit infinitè extensa & perfecta voluntas ipsius infinita nolendo, quàm si eadem efficaciter voluisset; aut etiamsi nil omnino de facto efficere decrevisset. Et huic nolitioni respondet scientia, quâ Deus scit alios v. g. mundos numquam futuros: scientia enim antecedens decretum de futuritione & non futuritione, præscindit ab utraque. Ex quo denique fit, divinam voluntatem non esse liberam ad volendum & purè non volendum, sed ad volendum & nolendum, seu ad volendum aliquid esse & volendum idem non esse.

Voluntas beneplaciti dividitur à Theologis post *Damasc. l. 2. de fide c.* 29. in antecedentem & consequentem. Voluntas antecedens juxta *Scotum d. 46. n. 3.* & alios passim dicitur, quâ Deus quidpiam vult quantùm est de se, seu ex parte sua. Et hæc est quidem absoluta & efficax respectu mediorum, quæ de facto Deus vi talis voluntatis ex parte sua ministranda subministrat, non tamen nisi conditionata & inefficax respectu finis, qui scilicet de facto non obtinetur vi voluntatis merè antecedentis. De hac voluntate intelligitur illud *Ezech.* 24. *Mundare te volui, & non es mundata.* Et *Matth.* 23. *Quoties volui congregare filios tuos &c. & noluisti?* prout multi explicant. *Augustinus* tamen *Enchir. c.* 97. *Magister d.* 46. explicant id de voluntate consequenti & efficaci (& sequitur *Scotus ibid. n.* 3. Hoc ferè sensu: *Quoties congregare efficaciter volui, te* (Jerusalem perversa, quæ lapidas Prophetas) *nolente fecc.* De voluntate antecedente salutis omnium similiter intelligitur illud 1. *ad Timoth.* 2. *Qui vult omnes homines salvos fieri* &c. De quo ex professo *disp. seq. q.* 2. ubi de providentia supernaturali generali. 45. *Divisio voluntatis beneplaciti.* *In antecedentem.*

Et consequentem. Voluntas consequens, quæ & absoluta, sumitur pro voluntate omnino efficaci, quâ scilicet Deus quidpiam simpliciter & absolutè vult esse aut fieri, omnibus spectatis. De hac loquitur Scriptura *Isa.* 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Esther* 13. *Non est qui possit tuæ resistere voluntati. Psal.* 113. *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Et alibi. Eamdem pluribus in locis urget *Augustinus* signanter *Enchiridi c.* 102. *Omnipotentis voluntas Dei semper invicta est.* Quare juxta *Aug. ibid.* & *c.* 103. & Scripturas relatas, omnesque Theologos, hæc Dei voluntas semper impletur: secùs est de voluntate antecedente, quæ ultimatè non impletur, scilicet quatenus non est efficax, v. g. quoad salutem reproborum; quàmvis & hæc impleatur quoad illa, quæ tamquam efficaciter volita respicit, & respectu quorum est voluntas consequens, v. g. respectu mediorum ex parte Dei adhibendorum. Ratio est: quia Deus est infinitæ virtutis & omnipotens, adeòque *subest tibi, cùm volueris, posse*, inquit Scriptura, Deû alloquens *Hæc semper impletur.* *Qualiter impleatur antecedens.*

quens, *Sap.*12. Nec potest consequenter ab ullo impediri: est denique in suis decretis immutabilis: ergo quidquid absolutè & efficaciter vult, semper impletur. Voluntas autem creata efficax non semper impletur, vel propter impotentiam, vel quia ab alio impeditur, vel quia mutatur. Vide *Scotum d.*46.*n.*2.

46. *Alia harum voluntatum explicatio.* Pro fine nota, voluntatem antecedentem & consequentem juxta nonnullos, magis apposite ad mentem *Damasceni* explicari hoc modo, ut antecedens dicatur illa, quam Deus habet ex se, seu ex propria quasi propensione, sive sit omnino efficax sive non, v.g. voluntas benefaciendi: voluntas autem consequens dicatur, quæ à nostro (ut loquitur *Damascenus*) vitio ortum ducit, v.g. voluntas inferendi pœnam. Proprium enim Deo dicitur misereri & parcere; alienum autem (juxta *Isaiam c.*28.) & peregrinum opus Dei est punire. Unde voluntas antecedens erit bonitatis (quam & primariam alibi appellat *Damascenus* post *Chrysostomum hom.*1. *in epist. ad Ephes.*) voluntas autem consequens erit justitiæ & quasi secundaria. Et secundùm hoc, voluntas etiam solùm comminatoria pœnæ dicenda foret consequens, etsi conditionata & inefficax: efficax autem prædestinatio ad gloriam dicenda esset antecedens. Quod observandum ad vitandam vocum æquivocationem: quibus plerumque utendum potiùs, ut multi.

QUÆSTIO VI.

De variis affectibus sive passionibus divinæ voluntatis.

47. CONSTAT in Deo non esse passiones animi, prout juxta primam nominis impositionem significant affectionem appetitus sensitivi, junctam cuidam corporis alterationi, prout ex communi sententia *Augustini, Hieronymi, Damasceni*, & aliorum, explicat *D. Th.*1.2.*q.*22.*a.*3. Cùm tamen similes affectiones reperiantur in appetitu rationali seu voluntate, ad quas non sequitur corporis alteratio, nisi per accidens ob appetitum sensitivum in nobis adjunctum, quæritur an ejusmodi affectiones voluntatis sint in Deo, abstrahendo ab immutatione corporali, distinctione reali, limitatione &c. Solent autem communius (quidquid sit de veritate) assignari undecim passiones à *D. Th.*1.2.*q.*23.*a.*4. Nempe amor, odium, desiderium, fuga, delectatio seu gaudium, tristitia, spes, desperatio, timor, audacia & ira. Quæ quidem sunt in nobis impulsus animi distincti ab operationibus, easque consequuntur, prout *Scotus* de passionibus arbitratur: at secundùm *D. Thomam*, & plerosq; alios, sunt ipsæ quoque quædam animi nostri operationes. De quo quantùm ad Deum ipsi quoque *Scotistæ* non dubitant, juxta quos proinde, delectatio v.g. est in Deo pura operatio, amor videlicet boni præsentis; ut videre est apud *Smising Tr.*3.*d.*5.*q.*2.*n.*59.

Quot sint passiones animi.

An ab operatione distinguantur.

48. *Datur in Deo amor.* Itaque primò certum est apud omnes, in Deo formaliter esse amorem: qui non est aliud quàm propensio elicita voluntatis in bonum alicujus: in hoc enim præcisè considerato, & seclusis creati amoris imperfectionibus, nil reperitur Deo repugnans. Quare 1.*Joan.*4. dicitur. *Deus charitas est.* Unde fide & ratione constat ipsum infinitè diligere seu amare seipsum. Et *Joan.*10. dicitur: *Pater diligit Filium.* Solùm Nonnulli disputant, an sit in Deo amor sui speciatim sumptus, qui scilicet abstrahat à præsentia & absentia objecti. Sic enim referuntur docere *Vasquez, Suarez*, & alii apud *Felix c.*2. *diffic.* 2. Verùm sicut constat, in Deo non dari scientiam sui abstrahentem à præsentia & existentia, sic nec admittendus est amor sui, nisi existentis & præsentis: qui proinde sit simul fruitio sui. Quare idem amor est delectatio seu gaudium, quod est quędam vitalis quies in bono præsenti & possesso. *Non tamen sui speciatim sumptus.*

Quantùm ad creaturas possibiles, patet ex dictis *q.*3. Deum illas amare amore simplicis complacentiæ. Creaturas verò actuales præterea amat efficaciter, juxta illud *Sap.*11. *Diligis omnia quæ sunt.* Immo ex hoc amore nascitur omnis boni à Deo communicatio. Creaturas quidem irrationales amat propter rationales, seu propter hominem; latè loquendo amore concupiscentiæ, quatenus scilicet ille dicitur quiscumque, qui non est amor amicitiæ. Creaturas autem rationales maximè amat, juxta Scripturam plurimis locis: his enim cupit communicare semetipsum, seu suam divinitatem per visionem & fruitionem. Et quidem illas amat amore benevolentiæ, præsertim justos, erga quos habet amicitiam. De quo *Joan.* 10. *Jam non dicam vos servos, sed amicos.* Et *c.*16. *Ipse Pater amat vos.* Et alibi. *Amor Dei erga creaturas.*

49. *Datur in Deo odium abominationis.* Secundò, odium propriè est in Deo, juxta illud *Sap.* 14. *Odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Ratio est: quia odium nil est aliud quàm dissonantia appetitus ab eo, quod nocivum & repugnans est sive apparet; prout se habet impietas, adeòque impius quà talis. Ita *D. Th. q.*20. *a.*2.*ad* 4. *Suarez, Vasquez, Smising d.*5.*n.*52. Quare non est necesse Scripturam

exponere metaphoricè, quasi Deus dicatur odisse, quatenus in effectu ita se gerit, ac nos solemus, cùm quidpiam odio habemus, impugnando & destruendo illud; ut volebat idem *D.Th.1. contra gentes c. 99.* & quidam alii: nisi fiat vis in æquivocatione inutili vocis *odium*. Odio siquidem habemus, non tantùm personas, quibus malum volumus, sed etiam ipsa accidentia, v. g. infirmitatem corporalem. Neque est contra charitatem velle alteri malum quatenus illius malum est, tamquam peccatoris, qui illud justè meretur (prout vult Deus peccatori, etsi ex amore justitiæ) sed quatenus malum illius est ut hominis, & qui tale malum non meretur. An autem in Deo sit, non solùm odium abominationis (quod ratio evidenter ostendit) sed etiam inimicitiæ erga peccatorem, quæstio est de nomine, controversa inter *Vasquez* & *Suarez*; juxta *Smising sup.* qui sententiam negantem *Suarez* præfert ex humana loquendi consuetudine: non enim dicimus judicem esse inimicum rei, quem punit; alioquin etiam parentem diceremus inimicum filii, quem castigat. Alicubi tamen Scriptura de Deo sic loquitur, ut vocet inimicum malorum, ut *Exo.23. Inimicus ero inimicis tuis.*

An etiam inimicitia.

50. Tertiò, desiderium, seu inclinatio in bonum absens, & fuga, seu declinatio mali absentis, propriè reperiuntur in Deo: desiderat enim salutem & bona nobis absentia ac futura, item suam gloriam & honorem extrinsecum: fugit seu declinat mala nostra absentia, & sui honoris læsionem. Nil tamen desiderat boni intrinseci quasi absens, aut malum (cujus non est capax) fugit. Unde *Aug. 1. Confess. 4. Quæris, cùm nihil desit tibi.* Desiderium autem largè sumptum pro affectu boni non parientis fastidium etiam habet locum in bono præsenti, juxta illud *1. Pet.1. In quem desiderant Angeli prospicere.* Quod quidem desiderium est ipsa delectatio boni infiniti præsentis, satians appetitum, sic ut illius perseverantiam jugiter beati appetant, sine fastidio, juxta illud *Eccli.24. Qui edunt me, adhuc esurient* &c.

Datur etiam desiderium & fuga.

51. Quartò, delectatio seu gaudium indubiè est in Deo: gaudet enim infinitè de suis infinitis perfectionibus, uti illarum possessione est infinitè felix & beatus, cui proinde materia gaudii deesse nequit. Gaudet etiam de bonis operibus nostris, seu potiùs suis, juxta illud *Psal. 103. Lætabitur Dominus in operibus suis.* Et Hieron. ait: *Lætitia est Domini, quādo nos creatura ipsius benedicimus eum in die resurrectionis.* Sic non notato loco citat *Granadus Tr.6.d.3. de divino gaudio.*

Et delectatio.

Quintò, non minùs certum est tristitiam non esse in Deo; utpote imperfectam, & cum summa Dei felicitate repugnantem. Quare ne quidem in beatis est ulla tristitia aut inquietudo; utpote vexans & malè afficiens voluntatem. Deinde tristitia est aversio à malo præsente & ad ipsum, qui tristatur, spectante: nullum autem potest Deus pati malum seu defectum, quin bonum extrinsecum, quo privatur, eminentiori & altiori modo in se habeat; sic ut creatura rationalis potiùs patiatur defectum, quæ deberet loco peccatorum habere actus honorandi Deum, qui sunt propria creaturæ perfectio, cùm Deus bonorum nostrorum non egeat.

Non tristitia.

Sextò, non est in Deo timor & audacia, neque spes aut desperatio ob manifestam imperfectionem. Nam timor & audacia sunt aversiones à malo imminente difficili (timor etiam potest respicere malum, quod nullatenus avertere potest, qui timet) junctâ ignorantiâ vel dubitatione, an illud malum eventurum sit. Spes similiter juncta est, tum incertitudini, tum difficultati cōsequendi bonum speratum: desperatio juncta [illegible] difficultati, aut subinde etiam impossibilitati vitandi malum, aut consequendi bonum, de cujus evitatione aut consecutione desperatur. Utraque insuper connotat subjectionem, & dependentiam sperantis vel desperantis ab alio ut superiore, à quo bonum est conferendum vel malum inferendum. 52.

Nec timor, audacia, vel spes.

Septimò denique, cùm irasci frequentissimè dicatur Deus, & ira ei tribuatur in Scriptura *ad Rom.1.* & alibi, dissensio est an verè & formaliter ira in ipso sit, ut vult *Lactantius l. de ira Dei c. 5. D.Th. 1.2.q.47.a.1. ad 1.* & alii. Et favet *Scotus 3.d.26.& d.34.* An solùm transumptivè sive tropicè vel metaphoricè, ut vult *Magister d.45. D. Bonav. ibid. in expos. textûs dub.10. D.Th.1.p.q.20.a.1. ad 2.* & alii. Et consonant Patres, passim negantes, iram esse in Deo; apud *Vasquez d.84. c.4.* Verùm dissensio videtur de solo nomine, ut rectè *Suarez*, *Smising sup.n.58.* & alii. Nam si ira connotet animi perturbationem, prout connotat prima nominis impositio, & sumunt illud Patres, & Auctores posterioris sententiæ, constat in Deo non esse iram, sed tantùm signa iræ, quæ scilicet significant in nobis iram, dum nobis illa insunt. Unde perturbatio, fervor iracundiæ, aut furor metaphoricè à Scriptura Deo tribuitur; ut *Psal.105. Iratus est furore Dominus in populum suum. Psal.6. Domine ne in furore tuo arguas me. Psal. 77. Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens* 53.

An ira propriè.

Quid ira.

potens crapulatus à vino.Job.14.Donec pertranseat furor tuus. Hinc *Aug.1.Confess.4. Irasceris, & tranquillus es.* Similiter si ira cum *Philosopho 3. de anima c.1.* describatur: *Appetitio doloris vicissim adversario inferendi*; constat illam non esse in Deo formaliter: cum in eo non sit dolor ullus.

Denique, si cum *Lactantio suprà* definiatur ira appetitus vindictæ, seu inferendi alteri malum ratione delicti ab eo commissi; vel cum *Scoto sup.* ex *Philosopho 2. Reth.4. Appetitus vindictæ secundùm rationem apparentem propter apparentem parvipensionem*; qui quidem actus juxta *Scotum d.34.cit.est sine tristitia, immo est cum magna delectatione propriâ, secundùm Aristotelem 2.Reth. Ira viri quasi mel.* sic (inquam) sumendo iram, prout propriè sumi potest, rectè dicitur ipsam formaliter esse in Deo, sicque propriè sumi posse Scripturas, quæ simpliciter iram Deo adscribunt. Unde *Aug. l. 2. ad Simplicianum q.2.circa med. De ira hominis* (ait) *detraho turbulentum motum, ut remaneat vindictæ vigor, atque ita utrumque assurgo in notitiâ illius, quæ appellatur ira Dei.* Hoc sensu judices tranquillâ mente vindictam reis infligentes, rectè dicuntur irati; etsi non juxta primam nominis impositionem. Sicut itaque desiderium, quantumvis ex prima nominis impositione videatur significare appetitum boni absentis, quo quis indiget; formalem tamen rationem spectando, rectè etiam juxta *Vasquez sup.c.1.n.1.* dicitur esse in Deo: sic videtur pariformiter loquendum de ira.

QUÆSTIO VII.

De Virtutibus divinæ Voluntatis.

54. *In Voluntate Dei dantur virtutes.* INDUBITATUM est in voluntate Dei reperiri varias virtutes, quæ scilicet in suo præcisoconceptu non involvunt imperfectionem. Quas proinde Scriptura passim Deo adscribit, videlicet misericordiam, fidelitatem &c. Ratio est: quia Deus ex essentiali rectitudine suæ voluntatis omnia decernit secundùm dictamen rectæ rationis: hæc ipsa autem volitio est virtus in actu secundo, principium verò istius volitionis est virtus in actu primo. Quare Deus dicitur *Sanctus in omnibus operibus suis Psal.144.* Immo est essentialiter sanctus, quatenus est idem cum sua voluntate, & amore, qui est formaliter ipsa sanctitas. Est enim purissimus & rectissimus, tum quatenus infinitè perfecto modo tendit in seipsum, tum quatenus quidquid extra se amat, bonum est, & bene amat, scilicet propter se. Immo est causa efficiens omnis sanctitatis nostræ; item exemplar & mensura ejusdem, ac denique finis, in quem omnis creaturæ sanctitas dirigitur, ut scilicet creatura illi, tamquam fini, per amorem & laudem jugiter inhæreat.

Quid sint in actu primo. Principium porrò virtuosæ volitionis in Deo non est aliquis habitus, qui divinæ perfectioni repugnat; sed est ipsissima voluntas infinita Dei, quatenus seipsâ est expedita ad volitionem virtuosam. Unde in actu primo ne quidem formaliter distinguitur ab ipsa voluntate Dei, neque una virtus ab altera, v.g. misericordia à justitia: quia superfluè distinguerentur in divina voluntate tot formalitates; cùm unica, simplicissima & infinita Dei voluntas seipsâ sufficiat. Similiter virtutes divinæ in actu secundo sunt unicus & simplicissimus actus divinæ volitionis, qui prout terminatur ad sublevandam nostram miseriam, dicitur misericordia seu miseratio; prout terminatur ad beneficia distribuenda, liberalitas &c: sic ut sit tantùm distinctio penes connotata extrinseca, vel terminationem ad diversa objecta. Vide dicta *d. præc. q. ult.* De virtutibus intellectus divini. *Quid in actu secundo.*

Ex virtutibus autem Theologicis reperitur in Deo charitas, adeò ut *1. Joan. 4.* dicatur: *Deus charitas est.* Immo sola reperitur, ut de fide Theologica constat ex dictis *d. præc. q. ult.* de spe ex dictis *quæst. præc.* Quinimmo si rigorem Philosophicum ad amussim sequamur, nulla virtus præter charitatem formaliter in Deo reperietur, sed tantùm per eminentiam: Deus enim omnia ob suam infinitam bonitatem diligit, & in semetipsum omnia refert: *Philosophus* autem requirit ad virtutem moralem, ut bonum honestum ametur præcisè propter honestatem talis vel talis virtutis, v. g. castitatis &c. 55. *In Deo reperitur charitas. Et in rigore sola.*

E contrà latè loquendo, nulla omnino virtus est à Deo excludenda, videlicet non exigendo, ut proprium objectum vel officium virtutis locum habeat in Deo. Sic enim erit etiam in Deo temperantia, fortitudo, pœnitentia, & quævis aliæ virtutes: quia etsi in Deo non sint passiones moderandæ per temperantiam aut fortitudinem, nec peccata retractanda per pœnitentiam &c. Deus tamen vult nos temperatè & fortiter vivere, nec circa terribilia aut delectabilia excedere aut deficere, similiter nos de peccatis nostris dolere &c. adeòque honestatem quarumlibet virtutum desiderat in nobis: *Latè loquendo omnes virtutes in Deo reperiuntur.*

talis

talis autem honesta & virtuosa est voluntas; utique virtuositate eadem, aut certè affini valde ipsi temperantiæ, fortitudini, pœnitentiæ &c. *Ita Scotus 3. d. 33. n. 16.* addens, *per mihi & tibi non variari rationem formalem habitûs. & 4. d. 14. q. 2. n. 19.* ex eodem principio probabiliter admittit, in beatis Angelis & homine pro statu innocentiæ virtutem pœnitentiæ; utpote quæ per se tantùm inclinat in vindicandam culpam, sic ut per accidens se videatur habere, quòd culpa sit proprii vel alieni subjecti.

56. *Propriè tamen aliqua in Deo non reperiuntur.* Verùm mediâ viâ incedendo juxta vulgarem & satis proprium loquendi modum (quem Scriptura omnino indicat) aliquæ virtutes morales sunt quidem à Deo excludendæ, quarum scilicet proprium officium seu objectum Deo repugnat; aliæ adscribendæ, quarum proprium objectum in Deo locum habet: quantùvis in iis Deus ultimatè non sistat.

Communiter namque dicitur quis virtuosus à virtute, in cujus materia se exercet, etsi eam in altius & perfectius motivum referat. Sic martyr dicitur fortis, etsi martyrium sive actum fortitudinis ex charitate subeat seu exerceat. Item dicitur quis castus, etsi ob altius motivum castitatem servet. Immo desiderandum, ut in solo Deo quiescentes, seu eo fruentes, materiam virtutum moralium semper referamus in finem charitatis. Hoc itaque modo non est in Deo temperantia aut fortitudo, quia non sunt in eo passiones, quas virtutes illæ moderantur. Similiter non est in illo religio, quæ respicit alterum tamquam primum & supremum Dominum; non est pietas, quæ respicit alterum tamquam secundarium vitæ suæ principium: non observantia, quæ respicit alterum se eminentiorem: non gratitudo, quæ debetur alteri, à quo beneficium acceperit &c. *Aliqua reperiuntur.* Reperitur tamen in ipso veracitas in dictis, fidelitas in promissis. Quæ juxta *Smising d. 4. q. 6. n. 111.* sunt eadem virtus: saltem sunt valdè affines in Deo, in quo omnis assertio est jurata, similiter omnis promissio; utpote quæ fit semper à Deo sub infallibilitate suæ veracitatis, quæ est veritas prima. Reperitur etiam in Deo misericordia, quoad sublevandam nostram miseriam, citra tamen dolorosam compassionem, quæ in nobis resultat, & ad formalem rationem misericordiæ non requiritur. Idem est de magnificentia & liberalitate in operibus & beneficiis, tum corporalibus, tum spiritualibus. Nec obstat quòd *Philosophus 4. Eth. 1. & D. Th. 2. 2. q. 117. a. 2 & q. 134. a. 3.* liberalitatem & magnificentiam circa pecuniæ largitionem versari dixerint: nam solùm eam descripserunt per objectum sensibilius & in nobis frequentius. Unde immeritò *Vasquez d. 86. c. 7. n. 46.* Ob hæc eam à Deo exclusit, contra ipsum *D. Th. 1. p. q. 21. a. 1. ad 1.* Et *1. contra Gentes c. 93.* Excludenda æquidem est à Deo imperfectio, quæ in nobis est, sed liberalitati extrinseca, quòd scilicet liberales simus in largiendis iis, quibus ipsi utimur ad necessitatem aut utilitatem, adeòque privemus nos aliquo bono necessario vel utili, cùm aliis damus. Ratio generalis est: quia hæ & similes virtutes à Scriptura Deo adscribuntur, possuntque præscindere ab omni imperfectione.

Hoc modo reperitur etiam in Deo amor benevolentiæ, sive amicitia erga justos. Quod Scriptura frequenter insinuat, *Psal. 138. Sap. 7. Joan. 10.* Ratio est: quia Deus justos diligit tamquam amicos, communicando eis sua bona, & volendo ut eis benè sit. Deficit tamen hic æqualitas, quæ inter amicos ordinariè subest, aut oritur: ideoque non est amicitia æqualitatis, sed excellentiæ: qualem admittit *Philosophus*, inter principem & subditum, Deum & hominem, ut patet apud *Smising d. 4. q. 6. n. 89.* Prætereà amicitia Dei erga justos non sistit in eisdem, sed illos omniaque bona eis volita refert Deus ad se, tamquam ultimum finem & motivum, prout rerum natura, & rectitudo amicitiæ postulat. Neque hoc obest sinceræ Dei erga nos benevolentiæ (etsi fortè obesset benevolentiæ omninò strictè acceptæ, ut contendit *Smising sup. n. 90.* quæ consequenter ex hac parte involveret imperfectionem) si quidè Deus id non facit ex amore concupiscentiæ proprio, quo caret, quasi inde expectet aliquam utilitatem seu commodum vel sui perfectionem, quâ indigeat, aut quâ sibi meliùs sit; sed quia ipse est ultimus finis, ad quem ex felicissima necessitate ac essentiali voluntatis rectitudine debet omnia referre. Unde etsi per impossibile esset alius ultimus finis in quem omnia referenda, Deus non ad se, sed ad istum alium ultimum finem referret omnia, stante essentiali rectitudine suæ voluntatis; quod signum est ipsum non spectare suum commodum. Vide *Less. l. 9. de perfect. divin. c. 4. n. 21.* 57. *Reperitur in eo amicitia erga justos.*

Solùm restat specialis difficultas, an ex proprio objecto repugnet Deo virtus justitiæ. Pro cujus resolutione

Dico I. Non datur in Deo justitia commutativa. Ita *Alensis q. 39. m. 1. D. Th. q. 21. a. 1. & 1. contra Gentes c. 93. D. Bonav. 4. d. 46. a. 2. q. 1. ad 2. Scotus eadem d. q. 1. n. 4. & 11.* & omnes penè Antiqui (ut ostendit *Smising d. 4. q. 5. n. 45. & seqq.*) ac ex Recentioribus *Soto, Cajet. Valentia, Vasq.* 58. *Non justitia commutativa.*

Vasq. Molina, Lessius, & plurimi alii contra *Suarez, in opusculo de justitia Dei, sect. 1. 2. & 3.* & alibi, & alios Recentiores.

Justitia ex objecto suo postulat strictum jus. Probatur: quia justitia commutativa ex objecto suo postulat jus, sive debitum strictè dictum, ut apud omnes constat, & colligitur ex definitione tradita ab *Ulpiano L. Justitia ff. de justitia & jure*: in Deo autem non habet locum strictè dictum debitū. Quod insinuant patres: *Augustinus 1. Confess. c. 4. Reddis debita nulli debens.* & alibi. *Anselmus Proslogii c. 10. justus es, non quia reddis debitum, sed quia facis quod decet te summè bonum.* Plura testimonia vide apud *Smising sup. n. 56.*

Nec obstat quòd Scriptura sæpiùs justitiam Deo tribuat, quod etiam faciunt Patres; nam loquuntur de justitia paulò latiùs sumptâ: prout vulgò & satis propriè justitia dicitur, cùm operi congrua merces integrè redditur, sive is qui reddit sit obstrictus nexu justitiæ strictè dictæ, sive solius fidelitatis: non enim in usu istius nominis vulgò tam spectatur vis obligationis, quàm æqualitas & congruentia rerum, quam justitia solet efficere: Sic Deus dicitur *justus Judex 2. ad Timoth. 4.* quia mercedem statutam integrè solvit, tam in bonis, quàm in malis. Unde *Trid. ss. 6. c. ult.* dicit, *vitam æternam tamquam mercedem ex Dei promissione bonis operibus fideliter* (nota, quòd non dicat, ex stricto jure) *reddendam.*

Probatur insuper conclusio: quia potest quidem Deus vi suæ promissionis, adeòque ex fidelitate aliquid debere creaturæ, in qua tamen inde non resultat jus, sed totum illud debitum fundatur in intrinseca Dei perfectione seu naturâ, ob quam nequit mentiri aut non servare promissum: si autem aliquid deberet creaturæ stricto jure, haberet ipsa moralem potestatem illud exigendi, & quasi *Quod repugnat summo Dei dominio.* actionem juridicam contra Deum. Hoc verò repugnat supremo juri ac dominio Dei in omnes creaturas, & in omne illarum jus, essentialiter inabdicabili, immo nec in parte diminuibili: si enim haberet creatura strictum jus contra Deum ad aliquam rem, non subesset illa pleno dominio & juri Dei; utpote de qua non posset pro libitu suo disponere citra injuriam creaturæ.

59. *Cùm illud ipsum creaturæ jus accrescerit* Confirmatur: quia creatura essentialiter est res seu peculium Dei ratione essentialis dependentiæ à Deo; adeòque quidquid juris acquirit, accrescit ipsi Deo: qui proinde de illo ipso jure creaturæ, tamquam suo, potest pro libitu disponere: adeòque implicat creaturam habere strictum jus contra Deum.

Nec dici potest, quòd creatura habere possit aliquod privatum jus respectu Dei, retinentis super eamdem rem jus quoddam universale (uti cives in bona sua habent jus privatum, quod bassum vocant, & respublica jus quoddam universale, quod altum dicunt) hoc autem jus privatum possit Deus à se alienare, scilicet per promissionem sub conditione operis à nobis præstandi. Non, inquam, *Etiam privatum.* hoc dici potest: quia jus Dei, qualitercumque vocetur, est absolutissimum & illimitatum respectu cujuscumque: adeòque etsi creatura possit habere jus ad aliquam rem, facto respectu ad alias creaturas, non tamen respectu Dei: hic enim ratione juris universalis posset de illa disponere ad libitum, & ratione juris privati creaturæ non posset. Neque respublica & cives privati aliter habent jus super eamdem rem, nisi quòd respublica possit ex ea censum exigere, eâque uti pro exigentia boni communis; civis autem possit aliàs semper eâ uti ad libitum: quod non est duos habere jus in solidum super eamdem rem, sic ut quilibet vel etiam alteruter possit de ea pro libitu disponere; sed est unum habere jus ad aliquam partem rei, & alterum ad aliam, vel unum posse disponere in certa solùm circumstantia, scilicet necessitate boni communis, alium semper extra talem circumstantiam.

Dico II. Non datur in Deo justitia 60.
Justitia distributiva qualiter in Deo non reperiatur. distributiva quatenus respicit strictum debitum distribuendi bona communia juxta æqualitatem geometricam, seu proportionatè ad merita & qualitates personarum; secùs, si strictum debitum secludatur. Prima pars patet: quia non apparet unde tale debitum orietur. Deinde strictum Dei erga creaturas debitum *præc. concl.* refutatum est.

Secunda pars (quæ est *D. Thomæ, Scoti,* & plurium aliorum apud *Prap. q. 21. a. 1. dub. 2.*) *Qualiter reperiatur.* Probatur: quia Deus servat proportionem istam in distributione præmii cælestis, sic ut talis sit inter beatorum præmia proportio, qualis est inter merita. Immo similem quamdam proportionem etiam servat circa creaturas irrationales, quibus distribuit bona juxta exigentiam suarum naturarum, v. g. equo præstantiora quàm plantæ, plantæ quàm lapidi, &c.

Hæc justitia non est specialis virtus. Nihilominus justitia hæc non videtur esse virtus specialis: nam eadem virtus, quæ inclinat ad distribuenda bona, inclinat etiam ad distribuendum illa cum prædicta proportione. Unde si bona distribuantur tamquam debita ex justitia commutativa, ex eadem virtute servanda est præfata proportio. Quare sicut Deus ex fidelitate præmia cælestia retribuit

tribuit, sic etiam ex fidelitate inter alia servat formam justitiæ distributivæ. Prout ex eadem virtute, quâ intentat pœnas pro peccatis, servat quoque talem inter pœnas proportionem, qualis est inter peccata. Idemque est in aliis virtutibus.

61. *Datur in Deo justitia vindicativa.* Dico III. Datur in Deo justiria vindicativa. Ita *Scotus 4.d.* 14. *q.2.n.16.* ℣. *Aliter dici potest. Prap. sup. dub.* 4. & alii. Ratio est: quia Deus punit peccata, & per pœnam ordinat culpam: quod est proprium objectum justitiæ vindicativæ. Confirmatur: quia sicut per se honestum est, & imperfectione caret, bene operantes præmiare; sic etiam malefactores proportionatè ad culpam punire, sicque culpam per pœnam ordinare: ergo honestas ista, quæ justitiæ vindicativæ, est Deo tribuenda. *Secluso puniendi debito.* Nihilominus excludendum est à Deo debitum puniendi: nec illud justitia vindicativa præcisè involvit; quæ idcirco tantùm reponi solet inter partes potentiales, seu virtutes affines justitiæ. Quamquam debitum puniendi sæpè comitetur in judice creato, sive ex tacito pacto vel ex obedientia, quam debet legibus punitionem præcipientibus, sive ex alia simili virtute.

62. *Non justitia legalis.* Dico IV. In Deo non datur justiria legalis. Declaratur: quia vel sumitur cum *Aristotele* 5.*Eth.* 1. *&* 2. pro aggregato omnium virtutum, per quas aliquis obedit legibus; Deus autem non habet leges quibus obediat. Vel sumitur cum *D.Th.*2.2.*q.*56.*a.*6. & plerisque Theologis, pro speciali virtute, quâ pars communitatis inclinatur ad procurandum bonum communitatis tamquam totius, idque ex stricto debito: talis autem obligatio etiam involvit imperfectionem, non solùm in subditis, sed etiam in principe. Fundatur enim in dependentia partium à toto: unde quilibet tenetur ad bonum commune, velut majus, relinquere proprium: quod in Deo, qui est omnium finis, nec à corpore universi quidquam commodi vel perfectionis participat, locum habere non potest; sed è contrà bonum Dei, velut infinitè excellentius, est ceteris omnibus infinitè præferendum. Plura de tota hac quæstione vide apud *Smising d.*4. ferè per totam.

DISPUTATIO VIII.

De Providentia divina, ejusque præcipuis partibus, Prædestinatione & Reprobatione.

QUÆSTIO I.

An in Deo sit Providentia omnium rerum?

NOTA I. Providentiam divinam esse dispositionem æternam, quâ habet Deus de omnibus rebus creatis ad certos fines Deo perspectos dirigendis, eo modo quo ipsæ illos fines in tempore consequuntur. Cui consonat descriptio *Damasceni l.2.de fide c.29. Est rerum* (inquit) *procuratio, quâ Deus fungitur.* Et infrà: *Est voluntas Dei, per quam res omnes aptè congruèque gubernantur.* Quare ipsa gubernatio, operumque, seu rerum dispositarum effectio, aut in fines suos temporalis directio, etsi quoque nomen providentiæ sortiri posset, communiùs tamen & magìs propriè censetur executio & effectus divinæ providentiæ, quæ æterna est. Cui quoque conformis est nominis etymologia, quâ providere idem sonat, quod ante operis positionem (adeòque ab æterno, quantùm ad Deum) videre & disponere, in quem scilicet finem tendat seu dirigendum sit. 1. *Quid providentia Dei.*

Nota II. Providentiam (ut satis ex dictis patet) includere aut requirere, tum actum intellectûs, tum voluntatis. Et quidem *D. Th.* cum suis (quibus accedunt *Bellarm. Ruiz. Wiggers* & alii) censet principaliter & in recto importare actum intellectûs, in obliquo actum voluntatis. E contrà *Scotus d.*44. loquens de lege, *& d.*46.§.*Ad primum,* loquens de providentia, cum *Scotistis*, & *Aureolus, Greg. Gabr. Suar. Vasq.* & alii apud *Felix de providentia c.*1. *diffic.*3. censent principaliter & in recto significare actum voluntatis, in obliquo autem connotare, seu præsuppositivè requirere actum intellectûs. Uterque modus dicendi satìs est probabilis, sed secundus magìs, juxta *D.Bonav.d.*40. *a.*1.*q.*2. loquentem de prædestinatione, quæ est pars providentiæ. Et meritò: quia Apostolus variis locis indicat, prædestinationem esse decretum divinæ voluntatis; dum illam vocat electionem, propositum, &c. Quod etiam faciunt Patres, præsertim *Augustinus.* Describit quidem *Augustinus l. de bono persev. c.*14. prædestinationem per præscientiam; sed tamquam per quid con- 2. *Importat principaliter actum voluntatis.*

concomitans, seu consequens prædestinationem: agit enim de præscientia absoluta beneficiorum gratiæ futurorum (ut dicetur q. 3.) quæ utique providentiam perfectam consequitur. Accedit Auctoritas *Damasceni sup.* qui insuper adjungit ibid. de providentia: *Nihil* (inquit) *est aliud, quàm ipsa voluntas.* Ratio est: quia providentia secundùm omnes est efficax directio rerum in suos fines; actus autem voluntatis, & non actus intellectûs, est efficax. Neque hîc ponderanda est etymologia, aut etiam prima fortè impositio nominis, juxta quam videntur coincidere prudentia, prævidentia (quæ significant actum intellectûs) & providentia: sed attendendus potiùs est usus, quo providentia curam, seu procurationem alicujus rei significat. Unde & illum, qui rei alicujus in alterum conferendæ curam habet, provisorem appellamus: cura autem est actus voluntatis. Alioquin eadem etymologia pari jure urgeri posset in invidia seu invidentia, quæ tamen juxta omnes significat actum voluntatis. Confirmatur: quia non diceretur habere curam filiorum, ipsve providere, qui optimos fines optimaque media noscens, ea filiis non conferret: qui autem ea filiis præstaret, optimè diceretur illis in ordine ad istos fines providisse, etsi per impossibile id esset absque scientia. Quare scientia tantùm requiritur velut conditio, sicut ad actus virtutum moralium.

Non obstat etymologia nominis.

3. *Judicium illi prævium.*

Nota III. Judicium prævium providentiæ divinæ consistere in hoc, quòd intellectus ostendat media, eorumque proportionem, seu convenientiam ad fines intentos. Ultra quod Nonnulli postulant judicium aliud practicum, quod dictet ipsam electionem talis vel talis medii esse convenientem, seu medium hoc vel illud esse convenienter eligendum. Verùm eô ipsô, quô Deus comprehendit convenire finem, convenire quoque medium, comprehendit pariter convenire electionem medii. Deinde intellectus non dictat voluntati divinæ electionem faciendam, aut medium esse eligendum, sed posse eligi: si quidem voluntas divina est suprema & prima sui regula ac mensura, cui omnia possibilia sunt, nil faciendum, nisi quod priùs ipsa elegerit. Multò minùs admittenda est alia operatio intellectûs prævia electioni, quæ sit impulsus quidam per modum imperii, quasi dicat intellectus voluntati: *fac hoc.* Quod appellant imperium monasticum, quasi solius ad seipsum, distinctum ab œconomico, ut vocant, quô aliis imperamus. Hoc namque imperium superfluum est. Immo est fictitium: cùm imperare sit voluntatis, non intellectûs; cui tantùm convenit apprehendere, judicare, discurrere. Ita omnes *Scotistæ*, & alii communiter contra *Granadum Tract. 5. d. 3. sect. 1. & seq.* cujus sententiæ *Scotum*, non citato loco, involvit *Derkennis disp. 12. n. 5.* quod mirum sanè vel ridiculum: nisi *Sotum* loco *Scoti* fortè posuerit Typographus: cujus equidem menda calamo correcta idem Auctor in fine operis testatur. His notatis

Ultra quod non datur judicium practicum.

Vel imperium.

4. *Dei providentia.*

DICO I. Deus habet providentiam immediatam omnium rerum. Est de fide contra nonnullos antiquos Philosophos, qui admisso Numine, providentiam negarunt, ut *Diagoras*, *Theodorus*, *Leucippus*, *Democritus*, *Epicurus* teste *Lactantio lib. 5. de ira Dei c. 10.* Item *Lucretius lib. 6. de natura rerum.* Eamdem negavit *Cicero* circa actiones liberas hominum. Et juxta multos graves Auctores, illam quòque negavit *Aristoteles*; qui tamen ab aliis excusatur, & ad summum providentiam immediatam omnium potuit negasse Deo, quasi solùm providenti motui primi mobilis, à quo moveantur cetera immediatè, aut mediatibus aliis causis subordinatis; ut advertit *Smising d. 6. n. 4.* Eamdem denique velut ridiculam exsibilat *Plinius lib. 2. c. 7.* relinquens in dubio, an sit Numen. Quod tamen hoc ipso è medio sustulit: quia (ut de *Epicuro* rectè *Lactantius sup. c. 9.*) *cùm providentiam sustulit, Deum negavit.* Adeò error hic est atheismo proximus. Rem namque paulò attentiùs inspicienti mox patebit maxima providentiæ cum divinitate conjunctio: perinde enim est ad ordinem creaturarum, sive Deus non sit, sive sit, sed providentiâ carens, neque rebus se nostris immiscens. Miser foret Deus, cui ignota forent illa etiam, quæ nobis sunt perspicua: aut cui mens adeò angusta, ut ad omnia, quæ in mundo fiunt attendere nequeat. Unde vix hodie sunt, qui providentiam solam, plures qui Numen negent, quos Pseudopoliticos nominamus: inter quos non infimum locum tenuit *Nicolaus Machiavellus*, in suis impiis libris, italicè conscriptis.

5. *Tradita in Scriptura.*

Conclusio probatur ex Scriptura *Sap. 6. Æqualiter est illi cura de omnibus.* Et *cap. 8. Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Et *c. 14. Tua autem Pater providentia cuncta gubernat. Matth. 6.* & *Luca 12.* Ubi exprofesso docet Christus, Deum curare etiam minima. Et *Psal. 146.* dare jumentis escam & pullis corvorum. Et aliis locis.

A Patribus.

Eamdem veritatem docent Patres. Eleganter *Augustinus 5. de civit. c. 11.* & alibi frequenter; *Chrysostomus*, qui scripsit

libros tres & sermones sex de providentia,& alii passim. Nobis sufficiant verba *Damasceni* suprà. *Eundem* (inquit) *& rerum procreatorem, & administratorem esse oportet: neque enim convenit, neque consentaneum est, alterum esse rerum architectum, alterum, qui his consulat atque prospiciat: sic quippe uterque in imbecillitate versaretur, ille nimirum efficiendi, hic procurandi.*

6. *Et ratione ex creaturis desumptâ.* Denique idem conficit ratio ex creaturis desumpta, quæ sicut clamant supremum esse artificem, qui cuncta creavit, sic & præstantissimam esse mentem, quæ cunctis, etiam insensibilibus & irrationalibus præsit, ea in fines suos dirigendo; ut meritò *Lactantius lib.1. de falsa religione c.2.* dicat: *Nemo est tam rudis, tam feris moribus, quin oculos suos in cælum tollens, non aliquam esse intelligat* (providentiam) *ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantiâ, utilitate, pulchritudine, temperatione* &c. Huc etiam faciunt variæ rationes morales, quas ad probandam existentiam Dei allegavimus, & plures, quas adfert *Less. lib. de providentia Numinis c.2.* Confirmatur: quia nil fit in universo, quod non sit immediatè volitum à Deo (utpote causâ primâ & universali, per intellectum & voluntatem agente) vel saltem ex certa scientia permissum, & ad aliquem finem ordinatum: providentia autem nil est aliud, quàm volitio, seu directio rerum in suos fines.

Neque difficile vel absonum est Deo, sese immiscere quibuscúque rebus creatis, etiam minutissimis: nam ratione infinitatis suæ, necessariò intelligit omne intelligibile, vult & facit quidquid creatum aliquando existit, absque ulla difficultate vel distractione in rebus majoribus. Secùs est de angustiis nostris ingeniis: qualia Dii gentium finguntur habuisse. De cujusmodi Poëta: *Non vacat exiguis rebus adesse Jovem.* Itaque fundatur immediatè divina omnium providentia, partim in omniscientia, partim in infinita bonitate, quæ rebus cognitis finem suum præfigit, partim in summa omnium à Deo dependentia, sine cujus directione omnia creata essent instar horologii immobilis, nilque agerent.

Divina providentia fundamentum.

7. *Scriptura Deo eam non negat.* Objicitur I. *Job 22.* dicitur: *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat.* Et 1. *ad Cor.2. Nũquid de bobus cura est Deo?* Resp. priora verba falsò ab Eliphaz Jobo imponi, nec à Scriptura probari. Apostolus non negat providentiam de bobus, quam de passeribus, liliis, fœno, &c. Christus tam patenter asseruit: sed solùm removet ab iis specialiorem istam providentiam, quæ est de bestiis propter homines, de hominibus dein, quatenus eis providit de fine supernaturali, de legibus, gratiâ, aliisque mediis ad eumdem finem. Quare docet legem *Deut.25. Non alligabis os bovi triturantis*, cêsendam potiùs latam propter homines, seu prædicatores allegoricè significatos, quàm propter boves. Neque repugnat altera Scriptura *Sap. 6. Æqualiter est illi cura de omnibus.* Est enim æqualis ex parte actus divini, etsi inæqualis ex parte effectuum, & specialior circa homines. Deinde *æqualiter* idem potest significare, quod *pariter*: quia scilicet curat omnia pariter, nullo excepto.

Objicitur II. Si Deus omnia prospicit, & in fines suos dirigit: ergo nil erit fortuitum vel casuale, cùm hoc esse debeat præter intẽtionem. Resp. cum *D. Bonav. d.45. in Expos. textûs dub.8.* respectu causarum secundarum multa esse fortuita & casualia, nihil tamen respectu causæ primæ. Unde *Aug. lib.1. Retract. c.1.* dicit, sibi displicere quòd nominetur fortuna vel casus: eò quòd Christiani sic desuescant à recursu ad divinam providentiam, quam in omni eventu cogitare, seque ei conformare deberent. Contrarium tamen usu prævalet: quo aliud ex ipso usu non significatur, quàm dari fortunam & casum, facto respectu ad intentionem & prævisionem humanam, seu hominibus notam. Alioquin simpliciter falsa esset locutio, si nõ significaretur præfatus respectus: cùm fortuna aliàs importaret ipsam evenire præter intentionẽ omnis causæ. Sic enim inventio thesauri, præter intentionem fossoris accidens, non est simpliciter fortuna, si illam præsciverit & intenderit, qui fossorem adhibuit. Sed quia providentia, seu intentio Dei ante positionem effectûs, hominem quemlibet latet, nec, quantùm sensibiliter experimur, nos ostensivè quasi dirigit, simpliciter fit respectus ad intentionem causæ creatæ, & si præter intentionem illius accidat effectus, fortunam vocamus. 8. *Illa non tollit fortunam & casum.*

9. Objicitur III. Si Deus habeat providentiam omnium rerum, cur ergo via impiorum prosperatur, justi opprimuntur? cùm boni provisoris sit malos punire, bonis benefacere, eosque tueri: sicut ad eum, qui reipublicæ præest, spectat providere ne boni opprimantur, aut grassentur improbi.

Hæc objectio infirmis in fide & charitate Dei præbet sæpè occasionem desperationis, blasphemiæ &c. In quorum persona *Psal. 72.* dicitur: *Pene effusi sunt gressus mei: quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Similes ejusmodi animorum metus, describuntur *Jerem.12. & Habacuc 1.* Contra quos impetus firmant sese in justitia, qui attentiùs considerant, quæ *Psal. cit.* subjunguntur: *Ecce qui elongant se à te, peribunt*

ibunt &c. Et quod *Psal.36.* dicitur: *Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua &c. quoniam qui malignantur, exterminabuntur.* Unde sic confirmati dicunt: *Mihi adhærere Deo bonum est. Psal.72 cit.*

Itaque dico latere hîc etiam summam Dei providentiam, quàmvis infirmis & carnalibus non statim appareat. Et quamquam politia temporalis, habens pro fine pacem temporalem sive hujus vitæ, debeat scelera coërcere, rectè facta præmiari: Deus tamen habens altiores fines & justissimas rationes, permittit improbitates cum oppressionibus frequenter proborum. Primò, quia justos hîc punit, ut in futuro parcat: nullus enim est, quin subinde offendat, & mereatur hîc puniri. Secundò, ut eis exercitium patientiæ & meritorum augmentum, aliis autem imitandi incentivum præbeat. Tertiò, ut cor eorum à terrenis, & sæculi cupiditatibus abstractum, ad purum amorem cælestium transferat, simulque doceat terrena bona non æstimanda, utpote quæ etiam inimicis, quibus in futurum nil melius reservatur, præstet; neque afflictiones terrenas multùm curandas, utpote quas etiam amicis immittit, sed solum peccatum esse metuẽdum. Denique, quia justis conservat præmium incomparabiliter majus in futuro, etiam per similes tribulationes comparandum vel augendum.

Cur justi hic opprimantur.

E contrà malis prosperitatem sæpè donat, ut vel sic in iis etiam commendet suam bonitatem, atque ita eos à vitiis abstrahat, & ad virtutem alliciat. Secundò, quia etiam hi subinde aliqua bona exercent, quæ Deus in præsenti remunerat, quia æternis præmiis sunt cariturі. Denique subinde etiam ad justam eorum punitionem; ut contingit, dum affluentes diuitiis efferuntur, & in majora vitia prolabuntur. Neque tamen Deus ita semper generaliter agit: nam etiam justos aliquando instar Jacob beneficiis terrenis ultra spiritualia afficit, & malos pœnis & tribulationibus hujus vitæ insectatur, secundùm inscrutabilia suæ justitiæ ac misericordiæ judicia, ut ita sensibiliter quandoque ostendat, se rerum omnium curam gerere, & exacturum in futuro exactissimam rationem. Vide *Less. sup. c.3.*

Et via impiorum prosperetur.

Quod tamen non semper fit.

10\. Objicitur IV. Divina providentia est causa rerum infallibiliter efficax: igitur si illa fuerit ab æterno circa omnes res, etiam actiones humanas, omnia fient inevitabiliter, & nil à creatura liberè. Hujus argumenti difficultas semper torsit ingenia Doctorum virorum. Pro cujus solutione.

Nota I. Divinam providentiam dici causam efficacem rerum instar principii dispositivi, sic ut vi illius sit eventurum, quod per eam dispositum est, idque eo modo, quo dispositum est. Quo sensu etiam in nobis aliquod propositum dicitur efficax, ex quo scilicet natus est sequi effectus, etsi solùm velut ex principio applicante & imperante. De principio namque, seu causâ physicè efficaci, quæ in Deo sit principium executivum, sive productivum ad extrà, in quo consistat, dicetur *disp. ult.*

Qualiter divina providentia sit causa rerũ.

Nota II. Difficultatem potissimùm esse de providentia, quatenus importat voluntatem consequentem: hæc enim infallibiliter impletur. Voluntas namque merè antecedens quà talis, utpote non completè efficax respectu ultimati finis seu effectûs, potest eodem frustrari. Quamquam recto sensu verissimum sit, omnia quæ per quamcumque divinam providentiam disposita sunt, evenire eo modo, quo disposita sunt; absolutè quidem disposita, evenire absolutè, conditionatè disposita, evenire subsistente conditione. Quare vi hujus providentiæ conferuntur in primis media ex parte Dei; finis quoque conferretur, si conditio requisita ex parte creaturæ subsisteret. Semper denique obtinetur finis aliquis per divinam providentiam intentus, v. g. in reprobis, ad salutem antecedenter ordinatis, ostensio divinæ justitiæ &c. sicque universaliter verum manet, quòd Dei *providentia in sua dispositione non fallitur*, ut canit Ecclesia. His notatis, ad argumentum

Resp. Neg. Conseq. quia prouidentia divina, etsi sit æternitate prævia, est tamen causalitate & naturâ simul cum determinatione creati arbitrii. Quare est suppositio concomitans, non antecedens; ut autem noceret libertati, deberet sic antecedere, ut eatenus haberet vim necessariò determinativam creati arbitrii ad unam partem. Unde providentia infert quidem effectum infallibiliter, tamen contingenter futurum: infert etiam necessariò effectum, necessitate ex hypothesi & consequentiæ, non necessitate simpliciter & consequentis: sicut de præscientia dictum est. Etsi sit inter illam & providentiam hæc disparitas, quòd præscientia futurum liberum supponat, providentia futurum faciat. Equidem manet sufficiens paritas ad propositum. Immo sicut ex præscientia, sic ex providentia potiùs infertur contingentia: disposuit enim, seu providit Deus effectus tamquam liberè ponendos; ergo liberè ponentur, ne divina fallatur ordinatio. 11.

Est solùm condeterminativa.

Ratio porrò cur æternalis divinæ dispositionis antecessio non noceat libertati, est, quia ut noceret, deberet nocere in tempore, quando scilicet alioquin poneretur exercitium creatæ libertatis. Tunc autem non nocet: quia illud decretum nil ponit in arbitrio creato, quod illud physicè ad unum determinet: neque omnipotentia divina, vi illius decreti, in tempore priùs influit in opus arbitrii creati, sed omnino simul, seu concomitanter cum ipso creato arbitrio: unde sicut omnipotentia Dei cooperatur liberè, etsi simul operetur arbitrium creatum, & hoc supposito non possit non operari; sic quoque liberè cooperatur creatum arbitrium Deo. Quocirca oportet decretum istud divinum concipere, quasi illo ipso instanti actus liberi creaturæ primò poneretur; tunc autem facilè intelligetur libertas creaturæ. Sic itaque etiam nunc potest intelligi: nam antecessio ista æternitatis est impertinens ad causationem actûs, solumque est necessaria materialiter ex conditione divinæ naturæ, cujus omnes volitiones debent esse æternæ: causalitate enim sunt equidem simul, quatenus scilicet in actu secundo simul influit cum voluntate creata.

12. *Non prædeterminativa.* Instabis: non solùm decretum divinæ providentiæ est condeterminativum, sed etiam prædeterminativum voluntatis creatæ, adeòque etiam causalitate antecedens ipsam voluntatem creatam & determinationem illius; cujus proinde libertatem tollit. Admittunt *Thomistæ* istas prædeterminationes physicas, etiam quantùm ad materiale, seu actum physicum peccati: idque ex necessitate prævii concursus causæ primæ in omnes res, omnesque actiones illarum, etiam quatenus sunt ab ipsis causis creatis. Salvari equidem dicunt libertatem: quia prædeterminantur actiones cum suo modo, scilicet cum libertate: prædeterminantur enim actiones, ut fiant liberè. Sed hæc responsio patitur difficultatem: etsi enim ex hac parte adstrui videatur libertas, utpote infallibiliter prædeterminata; aliundè tamen non intelligitur posse remanere, utpote sublatâ indifferentiâ ad non agendum (cùm non actio sit impossibilis) positâ prædeterminatione; quæ tamen etiam in sensu composito statui debet simul cum indifferentia ad non agendum, cùm libertas postulet indifferentiam ad non agendum positis prærequisitis, quorum unum esset prædeterminatio. Deinde non satis salvatur divinæ voluntatis sanctitas: si enim ei repugnet suadere opus liberum peccati; quantò magis illud ipsum physicè determinare?

Ex quo capite etiam rejicitur responsio illorum, qui omnia opera, etiam peccata, quantùm ad suum materiale, dicunt à Deo prædefiniri. Quare secundùm Concilia, *Augustinum* & Doctores, dicendum est, peccata solùm à Deo permitti; quatenus scilicet Deus subtrahit justè gratiam efficacem, & decernit cooperari cum voluntate creata, ex cujus libero defectu nascitur peccatum. 13. *Materiale peccati Deus non prædefinit.*

Circa opera bona tamen admitti solet prædefinitio, quâ scilicet Deus, non tantùm velit cooperari nobis bene operantibus, sed etiam efficaciter velit, ut nos talia opera ponamus, & ex hac intentione subministret efficacia media, quibus opus prædefinitum in tempore infallibiliter fiat. Equidem non apparet ex natura rei necessitas ejusmodi prædefinitionum ad infallibilitatem divinæ providentiæ circa operationes bonas: ut patet ex dictis de operationibus malis, quæ etiã subsunt, etsi diversimodè, infallibili Dei providentiæ. Deinde sufficit ad hanc voluntas cooperandi cum creato arbitrio, & subministrandi eadem media sine prædefinitione, quæ nunc subministrantur à Deo ex certa prædefinitione. Quod clarius est admittendo scientiam mediam seu conditionalium: hæc enim abundè sufficeret. Consonum tamen est *Augustino, D. Bonav. D. Thomæ* & aliis Doctoribus, ejusmodi prædefinitiones admittere. Et nihilominus salvatur libertas: eò quòd juxta *Augustinum lib. de corrept. & grat. c.14. Deus magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas*, ideoque sciat se *de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cùm vult facere*, ut ait *Augustinus loco citato* (quibus similia etiam alibi docet) adeòque se posse infallibiliter eas prædefinire ad certas actiones, & tamen liberè, sicut ipsi homines inflectunt illas liberè. Ulterior ratio est: quia vi talium prædefinitionum nil ponitur in tempore in ipsis voluntatibus humanis, quod ipsas physicè ad unum determinet; sed spectatâ physicâ efficaciâ mediorum, quæ Deus ipsis subministrat, possent dissentire, seu non cooperari illis, si vellent, ut velle possent, sed tamen infallibiliter id numquam volent. Nec obstat *Damasc. lib. 2. de fide c.30.* ubi de Deo ait: *Præscit ea etiam, quæ in nostra potestate atque arbitrio sita sunt, at non item ea præfinit.* Resp. enim ipsum loqui de tali præfinitione, quæ imponat necessitatem; ut colligitur ex iis, quæ statim subdit: *Nec enim vitium admitti vult, nec rursum virtutem vim adfert.* 14. *Secus de opere bono dici solet.*

Dico II. Etsi omnia, etiam peccata, subjaceant divinæ providentiæ: peccata ta- 15. *Deus pecca-*

ta non dis-ponit. ta tamen non sunt ejusdem effectus, sed purus terminus seu objectum, adeòque etsi prævisa, non tamen provisa à Deo dici possunt: nam esse provisum sonat esse dispositum & intentum per divinam providentiam, adeòque effectum divinæ providentiæ. Conclusio est indubitata. Probatur: quia omnia præter peccatum Deus efficit, ac disponit in ordine ad certos fines: adeòque cadunt sub divinam providentiam, etiam tamquam effectus illius. Peccata verò non quidem disponuntur à Deo, ut fiant; sed permittuntur ex certa scientia & ratione, & permissa diriguntur in bonos fines; adeòque non fiunt etiam sine providentia Dei. Unde *Augustinus Enchirid. c.95. Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Et *cap.* 100. *Propterea namque magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam fit contra ejus voluntatem.* Immo qui quantùm in se est peccando à voluntate Dei, eo permittente, voluntariè recedit, in ordinem divinæ voluntatis invitus reincidit, dum per ejus justitiam punitur: *De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult*, ut idem ait *lib. de corrept. & grat. c.* 14. Et hoc modo peccatum, in se inordinatum, servit quoque ordini & perfectioni universi, quatenus est materia justitiæ Dei, qui *non peccatores facit, sed ordinat cùm peccaverint*, ut ait *Augustinus in exposit. Psalmi* 7. adeòque non peccata providet, sed de peccatis, inde acceptâ occasione eliciendo bonum justitiæ, aliaque commoda. *Neque enim Deus, cùm summè bonus sit, ullo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeò esset omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo*; inquit *Augustinus Enchir. c.* 11. ideoque *melius judicavit de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere*, inquit idem *Enchir. c.* 27. Similia habet *lib. de corrept. & grat. c.* 10.

Sed solùm permittit.

Indeq; bonum elicit.

16\. *Providentia Dei est immediata respectu omnium.* DICO III. Providentia Dei ita est immediata respectu omnium & singulorum, ut non solùm omnia agenda per seipsum præsciat & disponat, sed etiam ut ipse immediatè & intimè omnibus operantibus coagendo assistat. Ita communiter Theologi contra *Durandum* & *Aureolum*, existimantes Deum notitiâ & voluntate suâ omnia quidem immediatè & per se disponere, at non omnia tamquam agenda immediatè per se, sed operationes causarum secundarum, præsertim liberas tamquam agendas ab ipsis tantùm causis secundis, quæ tamen sic subsint potentiæ divinæ, ut ad nutum possit omnes operationes earum impedire. Probatur conclusio ex dictis in physica, & dicendis in *Tract. de Deo Creatore* de necessario & immediato concursu Dei ad omnes operationes creaturæ etiam liberæ.

Ex quo elucet mira & ineffabilis energia providentiæ Dei, qui non solùm assistit dirigendo sicut gubernator exercitûs aut regni, sed etiam intimè omnia faciendo: sic ut si manum suam momento subtraheret, omnes naturæ motus quiescerent, ipsaque immobilis consisteret. De quo *in Tract. de Deo Creatore.* *Mira ejus energia.*

QUÆSTIO II.

De Providentia divina generali salutis omnium hominum, sive de voluntate divina salvandi omnes.

NOTA providentiam aliam dici supernaturalem, aliam naturalem. Quàmvis enim omnis sit supernaturalis ex parte actûs; immo etiam ex parte finis ultimati, qui est Deus ipse, ideoque soleat eatenus appellari providentia supernaturalis generalissima: quia tamen Deus multa ordinat in aliquid naturale, v.g. alimenta in nutritionem hominum & pecorum, medicinas in sanitatem &c. sive tamquam in finem intermedium, sive tamquam in medium ulterius; hine solet ejusmodi providentia dici naturalis. Supernaturalis autem dicitur, quâ ordinat Deus aliquid in aliud supernaturale, v.g. gratias prævenientes & dispositiones in ordine ad justificationem, hanc, adeòque ipsum hominem, in ordine ad meritum, & gloriam seu beatitudinem, etsi hæc ulteriùs ordinetur in Deum. Estque duplex, generalis scilicet quâ Deus ex parte sua ordinat in finem, seu beatitudinem supernaturalem omnes creaturas intellectuales, etiam reprobos homines vel angelos. Alia particularis seu propria electis, qui absolutè & efficaciter ad beatitudinem ordinantur. De providentia generali hîc agendum: de speciali electorum in sequentibus.

17\. *Providentia Dei alia est naturalis.*

Alia supernaturalis.

Et hæc rursum duplex.

Nota II. Indubitatum prorsus esse contra rigidiores *Calvinistas*, Deum initio decrevisse omnes angelos & homines condere in ordine ad beatitudinem supernaturalem obtinendam cum sincero salutis omnium desiderio, & affectu, etiā prosecutionis, qui pertinet ad voluntatem Dei primariam, & antecedenter ex sua bonitate conceptam, non est tamen in omnibus efficax salutis, ut patet in reprobis. Oppositus autem error ex dicēdis 18.

tur. Quare id juxta *S. Augustini* mentem expressit fidelissimus ejus interpres *Prosper in sentent. super 8. cap. Gall. Responsione 2. ad object. Vincent. & in libris de vocat. gent.* præsertim *lib. 2. c. 19. & seqq.* ubi *c. 29. in fine* ait: *Fitq; manifestum, quòd diversis atque innumeris modis omnes homines vult Deus salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur, qui non veniunt, suâ pertinaciâ reluctantur.*

Communi doctrinæ aut expositioni non repugnat.

Immo neque expositionem ipsam de voluntate antecedenti (quam velut longè meliorem cum *D. Thoma, D. Bonav. Scoto,* & Theologis communiter amplexi sumus) *S. Augustinus* reprobat; sed potiùs insinuat *lib. de spir. & litt. c. 33.* ubi non agit ex sensu *Pelagianorum* (ut vult *Jansenius*) cùm *cap. 34.* subdat: *Hæc disputatio, si quæstionem illam solvendam sufficit, sufficiat.* De quo fusè *Stephanus Deschamps lib. 3. contra Jansen. disp. 7. c. 13.* Et *lib. de corrept. & grat. cap. 14.* ait: *Multis quidem modis intelligi potest,* locus Apostoli, *ex quibus in aliis opusculis nostris aliquos commemoravimus.* Supponit igitur se non commemorasse omnes, sed posse adhuc aliis modis intelligi: quo autem potiùs, quàm nostro, qui communis est, & toties à *Prospero, Augustini* interprete allegatur? & *Enchir. c. 103.* duplici expositioni præallegatæ subdit: *Et quocumque alio modo intelligi potest: dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluisse* (scilicet efficaciter & voluntate consequenti) *factumq; non esse,* &c. Hoc autem credere non cogimur, intelligendo Scripturam de voluntate antecedenti; quæ utique potest fraudari suo effectu, ut per se patet, & supponit *S. Augustinus* fieri in peccatoribus, aliud volentibus quàm Deus, ut loquitur *Enchir. c. 102.* & quando peccator Deum volentem sanare contemnit, ut loquitur *lib. 3. de libero arbitrio c. 19.*

23. Sed adhuc hæret scrupulus, cur *Augustinus* dimicans contra *Pelagianos* adeò constanter ingerat expositionem Apostoli de voluntate consequenti circa electos, si verè admiserit voluntatem antecedentem salutis omnium, etiam in statu naturæ lapsæ? si quidem & ipsi *Pelagiani* non aliam admittebant: neque enim adeò erant insani, ut putarent vel omnes homines de facto fieri salvos, vel absolutam Dei voluntatem aliquando fraudari suo effectu. Resp. *Augustinum* huic potissimùm expositioni adhæsisse, tamquam magis opportunæ ad scopum suum: cùm ageret de vocatione speciali electorum, quæ est secundùm propositum efficax Dei. Displicebat autem in *Pelagianis*, quòd assererent, Deum eatenus velle hominem fieri sanum, quatenus creavit eum cum libero arbitrio, dicentes, Deum velle, si homines velint, scilicet per vires naturæ; quod utique absurdum est. Displicebat quoque subintellecta à *Semipelagianis* conditio, si homines velint, id est, salutis initium ponerent viribus naturæ. Utraque autem expositio inde etiam refutatur ab *Augustino*, quòd saltem in parvulis morientibus ista conditio locum non habeat; quorum aliqui salvantur, aliqui non, non quia ipsi volunt vel nolunt, sed quia Deus. Denique *Augustino* displicuit in adversariis gratiæ, quòd affectus Dei erga salutem omnium esset sine delectu, æqualiter pertinens ad omnes homines, tam salvandos quàm damnandos, absque discretione; ut patet apud *Fulgentium l. de incarnat. & grat. c. 29.* & satis colligitur ex *Prosp. in Ep. ad Aug. & in Carm. de ingratis c. 8.* cùm tamen constet peculiarem esse Dei erga quosdam affectum, ex quo ipsis seligit gratias congruas ad salutem. Quem specialem affectum à generali quadam voluntate respiciente ceteros eleganter & copiosè distinxit *Prosp. l. 2. de vocat. gent. c. 23. 25. & 31.* ubi ait, *gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse, providentiâ quidem pari & bonitate generali, sed multimodo opere diversâq; mensurâ,* id est, inæqualiter ex parte effectuum.

Cur alteri expositioni potissimùm adhæserit.

Neque est Doctoribus Catholicis metuenda expositio communis, etsi eâ malè intellectâ hostes gratiæ virus suum obtegere studuerint: sicut *Jansenius* non existimavit sibi discedendum ab expositione magis usitatâ *Augustino*, etsi eâdem perversè acceptâ errores suos munire contendant omnes Hæretici recentiores, iisdem planè argumentis, quod ad præsens spectat, arguentes catholicos, ut ostendit *Deschamps l. 1. contra Jans. disp. 7. c. 2. & 3.*

Dico II. A generali voluntate salvandi omnes non sunt excipiendi infantes, sic in utero vel extra morientes, ut humanâ ope non potuerit eis applicari remedium salutis. Ita Doctores communiter contra *Vasq. disp. 95. c. 6. & disp. 96. c. 2.* quamquam ibi suam opinionem falsò dicat communem, ut ostendit *Smising d. 6. n. 124. 128. 133. & 134.* Patet ex Scripturis & Auctoritatibus, asserentibus Christum esse mortuum pro salute omnium omnino. Item ex Auctoritatibus asserentibus, esse Salvatorem omnium hominum; ut habet sententia generalis Apostoli *1 ad Timoth. 4.* Similiter generalis est etiam quoad parvulos (quidquid contradicat *Vasquez*) sententia ejusdem *1. ad Timoth. 2.* Quod Confirma- 24.

Voluntas salvandi extenditur ad quoscumque parvulos.

tiæ, alii scientiam conditionatam: sed rectiùs intelligitur scientia absoluta visionis futurorum: id enim propriè sonat vox *præscientia*, & requirit contextus *Augustini*, qui in verbis præcedentibus absolutè loquitur de beneficiis actu cõferendis, eorumque præscientiã. Non est tamen prædestinatio formaliter præsciẽtia; cùm sit decretum voluntatis, aut certè actus intellectûs, decretum divinum ratione præcedens. Quare præscientia tantùm est quid concomitans seu consequens; *sine dubio enim præscivit, si prædestinavit*, inquit *Aug. sup. c.* 18. Præmittitur autem in definitione *Augustini*: tum quia id arbitrarium erat, tum quia præscientia est quid latius patens, quàm præparatio: hæc siquidem respicit opera bona, seu facienda ab ipso Deo, illa insuper peccata. Vult autem *S. Doctor* contra *Pelagianos* docere, prædestinationem non esse nudam præscientiam faciendorum à nobis, sed faciẽdorum ab ipso Deo, adeòque illa Deum præparare & velle, ut nos ipsa habeamus, Neque aliud vult idem *Aug. sup. c.* 17. *In sua, quæ falli mutariq; non potest, præscientiã, opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquã est prædestinare*. Nam etiam ibi loquitur de præscientia absoluta futurorum, quæ dicuntur disponi in præscientia per prædestinationẽ, quatenus per hanc quasi efficienter statuuntur futura, adeòque in præscientia objectivè relucentia, sicut pictor per manum disponit colores in tabula.

Quomodo se habeat ad eam præscientia.

30. Nomine *beneficiorum* intelligunt aliqui solam gratiam, sive media ad gloriam, eò quòd per gloriam propriè non liberemur. Et *S. Aug. de prædest. SS. c.* 10. dicat, prędestinationem esse *præparationem gratiæ*; gloria autem stylo *Augustini* non sit gratia simpliciter, sed gratia pro gratia. Verùm rectiùs, cum aliis communiter, nomine *beneficiorum* intelligitur, tum gratia mediave ad gloriã, tum ipsa gloria. Nam per ipsam gloriam fiet plena & perfecta liberatio sive libertas, juxta *Aug. Tract.* 41. *in Joan. l.* 2. *de peccat. merit. & remiss. c.* 4. *l.* 1. *ad Bonifacium c.* 11. Et *l.* 3. *c.* 3. notat, novissimam resurrectionem vocari *redemptionem corporis nostri, ad Rom.* 8. ℣. 23. Consonat etiam illud *Apostoli ad Rom.* 8. *Ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Deinde certum est *Augustinum* loqui de prædestinatione propria electorum; prædestinatio autem ad gratiam (quam incompletam vocãt) etiam convenit reprobis temporaliter justis. Quare loquitur de prædestinatione quoque ad gloriam. Unde dum describit prædestinationem esse *præparationem gratiæ*, vel describit illam per effectum inadæquatum, vel nomine gratiæ etiam intelligitur gloria; quæ etsi soleat peculiariter vocari ab *Augustino* gratia pro gratia, dum de illa distinctè & speciatim loquitur, non vetat tamen in generali descriptione ab *Augustino* fuisse comprehensam generali vocabulo gratiæ simpliciter sumptæ: sicut & in Scriptura simpliciter vocatur *gratia Dei, vita æterna*, & sicut augmentum gratiæ habitualis, quod de cõdigno, uti gloriam, meremur, vocatur simpliciter gratia. Denique *Augustinus*, passim inhærens phrasi Scripturæ *ad Rom.* 9. *Act.* 13. & alibi, agit de præparatione electorum in gloriam, de ordinatione & prædestinatione in vitam æternam, ut *de corrept. & grat. c.* 6. 7. & 9. *Lib.* 5. *contra Jul. c.* 4. aliàs 3. & 15. *de civit. c.* 1. & alibi. Quare definiendo prædestinationem censendus est, non exclusisse objectum & effectum illius principalem, scilicet gloriam.

Quid hic nomine beneficiorum intelligatur.

Exprimitur autem plerumque prædestinatio in Scriptura aliis nominibus. Nã *ad Rom.* 8. & 9. *ad Ephes.* 1. & alibi sæpè vocatur *electio. Ad Rom.* 9. *dilectio. Ad Rom.* 8. & 9. *ad Ephes.* 1. 2. *ad Tim.* 1. *propositum. Act.* 13. *præordinatio.* 2. *ad Tim.* 2. *cognitio. Ad Rom.* 8. & 11. *præscientia*, intellige approbationis. Eodemque sensu 1. *Petri* 1. *præcognitio.*

Quibus præterea nominibus exprimatur prædestinatio.

Prædestinationem in Deo dari est evidens ex Scriptura *ad Rom.* 8. 1. *ad Cor.* 2. *ad Ephes.* 1. & alibi sæpè; ex Patribus & Conciliis. Nec ab ullo in dubium vocatur.

QUÆSTIO IV.

De Effectibus Prædestinationis.

31. NOTA effectum prædestinationis debere per illam intendi & disponi: sicut per providẽtiam generatim sumptã debet disponi effectus ejusdem. Unde sicut prædestinatio, sic effectus ejusdem pertinere debet ad providentiam supernaturalem; adeòque saltem ex modo vel fine contineri aliquatenus ordine gratiæ. Quocirca (ait *Aug. de prædest. SS. c.* 10.) *Prædestinatio Dei, gratia est præparatio, gratia verò est ipsius prædestinationis effectus.* Ad quod tamẽ sufficit, ut ex speciali Dei ordinatione aliquid fiat, & dirigatur ad hominem efficaciter transmittendum in finem supernaturalem: ex tali enim ordinatione transit opus, etsi in se naturale, in ordinem gratiæ & providentiæ supernaturalis. Denique requiritur ad effectum prædestinationis, ut actu & reipsã conferat aliquo modo ad supernaturalem beatitudinem acquirendam: cùm enim prædestinatio sit decretum omnino efficax, quidquid est effectus per eam dispositus,

Quid requiratur ad effectum prædestinationis.

tus, debet aliquo modo conferre ad finem intentum. His notatis

32. *Talis est gratia & gloria.* DICO I. Tam gratia, quàm gloria est effectus prædestinationis. Ita *D. Bonav. d. 40. in exposit. textûs, & art. 1. q. 2. in corp.* & alii communiter contra *Durandum*, id negantem de gloria, & contra *Occam & Gabr.* id asserentes de sola gloria, seu vita æterna. Conclusio colligitur ex *Apostolo ad Rom. 8.* ubi effectus hosce, è prædestinatione æterna scaturiētes, gradatim enumerat, dicens: *Quos prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit; illa* (addit *Aug. de prædest. SS. c. 17.*) *utique sine, qui non habet finem.* Quamquam *Vasq. d. 91. c. 18.* verbum *glorificavit* contra *August.* & alios Patres, perperam exponat de quadam gloria præsentis vitæ, quâ Deus justos facit gloriosos, ac celebres laboribus & ærumnis. Eosdem effectus recenset *Fulgentius lib. 1. ad Monim. c. 11.* dicens: *Omnia & vocationis nostræ initia, & justificationis augmenta, & glorificationis præmia, in prædestinatione semper Deus habuit.*

Quantùm ad gratiam attinet, expressè docet *Aug. de prædest. SS. c. 10.* esse effectū prædestinationis. De qua idem indicat *Apostolus ad Ephes. 1. Elegit nos, ut essemus sancti &c.* De gloria verò *1. ad Cor. 2. Oculus non vidit &c. quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum. Ad Rom. 9. Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Ratio est: quia *Quia vi prædestinationis in tempore cōferuntur.* vi prædestinationis, seu præparationis æternæ conferuntur in tempore beneficia à Deo præparata, quibus electi certissimè liberantur sive salvantur: ergo prædestinatio est causa, & præfata beneficia sunt effectus ejusdem: inter hæc autem continentur, tum gratia, sive vocationis, sive justificationis, per quam electi salvantur efficienter quasi, & dispositivè; tum ipsa cælestis gloria, per quam salvantur formaliter. Deinde id quod efficaciter intenditur, & disponitur per prædestinationem, est effectus illius: sic autem disponitur & præordinatur per ipsam, tum gratia, tum gloria.

Tres effectus generales prædestinationis. Hinc solent à Doctoribus assignari tres effectus generales prædestinationis, vocatio, justificatio (quæ comprehenduntur nomine gratiæ) & glorificatio: ad quos pertinent, aut revocari possunt omnes particulares prædestinationis effectus.

33. *Quæ pertineant ad vocationem.* Ad vocationem pertinent Evangelii prædicatio, patratio miraculorum, passio Christi, bona exempla, gratia præveniens & adjuvans, pii motus intellectûs & voluntatis; aliaque beneficia, quibus electus reipsâ juvatur, & quasi dispositivè dirigitur ad justificationem.

Nec refert quòd Evangelii prædicatio, Christi passio, Sacramentorum institutio, & similia, sint communia reprobis, *Etsi reprobis communia.* adeòque videantur secundùm se effectus communis providentiæ supernaturalis, & quantùm ad specialem applicationem in electis, effectus prædestinationis, ut loquitur *Smising d. 6. n. 210.* post *Suar. lib. 3. de prædest. c. 2. n. 8.* Ampliùs enim videtur concedendum: nam etsi pro reprobis proveniant ex providentia generali supernaturali, verè tamen procedunt in electis ex affectu prædestinativo. Decrevit enim Deus principaliter Christum pati, Sacramenta institui, Evangelium prædicari propter electos. Sicut ipse *Apostolus 2. ad Timoth. 2. Omnia* (inquit) *sustineo propter electos &c.*

Huc etiam revocari possunt bona naturalia, v. g. bona indoles, seu complexio apta ad virtutem, divitiæ, artes, scientiæ, virtutes morales, earumque actus, viribus naturæ facti: hæc enim omnia possunt in electis esse effectus prædestinationis, quando scilicet à Deo specialiter illis conceduntur in ordine ad salutem, & quodammodo ad eam reipsâ conducunt. Verùm quidem est, opera, naturæ viribus facta, non mereri ex se salutem; tamen tollūt impedimenta, excludendo peccata & pravas consuetudines contrarias, quibus partim impedirentur ampliora gratiæ subsidia, partim causaretur difficultas in observantia vitæ Christianæ, cujus legibus faciliùs se conformant, qui non sunt vitiis, sed morali honestati assueti. 34. *Eōdem pertinent bona naturalia.*

Ad vocationem etiam reducuntur occasiones temporum, quibus prædestinati vivunt, vocantur vel moventur. Idem est de circumstantiis locorum, in quibus morantur, personarum, cum quibus conversantur, parentum, à quibus nascuntur, præceptorum, à quibus instruuntur, aliorum, à quibus exercentur &c. Hæc enim omnia possunt esse effectus prædestinationis, quando specialiter à Deo disponuntur, ex intentione deducendi hominem in salutem. Sic de justo præmaturè rapto, *Sapient. 4.* dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Cujus ratio subditur: *Placita enim erat Deo anima illius.* *Et occasiones temporum.* *Ac alia plures circumstantiæ.*

Nec tamen hinc necessariò sequitur, omnia naturalia prædestinatorum esse effectus prædestinationis: quia non est necesse, omnia eis fuisse concessa ex speciali providentia supernaturali ad efficaciter procurandam salutem, sed multa possunt eos comitari naturali necessitate, & lege naturalis providentiæ. Signanter autem natura, & creatio prædestinati, non videtur esse effectus prædestinationis: quàmvis oppositum docuerit *Suar.* *Non tamen omnia naturalia.* *Signanter non ipsa natura, & creatio prædestinati.*

Suar. lib 3. de prædest. c. 7. natura enim hominis supponitur prædestinationi, tamquam subjectum seu finis, cui per prædestinationem præparantur beneficia; ergo non est effectus prædestinationis, quamquam ad salutem consequendam etiam efficienter concurrat cum gratia. Sicut si quis amico suo provideat de equo ad equitandum, amicus ipse non est effectus istius providentiæ, sed subjectum seu finis cui; etsi efficaciter ad equitationem, quæ est finis, qui intenditur, concurrat.

Quæ pertineant ad justificationem. Ad justificationem pertinet remissio peccatorum, renovatio interioris hominis per gratiam justificantem, opera meritoria, quibus gratia augetur, & perseverantia. *Quæ ad glorificationem.* Ad glorificationem spectat ipsa gloria visionis & fruitionis Dei, & reliqua ipsam consequentia.

35. *Gratia peccato amissa est effectus prædestinationis.* Petes, an justitia præcedens lapsum sit in prædestinato effectus prædestinationis? idem est de meritis mortificatis. Resp. Aff. cum *Vasq. disp. 93. c. 3.* nam gratia, per peccatum amissa, finaliter in prædestinato per pœnitentiam redit, sive in se, sive in alia simili vi prioris amissæ, accipitque tandem beatus specialem gloriæ gradum, quem non reciperet, si gratiam istam non habuisset: adeòque hæc reipsâ conducit prædestinato ad salutem. *Idem est de meritis mortificatis.* Eâdemque ratione gratia, per peccatum amissa, & merita mortificata sunt electis specialiter præparata: tametsi enim in reprobis esse possint quoad substantiam; in eis tamen finaliter non resuscitantur, aut reviviscunt efficaciter ad gloriam.

Et auxilio inefficaci. Idem contra nonnullos est dicendum de vocatione, sive auxilio inefficaci in ordine ad actum, ad quem proximè datur, videlicet quòd in electis sit sæpè effectus prædestinationis: etsi enim nunc sit inefficax, postea tamen, cùm prædestinati congruè vocantur, solent præcedêtes vocationes, in memoriam revocatæ, addere incentivum humilitatis, majoris fervoris, gratitudinis erga Deum, alteriusve virtutis, quæ tali modo efficaciter excitatur, & cujus fructus permanet in æternum: prout *Augustinus* in libris confessionum, deplorat cæcitatem & duritiam cordis sui, quòd Deo vocanti statim non acquievit. Et sic illa gratia fit in ratione objecti efficax ad aliquem alium finem. Quâ ratione est etiam specialis electis, quia videlicet in reprobis vocationes inefficaces finaliter ad gloriam non conferunt. *Non tamen de omni.* Ea tamen dona vel auxilia, quibus electi ad salutem non utuntur, v.g. inspirationes, quæ ex toto negliguntur, non sunt effectus prædestinationis: eùm electis de facto non conducant ad salutem.

36. *Idem etiam est de quibusdam malis naturalibus.* Denique quantùm ad mala, eorumque permissionem attinet, loquendo de malis naturalibus, v.g. morbis, penuriâ &c. aut pœnis hujus vitæ, sunt hæc frequenter effectus prædestinationis in electis: nam sæpè non tantùm permittūtur, sed etiam specialiter intenduntur ac præparantur in ordine ad salutem electorum, juxta Apostolum *ad Philipp. 1. Vobis datum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro ipso patiamini.* Sic idem Apostolus *ad Rom. 8.* ait: *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonū, iis qui secundùm propositum vocati sunt sancti*; id est, prædestinatis juxta *Aug. lib 2. contra duas epist. Pelagian. c. 10.* & alibi. Ubi propriè loquitur Apostolus de tristibus, ut tribulationibus, vel internis vel externis, ut notat noster *Sasbouth* in illum locū. Sic enim passiones Martyrum plurimùm illis ad beatitudinem conducunt, & per diversas alias tribulationes & calamitates Deus perducit electos in gloriam.

37. *Secus est de malis culpæ.* E contrà mala culpæ non sunt effectus prædestinationis, uti certum est: effectus enim illi sunt opera, quæ ipse Deus facit in electis, ut patet apud *Aug. lib. de bono persev. c. 14.* & alibi; Deus autem non facit mala culpæ. Deinde effectus debet à prædestinante intendi & disponi; prout non intenditur à Deo peccatum. Quàmvis occasione acceptâ ex peccato, Deus suâ omnipotentissimâ bonitate inde noverit elicere bona ad utilitatem electorum; qui per aliorum peccata probantur & exercentur, vel exemplo inde desumpto instruuntur. *Licèt cooperentur electis in bonum.* Immo & propria electorum peccata facit Deus occasionaliter cooperari in bonum. Unde Glossa in illud *ad Rom. 8. Omnia cooperantur in bonum,* ait: *Omnia etiam peccata.* Et *Aug. de corrept. & grat. c. 9. Usque adeò prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores.* Et *lib. de nat. & grat. c. 28. Deserit aliquantùm Deus unde superbis, ut scias non tuum, sed ejus esse, & discas superbus non esse.* Et *14. de civit. c. 13. Audeo dicere, superbis esse utile, cadere in aliquod apertum manifestumq́, peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant.* Agit proinde Deus cum electis instar boni parētis, qui pecuniā sciens à filio auferendam, in loco relinquit, quia novit deprehendendum, deprehensum castigandum, castigatum perfectissimè emendandum, & deinceps ab omni furto alienissimum fore. Sicut enim hic parens furtum filii non censetur voluisse, sed potiùs quantùm in se est noluisse, unde & iratus filium castigat: sic Deus se habet tamquam pius pater circa electos. Quibus consonat simile *Nysseni*

Orat.

Orat. de dormientibus: Medicus (inquit) *permittit puero noxiis uti, ut facto periculo eorum, quæ faciunt dolorem, & utilitatẽ paterni consilio doctus, capiat sanitatem.* Hanc in rem præclara vide apud *Chrysost. lib. 1. de providentia.*

38. *Permissio peccati effectus prædestinationis esse potest.* Hinc *Smising d. 6. n. 258.* censet, dicens esse communem sententiam, contra *Vasq. d. 93. c. 2.* & varios Recentiores, ipsam falsam permissionem peccati posse in electis esse effectum prædestinationis, & de facto esse, quando occasione peccati electus proficit ad majus bonũ. Quod semper fieri verisimile putat juxta *Anselmum, D. Tho.* & alios *in locum Apostoli cit. ad Rom. 8.* ut ibidem refert. Ratio est: quia permissio peccati electis efficaciter procedit ad salutem ex speciali intẽtione Dei, seu affectu prædestinativo, tamquam occasio majoris humilitatis, fervoris &c, ut patet in Petro, Magdalena &c. quidquid autem sic conducit velut medium, aut occasio salutis, est effectus prædestinationis. Aliud est de peccato: hoc enim malum est, nec volitum, permissio autem divina peccati est bona, & à Deo volita ad majus bonum electi.

Nec obstat, quòd permissio peccati non tam videatur esse gratia, quàm gratiæ efficacis subtractio: nam est occasionaliter beneficium gratiæ, prout subest intẽtioni Dei, singulari suâ bonitate & potentiâ, inde elicientis majus bonum electi.

Etsi pro permissione propria peccati orare non liceat. Non tamen hinc inferas, orãdum esse, ut Deus permittat nos labi in peccatum: quia in permissione illius continetur implicitè nostra cooperatio mala, adeòque implicitè peteremus propriũ peccatum; cùm tamen non sint volenda mala, ut eveniant bona. Secùs esset, de permissione peccati alieni, ad quod non requiritur nostra cooperatio, sed tantùm non impeditio, quæ justis de causis est licita. Orare tamen possumus, ut si Deus pro altitudine judiciorum suorum permiserit nos labi, dignetur id convertere ad majorem suam gloriam, nostramque salutem.

39. Dices, ut permissio peccati esset effectus prædestinationis, deberet esse præfinita mediante pœnitentiâ, sive ex priori præfinitione pœnitentiæ (cùm non nisi hac mediante conducat ad finem salutis) at pœnitẽtia non potest præfiniri à Deo, nisi suppositâ permissione peccati: aliàs præfiniendo pœnitentiam, etiam præfiniretur positio peccati, quod essentialiter præsupponit. Resp. in primis hoc argumẽtum non urgere quoad permissionẽ peccati alieni, quod electis potest conducere ad salutem absque eorumdem pœnitentia. Similiter neque in permissione peccati venialis electorum, quod etiam citra pœnitentiam potest conducere ad effectus salutares in electis, quorum sanctitas non tollitur per venialia. Immo nec in permissione mortalis; quod etiam sine formali pœnitentia per actum amoris Dei, saltem in casu, posset remitti.

Deinde Resp. non omnem effectum prædestinationis debere simpliciter esse præfinitum, adeòque non debere decerni à Deo pœnitentiam electorum, ante decretum permittendi peccatum: sed eâ suppositâ, adeòque peccato jam prævisò. Vide *Smising n. 259. & 596.*

Denique Resp. permissionem peccati potuisse præfiniri mediante præfinitione majoris humilitatis, fervoris, circumspectionis &c. ad quos effectus salutares ipsa conducit independenter à pœnitentia: quamquam Deus sciens pœnitentiam finaliter necessariam, eamque esse in manu sua, consequenter seu post permissionem peccati jam decretam ex præcedentibus finibus, præfiniat seu decernat pœnitentiam. 40. *Qualiter illa possit præfiniri.* Addunt aliqui *Scotistæ*, etiam posse volũtate absolutâ simpliciter à Deo præfiniri pœnitentiam, & in ordine ad hanc permitti peccatum, absque præfinitione ipsius peccati: eò quòd ad infallibilitatem præordinatæ à Deo pœnitentiæ sufficiat, ipsum scire, quòd rectè possit peccatũ permittere, quodq; permissum infallibiliter eveniet. *Immo & pœnitentia juxta aliquos.* Neque debet per consequens à Deo procurari peccatum, de quo pœnitentia est cõcipiẽda: cùm non debeat procurare id, quod futurum novit ex malitia nostra, & contra voluntatem suam; immo id supponit ipsa ratio permissionis: velle enim aliquid permittere, seu non impedire, supponit ipsum aliundè futurum, seu ponendum. Varia nihilominus in oppositum congerit *Derkennis de providentia Dei n. 85. & 86.* quem vide.

QUÆSTIO V.

An ex parte prædestinatorum detur causa prædestinationis?

Sensus quæstionis est, an sit aliqua causa moralis, seu ratio ex parte prædestinatorum, cur ad illos terminetur volitio divina prædestinativa, quâ ab æterno decrevit iis in tempore conferre illam beneficiorum seriem, quibus certissimè salvantur. 41. *Qua causa prædestinationis intelligatur.* Sicut datur ex parte reproborum ratio, ob quam ab æterno decrevit Deus illos damnare, & ex parte electorum ratio, ob quam decrevit eis in executione salutem tamquam præmium bonorum operum conferre. Movetur autem difficultas de integra prędestinatione, quoad totã scilicet effectuum prædestinationis seriẽ, adeòq; potissimũm de fundamẽto & initio omnium, an videlicet ex

parte

parte prædeſtinatorum detur cauſa meritoria, ſeu aliquo modo diſpoſitiva, ob quam Deus decrevit eos vocare ad ſalutem, adeòque initium ſalutis & prædeſtinationis ſit ex nobis. Alioquin conſtat aliquos particulares effectus prædeſtinationis habere cauſam, ſive diſpoſitivam, ſive impetratoriam, ſive de condigno meritoriam: per gratiam enim prævenientem Deus operatur in nobis diverſos effectus, qui ſunt diſpoſitiones ad gratiam ſanctificantem, & hâc mediante operatur in nobis bona opera, quæ ſunt meritoria augmenti gratiæ, & ipſius æternæ glorię. Unde illos effectus poſteriores Deus ab æterno præparavit, habitâ ex parte prædeſtinatorum ratione aliquâ. Quamquam in fundo ſeu radice totum ſit adſcribendum bonæ voluntati Dei, quæ cujus vult miſeretur, juxta dicenda. Itaque

42. *Tales non ſunt merita alicujus vitæ præcedentis.* DICO I. Cauſa prædeſtinationis electorum non ſunt merita alicujus vitæ præcedentis. Eſt de fide contra *Origenem*, qui *l.* 1. *Periarchon c.* 7. & *ſeq. Lib.* 2. *c.* 9. & alibi, docet animas rationales extitiſſe, antequam unirentur corpori humano, & ratione diverſorum operum, ſive meritorum aut demeritorum, ſociatas eſſe corporibus electorum, aut detruſas in corpora reproborum, cum his luituras futurum ſupplicium; quàmvis nec hoc putaverit fore ſempiternum, ſed mirabilem variationem in præmiis & ſuppliciis effinxerit. De cujus mente latiùs *Smiſing d.* 6. *n.* 280. & *ſeqq.* Nonnulli quidem conati ſunt *Origenem* à nota hæreſis purgare, putantes, præfatum & ſimiles errores libris *Origenis* inſperſos ab ejus æmulis, aut fortè eo fine, ut Auctores errorum ſub nomine tanti viri efficaciùs eos ſeminarent. Nihilominus *Hieron. in Apologiis adversùs Ruffinum*, *Epiphanius* & alii, præfatum errorem *Origeni* tribuunt, eumque inter hæreticos ſtatuunt. Eidemq; cum ſcriptis ſuis, ſicut *Ario* & aliis hæreſiarchis, dicitur anathema in *Synodo* 5. *collat.* 8. *can.* 11. Similiter in *Synedo* 6. *act.* 13. *in epiſt. Sophronii*, dicitur ei anathema cum aliis hæreticis & hæreſiarchis.

43. Refutatur hic error: quia *Catholica fides conſtanter prædicat, atque veraciter credit, quòd animæ hominum, priuſquam ſuis inſpirentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporentur, niſi ab opifice Deo*, ut definit *Leo Papa epiſt. decretali* 93. *c.* 10. Similiter animas ante unionem cum corpore non extitiſſe, definitur in *epiſtola Sophronii* citatâ, quam approbat *VI. Synodus act.* 13. Deinde Scriptura docet *ad Rom.* 9. electionem fieri non ex operibus: immo aſſerit nulla opera præceſſiſſe, dicens: *Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali: non ex operibus, ſed ex vocante &c.* & 2. *ad Timoth.* 1. *Vocavit vocatione ſuâ ſanctâ, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum & gratiam. Ad Tit.* 3. *Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.* Et alibi. Quare non ſupponuntur opera antecedentia infuſionem animæ in corpus: ſic enim non in ſolam Dei miſericordiam rejicienda foret donatio gratiæ, ſed ipſa foret opus juſtitiæ. Adde fabuloſum hoc figmentum omni prorſus carere fundamento, vel tenuiter apparenti: ut non ſit omnino mirum, quoſdam ſibi non potuiſſe perſuadere, quòd tam abſurdus error incidiſſet in mentem doctiſſimi *Origenis*. Nullius enim momenti eſt, quòd argui poſſe videretur Deus de acceptione perſonarum: hæc enim vitioſa non eſt, ubi quod uni præ alio donatur, neutri debetur. Neque difficultatem evadit *Origenes* per ſuum figmentum: nam vel merita antecedentia animarum erant gratiæ, vel ſolius naturæ, ſeu liberi arbitrii. Si primum, manet eadem quæſtio de animabus, quæ de hominibus, cur una præ alia ſit prædeſtinata ad efficacem gratiam merendi. Si ſecundum, jam inciditur in errorem *Semipelagianorum* mox refutandum. Quo autem ſenſu locutus ſit *Origenes*, dubitat *Smiſing n.* 282. etſi veroſimiliùs putet intendiſſe ſecundum. Ob quod optimè dixerunt cum *Hieronymo Lovanienſes* in Præfat. ad libros Proſperi, editos Lovanii annò 1566. *Pelagianos fuiſſe ſectatores Origenis, & Pelagii doctrinam Origenis ramuſculum eſſe.*

44. *Nec merita operum naturæ.* DICO II. Neque fides, neque aliquod fidei initium, neque ulla opera noſtra, quæ à ſolo libero arbitrio, ſeu viribus naturæ profectura præſciuntur, ſunt cauſa prædeſtinationis, ne quidem tamquam meritum congruum ſeu impetratorium. Eſt contra *Pelagianos*, qui in meritis operum naturæ fundabant omnia dona ſupernaturalia, immo neceſſitatem gratiæ ad juſtificationem & ſalutem negabant. Quibus, quantùm præcisè ſpectat præſentem difficultatem (cæterorum *Pelagii* errorum refutatio reſervatur Tractatui de gratia) accedunt *Semipelagiani*, viri alioquin docti & Catholici, qui quidem neceſſitatem gratiæ ad juſtificationem, & opera ſalutis meritoria, ac perſeverantiam agnoſcebant, initium tamen ſalutis ſtatuebant in viribus liberi arbitrii, quatenus ſit hominis fides aut fidei initium, cujus intuitu Deus do-

nare decreverit dona gratiæ ad rectè operandum, tum justificationem, tum opera salutis; adeòque discretionem eligendorum à reprobandis, fundabant radicitùs in recto usu inchoato liberi arbitrii. Cui errori aliquando ignorans adhæserat ipse *Augustinus* ante Episcopatum, *in exposit. quarumdam propositionum Epist. ad Rom. propos.* 60. sed Deo revelante illum postea, scribens ad Episcopum Simplicianum, correxit, & clarissimè atque efficacissimè refutavit *toto libro de prædest. SS.* ex professo adversùs hunc errorem conscripto, in quo (uti & in aliis scriptis) apparet mirabilis & quasi divina perspicacia hujus eximii Doctoris, in enucleandis ad amussim auctoritatibus sacræ Scripturæ. Eidem errori *Semipelagianorum*, *Molina* & *Vasquez* existimant accessisse *Chrysostomum*, ante exortam hæresim *Pelagii*, idque ex *homil.* 17. *in Joan.* & *homil.* 12. *in Epist. ad Hebr.* in parte morali. Ceteri tamen meritò illud Os aureum ab hac nota liberant ex aliis ejusdem locis, in quibus doctrinam catholicam manifestè tradit, *ut hom.* 71. *in Joan.* ad illa verba: *Sicut dilexi vos*; *hom.* 12. *in* 1. *ad Cor.* & *hom.* 28. *in Epist. ad Hebr.* ad illa verba, *Aspicientes in auctorem fidei*. Ipse quoque *Augustinus* censet quidem Græcos Patres ante exorta *Pelagii* dogmata fidentiùs locutos, & de gratia parciùs, dum aliæ vigerent hæreses debellandæ, v. g. *Manichæorum*, qui adversabantur libertati arbitrii: veram tamen de gratia doctrinam adeò non oppugnarunt, ut ex iis etiam illam *Augustinus* probet. Et signanter *l.* 1. *contra Julian. c.* 6. & 7. sic adducit *Chrysostomum* in Catholicam de peccato originali sententiam, ut etiam significet, non dissentire illum in ullo fidei articulo, per *Pelagium* impugnato, ab aliis Ecclesiæ Doctoribus. Vide de his accuratè differentem *Smising d.* 6. *n.* 428. usque ad 449.

Chrysostomus ab errore Semipelagianorum liberatur.

45\. Eumdem *Semipelagianorum* errorem *Vasquez d.* 91. *c.* 10. & 12. & alibi, adscribit variis Doctoribus Catholicis, asserentibus posse hominem ex naturalibus disponere se ad primam gratiam; cùm tamen sic loquantur *D. Thomas*, *Alensis*, *Scotus*, *Gabriel*, cum suo *Occam*, & plerique veteres, quos non est verisimile fuisse in errore *Semipelagianorum*; & omnes (excepto saltem *Durando*) benignè interpretari potuisset, adeòque debuisset, uti interpretatus est *D. Thomam*. De quo pleniùs in *Tract. de gratia*, ubi tractabitur vulgatum axioma: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.* Interea videri potest *Smising d.* 6. *q.* 4. *n.* 193. & *seqq.* & *q.* 6. *n.* 321. & *seqq.*

Et varii Doctores Catholici.

Probatur conclusio I. ex Scriptura *ad Rom.* 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Ex quo infert *Aug. de præd. SS. c.* 2. *Et ipsum igitur initium fidei nostræ, ex quo, nisi ex ipso est?* 46.

Probatur conclusio ex Scripturis.

Ad Philipp. 1. *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis; verùm etiam ut pro eo patiamini. Utrumque enim* (inquit *Aug. sup.*) *ostendit Dei donum, quia utrumque dixit esse donatum.*

1\. *ad. Cor.* 7. *tamquam misericordiam consecutus, ut sim fidelis. Nec dixit* (inquit *Aug. sup.*) *ut fidelior, sed ut fidelis esset, quia sciebat se non initium fidei suæ priorem dedisse Deo, & retributum sibi ab illo ejus augmentum, sed ab eo se factum fidelem, à quo & Apostolus factus est.*

2\. *ad Cor.* 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Attendant hîc* (inquit *Aug. sup.*) & *verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei cœptum, & ex Deo esse fidei supplementum: quis enim non videat priùs esse cogitare, quàm credere?* &c. *quod ergo pertinet ad religionem atque pietatem, de qua loquebatur Apostolus, si non simus idonei cogitare aliquid, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, profectò non sumus idonei credere aliquid, quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, quâ credere incipimus, ex Deo est.*

1\. *ad Cor.* 4. *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Igitur tota discretio salvandorum ab aliis ex Deo est: *ideoq́, in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit*, inquit *Cyprianus l.* 3. *ad Quirinum c.* 4. relatus apud *Aug. sup. c.* 3. *sed qui gloriatur, in Domino glorietur*, ut ait *Apostolus suprà.*

Præterea *quid* (ait *Aug. sup. c.* 20.) *est, orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi; nisi apertissima demonstratio, etiam ipsum initium fidei esse donum Dei? nam* (ut præmittit & eleganter probat) *quomodo aperitur ostium verbi, nisi cùm sensus aperitur audientis ut credat... ne per infidelitatẽ corde clauso ea, quæ dicuntur, improbet ac repellat?*

Manifestum igitur est, electionẽ divinâ non inniti meritis naturę seu arbitrii, sed liberalitati Dei, gratis eligentis ad fidem, seu salutis initium, uti in tempore gratis donantis. Hoc est quod significat Apostolus 1. *ad Cor.* 7. *tamquam misericordiam consecutus, ut sim fidelis*: eò quòd esse, aut fore fidelem, sit finis & effectus intentus à Deo misericorditer eligente, nõ autem ratio vel meritum, ob quod Deus misericordiâ præstet. Et *ad Ephes.* 1. *Elegit*

nos

nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati; non ergo quia futuri eramus, infert *Aug. sup. c.* 18. *sed secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ: non in laudem gloriæ meritorum nostrorum.*

Eamdem electionem gratuitam ubertim tradit Apostolus *ad Rom.* 9. exemplo Jacob & Esau, inter quos gemellos, cùm nulla appareret differentia, non ex operibus, sed ex vocantis Dei beneplacito, seu proposito facta est discretio.

Eodem sensu *c.* 11. ait: *Reliquiæ* (Judæorum) *secundùm electionem gratiæ* (id est gratuitam) *salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.* Quod urget *Aug. sup. c.* 2. dicens: *Videte si aliud agitur isto modo, nisi ut gratia Dei secundùm merita nostra detur quolibet modo, ac sic gratia jam non sit gratia: redditur namq; hoc pacto debita, non donatur gratis.*

47. *Exemplo prædestinationis parvulorum.* Probatur II. exemplo prædestinationis parvulorum: videmus enim, nullâ existente inter eos differentiâ operum, admitti unum ad baptismum, quandoque filium infidelis, aut perversi parentis; alterum non, etsi filium optimorum parentum. Inviti ad hoc trahebantur *Pelagiani*, eorumque reliquiæ: ex his autem nonnulli, ut gratuitam electionem effugerent, eò dementiæ progressi sunt, ut dicerent *tales perdi talesq; salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur ætatem, scientia divina praviderit*; teste *Prospero in Epistola ad Augustinum.* Qui *l. de præd. SS. c.* 12. 13. *&* 14. *De bono persev. c.* 9. *&* 10. *Epist.* 105. *&* 106. & alibi, eleganter hoc commentum explodit. Primò, quia *referet unusquisque propria corporis prout gessit*, juxta Apostolum 2. *ad Cor* 5. Gessit, inquit, non adjunxit, vel gesturus fuit, ut notat *Aug. de præd. SS. c.* 12. Secundò, quia si Deus punit delicta, quæ quis faceret sub conditione, si diutiùs vixisset, non esset factum speciale beneficium illi, qui *raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*, *Sap.* 4. utpote equidem puniendus ob peccata quæ fecisset: cùm tamen Scriptura beneficium hoc deprædicet, immo asserat, istum in refrigerio fore. Frustrà quoque propter electos breviabuntur dies persecutionis extremæ, *Matth.* 24. utpote non magis ideo salvandos, sed equidem puniendos ob peccata committenda, si diutiùs perseverasset persecutio. Tertiò, sequitur Tyrios & Sidonios potiùs præmiandos, quàm puniendos fuisse, ob pœnitentiam, quam fecissent, si vidissent miracula Christi, eodem teste *Matth.* 11. Quartò, de nullo mortuo baptizato poterit esse securitas, quia post baptismum singuli, certis saltem conditionibus, peccare potuissent. Quintò, per se absurdū est, aliquem actu puniri ob ea quæ numquam fecit, aut facturus est; quod omnia, etiam rectè instituta hujus vitæ, tribunalia abominantur. Unde *dici non potest*, ait *Aug. de præd. SS. c.* 13.) *quàm molestè feram, quod viderunt Pelagiani esse falsissimū & absurdissimū, hoc non vidisse istos*, videlicet Semipelagianos.

Probatur III. exemplo prædestinationis Christi, qui *est præclarissimū lumen prædestinationis & gratiæ*, inquit *Aug. de præd. SS. c.* 15. *quid egit antè, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiā* (unionis hypostaticæ) *perveniret? At eâ gratiâ fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, quâ gratiâ homo ille ab initio suo factus est Christus.* Unde sicut in illo, cur non & in nobis diversa est gratia, ubi natura communis est, idq; sine acceptione personarum? ut arguit *Augustinus.* 48. *Et Christi.*

Probatur IV. ex *Arausicano, can.* 3. & *tribus seqq.* & *can.* 25. *Trid ss.* 6. *c.* 5. *Cælestino Papa in Epist. ad Episcopos Galliæ, Augustino, toto l. de præd. SS.* & alibi, *Prospero*, & aliis Patribus. 49. *Ex Conciliis & Patribus.*

Confirmatur: quia ad oculum patet, homines perversissimos vocari ad salutem, nullis bonis, sed plurimis malis meritis præviis: igitur in discretione nō respicit Deus opera arb ttii, aut ulla omnino (alioquin tales fuissent rejiciendi humano judicio) sed merum suum beneplacitum.

Petes; unde constet, ne quidem dari meritum congruum primæ gratiæ, adeòque initium salutis nullâ ratione esse ex nobis: cùm gratia equidem maneret gratia: sicut gratia justificans manet gratia, etsi eam de congruo per fidem aliasque dispositiones mereamur, seu impetremus? 50.

Non datur meritum congruum primæ gratiæ. Resp. id clarè persuadere auctoritates allegatas. Nam Scriptura discretionem hominū refert in merum beneplacitum Dei, *ad Rom.* 9. *ad Ephes.* 1. 1. *ad Cor.* 4. Præterea negat, nos aliquid priùs dare Deo, quod retribuatur nobis, omnem bonam cogitationem, fideique initium, non esse ex nobisipsis, *ad Rom.* 11. 1. *ad. Cor.* 3. Similiter hoc sensu solùm adstruebāt *Semipelagiani* (quidquid sit de ipsis *Pelagianis*) meritū primæ gratiæ, seu initium salutis de congruo, dicentes, fidem ex naturæ viribus conceptā impetrare ulteriora. Quo sensu redarguit illos *Aug. sup. c.* 2. *debetur enim* (utique de congruo) *credenti, ut à Domino ipsa fides augeatur, & sit merces fidei cœpta fides aucta &c.* & *Ep.* 105. ait: *Nec ipsa ergo remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat: neque enim nullum est meritum fidei &c.* utique congruum

tantùm. Et tamen simile meritum negat dari ad ipsam fidem, subdens. *Restat igitur, ut ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium, non humano, quo illi extolluntur, tribuamus arbitrio, nec ullis* (utique etiam congruis) *præcedentibus meritis &c.* Similia habet alibi. Et *de prad. SS. c. 2.* urget, ne gratia detur secundùm merita naturæ *quolibet modo*. Idem patet ex Epistolis *Prosperi* & *Hilarii*, qui simili modo referunt sensa *Semipelagianorum*. Quare eodem sensu *Araufic. sup.* excludit omnia prorsus merita præcedentia, gratiamque asserit neque posse conferri ad invocationem humanam, non expectare Deum nos, ut incipiamus, sed ipsum facere, ut velimus etiam credere. Et *Trid. sup.* exordium justificationis, adeòque salutis, docet sumendum à gratia vocante, nullis nostris præcedentibus meritis; ab his autem, si ullatenus aliqua essent, potiùs sumendum alioquin fuisset exordium. Confirmatur ex gemino exemplo, tum Christi, tum parvulorum; quorum prædestinatio omne prorsus meritum, etiam congruum, excludit: adeòque etiam adultorum, quorum prædestinationem *Augustinus* æquiparat. Denique quâ veri aut catholicissimi (quê *Massilienses* de cetero tenuerunt, immo & in hoc ipso, se tenere putabant) specie asseri poterat, opus naturale hominis injusti mereri de condigno? Inde enim à fortiori sensissent, quidquid agunt fideles peccatores esse meritorium de condigno: quod tamen paradoxum nullus in eis notavit.

Exemplo Christi & parvulorũ.

51. Ad rationem itaque dubitandi Resp. *Augustinum* variis argumentis peremptoriè cōcludentibus, non esse ex nobis cœptum fidei, sed esse donum Dei (quod *Semipelagiani* statuebant salutis initium) adjunxisse ex abundanti aliud argumentum de destructione gratiæ; eò quòd Articulus in *Concilio Palæstino*, objectus *Pelagio*, & ab eodem, ne condemnaretur, retractatus, sed subdolè: *gratia datur secundùm merita nostra*, excluderet ex sensu Patrum, quem velut notum *Augustinus* supponit, omne prorsus naturæ meritum. Posset quidem manere & vocari gratia, si daretur ob meritum procedens ex gratia, sicut gratia justificans; quam peccator de congruo meretur: tunc tamen contra suppositum non esset prima gratia. Si autem daretur ob meritum aliquod naturæ, jam non foret gratia, quæ nullatenus potest esse ex operibus naturæ, de quibus loquitur *Apostolus ad Rom. 11. Si gratia, jam non ex operibus.* Nam, cùm juxta Scripturam, Concilia & Patres beneficium electionis sit omnino gratuitum, largitioque gratiæ sit donatio perfectè liberalis, debet saltem in radice, scilicet concessione primæ gratiæ, omnis ratio retributionis, seu remunerationis excludi, sic ut nemo prior det Deo, ut retribuatur ei: nam, ut *L. 1. ff. de Donat.* dicitur, *hæc propriè donatio appellatur*, cùm qui dat id, *propter nullam aliam causam facit, quàm ut liberalitatem & munificentiam exerceat.* Deinde si opus humanis viribus exercitum, adeòque homini naturale, disponeret aliquo modo ad justificationem, ipsa forma justificans censeretur aliquo modo naturalis, ipsique naturæ debita. Gratuita proinde, & omnino supernaturalis electio, omne etiam congruum naturæ meritum excludit.

Alioquin non foret gratia.

Dico III. Bonus usus beneficiorum gratiæ conferendorum non est causa per modum meriti qualiscumque aut dispositionis, ob quam homini gratiæ prædestinatio facta sit. Est certa omnium sententia. In oppositum tamen referuntur *Alensis* & *Henricus*: quos solo loquendi modo à communi sententia discrepare ostendit *Sassing d. 6. n. 336. & 337.* Probatur ex Scriptura aliisque auctoritatibus allegatis, quæ clarè ostendunt in solum miserantis Dei beneplacitum, referendam esse electionem, seu prædestinationem gratiæ, nullâ ex parte salvandorum existente conditione, ob quam eis gratiam salvantem præparaverit. Deinde prævisus bonus usus gratiæ non habet locum in parvulis. Neque etiam in adultis potest absolutè prævideri, antequam gratia fuerit prædestinata sive decreta: in priori enim signo rationis tantùm habet rationem possibilis, non futuri: ergo nequit esse causa meritoria prædestinationis, seu potiùs effectus sive finis; prædestinatur enim & datur gratia ad hoc, ut bonus illius usus sequatur. Quòd si sermo sit de bono usu gratiæ, conditionatè si daretur prævisio: constat ex Scriptura, gratiam istam sæpè non fieri illis, qui bene usuri fuissent, ut patet *Ezech. 3. Si ad eos mitteretis, ipsi audirent te. Matth. 11. Si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* E contrà quandoque fides prædicata est iis, qui erant non bene usuri gratiâ; ut patet *Matth. 11. Act. 13. & 18.* & ab experientia. Adde, sicut ob mala conditionatè prævisa nemo reprobatur aut punitur, prout contra quosdam *Semipelagianos* ostensum est; sic nec ob bonum usum gratiæ, conditionatè prævisum, aliquis prædestinatur, aut mercedem accipit. 52.

Causa prædestinationis non est bonus usus gratiæ.

Dico IV. Nulla omnino ex parte prædestinati datur causa prædestinationis. 53.

Nulla datur ex parte prædestinati.

tionis, sed hæc referenda est in solam misericordiam Dei, quâ salvos nos facere voluit gratiam liberaliter præparando. Est certum: & patet ex dictis. Unde *Fulg. l.1. ad Monimum c.21. Si in hìs causâ prædestinationis quæritur, non utique alia, sed sola gratuita misericordia Dei reperitur.* Confirmatur: quia vel causa prædestinationis forent opera naturæ; & hæc nil merentur gratiæ, nec ad eam disponunt: vel forent supernaturalia, & hæc necessariò procedunt ex gratia prævia, eamque supponunt, adeòque nequeunt esse causa integræ prædestinationis quoad omnes effectus, etsi juxta prænotata in initio quæstionis possint ejusmodi opera ulteriores prædestinationis effectus promereri. Denique notanter exclusa est causa meritoria ex parte prædestinati: nam omnem gratiam & effectum prædestinationis habemus per Christum, qui consequenter prædestinationem nobis meruit, saltem in executione; fortè etiam in intentione: de quo in *Tr. de Incarnat.*

QUÆSTIO VI.

An efficax electio ad gloriam sit facta ante prævisionem meritorum?

54. *Status quæstionis.* Certum est, quòd sicut in tempore merentur electi gloriam bene utendo gratiâ usque in finem, sic Deus illam electis donet, adeòque ab æterno donare decreverit tamquam coronam justitiæ. Sed quæritur, an præterea habeat Deus decretum efficax, quo illos, quos in tempore coronat ob merita, elegerit ex bonitate sua gratuita ad gloriam, antequam præviderit eorumdem merita (vel quantùm ad parvulos, applicationem remedii contra peccatum originale) & finalem in gratia perseverantiam.

Certum præterea est, Deum potuisse hoc modo eligere, quotquot electi sunt: similiter potuisse omnes eligere dumtaxat post prævisa merita & perseverantiam, sic ut singulis decreverit subministrare media salutis ex sincero salutis eorum affectu, non tamen planè absoluto & efficaci ante merita prævisa: denique potuisse aliquos eligere ante, aliquos post prævisa merita. Quæstio itaque facti est, quo modo elegerit. In qua duæ sunt sententiæ principales. Prima asserentium electionem hanc esse factam post prævisa merita & finalem perseverantiam. Ita *Valentia, Vasquez, Becanus, Lessius* & multi alii, præsertim è Societate Jesu. Et ex *Scotistis Philippus Faber* & *Poncius*

Sententia asserens electionem post prævisa merita.

d.7. q.3. Referuntur etiam *Alensis, D. Bonav.* & plures antiqui à *Vasquez d. 89. c. 2.* & aliis. Isti tamen hanc controversiam non tractant, ut contendit *Smising d.6. n.344.* Eamdem sententiam, quoad partem longè potissimam salvandorum, docent *Occam & Gabriel d. 41. & Catherinus in Opusc. de præd. & in c.8. & 9. ad Rom. in c. 5. ad Ephes.* & alibi. Qui tamen volunt (etsi *Occam* non assertivè, sed cum formidine de hac re loquatur) paucos, scilicet Deiparam, Apostolos, & similes eximios sanctos, fuisse electos ante prævisa merita. Quod etiam *Less. disp. de præd. sect.5. n.110.* non audet negare de Deipara. Et novissimè *Derkennis de providentia Dei. n.52.* prædictorum sententiam sic limitatam satis rationabilem putat. Quæ equidem nititur merâ conjecturâ aut congruentiâ. Quare communiter rejicitur, eò quòd in negotio prædestinationis non sit aliquid asserendum sine auctoritate Scripturæ vel Patrum, in quibus tamen nullum apparet vestigium duplicis ordinis salvandorum, sed potiùs uniformis electionis, sive ante, sive post prævisa merita.

Non est admittendus duplex ordo salvandorum.

55. Graviùs equidem & meritò displicet modus loquendi *Catherini*, non necessariùs ad præfatæ opinionis defensionem, quòd solos istos paucos, quos eximiè prædestinatos vocat, dicat electos, secundùm propositum vocatos, prædestinatos, oves & fratres Christi, existimans Scripturam de iis paucis loqui, dum præfatis epithetis utitur. Hoc namque est maximè alienum à communi sensu fidelium, & à publicis Ecclesiæ precibus, immo & à modo loquendi Scripturæ & Patrum, qui nomina ista adhibent quibusvis salvandis: adeò ut *Fulgentius de fide ad Petrum c.35.* Firmissimè tenendum doceat, neminem salvari, nisi sit à Deo prædestinatus ad regnum. Displicet præterea, quòd istis eximiè electis injecerit quamdam bene agendi & non peccandi necessitatem; ut sonant verba, & *Catherinum*, intellexit *Smising d. 6. n.461. Estius* tamen in illud *ad Rom. 8. quos autem justificavit, illos & glorificavit*, refert *Catherinum* perseverantiam in iis statuisse infallibilem salvâ arbitrii libertate. Nec favet *Catherino* conclusio parabolæ *Matth.20. sic erunt novissimi primi, & primi novissimi: multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Ibi namq; nō significatur, quòd vocati tantùm, adeòque non electi, erunt in regno, scilicet novissimi; sed significatur, ipsos omnino non futuros in regno; ut patet *Lucæ 13.* Simili modo *Matth. 21.* dicuntur Publicani & peccatores præcessuri Pharisæos in regnum Dei, quia scilicet Pharisæi ibi non erunt. Itaque de opinione sic limitata nil superest

perest dicendum. De ipsa verò principali opinione ampliùs intrà agendum.

Sententia negans præfertur.

56. Secunda sententia principalis asserit electionem esse factam ante prævisa merita. Est *D. Th. q. 23. a. 5. ad. 3. Scots d. 41.* & aliurum antiquorum: quos sequuntur *Thomistæ & Scotistæ* communiter, item *Suarez. Bellarminus. Toletus, Ruiz*, & plurimi alii. Qui tamen admittunt scientiam mediam, censent electionem non esse factam ante scientiam conditionatam meritorum & perseverantiæ. Aliqui etiam dixerunt, electionem ad gloriam ut sic, vel ad minimum gloriæ gradum, esse quidem factam ante prævisa merita; non tamen ad omnem gloriæ gradum, ad quem electi sunt perventuri, nisi post prævisa merita. Sed hæc limitatio communiter rejicitur: quia si quid suadet electionem contigisse ante prævisa merita, æquè suadet esse factam ad determinatum gloriæ gradum.

Probatur ex Scriptura.

Hæc secunda sententia videtur verior. Probatur I. ex Scriptura *ad Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propositum vocati sunt sancti: nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.... quos autē prædestinavit, hos & vocavit*, &c. Ubi Apostolus significat efficacem electorum vocationem esse factam ex proposito illis dandi vitam æternam; quod proinde propositum præcedit voluntatem vocandi, adeòque & præscientiam meritorum, quæ à vocatione pendent. Deinde significat ex peculiari Dei prædestinantis proposito, tamquam cardine proficisci, ut electis omnia cooperentur in bonum, ut vocentur, ut justificentur, ut glorificentur; quos effectus Apostolus eleganti gradatione subnectit. *Concluditur ergo* (inquit noster *Saibeuth* in præfatum locum) *ex hac divina prædestinationis efficacia nihil accidere posse electis, quod ipsorum salutem impediat.* Unde hæc electio non præsupponit præscientiam fidei, meritorum & perseverantiæ, sed è contrà hæc omnia in electionem & propositum Dei, tamquam ultimatam radicem resolvenda sunt. Apostolus namque loquitur, non de proposito hominis (ut quidam *Græci & Pelagiani*) sed Dei, prout exprimit idem Apostolus *Ad Rom. 1. Ad Ephes. 1. 2 ad Tim. 1.* Sic *Aug. l. 2. contra 2. epistolas Pelagian. c.* 10. & alibi sæpè, & reliqui expositores. Nec loquitur de qualicumque proposito Dei, etiā justificandi solùm, sed de proposito Dei proprio electis, quo scilicet illos elegit ad regnum: *non enim* (inquit *Aug. sup.*) *omnes vocati, secundùm propositum sunt vocati: quoniam multi vocati, pauci electi* &c. & *l. 5. contra Jul. c. 3. Novit Deus qui sunt ejus, & omnia cooperantur in bonum, sed his qui secundùm propositum vocati sunt: multi enim vocati, pauci verè electi. Qui ergo electi, hi secundùm propositum vocati* &c. Qualiter autem hinc fluat efficax & perseverans vocatio, explicat *lib. de præd. SS. c.* 18. *Ex hoc proposito ejus est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum: quia secundùm propositum vocati sunt sancti, & sine pœnitentia sunt* (id est, *sine mutatione stabiliter fixa sunt*, ut dixerat *c.* 16.) *dona & vocatio Dei.* Et *eod. c. 16. Ad hanc vocationem qui pertinent, omnes sunt docibiles Dei.... istorum autem nemo perit, quia omne quod dedit ei Pater, non perdet ex eo quemquam.* Quid autem sit Christo dari explicat *de corrept. & grat. c. 9. Hi Christo intelliguntur dari, qui ordinati sunt in vitam æternam, ipsi sunt illi prædestinati & secundùm propositum vocati, quorum nullus perit. Ac per hoc nullus eorum, de bono in malum mutatus finit hanc vitam, quoniam sic est ordinatus, & ideo Christo datus, ut non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Radix vocationis & perseverantiæ.

Alter Scripturæ locus est *Act. 13. Crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternam.* Etsi enim *Lessius*, & nonnulli alii oppositæ sententiæ Auctores, ex eo quòd ibi sit sermo de multis, ad quos fuerat Paulus concionatus, quos omnes salvandos ibi fuisse revelatum, non est credibile, illud *præordinati*, ex Græco exponant *ordinati*, id est bene dispositi per desiderium salutis; vel de præordinatione ad vitam æternam inchoativè per fidem & gratiam; vel etiam, si ita vis, ad salutem, sed prævisis meritis. Expositio tamen ista non consonat textui Editionis vulgatæ, quæ sonat præordinationem, idque non tantùm ad fidem, q. d. crediderunt quotquot erant præordinati ad credendum; sed, ad vitam æternam: quod sonat æternam gloriam; & consonat illud *Aug. l. de corrept. & grat. c. 6. Quis in æternam vitam potuit ordinari, nisi perseverantiæ dono, quandoquidem qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit? quâ salute, nisi æternâ?* idque non ex prævisa fide & meritis, eò quòd Scriptura apertè indicet latentem causam priorem seu radicem, ex qua oriebatur quòd specialiter isti crediderunt prædicationi Pauli, scilicet præordinationem ad vitam æternam. Quo sensu hunc locum intelligit *Aug. de præd. SS. c.* 10. ubi cùm meminisset Davidis & Saulis, quos volens Deus absolutè constituere reges, hoc egit in cordibus hominum, & ad hoc perduxit quorum ei placuit voluntates; subdit idem esse de regno cælesti, & invitatis adversariis: *Audiant* (inquit) *crediderunt quotquot erant ordinati in vitam* 57.

Præordinatio ad vitam est causa fidei.

tam æternam. Audiant hæc & alia quæcumque non dixi, quibus ostenditur, Deus ad regnum etiam cælorum, & ad vitam æternam parare, & convertere hominum voluntates. Nimirum, quia (ut ait *de corrept. & grat. c.14.*) *Deo volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitriũ.* Quare credibile omni modo debet esse, quòd ibi fuerit S. Lucæ, & per ipsum nobis simpliciter revelatum, prædestinatos fuisse ad beatitudinem illos, de quibus *Act.13.* est sermo.

58. Denique *Sap.* 4. de electo dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus &c. placita enim Deo erat anima illius. Mar.* 13. *Propter electos, quos elegit, breviavit dies illos. Luc.* 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Joan.10. *Nemo rapiet eas* (oves, id est prædestinatos) *de manu mea.* Et *ibid*: *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient. Ad Rom.* 11. *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit. Ad Ephes.* 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati ejus in charitate, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum secundùm propositum voluntatis suæ.* 1.Joan.2. *Exierunt ex nobis, quia non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Et similia Scripturæ loca significant ex singulari Dei diligeotis, sibi complacentis, eligentis ac prædestinantis affectu & proposito oriri, ut quidam præ ceteris credant, & ad ovile Christi adducantur, ut vocem ejus audiant, ut brevientur tentatioonm dies, ne fortè malitiâ eorum animum immutante pereant; ut non repellat eos, ut non rapiat eos quisquam de manu ejus, ut permaneant oobiscum. Unde consequens est, propositum seu electionem illam esse omnibus prædictis priorem, eisque tamquam radicem præsupponi, scilicet ut Deus, eò quòd præordinaverit electos præ ceteris ad vitam æternam, idcirco eisdem disposuerit providere de efficacibus & infallibilibus mediis, nimirum fide & bonis operibus, fortitudine io tentationibus & finali perseverantiâ, quibus ad finem à Deo inteotum pervenirent. Sicut è contrà ex defectu ejusmodi decreti prædestinativi, tamquam radice procedit defectus vocationis, jostificationis, aut certè efficacis ad perseverantiam gratiæ, ut sæpè inculcat *Augustinus*, signanter *de bono persev. c.14.* ubi rationem hanc ponit, cur apud Tyrios & Sidonios, qui fuissent credituri, visis signis & prædicato Evangelio, hæc ipsa oon contigerint. Et *c.9.* eamdem ponit rationem differentiæ inter duos pios, alioquin æquales in natura, vocatione, baptismo, & justificatione, cur unus & non alter perseveret: *Verumtamen* (inquit) *secundùm aliam quamdam discretionem non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Quænam est tandem ista discretio? non erant ex eis, quia non erant secundùm propositum vocati: non erant in Christo electi ante constitutionem mundi: non erant prædestinati secundùm propositum ejus, qui universa operatur. Nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent.*

Ex eadem profluunt beneficia specialia electorum.

59. Dices cum quibusdam Auctoribus oppositæ seotentiæ: ex Scriptura patet hujusmodi appellationes, *electi, prædestinati &c.* sæpè dirigi ad integras Ecclesias, ex quibus tamen multi non erant electi, aut prædestinati ad vitam æternam; ut *ad Ephes.* 1. 1. *Pet.* 1. & alibi: ergo in Scriptura tantùm dicuntur electi, prædestinati &c. ab incompleta electione & prædestinatione, scilicet ad justitiam. Resp. Neg. Conseq. quia usitatè & convenientissimè loquimur, & scribimus Communitatibus, ut in commendando, sic eas alloquamur quasi omnes essent booi, & in reprehendendo, quasi omnes essent mali; cùm tamen laus illa, aut vituperium propriè tantùm cadat in nonnullos: qui loquẽdi modus synecdoche appellari solet. Quam regulam frequentissimè tradit, & ad nostrum propositum aptat *Aug. ep.59. qu. 17. super Genesim* & alibi. Hic autem mos, etsi generalis sacræ Scripturæ, peculiariter locum habere debet, ut dum Christianis communitatibus loquimur, sic agamus, ac si omnes essent electi & prædestinati; quia scilicet dignum est, ut de omnibus speremus, & optemus meliora & vicioiora saluti, exemplo Apostoli *ad Hebr.* 8. quantumvis fortè aliqui ex illis sint reprobi: sicut idem Apostolus, omnes ad quos scribit vocat sanctos, quàmvis forsitan noo omnes essent sancti & justi.

Cur Scriptura integras communitates vocet sanctas.

60. Confirmatur nostra doctrina ex Apostolo *ad Rom.* 9. ubi docet vasa præparata io honorem solâ Dei misericordiâ esse separata à vasis in contumeliam; quam benignam electorum separationem declarat exemplo Jacob, de quo non ex operibus, sed ex vocante dictum est: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*; quia cùm hi fratres essent germani ac gemini, eoque nomine pares, nisi quòd Esau ratione primogenituræ præponendus videretur; voluit tameo Deus pro mero suo beoeplacito Jacob ejusque posteritati beoefacere, posthabito ac neglecto Esau, noleos in hunc, & præsertim in ejus posteritatem singularia beneficia conferre.

ferre. Ex quo Apostolus argumento à figura ad rem figuratam colligendum relinquit, simili modo quosdam à Deo pro mero suo beneplacito eligi ad gloriam, qui significantur per Jacob; ceteris neglectis, qui significantur per Esau. Nam hoc exemplo mysticè significari electionem ad gloriam, insinuat Apostolus ibidem, dicens: *ut secundùm electionem propositum Dei maneret*, intellige, propositum dandi regnum cæleste, cum *Aug. l. 2. contra duas epistolas Pelagian. c.* 10.

61. *Probatur ex patribus. Augustino.* Probatur II. Eadem doctrina ex Patribus. Varia loca *Augustini* attulimus inter probandũ ex Scriptura, subnixâ explicationi *Augustini*: quibus juxta phrasim Scripturæ proposito efficaci, electis proprio, attribuit tamquam fonti, ex quo profluant vocatio, correctio, justificatio, perseverantia. Alii tamen Auctores opposito planè modo discurrunt, dum ex fide & perseveranriâ volunt nasci propositum electionis. Præterea *de corrept. & grat. c.* 14. docet, Deum pro suo beneplacito elegisse Saül & David in reges, indeque provenisse, quòd affectus, quorum placuit, inclinaverit in ordine ad hunc finem; subditque: *si ergo cùm voluerit reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominũ, quam ipsi suas; quis alius facit, ut salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, ut cælesti constituatur in regno?* quia scilicet *Deo* efficaciter *volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium*, ut præmiserat. Sanè si in rebus humanis quisquam sic loqueretur: quando rex quempiam vult facere gubernatorem, id exequitur ita fortiter, ut nullus ei resistere possit, quin ita fiat; nemo dubitaret, quin propositum istud regis esset antecedenter & ex se omnino efficax, unde oriretur electio infallibilium mediorum, ne fortè illud propositum suo effectu frustretur. Simili autem modo Deus se habet circa electos, juxta *Aug. sup.* & alibi sæpè. Ob quæ similiave testimonia *Suar. l. 1. de præd. c.* 8. dicit, hanc sententiam esse sine dubio *Augustini*: quod & alii hactenus ferè censuerunt, etiam ipsi oppositæ doctrinæ defensores, è quibus varii apertè profitentur, hac in parte se ab *Augustini* sensu discrepare. Auctoritas porrò *Augustini*, in omnibus quidem scriptis valde magna, in materia de prædestinatione & gratia est maxima, ob varia Pontificum testimonia, aliasque rationes alibi allegandas. Quare recentiores oppositæ sententiæ defensores illum quoque in sui patrocinium advocare student, post *Valentia* & *Vasquez*.

62. *Prospero.* *Augustino* consonant *Prosper* & *Fulgentius*, uterque insignis *Augustini* sectator, dum similiter vocationem & perseverantiam fundant in proposito Dei prædestinativo tamquam radice. Sic *Prosper Respons. ad object. 12. Vincentian. Prædestinatio est multis causa standi, nemini est causa labendi.* Et clarè *epist. ad Ruff. c. 14. & 15. & l. 2. de vocat. gent. c. 35. Deus his, quos elegit sine meritis, dat unde ornentur & meritis. Et frustrà dicitur, quòd ratio operandi non sit in electis, cùm etiam ad hoc, ut operentur, electi sint.* Sic legendũ ait *Arrubal disp. 72. c. 1. n. 4.* juxta libros correctos, & contextum, tum præcedentium verborum, tum mox sequentium: *virtutum quippe munera otiosa esse non possunt..... non igitur ad hoc datur continentia, ut concupiscentiis non repugnet* &c. Quamquam *Vasquez* aliter legat juxta alios textus, *cùm etiam ad hoc operentur ut electi sint*: sine tamen emolumento suæ doctrinæ; cùm id quoque verum sit in executione. Et *c. 36. Quàmvis* (inquit) *quod statuit Deus nullâ possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrii devotio relaxatur: cùm implendæ voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum, & quibona gesserint, non solùm secundùm propositum Dei* (scilicet in prima intentione) *sed etiam secundùm sua merita coronentur*; scilicet in executione.

63. *Et Fulgentio.* *Fulgentius l. de fide ad Petrum c. 3. Illi cum Christo regnabunt, quos Deus gratuitâ bonitate suâ prædestinavit ad regnum: quia enim tales prædestinando præparavit, ut regno digni essent; præparavit utique secundùm propositum vocandos, ut obediant, præparavit justificandos, ut acceptâ gratiâ rectè credant & bene vivant, præparavit etiam glorificandos, ut Christi coheredes effecti regnum cælorum sine fine possideant.* Et alibi. Plura horum & aliorum Patrum testimonia refert *Smising*, & alii Auctores.

64. *Probatur ratione.* Accedit ratio *Scoti d. 41. n. 11.* & alibi: ordinatè volens priùs vult finem quàm media: atqui gloria est finis, merita autem sunt media: ergo Deus, qui indubiè ordinatissimè intendit, priùs vult gloriam electis, quàm velit merita, & consequenter priùs, quàm hæc absolutè præsciat. Ad quam tamen alii respondent, sufficere, ut Deus velit priùs gloriam antecedenter & conditionaliter, si nempe mediis gratiæ sibi oblatis bene utantur electi: sicut præmium proponens currentibus, vult quidem conditionatè omnibus currentibus præmium, nemini tamen efficaciter & absolutè, nisi supposito legitimo cursu. Sed contra hanc responsio-

sponsionem facit, quòd intentio finis debeat esse proportionata electioni mediorum, modusque eligendi media indicet modum intentionis: Deus autem electis præparat, & confert certissima media, quibus omnino infallibiliter & invictissimè salutem consequantur: ergo censendum est, Deum etiam absolutè & efficaciter eis voluisse istum finem, scilicet salutem.

65. *Item exemplo prædestinationis Christi.* Confirmatur exemplo prædestinationis Christi, cujus velut capitis prædestinatio est præclarissimum exemplar prædestinationis nostræ, juxta *Aug. de præd. SS. c.* 15. & alibi: humanitas porrò Christi independenter à prævisis meritis fuit prædestinata, tum ad unionem hypostaticam, tum ad gloriam: ergo & ceteri sunt ad gloriam electi ante prævisionem meritorum.

Fundamenta oppositæ sententiæ. Opposita sententia non levibus quoque nititur fundamentis, breviter hic ponendis ac dissolvendis. Itaque.

66. *Ex Scriptura.* Objicitur I. Auctoritas Scripturæ, *Matth.* 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim, & dedistis mihi manducare* &c. Ubi apertè insinuatur, regnum cælorum esse paratum justis, ob prævisa eorum bona opera. Quod patet, tum ex particula causali *enim*; tum ex antithesi subnexa de reprobis: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo* &c. utique post prævisa demerita. Sic ferè *Less. de præd. s.* 2. *n.* 6. Resp. hanc & similes Scripturas, in quibus vita æterna dicitur dari tamquam præmium laborum vel corona justitiæ, agere de ordine executionis. Etsi

Duplex ordo, intentionis & executionis. enim Deus gratuitò elegerit homines efficaciter ad gloriam (quæ prima electio pertinet ad ordinem intentionis, juxta quem primò intenditur finis, deinde media fini propinquiora, denique remotissima) pariter tamen potuit ab æterno decernere gloriam, sic præparatam non conferre in tempore, nisi intuitu præcedentium meritorum. Quod posterius decretum pertinet ad ordinem executionis, in quo processus fit modo opposito: quod enim primum est in intentione finis, seu causalitate finali, est ultimum in executione, sive causalitate effectivâ. Quare in hoc ordine vocatio præcedit justificationem, hæc perseverantiam, perseverantia denique glorificationem. Itaque in verbis istis: *Esurivi enim &c.* tantùm datur ratio istius: *Possidete regnum*; non autem, cur regnum istud sit illis primò à Deo præordinatum. Prout etiam reprobis non objicitur, nisi ratio istius: *Discedite in ignem æternum*; non autem istius, *qui paratus est diabolo &c.* nam subditur: *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*: aliàs significaretur, ignem æternum esse paratum diabolo, eò quòd homines non dederint Christo manducare. Equidem ex subjecta materia satis constat differentia inter præparationem regni, quæ primò proficisci potest à gratuita & bona voluntate ac liberalitate Dei, & præparationem supplicii, quæ primò à voluntate Dei ortum habere nequit.

Aliæ Scripturæ, in quibus promittitur salus sub conditione operum, tantùm significant salutem dependere in executione à cooperatione liberi arbitrii, sive mediorum applicatione: quamquam hæc ipsa sint efficaciter electis præparata à Domino, vi specialis & gratuitæ electionis, ac dilectionis eorumdem. 67. *Aliæ scripturæ testimonia.*

Similiter illud 2. *Pet.* 1. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*, non intelligitur de certificatione electionis, prout est in Deo, sed ibi tantùm incitamur, ut illam nobis & aliis faciamus compertam ex constanti studio bonorum operum: cùm non nisi inde possimus reddi securi de electione gratuita ad gloriam, ad quam in tempore non nisi, studiosè bona operando, possumus ex decreto divino pervenire. *Qualiter electio reddatur certa.*

Præterea locus Apostoli *ad Rom.* 8. *Quos præscivit, & (id est, etiam) prædestinavit &c.* potius est pro nobis, ut suprà ostendimus. Neque enim ait Apostolus, *quorum merita*; sed, *quos præscivit*, scilicet præscientiâ approbationis sive dilectionis; sive quos ab æterno prædilexit, ad hoc ùt essent filio conformes in gloria, etiam hos prædestinavit, decernendo eos certissimis mediis ad tale bonum perducere, ut explicat noster *Saibouth, Carthus. Estius, Pererius* & alii. Quo sensu etiam nomine præscientiæ utitur idem Apostolus *ad Rom.* 11. *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* Et similiter intelligit *Estius* illud 1. *Pet.* 1. *Electis advenis secundum præscientiam Dei Patris*, Quod tamè facilè intelligi etiam posset de præscientia, spectante ad intellectum, ut sensus sit: electis præcognitis à Deo. Quare prior locus Apostoli prædestinationem ex meritis adeò non adjuvat, ut potiùs evertat. Et sanè Apostolum non loqui de præscientia meritorum, inde colligitur, quòd merita non sint præscita ante præparationem mediorum; cùm tamen Apostolus, præscientiam, de qua loquitur, significet esse causam, adeòque priorem prædestinatione, sive præparatione mediorum. Alii putant Apostolum loqui de præscientia quidem propriè dictâ, sed *Præscientia diversimodè sumitur in Scriptura.*

signifi-

significare meram concomitantiam, non autem causalitatem præscientiæ & prædestinationis. Et sic quoque nil facit contra nos. Prout nec facit, si cum aliis sic explicetur : *quos præscivit, ita ut eos prædestinaret* &c. præscientia enim est generalior prædestinatione, respicitque etiam reprobos.

68. Denique illud *Apoc.3. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*; non dicitur illusoriè, etsi prima electio non dependeat à meritis : nam ab his saltem dependet corona, scilicet retributionis & justitiæ, quam non nisi pro meritis reddet justus judex. Deinde (ut pulchrè respondet *D.Bonav. d.40. a.2.q. 2.ad 1.*) corona retributionis alicui debetur secundùm reputationem præsentis justitiæ, alicui secundùm prædefinitionem præscientiæ. Et contingit, quòd illo cadente, cui debetur secundùm præsentem justitiam, subintret alius, cui debetur secundùm prædefinitionem æternam. Hic autem cadere quoque & coronam perdere quidem potest, & alius non prædestinatus acquirere; tamen hoc numquam eveniet. Quia ergo præscitus justus frequenter locum æternæ mansionis perdit, quem alius paris meriti acquirit, & nemo scit, utrùm sit præscitus, vel prædestinatus: ideo quàmvis sciat, se esse justum, timere debet ne amittat locum. Et ad hunc timorem hortatur beatus Joannes in prædicta auctoritate Apocalypsis : & hic timor bonus est omnibus, & præscitis & prædestinatis: quia humiliat, & sollicitat. E contrà, certitudo de electione elevat in tumorem, & deprimit in torporem: ideo secundùm ordinatissimam dispositionem hoc factum est, ut nulli revelетur, an sit prædestinatus, nisi sit à Deo confirmatus in bono, ut non possit elevari in superbiam, vel torpere per negligentiam. Patet ergo quòd illa auctoritas non significat, mutationē fieri in præscientia, vel aliter evenire, quàm Deus præscit: sed quòd qui actualiter justus est, potest locum, quo dignus est, perdere, perdendo justitiam, & quòd qui peccator est, potest sibi locum debitum acquirere, acquirendo justitiam, & hoc totâ die contingit. Exemplum in veteri testamento manifestum fuit de Saüle, & David in regno, cui scilicet Saüli rectè potuit dici: Tene quod habes; id est, humilitatem, & justitiam, ne alius accipiat coronam tuam, tibi debitam secundùm statum præsentem, alii tamen debitam secundùm dispositionem æternam. Exemplum etiam est in coronis quadraginta Martyrum. Sic ferè ad verbum *Seraphicus Doctor*.

Quomodo unus coronā perdat, & alter accipiat.

69. Objicitur II. Deus habet sinceram voluntatem conditionatam salvandi omnes quantùm est de se; ideòque omnes æqualiter ad salutem vocantur *Matth. 11. Venite ad me omnes* &c. ipsisque hominibus tribuitur, quòd vocati venire ad salutem noluerint, *Proverb. 1. Vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.* & alibi. Atqui cum hoc non consistit efficax electio quorumdam, neglectis ceteris, ad gloriam pro mero suo beneplacito absque respectu ad opera; ergo &c. Confirmatur: quia architectus non dicitur habere sincerum affectum ponendi omnes lapides in ædificio, qui pro mero suo beneplacito aliquos seligit, reliquis relictis. Nec agonotheta dandi omnibus certantibus bravium, si uni illud efficaciter præparaverit, ceteris neglectis. Resp. Deum etiam post lapsum ex se habere sinceram, sed non æqualem dilectionem; aut affectum salvandi omnes: nec omnes consequenter vocare æqualiter interiùs, etsi admonitionem & invitationem dirigat ad omnes: de quo non apparet ullum dubium. Quare sic intellectâ majore Neg. min. quia aliquorum prælectio non adimit Deo sincerum erga aliorum salutem affectum, nec facit illam impossibilem aut magis difficilem ; utpote non exclusiva salutis ceterorum, qui si quod poterant, fecissent, & ipsi quoque Dei adjutorio pervenissent. Quare reprobi juxta *Prosp. Resp. ad 3. cap. gall. non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt*, seu specialiter prælecti.

Electio gratuita non tollit sincerum Dei erga omnes affectum.

Ad Confirm. Resp. disparitatem esse, quòd electio aliquorum lapidum, aut ordinatio unius ad bravium sit exclusiva aliorum: cùm non nisi certum numerum lapidum patiatur symmetria ædificii, nec nisi unus accipere possit bravium. At si lapides vivi in cælesti ædificio multiplicentur super numerum primò efficaciter prælectorum, nil orietur incommodi: bravium quoque cæleste non unus aut pauci, sed quotquot faciunt quod possunt & debent, illud accipiunt sine diminutione aut præjudicio aliorum. Deinde architectus non dat virtutem aut media lapidibus, quibus possent, si vellent, se promovere ad ædificium, nec agonotheta certantibus, quibus possent, si vellent, obtinere bravium : prout tamen dat Deus, etiam reprobis. 70.

Objicitur III. Auctoritas Patrum, qui ante exortam Pelagii hæresim scripserunt. *Ambrosius* enim *l. 4. de fide ad Gratianum c.2.* explicans illud *Matth. 20. Non est meum dare vobis*, inter alia ait: *Non antè prædestinavit, quàm præsciret, sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit. Hilarius in Psal. 64. Non res indiscreti judicii electio est, sed ex meriti delectu* 71.

delectu facta discretio est. Consonat quoque *Chrysostomus hom.* 80. *in Matth.* & alii.

Quid dicendum sit de Patribus Pelagio anterioribus. Resp. Patres anteriores, intẽtos defensioni liberi arbitrii cõtra Manichæos, aut dogmatibus moralibus pro instructione populi, securiùs fuisse locutos, dum abesset hostis; & quidem de divina gratia obscuriùs ac parciùs. Quare benignè interpretandos monet *Augustinus*. Qui tamen ex eisdem doctrinam de electione secundùm propositum, probat *l. de præd. SS, c.* 14. & prolixiùs *l. de bono persev. c.* 19. Loquuntur proinde de donatione temporali gloriæ, sive de electione executoria, quâ decernuntur præmia quà talia. Sic intelligenda sunt verba *Ambrosii loco cit.* quæ tamen in vetustioribus exemplaribus sæpiùs impressis nõ haberi, testatur *Facultas Theologica Lovaniensis c.* 3. *censura*. Similiter *Hilarius* de illa electione loquitur, quæ fiet tempore extremi judicii, dum boni pisces eligentur in vasa, mali foràs mittentur, & oves ab hædis separabuntur. Eodem modo *Chrysostomus sup.* loquitur de præparatione executoria, in qua æterna retribuuntur pro veste, pro pane &c. significans, simul illam proficisci ex speciali charitate circa electos, quâ eos primò, seu à principio complectitur, ut præmittit.

Omitto *Originem* & nonnullos alios veteres, objici solitos; utpote, quantùm ad præsentem materiam, nullius auctoritatis; ut ex *Estio* rectè observat *Smising n.* 602. Idem est de testimoniis desumptis ex libris, falsò attributis *Augustino*, aliisve Patribus orthodoxis apud *Smising sup.* Denique inter recentiores Patres non est hîc curandus *Rupertus*. veluti qui *B. Augustini* doctrinam apertè reprehendit.

72. *Loca S. Aug. in speciem contraria sunt discutiuntur.* Objicitur IV. Auctoritas Augustini, & sequacium. Varia loca allegando pariter dissolvemus. Itaque *serm. 7. de verbis Dom. c.* 2. ait *Augustinus*: *In hoc capitulo discimus, quonĩa quos voluit Dominus, hos elegit. Elegit autem sicut dicit Apostolus, & secundùm suam gratiam, & secundùm illorum justitiam.* Sed (ut taceam ipsum loqui de electione temporali ad discipulatum, ut patet ex contextu) intelligendo verba de electione ad gloriam, facilè explicantur, ut velit S. Doctor, Deum elegisse quos voluit prædestinativè secundùm suam gratiam, executivè secundùm ipsorum justitiam,

Ibidem c. 2. ait: *Reliqui mihi. Quid est, reliqui mihi? ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præsumentes, non de se, nec de Baal.* Sed loquitur de electione executoria ad perseverantiam, vel ad servitium Dei veri sine lapsu idololatriæ. Voluit enim illud donum eis in tempore dare, etiam secundùm ipsorum justitiam, id est non otiosè agentibus, sed per bonam in Deo, ejusque misericordia fiduciam, ac de propriis viribus diffidentiam, illud suppliciter, seu de congruo merentibus.

L. 83. *qq. q.* 68. ait: *Prorsus cujus vult miseretur, & quem vult obdurat. Sed hæc voluntas Dei injusta esse non potest: venit enim de occultissimis meritis: quia & ipsi peccatores, cùm propter generale peccatum unam massam fecerint, non tamen nulla est inter eos diversitas. Magister d.* 41. *ex Hugone Victorino in Summa sententiarum Tr.* 1. *c.* 12. putat hunc locum ab *Augustino* retractatũ in simili, scilicet *l.* 1. *c.* 26. Sed rectiùs id negat *Scotus d.* 4. *n.* 8. & *Areminensis ibid. a.* 2. *ad.* 3. nam 1. *retract. c.* 26. agit de quodam dicto, quod immediatè consequitur verba hîc objecta; quæ tamen eadem occasione attigisset, si retractanda censuisset. Deinde nil continent rationabiliter retractandum. Loquitur itaque *Augustinus*, non de meritis prædestinationis, sed quorumdam illius effectuum, scilicet justificationis, cujus datur meritum congruum; uti & datur meritum obdurationis: de quibus *Augustinus* tractat. *l. de grat. & lib. arb. c.* 8. tractans quæstionem, quomodo vita æterna in Scriptura dicatur gratia: cùm sit merces reddita pro operibus; Respondet: *Ista ergo quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolvi, nisi intelligamus, & ipsa bona opera nostra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere.* Et infrà: *hac autem* (vita æterna) *quoniam præmium ejus*, (gratiæ prioris) *est gratia pro gratia, tamquam merces pro justitia.* In nostra autem sententia esset præterea alius planissimus modus, quò adhuc vita æterna posset dici gratia, quatenus scilicet gratuitò prædestinata in ordine intentionis; ergo hanc gratuitam electionem *Augustinus* non agnovit. Resp. *Augustinum* loqui de vita æterna, quatenus *bonis operibus redditur*, & de gratia, quæ *non operibus, sed gratis detur*, ut loquitur. Quam gratiam describens *de præd. SS. c.* 10. ait: *Gratia verò est ipsa donatio.* Adeòque loquitur de donatione executoria vitæ æternæ. Alioquin ipsam vitæ æternæ præparationem alio sensu posse dici gratiam, nulli potest esse dubium: nam *Trid. sess.* 6. *c.* 16. docet, illam *tamquam gratiam misericorditer promissam*, & *tamquam mercedem fideliter reddendam*. Misericors igitur promissio vitæ æternæ est magna gratia; redditio autem merces quidem, tamen etiam gratia pro gratia. Sic & alii admittunt voluntatem antecedentem, quâ

quâ gratuitò ordinati sumus in vitam æternam: etsi non efficaciter, ante operum prævisionẽ: illud ipsum autem est gratia. Sic itaque etiam secũdùm nos, gratia est vita æterna in intentione, quatenus sunt sancti ad illam efficaciter gratuitò electi.

In *Psal.* 126. ad illud *Matth.* 20. *Non est meum dare vobis* &c. ait: *quid est, non est meum dare vobis? non est meum dare superbis, hoc enim adhuc erant* (filii Zebedæi) *Sed si vultis illud accipere, nolite esse quod estis: aliis paratum est, & vos alii estote. & vobis paratum erit.* Verùm subintellige, in executione: nullum enim erit impedimentum, impletâ tali conditione, quò minùs locus dexter sit paratus, & de facto detur; impletio autem conditionis pendet à voluntate etiam reproborum. Quod satis indicant verba: *Non est meum dare. Aug.* itaque sic loquitur, non quòd velit istud fore causam primæ præparationis, sed eò quòd sit illius effectus & signum, sitque causa præparationis in executione. Deinde ut ostendat, etiam malis esse antecedenter præparatum regnum, quantùm est ex parte Dei; adeò ut si nollent esse quod sunt, essentque alii quàm sunt (quod eum divino adjutorio possunt) verè eis daretur, & consequenter Deus dare ordinasset, prævisis meritis: quorum defectu id non ordinavit. Quod non repugnat gratuitæ aliorum electioni.

Lib. 1. *ad Simplic. q.* 2. tractans illud *ad Rom.* 9. *Cùm nondum nati fuissent* &c. ait: *Non ergo secundùm electionem propositũ Dei manet, sed ex proposito electio, id est, non quia invenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositũ justificationis ipsius; sed quia illud manet, ut justificet credẽtes, ideo invenit opera, quæ jam eligat ad regnum cælorum.* Paulò post. *Non electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio.* Resp. *Smising sup. n.* 608. & alios, explicare *Augustinum* de executoria electione, sive de electione meritorum & justitiæ; non de electione gratiæ seu gratuitâ, quam infrà exprimit nomine *liberalitatis donorum Dei.* Sed contrà: *Aug. sup.* subdit: *Unde quod dictum est, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo dictum sit, nisi præscientiâ*; subintellige, meritorũ: ergo non agnoscit electionem, nisi præscientiariam. Respondere posset, ibi nomine præscientiæ intelligere prædestinatione: quam hoc nomine etiam significari ab Apostolo *ad Rom.* 11. ostendit ipse *Aug. l. de bono persev. c.* 18. Sed quia ex cõtextu, ipsoq; nomine simpliciter posito, apparet, ipsum potiùs uti ibidem nomine præsciẽtiæ propriè.

Aliter Respondeo, *Augustinum* isto loco agnovisse quidem rem electionis gratuitæ secundùm propositum Dei, putasse tamẽ nomen electionis propriè exigere præviam differentiam, seu distantiã inter ipsos eligendos, seu illos qui ad gratiã vel gloriã assumuntur, ut ex contextu clarè patet. Nam *ibid.* ait: *Si enim nullo merito electus est Jacob, nondum natus & nihil operatus, nec omnino eligi potuit; nullã existente differentiã, quã eligeretur.* Tandemque subjungit: *Nemo eligitur, nisi jam distans ab illo qui rejicitur. Unde quod dictum est, quia elegit nos* &c. Quare ne quidem vult *Augustinus* ibi admittere, Jacob (quem inculcat gratis fuisse vocatum) præ *Esau* fuisse electum ad gratiam seu justificationem. *Non itaque* (ait) *electus est, ut fieret bonus, sed bonus factus eligi potuit* præ Esau: eò quòd antecedenter non esset inter utrumque differentia: quod tamen, nisi vis fieret in nomine *electio* strictè accepto, foret planè hæreticum. Eodem sensu accipit vocem *electio*, & contra sortem distinguit, *Concione* 2. *in Psal.* 30. ℣. 16. Postmodum tamen S. Doctor diligentiùs quæsivit & invenit, qualis esset ista electio gratiæ, de qua Apostolus *ad Rom.* 11. *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt*, ut patet 1. *Retrac. c.* 23. quæ scilicet non præsupponat distantiam, sed quæ ipsa faciat distantiam eligendi à non eligendo. Unde *l. de præd. SS. c.* 17. ait: *Intelligamus ergo vocationem, quâ fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt, sed qui eliguntur ut credant.* Et infrà: *Elegit ergo Deus fideles, sed ut sint, non quia jam erant. Apostolus Jacobus dicit, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes regni, quod promiserat Deus diligentibus se? Eligendo ergo facit divites in fide, sicut heredes regni. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat, eos elegit.*

Sed contrà: *Aug. l.* 1. *ad Simplic. q.* 2. hanc acceptionem vocis *electio* satis videtur novisse, ex iis quæ in fine subdit: *Restat ergo ut voluntates eligantur*; nullis nimirum meritis præviis ad gratiam. Ergo non de voce, sed de re electionis solius præscientiariæ ad gloriam tractat *Augustinus*. Resp. Neg. Ass. nam ista verba non sunt asserentis voluntates ipsas eligi, sed præter varia à se ibidem enumerata & refutata, in quibus vestigium aliquod distantiæ inter eligendos videri posset, nil eligendum superesse (electione scilicet, quæ requirit distantiam præviam, ut ex contextu est manifestum) nisi voluntates: in his autem fatetur consequenter, non invenire se quoque aliquid speciale: cùm quælibet voluntas debeat æquâ lance à Deo præveniri, nec id sit in ullius potestate, immo sæpè donetur gratia

tia voluntati, quæ humano judicio videretur minùs eligibilis, ut patet in voluntate Pauli rabida,& minas ſpirante in diſcipulos Domini. Quare verba iſta ſunt potiùs rejicientis,tacitèque concludentis, ſibi non apparere ſpeciem electionis,cùm in eligendis ſpecies aliqua diſtantiæ non appareat. Ratio autem, cur in *Libris Retract.* id expreſsè non retractaverit *Auguſtinus*, eſt: tum quia tacitè id ſatìs retractat *l.1.c.23.& l.2.c.1.* tũ,quia nõ erat error, ſed tantùm diverſa acceptio vocis *electio*. Quæ paulò fuſiùs diſcutere placuit: quoniam alii Auctores huic teſtimonio,quaſi clariſſimo,maximè innituntur, ut patet apud *Derkennis de providentia Dei n.69. & ſeqq.*

Sed adhuc excutiendus reſtat ſcrupulus circa mentem *Auguſtini*,eò quòd *l.de bono perſev.c.19.* dicat: *Hoc ſcio, neminem contra iſtam prædeſtinationẽ,quam ſecundùm Scripturas ſanctas defendimus,niſi errando diſputare potuiſſe.* Conſtat autem ſine erroris periculo,aut fidei læſione,poſſe diſputari contra prædeſtinationẽ ante præviſa merita: adeòque non eſt iſta prædeſtinatio, de qua loquitur *Auguſtinus*. Reſp. ipſum ibi loqui de prædeſtinatione ad primam gratiam, quam velut articulum fidei ex profeſſo defendit contra *Semipelagianos* duobus libris *de prædeſt.SS.& de bono perſ.* Ex iis tamẽ quæ de prædeſtinatione gratiæ tradit,ſatìs colligitur, *Auguſtinum* cẽſuiſſe priorem illã eſſe prædeſtinationem, ſive propoſitum efficax gloriæ, ex quo velut radice profluat gratia,fides,ceteraque dona uſque ad perſeverantiam incluſivè, ſic ut proinde perſeverantiam ipſam cauſet, non præſupponat; ut ex præmiſſis ſatìs conſtat.

73. *Item locus Prosperi.* Loca *Proſperi* objici ſolita adferemus, & incidenter explicabimus. *Reſp.ad 3.cap. gallorum* ait: *Quod ergo hujuſmodi in hæc mala prolapſi,ſine correctione pœnitentiæ defecerunt,non ex eo neceſſitatem pereundi habuerunt, quia prædeſtinati non ſunt, ſed ideo prædeſtinati non ſunt*, id eſt,inde fit manifeſtum,quòd prædeſtinati non ſint, *quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præſciti ſunt*,ſive quia notorius eorũ caſus non dubitatur fuiſſe præſcitus. Et infrà: *Ex bono in malũ propriâ voluntate mutati ſunt, atque ob hoc*,id eſt per hoc,ſeu cõſequenter, *licèt fuerint renati,fuerint juſtificati,ab eo tamen,qui illos tales præſcivit non ſunt prædeſtinati.* Et *Reſp.ad cap.7.Illos ruituros propriâ ipſorum voluntate præſcivit, & ob hoc*,id eſt, adeòque *à filiis perditionis nullâ prædeſtinatione diſcrevit*. Quam explicationem confirmat ratio ſubnexa: *Nam quomodo eos haberet præordinata in Christo electio, cùm dubium non ſit donum Dei eſſe, perſeverantiã in bono uſque ad finem, quam iſtos ex eo ipſo, quòd non perſeveraverunt, non habuiſſe,eſt manifeſtum.* Eodem modo intelligenda eſt ſimilis locutio *Proſperi ſentent.ſuper 7.cap. gall.* & *Reſp.ad object. 12.Vincent.* ubi ait: *Hi de quibus dicitur, ex nobis exierunt &c. voluntate exierunt, voluntate ceciderunt, & quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati; eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reverſuri, & in ſanctitate & veritate manſuri* (quia videlicet ipſum eſt ſignum & effectus, unde infallibiliter noſcitur & infertur prædeſtinatio) *ac per hoc*, id eſt, inde fit ſeu conſequens eſt, quòd *prædeſtinatio Dei multis eſt cauſa ſtandi* id eſt cauſa perſeverantiæ, adeòque ipſa prior, *nemini eſt cauſa labendi.*

Fulgentius l.1.ad Monimum c.24. & *l.3.de veritate prædeſtinat. c.5.* explicari poteſt de ordine executionis, tum ex aliis illius locis, tum ex contextu: præterquam quòd neutro loco utatur particulis cauſalibus, adeòque etiam verificari dicta illius poſſent in ſenſu concomitativo. 74. *Et Fulgentii.*

Objiciuntur V. Varia incommoda,quæ ex noſtra doctrina ſequi videntur: ut quòd ipſa enervare videatur utilitatem exhortationum, correptionum, orationũ &c. adeòq; & zelum in procuranda ſalute animarum. Deinde quòd electis det cauſam deſidiæ, & reliquis cauſam deſperationis, dum cogitabunt, ſupervacuum fore timorem excidendi, ſolicitudinemque bene agendi, cùm nulli ſit gloria neque major obventura, quàm quæ vel quanta antecedenter decreto Dei fuerit efficaciter definita. Unde ulteriùs prædeſtinationis ejuſmodi prædicatio ſcandalum in populo generaret. Quare etiam(ut refert *Leſſ.ſup.ſ.2.rat. 9.*) nonnulli ex noſtra ſententia in graviſſimos mœrores & barathrum deſperationis delapſi fuerunt. Denique ex illa ſequitur in electis neceſſitas bene operandi & perſeverandi. Reſp. Hæc & ſimilia, pro captu quidem noſtro difficilia, minùs tamen eſſe curanda, quòd eadem noſcantur fuiſſe objecta à *Semipelagianis S. Auguſtini* doctrinæ, ut patet ex epiſtolis *Proſperi* & *Hilarii* ad *Auguſtinum*, quòdque ſimili ferè modo urgeri pleraque poſſint contra omnium doctrinam de prædeſtinatione gratiæ. 75.

Itaque Dico, nil horum ſequi ex noſtra doctrina. *Quàmvis* enim *quod ſtatuit Deus, nullâ poſſit ratione mutari, ſtudia tamen non tolluntur orandi* (idem eſt de correptione, prædicatione, & ſimilibus ad zelum animarum ſpectantibus) *nec per electionis propoſitum liberi arbitrii devotio relaxatur: cùm implendæ voluntatis Dei ita ſit præordinatus effectus, ut per laborem operum, per inſtantiam ſupplicationum, per* 76. *Electio gratuita non tollit ſtudium bonorum operũ.*

exercitia virtutum fiant incrementa meritorum, inquit *Prosper l. 2. de vocat. gent. c. 36.* & consonat *Greg. 1. dial. c. 8.* & copiosè *D. Thomas q. 6. de veritate a. 6.* Quare cùm sine solicitudine similibusque mediis non sit vita æterna obtinenda, & ex illorum adhibitione sit generanda de electione nostra securitas; potiùs ex nostra doctrina fovetur, quàm extinguatur solicitudo, zelus, devotio & similia. Sicut idcirco non frustrà sumus solliciti adhibere media ad finem, quem fore Deus præscivit, eò quòd illū præsciat futurū, intervenientibus ejusmodi mediis.

77. *Nec in desperationem adigit.* Neque etiam, quòd salus nostra ex Deo pendere dicatur, magis nos in desperationem adigere debet, quàm quòd penderet ex nobis: *hoc enim est dicere* (ut utar verbis *Augustini de bono persever. c. 17. in fine*) *tunc de sua salute hominem desperare, quando spem suam non in seipso, sed in Deo didicerit ponere. Sanè* (inquit idem *l. de prad. SS. c. 11.*) *cùm Apostolus dicat, ideo ex fide, ut secundùm gratiam firma sit promissio, miror homines infirmitati sua se malle committere, quàm firmitati promissionis Dei. Sed incerta est, inquis, de meipso voluntas Dei. Quid ergo? tuane tibi de teipso certa est, nec times? Qui videtur stare, videat ne cadat. Cùm igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori quàm infirmiori fidem suam, spem charitatemq; committit?* Atque id agendo bene confidere debet de divina bonitate, juxta *Aug. de bono persev. c. 22. Vos itaque etiam ipsam obedrendi perseverantiam à Patre luminum.... sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidero, non vos esse à prædestinatione populi ejus alienos, quia etiam hoc ut faciatis, ipse largitur &c.* Unde cùm desperatio sit mala, sperare autem in Domino sit necesse, cur ex immobilitate antecessoriæ prædestinationis quisque fidelis non augeat spem, dum quilibet in hoc tentationum incerto, in quo finis cujuslibet est nobis incognitus, meritò possit confidere se isto numero contineri, quem immobile Dei cōsilium constituit, quod non potest effectu suo ullatenus frustrari? cur, inquam, nō confidat quisque meliora & viciniora saluti? quàmvis non sine Christiano timore per Scripturam nobis commendato. Unde si cui ingeratur tentatio, quòd frustrà Deo serviat, eò quòd non sit in numero prædestinatorum; hoc titulo, quòd id pendeat à voluntate Dei sibi incertâ: non minùs de optima voluntate Dei, quàm suâ confisus, respondeat, se non frustrà Deo servire, eò quòd meritò cōfidat se esse in tali numero, & hoc ipsum debeat ex fideli Dei servitio conjicere. Respondeat, se non frustrà servire Deo, cùm nō frustrà agat, qui obligationi suæ satisfacit, etsi nullum inde præmium reportaret. Sed è contrà, bonum sibi esse, adhærere saltem in vita sua Deo per amorem, quo nil majus hîc bonum; idque nihilominus optare & confidere se per Dei gratiam facturum in perpetuum: separationem autem à Deo non futuram sine sua culpa, quam potest & debet vitare. Et hæc agens ad quietem magnamque resignationem animi perveniet. Quā de re memorabile exemplum refertur ab *Hieremia Drexelio l. 1. de recta intent. c. 7. §. 6.* Eàdem de re vide aurea monita *Doctoris Seraphici parte 3. stimuli amoris c. 13.*

Neque etiam sequitur, Deum insidiari reproborū saluti, aut ampliori profectui salvandorum: cùm è contrà ad utrumque omnes invitet, defectus autem ex voluntaria desertione reproborum, aut non operatione salvandorum contingat, qui vel nolunt in justitia vivere aut permanere, vel nolunt ad majorem profectum assurgere. Neque in nostra doctrina magis mirum videri debet, neminem reproborū salvari absque eo, quòd Deus finalem illorum lapsum studiosè procuret; quàm in sententia aliorum, juxta quam idem planè est reproborum numerus, qui juxta sententiam nostrā. Specialis namque providentia & cura electorum non impedit reliquorum profectum & salutem; à qua suâ culpâ hi deficiunt, cùm Dominus etiam ipsos seriò ad illam invitet, etsi non pari affectu & efficaciâ. Prædicatio insuper hujus veritatis discretè est facienda: *dolosi enim vel imperiti medici est, etiam utile medicamentum sic alligare, ut aut non prosit, aut obsit*, ut ait *Aug. de bono persev. c. 22.* Per se tamen loquendo utiliter prædicari potest & debet, ut docet *Aug. lib. cit.* per plura capita versùs finem; ubi *c. 22.* varias formulas utiles, durioribus rejectis assignat. Neque abusus aliquorum obstare debet: cùm nil tam sanctum, quo aliqui non abutantur. Sicut nec *propter hujusmodi causas ea, qua de præscientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt, vel tacenda, tunc scilicet, quando si non dicuntur in alios itur errores*; ut ait *Aug. sup. c. 15.* postquam retulisset notabilem apostasiam cujusdam ex ipso *Augustini* monasterio profugi occasione divinæ præscientiæ. 78. *Nec eâ supposità Deus reproborum saluti insidiatur.*

Denique nulla per prędestinationē injicitur electis bene operandi aut perseverandi necessitas, sed infallibilitas: quia videlicet, Deus decretum suum novit (sive per scientiā simplicis intelligentię, vel cōprehensionem suæ omnipotentissimæ voluntatis, sive per scientiā mediam, quæ rem faciliorē reddit) exequi infallibiliter per 79. *Nec electis ad bene vivendum aut perseverandum necessitat.*

per media gratiæ, quæ quidem posset voluntas humana respuere si vellet, tamen infallibiliter non respuet.

Similia incommoda militant contra electionem gratiæ.

80. Similia porrò incommoda allegari posse contra illos de prædestinatione gratiæ, patet: quia non pendet à nobis, quòd Deus prædestinet gratiam, cum qua conditionatè sciebat, nos cooperaturos, si daretur; sed id facit pro suo beneplacito. Nisi autem Deus talem gratiam prædestinet, non cooperabor; frustrà igitur de hoc sum solicitus, frustrà fit correptio, &c. Idem est de gratia perseverandi, quæ per scientiam mediam scitur conditionatè eventum habitura, cujus præparatio non est similiter in nostra potestate; & sine qua non salvabor: Immo eâ positâ non possum non perseverare. Respondetur autem ad similia, pendere nihilominus salutem & perseverantiam ex nobis, quatenus non nisi mediante cooperatione liberi arbitrii illam consequimur. Neque oriri necessitatem salutis in prædestinatis, aut damnationis in reprobis, nisi in sensu composito; qualis etiam oritur ex præscientia diuina. Quare sicut in sensu diviso, & simpliciter loquendo, prædestinatus potest damnari, præscitus sive reprobus salvari; si videlicet (quod pendet ab ipsorum libertate) hic à peccando, ille à bene operando deflecteret; sic quilibet in quavis sententia debet vires arbitrii cum divina gratia intendere, partim perinde ac si æterna prædestinatio non præcessisset, sed (quod verum est) præsens sit, & quasi singulis momentis inciperet: partim confidendo se esse de grege electorum ab æterno, & conando precibus ac bonis operibus assequi prædestinationis effectus, sine quibus in executione nullus numerabitur in grege electorum Dei, atque ex ipso bono conatu ad opera salutis jugiter magis & magis fiduciam augendo de bona Dei erga se voluntate & electione.

An electio efficax ad gloriam præsupponat permissionē peccati.

81. Petes, an electio efficax ad gloriam præsupponat permissionem peccati, sive an sit facta post prævisionem peccati originalis? In hac quæstione est duplex sententia probabilis. Prior asserit. Quam tenent non solùm ii omnes, qui electionem statuunt factam post prævisa merita: sed & plures alii sequaces alterius sententiæ. E quibus nonnulli putant Deum sic processisse, ut primò omnium, volũtate antecedenti ordinaverit, quantùm est de se ad gloriam omnes angelos, atque etiam primos parentes cum sua posteritate, præparatis gratiis ad gloriam obtinendam; prævisâ autem cooperatione & perseverantiâ sanctorum angelorum, eos demum efficaciter eligisse ad regnum, & præviso ac permisso lapsu malorum, eos reprobasse. Similiter quoque Deum processisse cum homine primò quantùm ad prædestinationem: at ejus dein lapsu præviso, adeòque incurso ab eo totâque posteritate damnationis debito, Deum pro suo beneplacito independenter à prævisis meritis futuris efficaciter decrevisse quosdam præ ceteris gratuitâ suâ bonitate ex massâ generis humani damnatâ ob meritum passionis filii sui liberare. Quæ quidem sententia apparet satis consona formulis loquendi, quibus in præsenti materia frequẽter utitur *Augustinus* ejusq; discipuli, dicentes, electos per prædestinationẽ separari à massa perditionis.

Sententia affirmans probabilis.

Posterior sententia non minùs probabilis negat. Quam tenent plurimi: inter quos *Suarez, Smising, Hauzeur, Estius*, vir in *Augustino* versatissimus *d.* 40. § 8. & agens de prædestinatione Angelorum *d.* 41. § .13. & 14. probat eam esse gratuitam & efficacem, qualis est hominum.

Sententia negans non minùs probabilis.

Hanc sententiam nõ obscurè insinuant 82.
Patres, *Leo Papa serm. 2. de nativitate* dicens: *Opus fuit secreti dispensatione consilii, ut incommutabilis Deus, cujus voluntas non potest suâ benignitate privari, primam pietatis suæ dispositionem Sacramento occultiore compleret, & homo diabolicâ iniquitatis versutiâ actus in culpam contra Dei propositum non periret.* Ubi apertè supponit, primam pietatis seu bonitatis divinæ dispositionem de salvandis certis hominibus, esse præviam permissioni peccati, ideoque ordinatum fuisse opus redemptionis, ne prima ista dispositio, & voluntas sive propositum Dei, scilicet efficax, privaretur suo effectu, si homo periret. Idem supponit *Irenæus l. 3. c. 33.* docens, serpentis nequitiam superaturam & victuram fuisse Dei voluntatem (scilicet de salvando homine) si homo, in peccatum lapsus, non fuisset restitutus ad vitam. Et *Anselm. l. 1. Cur Deus homo c. 4.* necessitatem redemptionis seu incarnationis probat, dicens: *quia genus humanum, tam pretiosum opus ejus, omnino periret: nec decebat, ut quod Deus de homine* (scilicet salvando) *proposuerat, penitus annihilaretur: nec idem ejus propositum ad effectum duci poterat, nisi genus humanum ab ipso Creatore suo liberaretur.*

Eam non obscurè insinuant Patres.

Immo illud ipsum satis insinuat *Augustinus 14. de civit. c. 23. Credendum, quòd Sanctorum numerus, quantus complendæ illi sufficit beatissimæ civitati tantus existeret, etsi nemo peccasset, quantus nunc per Dei gratiam de multitudine colligitur peccatorũ.* Et quia nonnulli *Augustinum* ibi explicant de numero formaliter sumpto, seu numero numerante, quasi is quidẽ efficaciter præordinatus fuisset, non autem

Etiam Augustinum.

ipse numerus numeratus, sive ipsi individui homines: hanc explicationem excludunt ea, quæ præmiserat *c.10.* dicens: *Quàm felices erant primi homines..... tam felix universa societas esset humana, si nec illi malum, quod etiam in posteros trajicerent, nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet. Atque istâ permanente felicitate, donec per illam benedictionem, quâ dictum est, Crescite & multiplicamini, prædestinatorū Sanctorum numerus compleretur, alia major daretur, quæ beatissimis angelis data est* &c. Ubi expressè supponit, ipsos sanctos antecedenter prædestinatos fuisse, & non solùm ipsum numerum formaliter sumptum. Rationem continuò subdit *c.11. Nec enim homo peccato suo divinum potuit perturbare consilium, quasi Deum quod statuerat* (efficaciter, scilicet salutem prædestinatorum) *mutare compulerit*, quia nimirum de malo poterat elicere bonum à se præordinatum.

83. *Non per omnia eadem salvantur electi nunc, per quæ secluso lapsu.*

Non sequitur tamen ex dictis, electos homines salvari nunc per eadem bona opera, perque easdem gratias, per quas fuissent salvati secluso peccato: cùm plurima opera bona electorum peccatum supponant, & nunc gratia detur potentior, uti fortior est inimicus superandus post corruptionem naturæ & lapsum generis humani. Equidem rectè consistit, præparationem omnis gloriæ & gratiæ habitualis esse priorem permissione lapsûs Adæ. Quo dein prævisо, ne propositū Dei circa electos privaretur effectu, ex massa damnationi obnoxiâ aliquos per misericordiam indebitā potenter eripere statuit, alios per judiciū debitū dereliquit.

QUÆSTIO VII.

De Reprobatione.

84. *Quid reprobatio generatim.*

REPROBATIO generatim significat rejectionem cujusvis rei vilis vel inutilis. Unde *1. Reg. 15.* dicitur: *Quidquid vile fuit & reprobum, hoc demoliti sunt. 2. ad Cor. 13. Nos autem reprobi* (id est viles & abjecti apud vos) *simus. Ad Tit. 1. Ad omne opus bonum reprobi*, id est, inutiles, sive vitio suo inepti. *Ad Hebr. 7. Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem.* Strictiùs sumitur pro rejectione rei, tamquam malæ seu improbæ. Quo sensu *1. ad Cor. 1.* dicitur: *Prudentiam prudentium reprobabo.* Et *c. 9. Ne ipse reprobus efficiar*, id est, in peccatum cadam. Et alibi.

Quid reprobatio in præsenti materia.

At in præsenti materia sumitur reprobatio pro rejectione creaturę rationalis à vita æterna. Etsi à Scriptura hoc sensu nō legatur usurpatum istud vocabulū. Hæc enim reprobos designat nomine hædorum, vasorum iræ seu contumeliæ, odio habitorum &c. Scholastici quòque, eosque imitatum *Concilium Constantiense* in condemnatione articulorum *Joannis Wiclef* & *Joannis Hus*, appellant *præscitos*, nomine communi restricto ad partem deteriorem, eò quòd reprobi sint tantùm præsciti, nec in illis præparetur, seu præordinetur peccatū, ob quod damnantur.

Quæ ad eam concurrant.

Ad reprobationem autem concurrit, tum judicium intellectûs, quo Deus judicat creaturam rationalem consecutione vitæ æternæ indignam, tum consequens decretum rejectivum, seu repudiativum ejusdem creaturæ. In quo quidem decreto reprobatio formaliter consistit, juxta ea quæ dicta sunt *q. 1. præsentis disp.* de providentia in communi. Unde describi potest, æterna divinæ voluntatis dispositio privandi creaturam rationalem æternâ beatitudine, tamquam eâ indignam, & (si fuerit saltem obstrictâ mortali personali) addicendi illam sempiternis suppliciis. Soletque appellari reprobatio positiva & completa, immo simpliciter & sine addito. De negativa & incompleta nos quædam infrà. Prædictam porrò reprobationem in Deo dari tam certum est, quàm quòd in tempore morientes extra statum gratiæ priventur æternâ beatitudine, descendantque in infernum, pœnis disparibus puniendi. Et patet ex *Matth. 25. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Varia tamen circa illam inquirenda restant, sequentibus conclusionibus resolvenda.

85. *Causa reprobationis.*

DICO I. Datur ex parte reprobi causa meritoria reprobationis, scilicet peccatum prævisum. Est in primis fide certissimum contra *Lutheranos & Calvinistas* (ut referunt Scriptores controversiarum) docentes, Deum ante omnem peccati prævisionem quosdam exclusisse à vita æterna, & addixisse æternis suppliciis, atque ex hac intentione eos in peccata impellere, ob quæ supplicia præfinita ipsis justè inferat. Sic fusè *Calv. l. 2. instit. c. 22. & 23.* Quare peccatum hi potiùs censent effectum reprobationis, veluti per quod acquiritur damnatio præfinita; sicut gratia effectus gratuitæ electionis, per quam acquiritur gloria. Quam impiam blasphemiam olim ipsi *Augustino* nonnulli falsò imposuerant. Optiméque illam refutat *Prosper in Resp. ad varia capitula gall.* & *in Sententiis super iisdem cap.* & *in Resp. ad diversas object. Vincentianas.*

Hic error quatenus asserit, reprobationem esse causam peccatorum, satis refutatus manet ex dictis *disp. præc. q. 4.* quòd

Deus

Deus non sit auctor peccatorum, neque illa velit, aut ad illa instiget. Inurit quòque Deo manifestum crudelitatis vitiū; quod in tali decernendi modo cernitur: cùm nec princeps terrenus tyrannidis speciem evaderet, si decerneret primariò & ex se, subditos punire pœnis quasi infinitè minoribus, ut sic justitiam suam vindicativam demonstret, & ad illum finem peccata subditorum, ad eadem instigando & prædeterminando, decerneret, quatenus habeat, quod postmodum puniat.

Talis non est merum Dei beneplacitum. In quantùm verò hic error adstruit, reprobationem efficacem à gloria ordine intentionis præcedere omnem prævisionem peccati, habereque pro causa merum Dei beneplacitum, involvuntur eidem errori quidam graves Doctores Catholici, nominatim *Magister, Durandus, Greg. Cajet. Bannez.* & alii à *Valentia d.1.q. 23. p.2. ✠. Et sunt hæc de re.* Idem multi auctores Catholici existimant probabile, ut ait *Poncius d.7. n.33.* qui proinde putat oppositum non esse de fide, etsi *n.seq.* id præferat, tamquam communiorem & longè meliorem sententiam. Existimo tamen cum *Smising d. 6.n.702.* conclusionem esse de fide, etiam hoc sensu. Immo ipsi Novatores, ad declinandam oppositæ doctrinæ invidiam, sic illam palliare conantur, ut in lapsum generis humani subinde videatur causam reprobationis referre: quamquam inconstanter, cùm illum ipsum primum lapsum referant in decretum Dei tamquā auctoris. Plerique tamen recentiores *Calvinistæ* absolutè ab isto errore recesserunt, ut ex actis *Synodi Dordrechtanæ* (cui quantùm ad præsens subscripserūt quotquot *Calvini* sectatores ex Britannia, Gallia, Germania superiori & inferiori ad illam convenerant) deducit *Smising sup. n. 692.* qui causam primæ reprobationis statuunt, peccatum originale.

86. *Probatur conclusio ex Scriptura.* Probatur Conclusio I. ex Scriptura. *Sap.1. Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione viventium.* Et c.11. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Oseæ 13. Perditio tua* (id est, tuâ culpâ est causata) *Israël. Ezech.18. Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat?* & in fine capitis: *Nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini & vivite.* Si autem Deus aliquos absolutè destinasset ad pœnas æternas, nullâ se tenente causâ vel demerito ex parte ipsorum; quomodo mortem morientis nollet, & non potiùs desideraret? Quomodo non videbitur delectari in perditione viventium? Quomodo non dicēdus erit odisse hominē quem fecit? Quid enim est odisse, si hoc non sit odisse? Quomodo nō potiùs ex ipso Deo, quàm ex homine perditio erit, si absolute hominē æternis cruciatibus nullâ culpâ prævisâ addixerit; immo eo fine, ut in perpetuum crucietur, creaverit; prout isti hæretici blasphemant.

Probatur II. Ex eo, quòd Deus non solos prædestinatos, sed etiam alios, maximè ad tempus justificatos, sincerè desideret salvos fieri, & pro eorum salute miserit Filium suum, qui etiam ideo passus est, ac denique media ad salutem ac perseverantiam sufficientia eis provideat; ut patet partim ex hac *disp.q.2.* partim ex dicendis in *Trac. de gratia*: quæ manifestè non consistunt cum reprobatione efficaci ante omne peccatum.

Probatur III. Ex Patribus, qui constanter odium Dei erga reprobos referūt in judicium debitum, dilectionem autem electorū in gratuitam misericordiam. *Unde Aug.l.1. ad Simplic.q.2. Non igitur odit Deus Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorem. Et Prosper Resp.3. ad object. Vincentian.* inter alia *ineptissimarum blasphemiarum prodigiosa mendacia* (ut loquitur in præfatione) *Augustino* falsò attributa, refert hoc: *Quòd Deus majorem parte generis humani ad hoc creet, ut illam perdat in æternum.* Et respondet: *Omnium quidem hominum Deus creator est, sed nemo ab eo ideo creatus est, ut periret; quia alia est causa nascendi, & alia est pereundi: ut enim nascantur homines, conditoris est beneficium, ut autem pereant, prævaricatoris est meritū.* Cui consonat *Chrysost. hom.3. in Gen. Propter hoc* (inquit) *creaturam hanc omnem produxit, & nos formavit, non ut pereamus, neque ut suppliciis nos torqueat, sed ut salvet. Et Damasc.l.2. de fide c.29. Neque enim supplicii ac cruciatūs causâ, verùm ad hoc, ut bonitatis ipsius participes fimus, nos effinxit.* 87. *Ex Patribus.*

Probatur IV. ratione: quia repugnat infinitæ benignitati Dei, velle creare tam immensam creaturæ rationalis multitudinem ad interitum incomprehensibiliter miserandum, nullo in ea attento demerito: cùm tamen ei proprium sit misereri semper & parcere, alienum autē & peregrinum opus irasci & punire, juxta *Isa. c.28.* ad quod proinde se non decrevit accingere, nisi à peccatis, saltem prævisis, provocatus. Oppositusque procedendi modus planè speciem quamdam crudelitatis, seu tyrannidis præ se fert. 88. *Ex ratione.*

Addi præterea potest probatio, quam format *Smising n.703.* & alii, ex eo, quòd si Deus sic reprobasset homines, vi talis decreti necessariò deberet procurare media damnationis, scilicet peccata, sicut vi decreti efficacis electionis, debet procurare media ad gloriam obtinendā. Quæ ratio pro-

probabilis saltem est. Sed contrà urgeri posset, quòd etsi Novatores totum non sine blasphemia admittant; videatur tamen assignabilis disparitas, quòd media ad gloriam necessariò sint opera Dei, adeòque ab ipso præparanda: at media ad damnationem non sunt opera Dei, sed solius hominis, Deo illa permittente. Ad efficaciam autem & infallibilitatem istius reprobationis, sufficeret, ut Deus nosset media infallibiliter ponenda ab homine, se eadem permittente: inde enim infallibiliter consequeretur in tempore damnatio. Aliundè verò etiam hæc evasio suas patitur difficultates, quibus fusiùs enucleandis immorari non vacat.

89. *Scriptura ab Hæreticis objiti soluta explicantur.* Hæretici solent in primis objicere ex Auctoritate ea, quæ videntur sonare, quòd Dei consilio & voluntate peccata committantur; & suprà à nobis soluta sunt. Præterea

Objiciunt II. Apostolum *ad Rom. 9.* ubi sicut refert *non ex operibus sed ex vocante dictum esse, Jacob dilexi*, ita & illud, *Esau odio habui.* Ergo sicut electio ad gloriam, sic reprobatio ab illa, in solam Dei voluntatem est referenda. Quod ex sequentibus confirmatur, ubi de Pharaone dicitur: *Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuntietur nomen meum in universa terra. Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Et paulò infrà: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Resp. locum Apostoli diversimodè quidem explicari à variis: à nemine tamē ad sensum hæreticorum. Faciliùs autem se expediunt, qui dicunt, Apostolū agere eo loco de electione ad gratiam, præsertim de vocatione ad fidem, solùmq; velle ostendere, quòd Deus pro suo beneplacito aliquibus, puta Gentilibus, gratias efficaces donet, aliis posthabitis, scilicet Judæis: sicut inter gemellos alioquin pares Esau odio habuit, id est, minùs dilexit quàm Jacob. Sed quia de vocatione electis propriâ, adeòque etiam de electione ad gloriam, suprà hunc locum cum *Augustino* intelleximus, dico, odiū ibi phrasi Scripturę usitatâ (ut patet *Luc. 14. Matth.* 6. & alibi) sumi negativè, idq; ut sit idem quod non dilectio, posthabitio, negatio &c. quia scilicet sicut Deus pro suo beneplacito Jacob singularibus prærogativis affecit, sic Esau postposuit, absque hujus præ isto demerito, præsertim in posteritate utriusque. Eodemque modo Deus gratuitò quosdam elegit ad gloriam, & gratias congruas, posthabitis eatenus & neglectis aliis: quorum nō electio dicitur reprobatio cum addito, negativa. Clariùs autem relucet quædam proprietas

Quomodo Deus Esau odio habuerit.

odii, si præsupponatur peccatum originale: quod præsupponere videtur *Augustinus l. ad Simplic. q. 2. Epist. 105.* & alibi. Ex quo proinde frustrà hæretici positivam reprobationem ante omne demeritum conantur deducere.

Posteriora verba Apostoli desumpta ex *c. 9. Exodi*, non significant id quod prætenditur. Verùm primaria Dei intentio fuit, conservare & in multa patientia sustinere Pharaonem (uti cetera vasa iræ) eumque prodigiis, quæ circa ipsum fiebāt adducere ad pœnitentiā & populi Israëlitici dimissionem: prævidens tamen eadē fore Pharaoni occasionem majoris obstinationis & duritiæ, noluit impedire, sed malitiam ejus permissam decrevit punire, submergendo eum cum suis in mari rubro, sicq; manifestando hominibus potentiam suam. Quare voluntas puniendi non fuit causa permissionis peccati, sed effectus consequenter intentus à Deo, qui meliùs judicavit de malis bene facere, quā nulla mala esse permittere. Quod autem subditur: *Ergo cujus vult miseretur, & quē vult indurat*; intellige primum positivè, secundum indirectè & permissivè. Non tamen sic, quasi sola voluntas divina permittat, immo occasionem indurationis tribuat, sine prævio demerito: planissimū enim est apud *Augustinum* passim, Deum non indurare quemquam nisi ob prævia peccata. Sic loquitur *Epist. 105. Miseretur itaque gratuito dono, indurat autem justissimo merito.* Sed cur è duobus dignis obduratione, Paulo v.g. misereatur, Pharaonē induret, non habet causam, nisi beneplacitum Dei. Quòd si ibi intelligatur induratio generatim pro derelictione, adeòq; ut includat etiam permissionem primi peccati, ut vult *Estius ibid.* jam quidem illius non dabitur quoque causa ex parte nostra; uti nec reprobationis negativæ. Denique sicut figulus, sic Deus pro suo beneplacito, nullâ existente differentiâ ex parte hominum seu massæ, facit seu condit quosdam ad gratiam & gloriā, quosdam in contumeliam. Sed diversimodè: ad gloriam quidem positivè, in contumeliam verò permissivè: quamquam & hos condat ad gloriam, quantùm est de se & quoad sufficientiam. Paritas enim nō debet esse quoad omnia, sed quantùm materia subjecta patitur. Constat enim ex auctoritate & ratione, non posse statui paritatem intentā ab objicientibus; uti etiam ex subjecta materia: nam vasa typica in contumeliam positivè facere, non est supremi figuli, sed ipsius peccatoris; qui peccatis aptat se, seu facit se vas aptum ad interitum.

90.

Et unum misereatur, alterum induret.

Ac quosdam in contumeliam faciat.

Objiciunt III. Illud *Prov. 16. Universa propter semetipsum operatus est Dominus, Ac impium ad diem malum.* 91.

impium quoque ad diem malum. Resp. sensum esse: impium quoque, quē non fecit, sed talem fore prævidet, conservat seu prærordinavit servare ad diem malum, sive vindictę, idq; etiam propter semetipsum.

Differentia inter electionem gratuitam & reprobationem. Ex his patet differentia inter electionē gratuitam & reprobationem: etsi enim consonum sit divinæ beneficentię, gratuitum creaturæ decernere beneficium: dissonum tamen & repugnans est divinæ misericordiæ, ex se decernere efficaciter creaturæ tantam miseriam. Quare in reprobatione non est distinguendus ordo intētionis & executionis, sed sicut primò decernitur, sic primò executioni mandatur permissio peccati, ceteraque consequentia, tandemque ipsa damnatio.

92. *Causa universalis reprobationis positivæ.* Dico II. Peccatum originale non est universalis causa reprobationis positivæ omnium adultorum, sed solum finale, sive originale, sive personale. Est communis & certa Theologorum, immo videtur de fide, juxta *Smising n.712.* Est autem contra recētiores *Calvinistas*, ut patet ex actis *Synodi Dordracenæ* apud *Smising n.692.*

Talis non est peccatum originale. Probatur conclusio I. quia etiam præsupposito lapsu Adami, adhuc habuit Deus sinceram voluntatem salvandi, non solùm prædestinatos, sed etiam reprobos, saltē aliquos: & pro horum salute Christus etiā mortuus est, atque in ordine ad illam & perseverantiā sufficientia auxilia tribuit: quæ omnia ex fide, partim sup. traditā, partim alibi tradendā, constant (etsi à præfatis negentur) nec stant cum efficaci volūtate Dei ab adversariis asserta; uti satis apertum est, & satis apertè cōfitentur.

Vt potè multis reprobis absolutè remissum. Probatur II. quia multi sunt reprobi, quibus peccatum originale absolutè fuit remissum per baptismum, ut fide certum est, & docet *Aug. l. de bono persev. c.8. & 9. De corrept. & grat. c. 7. & seqq.* & alibi. Et *Prosper Resp. ad 2. cap. gall.* ergo hi non damnantur ob peccatum originale, adeòque nec damnatio eorum propter illud est decreta.

Confirmatur I. quia renatis in Christo nil est damnationis, nil in eis odit Deus, nil eos remoratur ab ingressu cæli, cujus sunt heredes jure filiationis, juxta *Trid. ss. 5. can. ult.* Si autem ob illud sint & maneant simpliciter & absolutè rejecti à vita æterna, sanè manet in eis vinculum damnationis, odium Dei, peccatumque remoratur eos ab ingressu cæli.

Cōfirmatur II. Quia finis justificationis est vita æterna, juxta *Trid. ss. 6. c.7.* quod non consistit cum hoc, quòd justificatus ab originali maneat equidē propter illud absolutè à fine, seu vitā æternā exclusus.

Adde, adversarios docere, reprobos omnes ob originale universim reprobatos, non solùm quatenus ob illud excluduntur à gloria, sed etiam quatenus ob illud addicuntur omnes igni æterno: quod saltem in decedentibus cum solo originali (qui juxta communem doctrinam patiuntur solam pœnam damni) nequit verificari, adeòque nec in aliis: nisi incidant in doctrinam asserentem, quòd decretum supplicii ignis præcedat demeritum.

Restat igitur quoslibet reprobari ob suum peccatum finale, seu non deletum, sive sit unum, sive plura: sicut ob hoc solum in tempore damnantur. Unde cùm parvuli immaturè morientes cum solo originali decedant, consequenter ob hoc tamquam finale sunt reprobati. Quàmvis ex intentione damnandi Deus, quantùm est ex positiva & speciali providentia circa parvulos, non acceleret mortem illorum, aut impediat ipsorum baptismum aut salutem, sed quantùm ex se est, etiam horum salutem & remediū baptismi desideret, quantùm patitur cursus causarum naturalium, ut suprà contra nonnullos diximus.

Solùm manet quædam difficultas ob quasdam locutiones *Augustini*, qui videtur reprobationem generatim refundere in damnationem massæ humani generis, quam omnes incurrimus, quantùm ad debitum per peccatum Adæ. Neque aliud demeritum videtur agnoscere in reprobatione Esau; qui fuit typus damnandorum, sicut Jacob salvandorum, ut passim apud *Augustinum* patet; conformiter ad phrasim Apostoli *ad Rom. 9.* qui tamen (ut rectè notat *Estius ibid.*) nil determinat de ipsius personæ Esau reprobatione à gloria: quin immo idem *Estius sup.* & *Cornelius à Lapide ibid.* probabile putant, Esau deposito fraterno odio, de quo *Gen. 33.* in religione veri Dei perseverantem finaliter esse salvatum. Quamquam fidentiùs *Episcopi Africani in Epist. Synodica* apud *Fulgentium*, ante Libros de prędest. dicant: *Certum est Esau fuisse vas ira.* Fundamentum tamen certitudinis, si de persona ipsa loquantur, non video: facilè enim persona electa est typus reprobi, & contrà: sicut Dan Antichristi, Saül in nonnullis ipsius Christi. Ad *Augustinum* autem redeundo dico, tam certum esse, quòd non intendat id quod objectio prætendit, quàm certum est ipsum aliis locis docuisse ea, quæ ad probandam cōclusionem assumpsimus. Immo *loco cit.* satis expressè veram doctrinam indicat: *Noluit* (inquit) *Esau, & non cucurrit: sed & si voluisset & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contemptā reprobus fieret.* Igitur reprobus ipse se facit reprobum, non per originale, sed per actualia; cùm è contrà Deus ad salutem

93.

Iacob typus fuit salvandorum, & Esau damnandorum.

De reprobatione ipsius personæ Esau nil certò constat.

lutem illum vocet, qui vocantem contemnit.

Augustinus conclusioni in speciem contrarius explicatur.

Oppositis itaque in speciem loquendi formulis solùm intendit S. Doctor exaggerare; quid justè universa massa damnata merebatur, & Deus cum ea agere potuisset; potuisset enim universam relinquere in damnatione & contumelia perpetua. Cùm tamen si nihil mali fuisset merita, non frustrà videretur apud Deum iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam, ut docet *Epist.* 106. Constat equidem aliam œconomiam fuisse initam, juxta quam omnes electi efficaciter & perseveranter, alii non perseveranter, alii tantùm voluntate antecedenti, sunt à primæva damnatione eruti. Vel agit S. Doctor de reprobatione negativa aut inchoata, referens subtractionem gratiæ efficacis, sive permissionem sequentium peccatorum, in peccatum originale. Immo etsi subinde de reprobatione positiva loqueretur, nihil obstaret: hanc enim non refert in originale, tamquam causam propinquam & propriè dictam, sed tamquam in occasionalem & remotam, quatenus ob id Deus speciales favores gratiæ efficacis quandoque subtrahit.

94. *Effectus reprobationis positiva est damnatio.*

Dico III. Damnatio seu pœna æterna, eaque sola, saltem regulariter, est effectus positivæ, seu propriè dictæ reprobationis. Prima pars est certa: nam reprobatio est præparatio, seu dispositio divina de damnatione, tamquam pœnâ irrogandâ ob culpam; ergo ipsa damnatio est effectus per illam dispositus, & ex illa in tempore procedens: sicut gratia (quæ est effectus prædestinationis) est effectus dispositus & præparatus, adeòque in tempore donatur vi divinæ prædestinationis. Intelligitur autem conclusio generaliter de pœnis, quas patiuntur damnati. Nequaquam tamen omnia mala, quæ damnati in inferno committunt, quæque aliàs non essent commissuri, sunt effectus reprobationis (quidquid velit *Poncius d.* 7. *n.* 37.) peccata enim quæ ibi committunt, Deus per reprobationem non disponit, sed tantùm permittit, sicut peccata hujus vitæ.

95. *Eaq; regulariter sola.*

Secunda pars est communis Doctorum. Probatur manifestè: quia regulariter nihil disponitur per reprobationem, seu voluntatem damnandi, nihilque aliud ex ea procedit, quàm ipsa damnatio; effectus autem debet per reprobationem disponi, & ex ea procedere, ut in simili de effectu prædestinationis diximus. Deinde reprobatio sive decretum damnandi incipit à prævisione peccati finalis, quæ reprobationi præsupponitur: ergo quidquid præcedit prævisionem peccati finalis, nequit esse effectus reprobationis: cùm effectus nequeat esse prior suâ causâ.

Non permissio peccati.

Hinc permissio peccati, etsi reprobis concomitanter conducat reipsà ad damnationem, non est effectus reprobationis: quia non disponitur per reprobationem, sive non procedit ex voluntate damnandi. Quamquam permissio peccati & reliqua (excepto peccato) quæ conducunt electis ad salutem, possint intendi à Deo ex voluntare illos salvandi; adeòque esse effectus prædestinationis. Immo permissio peccatorum in ipsis reprobis potest esse effectus prædestinationis electorum, quatenus talis permissio frequenter est electis occasio alicujus boni, v. g. humiliationis, patientiæ &c. dum occasionem peccati alieni, v. g. injutiæ à reprobis illatæ, vertunt in materiam exercendæ virtutis, prout *S. Stephanus* (quem sequuntur omnes animæ justæ) gaudens suscipiebat lapides, ut mereretur accipere coronam gloriæ. Idem indicat *Augustinus in Psal.* 54. *Omnis malus, aut ideo vivit, ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur.* Similiter ex lapsu malorum discunt electi, quàm humiliter de se sentire debeant, quantùmque debeant Deo, cujus gratiam in se valentiorem experiuntur.

Quæ in ipsis reprobis potest esse effectus prædestinationis electorum.

Nihilominus referuntur aliqui Doctores (inter quos *Durandus* ipseque *D. Thomas q.* 23. *a.* 3. *ad.* 3.) qui permissionem peccati effectum reprobationis statuunt: quorum doctrinam fusè propugnat *Estius d.* 40. §. 11. & *in c.* 9. *ad Rom.* Quæ doctrina nullatenus in rigore sustineri potest: cùm intentio damnandi, seu rejectio efficax à gloria, præsupponat peccatum. Explicandi sunt itaque *D. Thomas* & *Durandus*, de reprobatione à gratia, cujus effectus est temporalis permissio peccati. Sicut etiam *Aug. de bono persever. c.* 8. & 14. *de corrept. & grat. c.* 7. loquitur de reprobatione negativa & inchoata, saltem præsupponente prævisionem peccati originalis, dum docet, ideo non dari quibusdam in tempore gratiam efficacem vocationis, justificationis, aut perseverantiæ, quia non sunt à massa perditionis discreti, aut quia non sunt electi secundùm propositum. Effectus enim quodammodo hujus negativæ reprobationis, est subtractio gratiæ efficacis, seu temporalis permissio peccatorum. Sub qua etiam intellige excæcationem & obdurationem aliquorum hominum.

96. *Explicantur Doctores conclusioni apparenter adversantes.*

Dices, Scriptura *ad Rom.* 9. & Patres, significant finem permissionis peccati esse ostensionem divinæ justitiæ; ergo volun- 97.

voluntas divina ostendendi suam justitiam, scilicet in pœnis, est prior in intentione, adeòque ex ea procedit voluntas permissiva peccati, ipsaque peccati permissio tamquam effectus. Confirmatur: quia non apparent aliæ justæ causæ permittendi peccata. Resp. Antecedens intelligi debere, non in sensu causali, sed concomitativo: permittit enim Deus peccata, hisque suppositis, vult occasione illorum ostendere suam bonitatem & justitiam, illam in vasa misericordiæ, istam in vasa iræ. Quare significatur ibi intentio finis, qui tamquam effectus cōsequitur permissionem peccati, nō qui sit causa ejusdem. Nisi quis velit intentionē cōditionatam puniendi præcedere, & ex ea procedere permissionem peccati: sicut parens subinde licitè permittit, etiam occasione subministratā, peccatum filii, ut deprehensum corrigat & puniat.

Ostensio justitiæ divinæ non est causa permissionis peccati.

Ad Confirmationem Resp. Deum ex aliis motivis velle peccatum permittere. Primò, ut ostendat gratiam efficacem nō deberi, sed liberaliter dari quibus datur; adeòque ut ostendat beneplacitum suæ voluntatis: *Miserebor enim cujus misereor, & misericordiam præstabo cujus miserebor*, id est, misericordiam præstabo & denegabo pro meo arbitrio.

Quæ sint ejus causæ.

Secundò, ut ostendat, quid valeat infirmitas arbitrii, quid gratiæ beneficium, illudque agnoscens creatura, non in se, sed in Domino fidat ac glorietur. Tertiò, quia novit ad generalem creaturæ rationalis auctorem & gubernatorem spectare, ut ipsam finat agere motus suos, & explere conditionem naturæ suæ, quà parte ex insita sibi libertate potest deficere à bono; præsertim cùm sufficientibus gratiæ præsidiis eam instruat, ne cadat. Sicut etiam tamquam provisor generalis naturæ quosdam defectus permittit, sine detrimento, sed potiùs cum decore universi. Quartò, ut appareat magis hominem salvari, non coactè, sed per spontanea merita. Quintò, quia novit se ex peccato permisso posse consequenter majora elicere bona. Sic enim ex permissione peccati magis elucet in aliis misericordia, & ex persecutione tyrannorum magis elucet fides, castitas, patientia martyrum; item occasionatur in ipsis lapsis solicitior cautela circa peccata, augmentum humilitatis, alteriusve virtutis, & in genere humano ex lapsu consecutum est tantū redemptionis bonū, ut *Gregorius* in benedictione cerei Paschalis exclamet: *O Felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem.* Sextò, quia novit se posse culpam ordinare per pœnam, idque consequenter & justè se debere decernere, nisi gratiam præstet indebitam; ad quod tamen non est necesse, ut antecedenter ad permissionem culpæ efficaciter decernat punire, sed tantùm consequenter vel ex suppositione. Septimò, quia in pœnam præcedentium peccatorum justè subtrahitur gratia abundantior vitandi sequentia; prout fit in excæcatis & obduratis. Denique aliæ possunt esse causæ justissimæ, etsi nobis ignotæ: nemini enim dubium esse potest, quin justè & sanctè Deus peccata permittere possit; ut patet ex eo, quòd de facto illa permittat, qui per omnia sanctus est; quòdque alioquin in ipso non haberet locum justitia vindicativa, quam Scriptura & ratio eidem adscribit.

98. Ex his colligi potest, nullam ex parte reprobi dari causam permissionis primi peccati: illa enim deberet esse aliquod peccatum prius, quale supponitur nō dari. Peccatum tamen Adami sive originale potest esse occasio, cur alia peccata permittantur in reprobis. Etsi enim sit baptizatis remissum, quantùm ad culpam & pœnam, relinquit tamen adhuc varios in baptizatis effectus, v.g. fomitem concupiscentiæ &c. Sic etiam potest cum illius remissione consistere, ut ob præcedentē injuriam specialiora quibusdam beneficia denegentur. Sicut peccator per Sacramentum pœnitentiæ justificatus, non statim gaudet omni pristino favore & quasi familiaritate. Quare autem ex duobus æqualibus, quorum nullum peccatū præsupponitur, aut etiam in quorum utroq; præsupponitur idem originale, Deus uni potiùs quàm alteri misereatur per gratiā efficacem, mysterium est inscrutabile, in quo est cum Apostolo *ad Rom.* 9. exclamandum: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo* (in quo est emphasis haud quaquam otiosa: nihil est enim homo collatus Deo; ut inquit *Saibonth* ibid.) & *ad Rom.* 11. *O altitudo divitiarum* &c.

Non datur ex parte reprobi causa permissionis primi peccati.

99. Ex quo præterea sequitur, quòd sicut electio prima ad gloriam non præsupponit ex parte electorum aliquā causam, sic nec reprobatio negativa, sive non electio aliorum; si utraque præcesserit prævisionem peccati originalis. Si consecuta sit, nulla quidem datur causa comparativè loquendo, cur hi potiùs sint non electi, quàm alii æquè infecti originali, datur tamē absolutè causa ex parte non electorū, scilicet peccatū originale, juxta ante dicta. Idem potest esse causa reprobationis ab aliis efficacibus gratiis. Datur tamen semper generalis causa ex parte Dei, v.g. ostensio suæ libertatis, cui licet in gratuitis facere quod vult; vult autem in his potiùs, quàm in illis ostendere divitias gloriæ suæ, sicque demonstrat nulli gloriam ex debito præparari. Manet autem, solum

Nec reprobatio negativa, si non præsupponat peccatum originale.

solum peccatum finale esse causam reprobationis positivæ, solam damnationem regulariter esse effectum.

100. *Extraordinariè non sola damnatio est effectus reprobationis.* Dixi in conclusione, *damnationē solam regulariter esse effectum reprobationis positivæ:* quia in quibusdam gravibus peccatoribus, v.g. Chore, Dathan & Abyron, accelerat quandoque Deus mortem supra cōmunem naturæ cursum. Quo casu, si Deus eam acceleret ex intentione tales damnandi, erit ejusmodi acceleratio mortis etiam effectus propriè dictæ reprobationis. Ita *Suar. l.5. de præd. c.7. n.*11. Sed hoc est extraordinarium: mors enim in statu peccati communiter obvenit ex generalibus causis, & non ex Deo eam peculiariter operante ex intentione damnandi. Si autem Deus, etiā in istis gravibus peccatoribus, mortem non acceleret ex intentione dānandi, sed temporaliter peccata puniendi (ut vult *Prap. dub. 4. de reprobatione n.*116.) non erit effectus reprobationis. Quidquid sit, manet solam damnationē saltem regulariter esse effectum reprobationis.

QUÆSTIO VIII.

De Libro vitæ, & Numero electorum in eo descripto.

101. *Liber Dei dupliciter sumitur in Scriptura.* NOTA Librum Dei in Scriptura sumi dupliciter. Primò generaliter pro quacumque divina scientia futurorum, sive bonorum, sive malorum. Sic *Psal.* 138. dicitur: *In libro tuo omnes scribentur.* Sicut autem divina scientia, ob suam simplicitatem ibi dicitur liber; sic alibi, ob varias ejusdem ad varia objecta terminationes, Scriptura de ea veluti de pluribus libris loquitur; ut *Dan.7. Libri aperti sunt.* Et *Apoc.* 20. *Judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris.* Secundò specialiter pro præscientia electorum; ut *Dan.12. In tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro.* In hac autem significatione ordinariè dicitur Liber, cum addito, vitæ. *Ad Philipp.4. Quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Apoc.* 13. *Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni.* Et alibi.

Cur scientia Dei non vocetur liber mortis. Quàmvis autem Deus etiam habeat sciētiam malorum, & illa vocari possit liber mortis: Scriptura tamen eam speciali nomine libri mortis non appellat, sed sub generali nomine libri aut librorum Dei comprehendit. Cujus modi loquendi rationem dat *D. Thomas q.24. a.*1. *Quia non est consuetum conscribi eos, qui repudiantur, sed eos qui eliguntur.* Adde, quòd Deus mortem aut repudiationem non fecerit, nec mala velut ex intentione notet: ob quod subinde in Scriptura Deus reprobos nescire, vias autem justorum novisse, dicitur; horumque nomina in cælis scribi dicuntur *Lucæ* 10. à Deo autem recedētes scribi in terra, *Jerem.* 17. Rem ipsam tamē spectando, sicut in Deo est scientia malorum, sic & liber eorumdem. Sic *Poncius d.7. n.*40. immo ipse *Basilius in c.4. Isaiæ*, expressè mentionem facit duorū librorum, scilicet viventium & pereuntium. Hoc notato,

DICO I. Liber vitæ est ipsa præscientia infallibilis & immutabilis Dei de electis, tamquam certissimè ad vitā æternam perducendis, eorumque numero, gloriâ &c. Ita omnes Doctores: & satìs patet ex prænotatis. Idemq; expressit *Aug. 20. de civit. c.15. Non Deum liber iste commemorat, ne oblivione fallatur. sed prædestinationem significat* (scilicet præsuppositivè, vel materialiter, vel tamquā objectum circa quod versatur; vel certè nomē prædestinationis ibi sumit pro præscientia, per quam alibi sæpè describit prædestinationem: idque etiam patet ex adjunctis) *eorū, quibus æterna dabitur vita: neque enim nescit eos Deus, & in hoc libro legit ut sciat, sed potiùs ipsa ejus præscientia, quæ falli nō potest, liber est vitæ, in quo sunt scripti, id est, antè præcogniti.* Alios Patres refert *Ruiz. d.60. s.2.* 102. *Quid liber vitæ.*

DICO II. Numerus electorum, descriptus in libro vitę, est certus & immutabilis, sic ut eidem nil possit addi vel demi, in sensu composito. Est certum apud omnes. Et inculcatur ab *Augustino* locis passim obviis. Patet etiam ex Scriptura *Joan.* 10. *Ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. 2. ad Timoth. 2. Firmum Dei Fundamentum stat, habens signaculū hoc: novit Dominus, qui sunt ejus.* Electorū igitur numerus non potest minui. Quod autem nequeat augeri, patet ex eo, quòd omnes non electi sint reprobi, adeòque infallibiliter damnandi. Ratio verò est manifesta: quia divina præscientia comprehendit omnia futura infallibiliter & invariabiliter, adeòque etiam numerum electorum, qui proinde in ea tamquam libro immutabiliter est descriptus. Oritur quoque hæc immutabilitas numeri ex efficacia & immutabilitate voluntatis Dei, qui ab æterno decrevit salvare quicumque salvabuntur, reliquos verò damnare: ergo infallibiliter isti soli salvabuntur, reliqui omnes damnabuntur, adeòque numerus est certus & ex suppositione immutabilis. 103. *Numeri electorum certitudo & immutabilitas.* *Unde oriatur.*

Observanda tamen est differentia inter numerum electorum & numerum reproborum, quòd etsi uterque sit certus & immutabilis ex divina præscientia, immo & aliquo sensu ex divino decreto; tamen numerus electorum sit certus ex speciali quadam præfinitione, quatenus Deus electos omnes antecedenti quodam & efficaci decreto præordinavit ad salutem,

tem, vi cujus proinde infallibiliter salutem consequentur; numerus autem reproborum sit certus ex decreto (ut sic dicā) post definitivo, sive consequente, lapsum scilicet finalem prævisum. Divina tamen prædefinitio præcisè, etsi faciat numerum electorum sic certum, ut nequeat minui, non tamen quin posset augeri; cùm prælectio aliquorum non sit ceterorum exclusiva, sed compatiatur aliorum accessum, qui posterioribus signis potuissent eligi, sive ante, sive post prævisa merita. Facit itaque præfinitio numerum infallibilem ut nequeat augeri, prout præfinitio modo facta est, nullâ aliâ electione adjunctâ circa alios, sed potiùs adjunctâ voluntate non eligendi alios, ut optimè notavit *Suarez l. 6. de prædest. c. 2. n. 7. & Smising d. 6. n. 785.* Dixi in conclusione, *in sensu composito*: nam absolutè, seu in sensu diviso potest is, qui prædestinatus est, damnari, & qui reprobus est salvari: cùm nec Dei præscientia, nec prædestinatio tollat libertatem, adeòque numerus electorum, tum quoad multitudinem, tum quoad personas particulares, tamquam à libertate pendens, sit absolutè contingens & mutabilis; etsi simpliciter dicatur certus & immutabilis, eò quòd numerus supponat rem numeratam in Dei præscientia & decreto, adeòque involvat sensum compositum.

Unde oriatur certitudo numeri reproborum.

104. *Quid sit deleri de libro viventium.*

Dices I. Secundùm Scripturam potest aliquis deleri de libro vitæ, ergo numerus electorum in hoc libro descriptorum non est certus & immutabilis. Antecedēs probatur ex *Exodi* 32. ubi ait *Moyses* ad Deum: *Si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Cui respondit Dominus: Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo. Psal.* 68. *Deleantur de libro viventium. Apoc.* 3. *Non delebo nomen ejus de libro vitæ.* Et *c.* 22. *Auferat Deus partem ejus de libro vitæ.*

Exponitur primò.

Resp. Neg. Ant. quia Scriptura non vult aliquem posse deleri de libro vitæ, posito quòd sit inscriptus, sed posse aliquem non esse scriptum: ut sicut odio haberi aliquādo intelligitur negativè pro non diligi, sic deleri intelligatur pro non esse scriptū. Comminatur autē Scriptura hominis deletionē de libro vitæ, eò quòd aliquem esse scriptū vel nō scriptum in illo, dependeat saltem in executione ab usu liberi arbitrii: quo modo etiam hortatur, ut per bona opera satagant certam facere suam electionem, eò quòd illius certitudo saltē in executione dependeat à libertate.

Secundò.

Secundò, possent prædictæ Scripturæ intelligi cum *Augustino* secundùm hominum spem & opinionē, ut docet in illud *Psal.* 68. *Deleantur de libro viventium*: ita ut in rei veritate nullus quidem deleatur, qui ibi fuerit scriptus, sed quòd ii qui putabant se esse scriptos, deprehendant, sive hîc, sive in judicio, se non esse scriptos.

Tertiò.

Tertiò, *Alensis q. 33. m. 3. a. 3. D. Bonav. in Compend. Theolog. verit. p. 1. c. 30. D. Th. q. 24. a. 3.* & plures alii, rectè respondent, dupliciter posse aliquem esse scriptum in libro vitæ. Primò, temporaliter, delebiliter & secundùm quid, scilicet quoad præsentem justitiam, quatenus vi illius pro tempore isto competit jus ad hereditatem, seu vitam æternā. Secundò, absolutè, indelebiliter, & simpliciter ac quoad sempiternam justitiam, per Dei prædestinationem æternam. Qui itaque significantur posse deleri de libro vitæ, intelliguntur scripti in eo secundùm quid, seu quoad præsentem justitiam. Quo modo *D. Th.* intelligit illud *Psal.* 68. *Deleantur de libro viventium*; consonatque quod sequitur: *Et cum justis non scribantur.* Quo sensu etiam accipi potest, juxta *Wiggers q. 24. n. 5.* illud quod orat Ecclesia in tertia Oratione secreta feriarum quadragesimæ: *Tribue quæsumus, ut universorum quos in oratione commendatos suscepimus, & omnium fidelium nomina beatæ prædestinationis liber adscripta retineat.* Quasi oret pro perseverantia illorum, qui jam per justitiam præsentem sunt ordinati in vitam æternam. Rectè tamē id intelligitur, quòd Ecclesia petat fidelium nomina retineri in libro vitę, eò quòd in executione id dependeat à libertate nostra, ab orationibus &c. Unde *Aug. l. de bono persev. c.* 22. *Fortassis* (inquit) *sic prædestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur, & accipiant eamdem gratiam, quâ velint esse atque efficiantur electi.* Quo sensu etiam orat Ecclesia in Canone missæ pro cuncta familia Christi, ipsoque celebrante: *Ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorū jubeas grege numerari*; eò quòd in executione id dependeat ab orationibus &c. Alii dicunt dependere etiam in intentione, non agnoscentes efficacem electionem ante merita prævisa.

Similiter intelligendæ sunt aliquæ preces. Ecclesiæ.

Quod specialiter ad Moysen attinet, locutus fuit Deo ex quadam confidentia charitatis, sciens id nullatenus futurum. Aliqui etiam per librum, de quo Moyses loquitur, intelligunt quemdā librum materialem, in quo scribebantur facta illustrium personarum; qui *Josue* 10. Et 2. *Reg.* 1. videtur appellari *Liber* (id est, Historia) *justorum*. Alii intelligunt librum vitæ corporalis, de quo per mortem corporalem deleri postulaverit.

Dices II. Christus *Joan.* 17. ait: *Quos dedisti mihi, ego custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Atqui loquitur ibi de datione secundùm prædestinationem; ergo illa non est immutabilis, cùm filius perditionis ab ea exciderit. Resp. in primis 105.

Alius Scripturæ locus explicatur.

locum

locū istū posse intelligi de datione quoad apostolatum, ut videtur colligi ex *c.8.℣.9.* Deinde admisso, quòd intelligatur de datione quoad prædestinationem, Resp. Neg. Conseq. quia particula *nisi* non est ibi exceptiva, ut supponit objectio, sed adversativa, ut sensus sit: nemo periit ex iis, quos dedisti mihi, sed periit filius perditionis, quem utique mihi non dedisti. Simili modo eadem particula sumitur frequenter in Scriptura; *ut Apoc. 21. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum &c. nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni.* id est, sed qui scripti sunt in libro vitæ agni, qui nempe non sunt coinquinati. Et *4. Reg. 5. Non faciet ultrà servus tuus holocaustum aut victimam Diis alienis, nisi Domino.* id est, sed Domino.

106. *Numeri electorum magnitudo.*

Dico III. Numerus electorum simpliciter quidem magnus est, ut patet *Apoc. 7.* & alibi: factâ tamen comparatione ad numerū reproborum est exiguus, eò quòd longè minor pars hominum electa sit ad vitam æternā, ut patet *Matth. 7. Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui intrant per eam.* Et *c. 20. multi sunt vocati, pauci verò electi.* Et alibi. Unde *Aug. l. 2. operis imperf. contra Julian. c. 142. In cōparatione pereuntium pauci sunt qui salvantur: sine comparatione autem pereuntiū, & ipsi multi.* Quare electio salvandorum non immeritò comparatur sorti, utpote quæ instar sortis raro, seu in paucis habeat locum.

Idemque palpabiliter demonstrat paucus, non solùm ante legē Christi, sed etiam tempore illius verorum fideliū, & longè adhuc minor bonorum numerus. Immo sive Scripturas junctâ variorum Patrum expositione, sive corruptissimos Christianorū, seu Catholicorum mores attendamus non parum verisimile est, etiam minorem ex iis numerum esse electū. Quāquam nón desint Doctores, qui attendētes, quòd plerique veri fideles post lapsum frequenter resurgant, & ordinariè prçviâ pœnitentiâ ex hac vita discedant, opinātur majorem verorū Christianorū & fidelium numerū tempore legis gratiç salvari. Dico *verorum Christianorum*; ut excludātur hæretici & schismatici, solo nomine Christiani. Aliundè tamē non deest instantia in oppositū: eò quòd pœnitentia sera, raro vera: visque morbi adeò plerūque præoccupet ægros, ut etsi aliàs in virtute exercitati, sentiant ab experientia, se vix posse cor ad Deum perfectè dirigere; quid igitur præsumendū de iis, qui sano corpore vix de Deo cogitabant? qui etiam nūc, nisi timore adacti de remediis animç nil curarent? Sanè gratiam efficacem seriò pœnitendi (quod facere non parum difficile est) plerumque talibus adesse, non obligor credere: ut proinde salus similium peccatorum sit mihi valdè suspecta. Quāvis fatear in nonnullis satìs per signa externa manifestari potentem divinæ gratiæ manum pro tali articulo: & (quod ad me spectat) magìs semper incliner ad exaltandam & amplificandam Dei benignitatem & misericordiam, quàm judicium; nam juxta Scripturam *Jac. 2. Superexultat misericordia judicium.* Eademque est *super omnia opera ejus Psal. 144.*

Nihilominus pessimè ex infinita Dei misericordia Nonnemo colligere præsumpsit, quòd computatis simul ætatibus quibuscumque, ex tota hominum universitate non plusquam centesima eorū pars pereat. Hoc namq; apertè repugnat Scripturæ, Patribus, & cōmuni sensui Doctorum ac fidelium. Planè si his non obstantibus sic extendenda erat misericordia Dei, cur vel centesima pars subtrahi debuit? Cur nō porrigitur miserando ad liberationem malorum angelorum? sicut idem Auctor non veretur probabilissimū putare, plura millionum Gentiliū millia, Christo apud inferos prædicante, sanctificata & salvata. Idem est de animabus infantium, qui sine remedio originalis discesserāt. At de mortuis ita post Christum, addit fortè dici posse, in die judicii simul omnes baptizandos in nube vel mari, sicque Christo aggregandos. Quæ planè hçretica sunt. Ad alias verò nimis incertas conjecturas nonnulli descendentes dixerunt (teste *D. Thoma q. 23. a. 8 in corp.*) quòd *tot ex hominibus salvabuntur, quot angeli ceciderunt. Quidam verò, quòd tot salvabuntur, quot angeli remanserunt. Quidam verò, quod tot ex hominibus salvabuntur, quot angeli ceciderunt, & insuper tot quot fuerunt angeli creati. Sed* (ut sapienter *D. Thomas* subjungit) *melius dicitur, quòd soli Deo cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus.* Ut etiam canit Ecclesia in tertia Oratione secreta feriarum quadragesimæ.

107. *Errores circa numerū electorum.*

Conjectura incerta circa eundem.

Dico IV. Nemo citra specialem revelationem in hac vita certò cognoscit, an sit de numero prædestinatorum. Est de fide definitū in *Trid. ss. 6. c. 12. & can. 15. & 16.* contra *Calvinum* variis locis, ejusque sectatores. Patet ex Scriptura *Eccle. 9. Nescit homo, utrùm amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum reservantur incerta. Proverb. 28. Beatus homo, qui semper est pavidus. Ad Rom. 11. Tu fide stas, noli altū sapere, sed time. Ad Philipp. 2. Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* At si homo fidelis sit modò certus de sua prædestinatione, id in futurum non servatur incertum, nec pavere, timere vel metuere debet de sua salute. Neque ab hac solicitudine Christus fideles liberavit, ut vult 108. *Prædestinationis incertitudo.*

Calvinus:

Calvinum: cū Scriptura fideles ad illā hortetur, nec credendū sit, Apostolum Christianos, à fide & pietate laudatos, reduxisse in id, à quo eos Christus liberaverat. Idem patet ex Patribus: *Augustinus*, tū alibi sæpè, tum *lib. de corrept. & gratia c. 13. Quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam per satana angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus.* En fiduciam certam, immo necessariam, quam adstruit *Calvinus*, præsumptionem appellat *Augustinus*, loquens etiam de fidelibus quantùm ad seipsos: ut proinde frustrà *Calvinus lib. 3. instit. c. 23. §. 14. in fine*, laudatam ab ipso sententiam *Augustini: Nescimus quis ad prædestinatorum numerum pertineat*, explicet, nesciri à singulis, quis aliorum sit fidelis, adeòque secundùm ipsum prædestinatus. *Augustino* consonat *Gregor. hom. 48. in Evang.* & alii Patres. Ad quorum communem Doctrinam pessimè & perniciosè præsumit, quia aliud nescit, respondere, adeòque seipsum confundere, *Calvinus sup. c. 24. §. 9.* tractans auctoritatem *Gregorii, pessimè & perniciosè illos tradidisse, nos esse electionis incertos.*

Vel & justificationis. Ratio Theologica est: quia juxta fidem nemo citra specialem revelationem potest esse omnino certus de sua justificatione (ut in *Tract. de Gratia* dicetur, interim videri potest *Smising nu. 812. & seqq.*) & multò minùs de sua perseverantia; cùm plures fideles & boni finaliter à sua bonitate, aut etiam fide deficiant: ergo nec de sua prædestinatione & salute.

Præterea cùm multi sectarii derelictà *Calvini* perfidiâ ad religionem Catholicam revertantur, deberent hi certâ fide adhærere falsitati, juxta *Calvini* principia: tenebantur enim credere fide divinâ se esse prædestinatos: ergo falsâ est eorum fides, vel dum apud illos persistunt, vel postquam ad Catholicos reversi sunt, cùm in alterutra religione non possint salutem consequi.

Tertiò, ex *Calvini* sententia sequitur, veros fideles de nulla re monendos: non enim de fide aut perseverantia in illa, cùm respondere possent, se esse de utraque certos; nec de bonis operibus exercendis, aut malis corrigendis; cùm juxta *Calvinum* sufficiat fides sine operibus ad justitiam, adeòque salutem, & ad malorum operum non imputationem.

Argumenta hæreticorum sunt parvi momenti. Quæ enim de certitudine prædestinationis allegant, significant, esse prædestinatione in se & ipsi Deo certam.

109. Quòd autem *Apostolus ad Rom. 8.* dicat etiam se *certum esse*, quòd ipsum & Romanos *nihil separaret à charitate Christi*, intellige hoc modo: persuasum habeo, vel confido, ut passim Patres exponunt: non enim voluit determinare ibidem, omnes ad quos scribebat esse electos, neminemque ex iis reprobum. Aut certè, si juxta alios intelligatur de absoluta certitudine, loquitur de se & illis (quos gratiâ exempli ponit) in persona electorum in genere, de quibus dixerat: *Quis accusabit adversùs electos Dei?* Quorū numero quisque fidelium se potest & debet adjungere exemplo Pauli, idque tantò majori fiduciâ, quantò plura ac majora in se percipit signa electionis. Denique illud *1. Joan. 2. Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum*, non sic intelligitur, quasi nullus exeat à fide, qui est ex nobis, id est, juxta *Calvinum*, fidelis: nam verè fideles aliquando à fide, & ad tempus justos aliquando à justitia per peccatum mortale excidere, nimis manifestum est, & docet *August. lib. de bono persev. c. 8. & 9. & de corrept. & grat. c. 7. & 9.* ubi intelligit scripturam de ejusmodi justis, qui secundùm temporalem fidem & justitiam ex nobis erant, sed non manserunt, quia non erant ex nobis secundùm electionem ad vitam æternam. *Scriptura oppositam certitudinem non docet.*

DISPUTATIO IX.

De Potentia Dei, scilicet operativa, seu de Omnipotentia.

QUÆSTIO I.

An in Deo sit Potentia operativa, & in quo consistat?

1. DIco I. Datur in Deo potētia operativa ad extrà. Ita omnes Doctores. Estque certum de fide. Patet ex Scriptura, quæ passim commendat divinam potentiam, *Lucæ 1. Quia fecit mihi magna qui potens est.* Et alibi passim. Ratio est: tum quia Deus est purus actus undequaque summè perfectus; adeòq; maximè activus, & nullatenus passivus. Tum quia posse agere est perfectio creaturæ; adeòq; est tribuenda Deo. Tum quia hic est primus conceptus, quo Deum à ceteris distinguimus, quòd ipse sit à se, cetera ab ipso, scilicet creata, utique per potentiam creativam seu activam. *Dei potentia operativa ad extrà.*

Non est tamen imaginandum, quòd sicut in creatis potentia activa ordinatur ad acquirendam vel conservandam in operante aliquam perfectionem, quâ indiget, seu quâ caret, sic etiam contingat in Deo: ipse

ipse enim nullius indigus est, sed omnem perfectionem in se præhabet: quia tamen summè bonus & perfectus est, vult suam bonitatem ac perfectionem diffundere, & per potentiam suam nobis communicare. Unde creatura operatur, ut bona seu perfecta sit, aut maneat; Deus autem quia bonus est & perfectus, operatur, & se operādo communicat. Quo sensu Patres dicunt bonitatem Dei esse causam creationis rerum; ut *Aug. Enchir. c.9. & lib. 11. confess. c. 4.* & alibi. Ex quo nostra, non Dei, resultat utilitas aut commodum.

2. *Non est perfectior cum, quàm sine actu.* Hinc ulteriùs patet, divinam potētiam non esse nobiliorem seu perfectiorē cum actu, quàm sine actu: cùm enim Deus sic omnem perfectionem habeat, ut perficit nullatenus queat, non est ipsi melius agere, quàm nō agere; sed potiùs ipsi effectui melius est, quòd Deus agat, quàm quòd non agat. Deo autem solùm accedit bonū aliquod extrinsecū: cujus possessio actualis non est ei melior, quàm carentia. Secùs est in potentia creata: cui melius est agere, quàm otiosam esse, sive actu carere, qui est ultima perfectio & complementum ipsius potentiæ creatæ.

3. *Nec ad illum ut ad finem ordinatur.* Patet insuper, potentiam Dei non ordinari ad opus, seu ad actum tamquam ad finem: omne enim ordinatū ad finem, perficitur quodam modo à fine; Dei autem potentia ab effectu sive actu suo non perficitur, cùm omnem illius perfectionem eminentiori modo in se contineat; secùs est de potentia creata. Quamquam ne ipsa quidem potentia creata, seorsim spectata, debeat esse imperfectior actu suo secundùm se spectato. Potentia enim intelligēdi est perfectior intellectione & volitione: substantia est perfectior accidentibus connaturalibus, quorum est principium productivum. Immo potētia passiva, quæ tamen videtur maximè imperfecta, potest esse melior actu correspondente, v.g. substantia accidēte, cujus est subjectum. Neque etiam necessariò id, quod ordinatur ad finem, est ignobilius ipso fine, quando non ordinatur ad illum instar medii, sed tamquam subjectum ad formam, prout ordinatur substantia intellectualis ad intelligendum: aut si quidem instar medii, tamen non sit per se primò institutum ad talem finem: prout forma generantis, quæ per se primò ordinatur ad constituendam substantiam generantis, secundariò autem ad generationem, non est ignobilior ipsâ generatione.

4. *Consistit formaliter in ipsa Dei voluntate.* DICO II. Potentia operativa Dei consistit formaliter in ipsa Dei voluntate. Colligitur ex *Scoto d.37. q. un. n. 4.* Et ita docēt *Scotista, Caietanus, Ferrariensis, Molina* & plurimi alii, contra nonnullos cum *Durando*, statuentes divinam potentiam in ipsa natura seu essentia divina: & alios statuentes illam in intellectu, ejusve actu: alios item illam constituentes in intellectu & voluntate simul: alios denique illam collocantes in speciali attributo significato per omnipotentiam, & distincto à ceteris divinis perfectionibus. Est etiam nonnulla inter patronos nostræ conclusionis, uti jacet expressæ, differentia: quidam enim loquuntur de voluntate in actu primo, ut *Pontius*: alii plerique de voluntate in actu secundo, seu de volitione essentiali Dei, ut *Smising* & *Molina*. Idemque est probabilius: tum ob rationem conclusionis postea allegandam: tum quia inter voluntatem & effectum mediat ipsa volitio, potentia autem debet esse principium proximum: nomine enim potentiæ activæ communiter intelligitur principium proximum, à quo proximè & physicè fluit effectus. *Spectatâ in actu secundo.*

Conclusio est conformis Scripturæ *Gen. 1. Dixitq; Deus, fiat lux; & facta est lux. Psal. 32. Verbo Domini cæli firmati sunt. Psal. 148. Ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Eamdem insinuant Patres, *Athan. serm. 3. contra Arianos: Patris* (inquit) *Voluntas efficax est, & architectatrix, eaq; per se sufficit ad res procreandas. Damasc. lib. 2. de fide c. 29. Ipsius Dei potentia nihil aliud est, quàm bona ipsius voluntas*, & alii. Quorum verba etsi possent alium sensum admittere, commodissimus tamen & planè obvius, præsertim aliquorum, est, quem intendit conclusio.

Ratio est: quia volitio divina est efficax rerum: erit autem perfectiùs efficax, si non tantùm moraliter, sed etiam physicè efficiat suum objectum volitum: ergo hoc est divinæ volitioni, quæ est perfectissimæ virtutis & infinitæ efficaciæ, adscribendum: adeòque ipsa est potentia Dei operativa, utpote principium physicum proximum effectuum.

Neque est contra rationem actus volitivi immanentis, ut sit simul potentia ad extrà, seu efficiat aliquid actione transeūte: cùm etiam in creatis id sit possibile; immo actus voluntatis de facto efficiat habitū naturalem, si detur, & juxta multos, angeli se aliosque moveant volendo: cur igitur non adscribatur infinitæ volitioni efficacia tanta, ut per se physicè ponat objectum quod vult? *Non repugnat hoc actui volitivo immanenti.*

Neque hinc sequitur, quòd sicut voluntas efficax in Deo est ab æterno, sic objectum volitum ab æterno per ipsam physicè efficiatur: nam (ut rectè *D. Bonav. d. 45. art. 3. q. 1. in corp.*) *actualitas in causando refertur ad voluntatem* seu volitionem, *non pro instanti in quo habet voluntatem,* 5.

bonitatem, sed in quo facere vult: sicut ego volo cras audire missam, & voluntas facit me cras esse in actu respectu voliti: sic suo modo est in Deo. Similia habet *d.8.p.1.art.2.q.1.ad 4.* Et *Scotus d.8.q.5.n.23.* Efficit itaque objectum ipsa volitio, sed pro instanti seu tempore, quo vult objectum ipsum esse, & non pro aeternitate, quâ est ipsa volitio, sed pro tunc statuit illud in esse volito, positura idem cõstituto tempore in esse reali.

Quando efficiat suū objectum.

6. Confirmatur conclusio ex refutatione aliarum opinionum. Nam quod ad intellectū divinum ejusve actum attinet, constat quidem completam rationem causae primae, veluti essentialiter agentis intellectualiter & liberè, requirere praeviam intellectionem; sicut in creato artifice cõcurrit ars seu notitia: haec tamen non est physicè efficax seu activa, sed solùm concurrit ostensivè seu directivè. Imperium autem practicum, quod quidam in intellectu divino statuunt, est fictum: cùm nõ sit aliud in Deo imperium, quàm ipse actus divinae voluntatis. Hinc etiam non rectè statuitur divina potentia in intellectu & voluntate simul.

Neque illa Dei potentia statui in intellectu.

Praeterea, non rectè statuitur in speciali attributo: quia objectum illius primarium & specificativum deberet esse creatura: nequit autem divina aliqua perfectio sic respicere creaturam.

Nec in speciali attributo.

Non denique in ipsa natura seu essentia divina (quàmvis id videatur satis probabile) quia ratio potentiae activae juxta communem conceptum videtur esse posterior ipsâ essentiâ. Deinde potentia productiva ad intrà distinguitur ab essentia divina: ergo similiter potentia productiva ad extrà. Unde etiam in creatis solet distingui ab essentia: quàmvis dici soleat, ipsam effectus aliquos per emanationem quamdam producere, v.g. naturam ignis producere in se calorem, aquae frigus, solis lucem &c.

Vel essentiâ divinâ.

7. Dices I. Omnipotentia convenit Deo, quatenus est infinitus in omni genere entis (quod non convenit voluntati aut simili attributo, quae sunt tantùm infinita formaliter in suo genere) quatenus scilicet continet eminenter perfectiones omnium creaturarum; quas proinde potest aliis communicare: ergo omnipotentia cõvenit ipsi essentiae. Resp. Neg. Conseq. nam ex antecedẽte solùm sequitur, essentiam esse radicaliter potentem agere, non tamen ipsam esse formaliter principium proximum. Sequitur itaque competere idcirco Deo tam perfectam potentiam, immo omnipotentiam, in genere scilicet potentiae infinitam, per quam tamquam principium proximum executivum, sive principiū quo potest creaturas producere. Unde continere eminenter creaturas (quod convenit Deo quatenus in toto genere infinito) praecisè loquendo, non est cõtinere virtualiter creaturas; quod proximè convenit omnipotentiae Dei, quae postulat posse in omne factibile, & remotè fundatur in essentia, tamquam radice & fonte omnis perfectionis attributalis. Quamquam materialiter coincidant, loquendo de causa principali aequivoca; ideoq; soleat continentia eminentialis per virtualem explicari velut à posteriori.

Quae tamē est radicaliter potens agere.

Dices II. Volitio essentialis Dei terminatur etiam ad ipsum Deum divinasque personas, & per simplicem complacẽtiam ad res merè possibiles. Resp. inde solùm sequi, quòd divina volitio extendatur ad plura, quàm in quantùm habet rationem potentiae; adeòque divinam potentiā esse ipsam volitionem inadaequatè cõceptam. Quae distinctio voluntatis inadaequatè conceptae sufficit, ut omnipotentia Dei numeretur, tamquam particularis perfectio seu attributum. 8.

Potentia divina est ipsa volitio inadaequatè concepta.

Dices III. Volitio efficax quà talis inest Deo liberè: potentia autem debet inesse naturaliter seu necessariò, cùm Deus sic sit potens, ut absolutè nequeat esse non potens. Resp. volitiónem esse potentiam, quatenus est efficax in actu primo; catenus autẽ est volitio Dei necessaria, sufficiens seipsâ producere creaturas, si efficaciam suam applicet. Unde actualis terminatio libera ad creaturam faciendam, est quasi applicatio divinae potentiae ad operandum. Porrò actus essentialis divinae voluntatis, absolutè spectatus, inest Deo naturaliter, ut patet: adeòque potest habere rationem potentiae. 9.

Prout haec est efficax in actu primo & necessaria.

QUAESTIO II.

An Potentia Dei sit Omnipotentia sive Potentia infinita, & ad quaenam se extendat?

DIco I. Potentia operativa Dei est Omnipotẽtia, adeòque infinita. Est de fide. Omnipotentia patet ex Scriptura *Gen.17. Ego Deus Omnipotens. Job 42. Scio, quia omnia potes. Matth.19. Apud Deum omnia possibilia sunt. Luc.1. Nõ erit impossibile apud Deum omne verbū.* Et alibi saepè. Idem exprimitur in *Symbolis, Apostolorum, Niceno & Athanasii.* Hinc etiam patet esse potentiam infinitam: quia non potest excogitari potentia major, quàm illa quae omnia potest. Quod insuper probatur ratione: quia potentia proportionatur essentiae; adeòque potentia divina est infinita, uti ipsa essentia. Deinde potentia est perfectio simpliciter: omnis autem perfectio simpliciter est in Deo infinita, ut discurrenti 10.

Potentia operativa Dei est omnipotentia.

Adeòque infinita.

renti per singulas patet. Denique magna foret in Deo imperfectio, si esset præditus potentiâ limitatâ. Addit *Scotus quodl. 7.n.31.* Deus movet à se:omne autem tale habet vim movẽdi seu agendi infinitam: cùm non sit, unde limitetur. Vide ipsum & *Smising Tract.2.disp.2.n.13.& seqq.*

Potentia infinita & omnipotentia differentia. Notandum hîc potentiam infinitam & omnipotentiam Dei materialiter coincidere: differre tamen ex modo significãdi in hoc, quòd potentia infinita postulet solùm extendi ad omne factibile sine imperfectione facientis; cùm eatenus solùm importet perfectionem sine imperfectione: omnipotentia autem postulet extendi ad omne omnino factibile: adeòq; omnipotentia involvat potentiam infinitam, non contrà; quantum est ex modo significandi. Sicut infinita Dei sciẽtia postulat extẽdi ad omne scibile sine imperfectione ipsius, qui scit illud, omniscientia autem postulat extendi ad omne omnino scibile: quamquam reipsâ coincidant, eò quòd omne scibile sit tale sine imperfectione scientis. *Vti scientia infinita & omniscientia.* Unde si esset aliquod factibile non nisi cũ imperfectione facientis (qual: nullum est) deberet omnipotens illud posse facere, non tamen infinitè potens. Unde quidam Philosophi (teste *Scoto 1.d.2.q.2.n.28.& d.42.n.2.& 3.* & alibi) concesserunt, Deum habere potentiam infinitam, negantes eum habere omnipotentiam. Quare hanc non esse à nobis pro hoc statu evidenter demonstrabilem, loquendo de potentia, immediatè factivâ omnis rei factibilis, censuit *Scotus sup.* & *quodl.7.n.11.* De quo *Smising Tr.3. disp. 7. n. 60.& seqq.*

11. *Objectum divinæ omnipotentiæ.* DICO II. Potentia Dei extendit se ad omne factibile, seu quod non implicet contradictionem ut fiat: quale est omne possibile contingens seu physicum. Patet ex ipsa notione nominis omnipotentiæ, & dictis *concl.prac.* Pro ulteriori autem declaratione

Possibile aliud est logicum. Observandum I. possibile communiter sumptum (quod logicum sive metaphysicum solet appellari) opponi impossibili, esseque id, quod non implicat cõtradictionem ut sit, seu quo posito in esse non sequitur contradictio. Quo sensu etiam Deus est possibilis. Hæc autem possibilitas non respicit aliquam potentiam, sed denotat meram non repugnantiam terminorum: *Aliud physicum.* Possibile strictè sumptum (quod physicũ vocari solet) est terminus potentiæ activæ. Et coincidit cum contingenti, quod scilicet potest esse & non esse: adeòque opponitur non solùm impossibili, sed etiam enti necessario; & consequẽter Deus hoc sensu (qui in præsenti intenditur) non est ens possibile.

Observandum II. possibilitatem physicam rerum, seu ad fieri, oriri ex parte Dei vi infinitatis divinæ potentiæ, quæ nequit carere ullo objecto factibili; quale est quidquid non est à se, & tamen non repugnat esse. *Vnde oriatur possibilitas physica.* Prima tamen radix possibilitatis rerũ petenda est ex parte objecti, seu ex ipsâ rerum natura, quòd scilicet termini non involvãt contradictionem hoc enim prius est, quàm posse attingi à potẽtia: adeòque possibilitas physica præsupponit logicam, quæ ex ipsis terminis desumitur: sicut etiam è contrà impossibilitas entis rationis desumitur ex ipsis terminis habentibus incompatibilitatem. *Præsupponit logicam.* Ideoque potentia Dei nil impossibile facit possibile, sed præsupponit talem objecti naturam, quod si sit, non sequatur fore ut simul non sit. Confirmat hoc *Scotus 1.d.7.q.1.n.7.* ex eo, quòd si per impossibile Deus in tempore cœpisset existere à se, & tunc fuisset potens creare mundum, antecedenter fuisset verum, mundum esse possibilem, quia termini nõ repugnarent; non autem ex divina potentia, utpote quæ necdũ esse supponeretur.

Observandum III. Divinam potẽtiam nihilominus non dependere ab objecto possibili, adeò ut etiãsi aliquid implicaret, quod de facto est possibile, omnipotentia foret ejusdem rationis; uti etiam, si aliquod impossibile fieret possibile, seu non implicaret. 12. *Divina potentia ab objecto independentia.* Est enim perfectio Dei absoluta, respiciens quidquid non repugnat extra se. Secùs esset, si suppositâ non repugnantiâ objecti extra Deum, nõ posset equidem per divinã potentiam fieri. Sicut divina scientia nequit carere ullo objecto, etiam creato, posito quòd scibile sit; nec tamen ei detraheretur, si aliquid non esset scibile; adeòque non scitum à Deo, quod modò scibile est; secùs si suppositâ scibilitate non sciretur à Deo. Quare juxta *Prep.q.25.dub.2.n.15.* improbabiliter dicitur (quod tamen Nonnulli dicunt) Deum fore impossibilem, si simia foret impossibilis: quia omnipotentia tantùm postulat posse, quidquid non implicat; quæ ratio adhuc maneret. Deinde cùm ratio simiæ nullo modo sit necessaria ad constitutionem Dei, nõ sequitur in Deo aliqua mutatio ex variatione simiæ. Denique summa perfectio, & essendi necessitas in Deo, non potest pendere à creatura etiã possibili, estque ista necessitas longè major, quàm entis creati etiam possibilis. Unde in ista quoque hypothesi maneret idem Deus. Immo etsi omnis creatura nũc possibilis implicaret contradictionem, non destrueretur Deus ejusque omnipotentia quoad omnia sua intrinseca, sed maneret æquè efficax ex parte sui; etsi tali casu nil posset, adeòque non denominaretur omnipotentia defectu termini.

Obser-

Potentia Dei ordinaria & absoluta. Observandum IV. quòd etsi omnipotenti Deo omnia possibilia æquè facilia sint, tamen aliud dici soleat possibile secundùm potentiam Dei absolutam, aliud secundùm potentiam ordinatam. Nam quæ Deus operatur secundùm cōmunes leges, pertinent ad potentiam ordinatam sive ordinariam: quæ autem contra vel præter has leges ex ordinatione speciali, & veluti per quamdam exceptionem à lege, pertinent ad potentiam absolutam, sive extraordinariam, v.g. partus ex virgine, partus sterilis, reductio umbræ per decem lineas &c. Ita *Scotus* 1.*d*.44.*n*.3. Alii tamen cum *D. Thoma q*.25.*art*.5.*ad* 1. potentiam absolutam vocant, quatenus est prior divino decreto; ordinatam, quatenus est posterior: ita ut illa, quæ sunt decreta fieri, spectent ad potentiam ordinatam; quæ verò non sunt decreta, ad absolutam. Quare secundùm hunc modum loquendi, potētia absoluta numquam exit in actum: nil enim fit, aut fieri potest citra decretum Dei. Perinde autem est, utrovis modo loquamur, dummodo de sensu constet.

13. *Dei omnipotentia se extendit ad plura, quàm quæ facta sunt.* Ex dictis sequitur I. Omnipotentiam Dei spectatam secundùm se, seu in actu primo, & simpliciter loquendo, se extendere ad plura, quàm ad ea quæ fecit, v.g. ad plures alios mundos &c. Est de fide cōtra *Abailardum* & Wiclef. Patet ex Script. *Matth*. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Et *c*.26. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* Et *Marc*.14. *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicē hunc à me.* Idem docent Patres *Aug. Enchir. c*.95. ubi ait: *Voluntatem Dei multa posse, quæ non velit. Hier. in c*.3. *Matth.* dicens: *eum qui cuncta de nihilo fecit, posse etiam de saxis durissimis populum procreare.* Nec obstat, quòd *Epist. ad Ctesiphontem & Dial*.1. *contra Pelagianos*, horum ratiocinationem, quâ nonnulli statuebant fieri posse quod numquam factum est, velut ineptam rejiciat: nam ibi non agit de potentia Dei, sed nostrâ ad vitandum omnia omnino peccata, dicens, ineptè adstrui possibile, quod nemo ex tanta etiam Sanctorum multitudine fecit.

Ratio est: quia plura alia, præter ea quæ facta sunt, sunt possibilia, seu non implicant. Deinde sic infinita Dei potentia finiretur paucis speciebus & individuis; prout sunt, quæ de facto producuntur. Denique sequeretur, Deum nō posse plures justificare, aut à peccato præservare, aut glorificare seu salvare, aut plures homines creare, quàm de facto justificētur, præservētur, salventur aut creentur; quæ planè absurdissima sunt. Dixi, *spectatam secundùm se, seu in actu primo, & simpliciter loquendo*: nam prout supponitur decretū divinum faciendi hæc & non plura, nequit in sensu composito plura facere, ratione suæ immutabilitatis in volendo, ob quam nequit in tempore novum decretum habere, aut ab habito desistere; sine decreto voluntatis autem nil fit per divinam potentiam. Quare id non oritur ex defectu potentiæ, quasi ipsa de se sit coarctata ad illa quæ facit; cùm sit infinita.

Sequitur II. Non derogari ullatenus divinæ potentiæ, quòd non possit facere id, quod ex parte objecti implicat cōtradictionem, eo modò quo illam implicat: nam id oritur ex parte objecti, non ex defectu divinæ potentiæ. Hinc non potest facere chymeram, vel sessionem absque sedente, seu purum modum sine subjecto. Similiter nō potest facere, quod præteritum non fuerit præteritum, ut loquitur *D. Thom. D. Bonav.* & alii cōmuniter, post *Hieronymum, Augustinum*, & alios: sicut nequit facere, ut aliquid sit & simul non sit: eo ipso enim quo dicitur præteritum, significatur habuisse esse, quod jam transierit, adeòque involvitur sensus compositus: implicat autem habuisse esse & non habuisse esse. Idemque est de futuro in suppositione futuri. Quamquam in futuro magis elucere possit sensus divisus; ideoque peculiariter dicatur id repugnare de præterito. Idemque est de infinito actu, si (quod *D. Bonav. D. Thom. Scotus* & veteres *Scholastici* communiter putant) implicet contradictionem: & de aliis similibus. 14. *Non ad impossibilia.*

Hinc non potest Deus peccare, mori, mentiri, currere, comedere, pati, dolere, &c. quia illa, quatenus Dei essent, seu ei attribuerentur, implicant contradictionem; utpote repugnantia naturæ divinæ tamquam imperfectiones seu defectus. Unde divinæ potentiæ ea solùm tribuenda sunt, quæ pertinent ad posse simpliciter, seu sine defectu: qualia sunt quæ procedunt à potentia completa & perfecta, quæ scilicet non potest deficere nec succumbere nec indigere. Ideoque Deus est omnipotens, etsi prædicta non possit: sunt enim potentiæ incompletæ & imperfectæ, quæ in peccando deficit, in patiendo succumbit, in corporalibus actionibus indigentiam includit, ut pulchrè exponit *D. Bonav. Breviloquii parte* 1. *c*. 7. Nihilominus quidquid in iis est realis entitatis, idipsum physicè coëfficit in nobis, dum nos actus peccaminosos elicimus, aut passiones vel corporales actiones exercemus. Formalis tamē ratio peccati nequit Deo tamquam causæ morali adscribi: illa enim est annexa actui, qua-

tenus procedit à causa libera, deficiente à lege seu regulâ: adeòque competit soli potentiæ creatæ deficienti, non potentiæ divinæ, quæ est efficiens sine defectu. Immo simpliciter & præcisè loquendo, peccare potiùs est impotentiæ seu infirmitatis, sicut posse mori. Quare usque adeò non debet omnipotens ista posse, ut potiùs si posset, non esset omnipotēs. Unde *Aug. 5. de civit. c. 10. Nec potestas Dei minuitur, cùm dicitur mori fallíq, non posse: sic enim hoc non potest, ut potius si posset, minoris utique esset potestatis.* Vide *D. Bonav. 1. d. 42. art. 1. q. 2.*

15. *Bona tamen ad meliora, quàm fecerit.* Sequitur III. Deum posse quædam facere meliora, quàm fecerit, juxta *D. Bonav. d. 44. ar. 1. q. 1. D. Tho. q. 25. ar. 6.* & alios communiter: quia nimirum posset creare alias species nobiliores, aliumq; mundum quoad essentias contentas perfectiorem. Præterea mūdum præsentem posset perficere accidentaliter, addendo substantiis creatis perfectiones accidentales, sive naturales, sive supernaturales, v.g. augendo lumen astrorum, gratiam justorum &c. sicut de facto mundus, post judicium innovatus, erit pulchrior & perfectior. Eodem modo posset hunc mundum facere majorem, addendo scilicet ei alia loca & corpora, v.g. extendēdo cęlū Empyreum.

Licèt non ad essentialiter meliora. Non potest tamē hunc mūdum, aut ullam aliam rem facere essentialiter meliorem seu perfectiorem: quia tunc non esset ille mundus qui est, nec illa, sed alia res, utpote aliquo essentiali superaddito seu mutato: essentiæ enim, seu *species rerum sunt velut numeri*, juxta vulgatum ex *Philosopho 8. Metaph. textu* 10. adeòque sicut numero, v.g. ternario, nil addi potest, manente eodem numero v.g. ternario, sic nil potest addi essentiæ seu speciei, ipsâ eâdem manente.

16. *Harmonia universi.* Summâ equidem sapientiâ, bonitate & potentiâ (quæ in cunctis Dei operibus emicant) operatur summus ille artifex, quidquid operatur, ipsumq; totum perfectissimè ordinat, tum quoad partes inter se, tum quoad finem, sic ut nil in operibus Dei non summè laudabile & artificiosum inveniri, nec in aliquo possit ipse artifex redargui: adeò ut universum (verba sunt *D. Bonav. sup. q. 3.*) sit tamquam pulcherrimum carmen, quod decurrit secundùm optimas consonantias, aliis partibus succedentibus aliis, quousque res perfectè ordinentur in finem. Sic itaque in proposito est intelligendum, quòd etsi aliquid non sit optimum in se, potest tamen optimè esse ordinatum. Quàmvis enim nobilior sit situs oculi, quàm pedis; tamen si consideremus utrumque secundùm suum officium, tam oculus, quàm pes optimè situati sunt in toto, ita quòd nec oculus meliùs pede, nec è converso. Similiter apparet in cythara: possunt enim omnes chordæ ita proportionari, quòd si aliqua tendatur, ut detur ei melior sonus, numquam remanebit consonātia. Similiter dictiones possunt ordinari ad faciendum aliquem versum, ita quòd ex illis dictionibus impossibile est fieri versum meliùs ordinatum. Hunc autem ordinem tollis, si cogitas terram, ubi est sol, vel contrà, aut lunā esse lucidam sicut est sol, vel terram sicut cælum; immo perimis universum, quod esse debet omnia; non esset autem omnia, si omnia essent æqualia, ut inquit *D. Bonav. sup. q. 1.*

Notat tamen *Smising d. 7. q. 5. n. 70.* harmoniam hujus universi non esse arithmeticam (qualis est musici instrumenti, quod efformatur ad numerum) sed geometricam, & accommodatam ad finē proximum singularum partium, & universalem totius universi: adeòque similitudines ex *D. Bonav.* mox allegatas, non esse cum toto rigore urgendas; quin servatâ debitâ proportione partium inter se, & ad finem, adeòq; servatis legibus universi, adhuc potuisset, non quidem quodlibet (ut patet) sed saltem aliquod perfectionis augmentum accedere, v.g. aliquibus stellis paululum lucis, elementis proportionatè augmentum aliquod nativarum qualitatum, hominibus lapsis abundantior gratia &c. Manet itaque universum hoc optimam habere symmetriam, optimumque primariarum partium ordinem & dispositionem, & tamen Deum posse aliquid facere, quod majorem illis splēdorem adferret. Neque enim res hæc est nostri intellectus angustiis metienda; qui quantumvis id non clarè perciperet, non idcirco prudenter denegaret omnipotentiæ, quam soli sibi vendicat primum illud ens, unicum, verissimum, optimum, de cujus essentia est esse, in quo est omnis perfectio sine compositione, cujus libertas sine mutabilitate, duratio sine principio & fine, præsentia sine mensura, quod à nullo creato intellectu comprehendi, aut naturaliter videri, quod nemo effari potest, cujus intellectus penetrat omne verum, voluntas amplectitur omne bonum, cujus providentia fortiter attingit omnia, suaviter disponens universa, cujus virtus omnipotenter exequitur disposita; ipsi honor & gloria per omnem æternitatem.

17. *Non est arithmetica, sed geometrica.*

TRACTATUS II.

DE

DEO TRINO.

PRÆFATIO.



XPLICATIS *iis, quæ Deo competunt, quatenus secundùm essentiam unus est, atque omni ex parte infinitè perfectus, agendum est de admirabili fecunditate & communicabilitate, quâ una eademque natura, sive Deitas se diffundit in tres personas, mediante unius personæ ab altera processione: unde exurgit superbenedicta Trinitas, sic appellata, quasi trium unitas, ut optimè exposuit* D.Bonav. 1.d.24.art.3.q.2.in corp. *Quô nimirum significetur, tum numerus ternarius personarum realiter distinctarum, scilicet Patris, Filii, & Spiritus sancti; tum unitas Essentiæ sive Deitatis, quæ cum omnibus perfectionibus absolutis est eadem, & communis tribus personis. Quod quidem mysterium adeò à sensibus nostris est remotum, omnemque superans rationem, ut de eo nil nisi per fidei illustrationem mens humana percipiat, atque etiam tunc nil se percepisse sive intellexisse, sed simpliciter credidisse, eadem ad sobrietatem Christianam sapiens fateatur. Unde non mirum, circa hoc mysterium tam densas variorum errorum tenebras, auctore Diabolo, ipsum velut fidei Christianæ caput impetente, invaluisse in animis illorum, qui sine prævia fidei face caliginem hanc ingressi, ac immensa metiri angustiis sui judicii volentes, majestatemque inscrutabilem viribus suis scrutari satagentes; oppressi sunt à gloria. Attendentes itaque nos fidei in Scripturis, Conciliis & Patribus traditæ, tamquam lucernæ lucenti in hoc caliginoso loco, eumdem intrare cum adjutorio Dei tentabimus, explicaturi breviter, quid sentiendum, quidve loquendum de hoc mysterio juxta fidei regulam,* quia nec periculosiùs alicubi erratur, nec laboriosiùs aliquid quæritur, nec fructuosiùs aliquid invenitur, *ait:* S. Aug. lib.1. de Trin. c.3.

SS.Trinitas unde sic dicta.

Hujus mysterii sublimium.

DISPUTATIO I.

De Veritate, & Constitutione Mysterii Sanctissimæ Trinitatis, ac de Relationibus divinis.

QUÆSTIO I.

An detur Trinitas, sive tres Personæ, quæ sunt unus Deus?

1. FIDES Sanctissimæ Trinitatis diversimodè à diversis fuit negata & oppugnata.

De illo variis hæresis. Nam I. *Praxeas, Noëtus*, quidam *Montanista*, sive *Cataphrygha*, *Priscillianista*, dixerunt, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, sicut sunt solùm unus Deus, sic solùm esse unam personam. Quam hæresim plurimùm propagavit *Sabellius*, adeò ut ab illo deinceps *Sabelliana* sit vocata. *Sabellii.* Asserebant consequenter *Sabellius* ejusque sectatores, unicam divinam personam in Scriptura dici Patrem, quatenus in tempore creat mundum sive creaturas, Filium quatenus ex virgine carnem assumpsit, & passus est, Spiritum sanctum quatenus in tempore creaturam rationalem sanctificat. Quare & *Patripassiani* frequentiùs sunt vocati, eò quòd assererent, Patrem fuisse passum.

Inter Recentiores hæreticos unicam tantùm in Deo personam posuerunt *Deista* sive *Trinitarii*. Deinde *Michaël Servetus* Hispanus, Genevæ ex consilio Calvini per Magistratum vivus combustus, cum suis discipulis *Georgio Blandrata & Francisco Davidis*: quos multi in Polonia & Transylvania, ubi hic error ab inferis resuscitatus est, secuti sunt.

2. *Arii.* Secundò *Arius*, Presbyter Alexandrinus, asseruit Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse quidem tres personas (in quo dissidet à *Sabellio*) sed unam ex illis solùm esse Deum, scilicet Patrem; Filium autem & Spiritum sanctum esse personas creatas, seu non consubstantiales Patri; atque adeò censuit, Filium esse nobilissimam quamdam creaturam, ante tempora & sæcula à Patre productam, non tamen ei coæternam, juxta illud apud *Arianos* vulgatum, & in Concilio Nicæno anathematizatum, *erat, quando non erat.* Patrem præterea per hunc Filium produxisse Spiritum sanctum, ac tempore posteriori creaturas ceteras, sive immediatè etiam per ipsum Filium (ut multi referunt) sive mediatiùs adhuc per Spiritum sanctum. Addebatque Verbum sive Filium in Christo incarnatum, fuisse ei loco animæ. Quæ Hæresis olim plurimùm invaluit ob potentiam Imperatorum & Principum Arianorum. Eidem favent *Lutherus* & *Calvinus*: quibus prælusisse videtur *Erasmus* dicens, *Arianos* non tam hæresim docuisse, quàm schisma fecisse, ut refert *Præpositus q.27. n.4.* addens, eamdem hæresim vigere in Transylvania, pro qua etiam varios *Calvinistas* adducit *Malderus q. 27. art. 1. dub.1.* In Confessione tamen Belgicâ, quã renovarunt in *Synodo Dordrechtana art. 10.* Verbi Divinitatem *Calvinista* fatentur.

Tertiò *Macedonius* Episcopus Constant.nopolitanus, & alii dicti *Semiariani*, ferè per omnia consenserunt *Ario*, cum hoc discrimine, quòd admitteret Filium & Spiritum sanctum Patri coæternos; Atque etsi non fuerint ausi apertè asserere, Filium esse creaturam, immo nonnulli dicerent eum Patri per omnia similem; nolebant tamen fateri esse Patri consubstantialẽ. Unde apparet *Macedonium* etiam non rectè sensisse de divinitate Filii (ut de *Eunomianis* quòque patet apud *Aug.15.de Trin.c.20.*) etsi non tam apertè: ideoque errorem illius fortasse Nonnulli referant post *Aug. hæresi 51.* quasi solius Spiritus sancti divinitati repugnantem. Ob idem specialiter sectatores ipsius *Pneumatomachi*, quasi Spiritui sancto adversantes, sunt appellati. In iis principes fuere *Eleusius* & *Marathonius*, quorum ille etiam præstigiosis quibusdam miraculis auctoritatem sibi comparavit, ut ex *Athanasio*, Nicæno Episcopo, refert *Baronius ad annum 360.* 3. *Macedonii.*

Quartò *Tritheitæ* tres Deos distinctos, tum quoad essentias, tum quoad personas, statuerunt. Hujus erroris meminit *Anselm.lib.de Incarn. Verbi*, præsertim *c.1. & 3.* Videturq; quoad rem coincidere error Abbatis *Joachim*, qui (ut colligitur ex *Concilio Lateran.* sub *Innoc.III.* & refertur *c.Damnamus* de *summa Trinit.*) concedebat quidem unam essentiam & naturam trium Personarum, verùm unitatem hujusmodi non veram & propriam, sed quasi collectivam & similitudinariam esse fatebatur: quemadmodum dicitur multi homines unus populus, & multi fideles una Ecclesia &c. Quem errorem superiori sæculo secutus fuisse narratur *Valentinus Gentilis* Italus, *Calvini* discipulus, *Zwinglianus* (quem à Genevensibus ultimo supplicio affectũ, testatur *Reginaldus Calvino-Turcismi l.3. c.5.*) is tamen postmodum ad *Arianismum* dicitur deflexisse, statuens nominetenus cum quibusdam *Arianis* ineptiùs loquentibus, 4. *Tritheitarum.*

tres

tres quidem Personas divinas, tresque Deos, sed inaequalis naturae, & solùm quidem Patrem naturae immensae, ac prae ceteris eminentioris, adeòque reverà negans cum *Ario* divinam naturam ceterarum: quod didicerat in schola Genevensi (teste *Maldero suprà*) ubi communis est opinio, Filio non esse tribuendam simpliciter Deitatem, sed quamdam secundariam. De his vide *Ruiz de Trinit. d.20. Smising de Deo Trino d.1. q.3.n.28.& seqq.* & alios.

5. *Veritas Catholica expressa in Conciliis.* Veritas Catholica expressa in *Lateranensi*, relato c. *Firmiter, de summa Trin.* habet, *quòd unus solus est verus Deus.... Pater & Filius & Spiritus sanctus: tres quidem Personae, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omninò: Pater à nullo, Filius à Patre solo, ac Spiritus sanctus pariter ab utroque: Pater generans, Filius nascens, & Spiritus sanctus procedens, consubstantiales & coaequales &c.* Et c. *Damnamus* eodem tit. *Credimus & confitemur, quòd una quaedam summa res est,.... quae veraciter est Pater & Filius & Spiritus sanctus, tres simul Personae, ac sigillatim qualibet earum..... Qualibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina,... & illa res non est generans, neque genita nec procedens, sed est Pater qui generat, & Filius qui gignitur, & Spiritus sanctus qui procedit, ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura. Licèt igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud, sed id quod est Pater, est Filius & Spiritus sanctus, idem omninò, ut secundùm orthodoxam & Catholicam fidem consubstantiales esse credantur.* Quo quidem vocabulo *consubstantialis*, sive Graeco *Homousios*, uti decreverunt Patres *Concilii Niceni*, *quia* (ut inquit *Ambros. lib.3.de fide ad Gratianum c.7.*) *verbo illo personarum distinctio*, contra Sabellium, *& natura unitas*, contra Arium, *significatur*. Testatur tamen *Theodoretus lib.1. Historia c.12 & 13.* vocem hanc fuisse in usu, etiam ante *Concilium Nicaenum*. Immo ab ipsis *Arianis* usurpatam fuisse antequam poneretur à Patribus Nicaenis in Symbolo, testatur *Ambros. suprà*. *Eusebius* namque *Nicomediensis Arianus, in ep.* lectâ in Concilio Nicaeno scripserat: *si verum Dei Filium & increatum dicimus, Homousion cum Patre incipimus confiteri.* Quocirca Patres Concilii, videntes hanc vocem adversariis esse formidini, praesertim *Osius Cordubensis*, qui fidei formulam concepit, eidem illam inseruerunt, ut tamquam evaginato ab ipsis gladio, ipsorum nefandae caput haeresis amputarent, prout loquitur *Ambros. sup.*

6. *A Patribus.* Eadem veritas adversùs hostes Trinitatis, definita est in plurimis aliis Conciliis, tum generalibus, tum particularibus. Constantissimè quòque tamquam fidei veritas fuit tradita à Patribus, etiam ante tempora *Concilii Niceni*, scilicet à *Clemente Romano, Ignatio, Dionysio, Justino, Irenaeo, Cypriano, Tertulliano*, & aliis: & post *Nicaenum Concilium* ex professo ab *Athanasio, Basilio, Nazianzeno*, & aliis tam multis, ut longum foret eorum vel solum Catalogum texere. Nil etiam tam firmiter omnibus fidelibus à pueritia persuasum, & constanter ingestum est, quàm fides Trinitatis. In quo clarescit mira vis simplicis fidei, quae in mysterio, quod adeò rationem omnem superat, immo, secundùm hominem loquendo, cum ratione pugnare videretur, facit eos qui sunt, aut fiunt Christiani, captivare intellectum in suum obsequium.

7. *In Scriptura.* Eamdem veritatem apertissimè tradit Scriptura, junctâ praesertim constantissimae traditioni, quae ipsam perpetuò intellexit juxta Catholicorū sensum. Nam in primis distinctio realis personarū exprimitur *1.Joan.5. Tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus.* Item in iis locis, in quibus dicitur Filius à Patre gigni & procedere, ut *Psal.2. Psal.109. Joan.8.* Et similiter Spiritus sanctus dicitur procedere à Patre, accipere à Filio, scilicèt esse, *Joan.15. & 16.* Idem autem non procedit, nec generatur, nec accipit esse à se ipso. Praeterea in iis locis, in quibus Filius dicitur alius à Patre, ut *Joan. 5.* & alius à Spiritu sancto, ut *Joan.14.* Unde nomina haec, *alius, non solus, ego, ille, qui mecum est*, utpote personalia, & ex sua significatione personarum distinctiva, ponderant *Athanasius, Basilius* & alii Patres.

8. *Singulae personae sunt Deus.* *Probatur quoad Patrem.* Quòd autem singulae personae sint Deus, quoad Patrem (de quo nemo umquam controvertit) probatur ex iis locis, in quibus expressè dicitur Deus, ut *Joan.20. Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* & alibi saepè. Item ex iis locis, in quibus adstruitur personarum à Patre procedentium divinitas; quâ utique carere non potest, qui ipsam aliis communicavit.

9. *Quoad Filium.* Quoad Filium patet ex iis Scripturae locis, in quibus definitivè & absolutè dicitur Deus, ut *Isaia 9.35.45. Baruch 3.* & in novo testamento, *Joan.1. Deus erat Verbum. Ad Rom.1. Qui est Deus super omnia benedictus. 1.Joan.5. Hic est Deus verus.* Et alibi saepissimè. Et ipsemet Christus frendentibus Judaeis divinitatem suam non rarò ingessit, ac tempore passionis suae hâc de re accusatus, non negavit, sed apertè confessus est, *Matth.26.& Marci 14.* Denique omnipotentia ei attribuitur, *Apoc.4.*

Apoc. 4. *&* 11. & alibi. Immensitas, *Baruch* 3. Supremum dominium, *Apoc.* 17. Æqualitas cum Deo, *ad Philipp.* 2.

10. *Quoad Spiritum sanctum.*

Quoad Spiritum sanctum patet ex Scripturis, in quibus expressè appellatur Deus, *Act.* 5. *Cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? non es mentitus hominibus, sed Deo.* Et *Paulus* illum Deum, qui locutus est in veteri Testamento, esse Spiritum sanctum interpretatur, *ad Hebr.* 3. *&* 9. *&* 10. & alibi. Idem 1. *ad Cor.* 6. ait: *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti?* Templum autem propriè Dei est. Unde & subdit: *Glorificate & portate Deũ in corpore vestro.* Quærit *Aug. ep.* 66. *Quem Deum, nisi Spiritum sanctum, cujus corpora nostra dixerat esse templum?* Præterea alibi tribuuntur Spiritui sancto proprietates & operationes divinæ, ut gubernatio Ecclesiæ *Actor.* 20. & alibi. Donatio charitatis, gratiæ & gloriæ, *ad Rom.* 5. & 1. *ad Cor.* 6. *&* 12. Patratio miraculorum, *ad Rom.* 15. Revelatio & inspiratio futurorum & occultorum, facta Sanctis & Prophetis, *Marci* 2. & 2. *Petri* 1. *Lucæ* 1. & alibi. Æqualis denique omnium trium Personarum auctoritas significatur in forma baptismi, qui æqualiter, immo in eodem nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ministrari jubetur, *Matth.* 28.

11. *Tres Personæ sunt unus Deus.*

Postremò quòd tres Personæ divinæ sint tantùm unus Deus, patet ex dictis de unitate Dei, *Tract. de Deo uno, d.* 1. *q.* 4. *dub.* 3. Sufficiat hîc jũgere expressum, nõ solùm distinctionis, sed etiam unitatis, testimonium, ex 1. *Joan.* 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. & hi tres unum sunt.*

12. *Scriptura non tribuit Patri divinitatẽ cum exclusione aliarum personarũ.*

Objiciuntur I. Scripturæ in quibus solus Pater dicitur Deus: *Joan.* 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* 1. *ad Cor.* 8. *Nobis unus est Deus, Pater.* Resp. dum Deus aut Pater dicitur Deus solus, excludi tantùm alios Deos, non autem alias in eadem Deitate personas, juxta Regulam *Basilii lib.* 4. *contra Eunom. Aug. lib.* 6. *de Trinit. c.* 9. & *lib.* 3. *contra Maximin. c.* 13. *Nazianzeni, Athanasii,* & aliorum Patrum. Nam similis forma loquendi invenitur de Filio, *Baruch* 3. *Hic est Deus, & non æstimabitur alius adversùs eum.* Et in *Canonica Judæ* Christus dicitur *solus dominator & Dominus.* Et 1. *ad Cor.* 8. post verba objecta subditur: *Unus Dominus Jesus Christus.* Et 1. *Joan.* 5. *Hic est Deus verus & vita æterna.* Non ergo id tribuitur alibi Patri cum exclusione Filii aut Spiritus sancti: sed significatur illud, quod in *Cantico Annæ* habetur 1. *Reg.* 2. *Non est sanctus, ut est Dominus: neque enim est alius extra te;* bene tamen intrà Deum, ejusdem scilicet naturæ & Deitatis. Alioquin (ut rectè *D. Bonav. d.* 21. *art.* 2. *q.* 2. ostendit) in rigore dialectico falsum est, quòd *solus Pater est Deus,* intelligẽdo hoc sensu, quòd nil distinctum à significato vocis *Pater* sit Deus. Sicut falsum est: *solus Pater spirat.* Quamquam (ut notat *D. Bonav. supra ad* 1.) additâ determinatione restringente exclusionem, seu particulam exclusivam, possit esse propria locutio, v. g. *Tu solus altissimus Jesu Christe cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris,* ut canit Ecclesia. Adde *Joan.* 17. ly *solus* non tenere se ex parte subjecti, sed prædicati, hoc sensu: ut cognoscant te esse illum solum Deum verum, seu esse illum, qui solus est Deus verus. Ita *Cyrill. Chrysost.* & alii Patres. Idem est 1. *ad Cor.* 8. de ly *unus*, hoc sensu: nobis non sunt plures Dii, sed unus Deus, Pater autem (etsi non solus Pater) est ille unus Deus.

Objiciuntur II. Scripturæ, in quibus Filius dicit Patrem se majorem, se Patrem rogare, se Patri subjectum, aliave prædicata, denotantia ipsum esse creaturam. Ut *Joan.* 14. 1. *ad Cor.* 15. *Matth.* 26. & alibi. Resp. eumdem alibi dici unum cum Patre, æqualem Deo, Deum &c. Quæ in Christo verificantur propter duplicem illius naturam, humanam, quâ minor est Patre, & divinam, quâ æqualis est Patri. Itaque tribuenda sunt quæ sunt hominis, homini, & quæ sunt Dei, Deo. 13.

Quo sensu Christus sit minor Patre.

Plures tamen Scripturæ objici solitæ diversos patiuntur sensus. Sic quòd Præcursor Christi de ipso dixit: *ante me factus est,* idem est, quod, mihi antepositus est. Illud *Prov.* 8. *Dominus possedit* (70. vertunt *creavit*) *me,* Aliqui de sapientia increata intelligunt, sumendo ly *creavit* pro *genuit* seu *generavit*: Alii de sapientia incarnata: Alii denique de sapientia creata. Aliæ Scripturæ sunt, quæ significant Filii à Patre processionem; ut cùm ipse dicit, omnia sibi tradita à Patre, *Lucæ* 10. suam doctrinam non esse suam, sed Patris mittentis, *Joan.* 7. à se ipso nihil facere, *Joan.* 8. Prout similiter processio Spiritus sancti significatur *Joan.* 16. ubi dicitur: *Non loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur.*

Exponuntur alia loca contra divinitatem Filii objici solita.

Objiciuntur III. Scripturæ, quæ videntur militare contra divinitatem Spiritus sancti: nam *Amos* 4. dicitur, juxta versionem 70. *Dominus creans spiritum.* *Zachar.* 4. dicitur: *Angelus qui loquebatur;* cùm tamen is, qui loquitur in Prophetis sit Spiritus sanctus. *Ad Rom.* 8. dicitur: *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Resp. *Amos* 4. per spiritum intelligitur ventus, uti etiam habet 14.

Explicãtur Scripturæ quæ contra divinitatẽ Spiritus sancti objici possent.

vulgata

vulgata Lectio, & patet ex eo, quod apud Septuaginta additur, *& firmans tonitru. Zach.* 4. dicitur loqui Angelus, quia Spiritus sanctus per angelos loquitur & revelat. *Ad Rom.* 8. dicitur Spiritus postulare, quia facit & docet nos postulare, ut Patres communiter exponunt: videlicet quia (ut praemittitur) *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus.* Similiter *ad Gal.* 4. dicitur: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem* (id est, clamare facientem) *Abba, Pater.* Unde *ad Rom.* 8. idem sic exprimitur, *in quo clamamus* (tamquam scilicet excitante & adjuvante per gratiam) *Abba, Pater.*

15. *Objectio petita ex principio Syllogistico solvitur.* Objicitur IV. Illud axioma: *quaecumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; quod videtur repugnare mysterio Trinitatis, in quo tres Personae sunt eaedem uni Deitati, & tamen non sunt eaedem inter se. Unde idem mysterium non cōsistit etiam cum hoc syllogismo expositorio, qui in praefato axiomate fundatur: *Pater est haec essentia, Filius est haec essentia, ergo Filius est Pater.* Resp. principium istud intelligendum de iis, quae sunt adaequatè eadem uni tertio, vel (ut alii loquuntur) intelligendum est de medio, sive tertio singulari incommunicabili: essentia autem divina propter infinitam suam fecunditatem est communicabilis mediate processione pluribus distinctis, sic ut ipsa adaequatè realiter loquendo sit non tantùm essentia, sed etiam tres distinctae personalitates. Unde ut syllogismus concluderet, deberet proponi hoc similive modo: *Omne quod est essentia est Pater: Filius est id quod essentia, ergo Filius est Pater.* Sed tunc major est falsa. Etsi autem id sit inscrutabile nostro intellectui, in hoc ipso tamen cōsistit substantia mysterii credendi, adeòque oportet intellectum captivare in obsequium Primae Veritatis, tam apertè revelantis cum Unitate Dei Trinitatē Personarum. Hoc enim posito, patet Patrem v.g. esse Filio eumdem secundùm essentiam, non secundùm personalitates, seu non, quatenus eadem essentia est Personalitas Filii & Spiritus sancti. Addit noster *Poncius d.9.q.*1. axioma praefatum esse intelligendum cum hac exceptione: nisi quibusdam ex sua particulari ratione repugnet identificari inter se: prout repugnat divinis relationibus sive personis, & quidem solis: si enim Pater identificaretur Filio, sequeretur aperta contradictio, ipsum scilicet generare (quod supponitur) & non generare Filium, cum nequeat generare se ipsum. Pluraque alia, quae ex ratione objici possent, sparsim in hoc tractatu per occasionem dissolvētur.

QUAESTIO II.

An Mysterium SS. Trinitatis sit naturaliter cognoscibile?

NONNULLI teste *Durando* asseruerunt, illud demonstrari posse. Quibus solet annumerari *Raymundus Lullus*, quem referunt censuisse, quòd tam evidentes rationes hujus mysterii possent inveniri (quas se invenisse putabat) ut etiam sufficerent ad Gentilem aut Mahumetanum convincendum, modò vellet ad illas attendere. Circa hunc tamen notatum velim, plures à multis ei adscribi errores ex Directorio inquisitorū cujusdam *Nicolai Eymerici*. Sed quàm parum hujus testimonio deferendum sit hàc in parte, videri potest in *Apologia Hugonis Cavelli, contra Bzovium, praefixâ operibus Scoti c.*11. Unde sunt, qui doctrinam & opera Raymundi Lulli (qui velut Sanctus Martyr apud Baleares colitur) ab erroribus vindicant. De quo quidquid sit, 16.

*D. Bonav. d.3. parte 1. art.*1. *q.*4. *Scotus ibidem q.*9. *n.*9. & alibi. *D. Thomas*, & cōcorditer reliqui Theologi, censent indubitatum, non posse seclusâ divinâ revelatione per solam rationem naturalem devenire in certam cognitionem hujus mysterii; prout etiam docuerunt *Athanasius, Ambros. August.* & alii Patres, & cōsonat Scriptura *Matth.* 11. *&* 16. Patet: quia nullus est effectus (ex quo certa notitia hauriri debeat) qui possit intellectum creatum deducere in notitiam Trinitatis personarum, sed tantùm unitatis naturae. Immo nullum est in natura principium, ex quo possimus in tanti mysterii vel tenuem sive probabilē assensum, aut in nudam suspicionem pervenire. Quin immo ex mysterio Sanctissimae Trinitatis sequuntur varia, quae mox ab intellectu sibi relicto apprehenderentur tamquam impossibilia: statim enim occurreret, non posse consistere identitatem personarum cum una indivisibili ac singulari natura, & diversitatem earumdem inter se, & similia, quae tam apertè ostendunt mysterium hoc esse supra omnem rationem naturalem, ut numquam potuerit ascendere in cor hominis, non solùm ad apprehendendum illud tamquam possibile, sed ne quidem ad revocandum in dubium. 17. *Hoc mysterium est supra rationem naturalem.*

Dixi, *esse supra omnem rationem naturalem*: non enim est contra rationem naturalem, ut apud omnes constat: nam veritas non potest esse veritati contraria; ratio autem naturalis, si non erret, non ostendit nisi veritatem: si enim erret, jam 18. *Non contra illam.*

non

non est ratio, sed deceptio. Et quàmvis lumen naturale sit insufficiens ad omnem veritatem assequẽdam, non tamen ostendit esse falsum, quod verum est. Mens nostra quidem altiori illustratione seclusâ judicaret, argumenta oppositum hujus mysterii demonstrativè concludere: tamen ritè perpendens omnia principia naturalia desumi ex rebus finitis, quibus omnibus excellentissima illa Dei natura infinitè præeminet, facilè sibi ipsa naturalis ratio persuaderet, posse esse in Deo aliquid, vel aliquo modo, quod vel qui naturali discursu nequeat investigari. Illud ipsum autem in hoc mysterio locum habere, fides nostra docet, quòd nêpe principium istud, *quæcumque sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*, vel tantùm habeat locum in finitis, vel saltem qualiter in Deo locum habeat, à nobis nequeat demonstrari.

Quæ autem adferri solent ex *Raymundo*, ad demonstrandum evidenter hoc mysterium, sive suppositâ, sive non suppositâ illustratione fidei (quæ nullam evidentiam huic mysterio contulit) nullius sunt momenti vel apparentiæ. Quæ si quis Ethnicis proponeret, tantùm abest, ut vel leviter intentum consequeretur, ut potiùs hoc mysterium & fidem nostram risui exponeret; quòd scilicet propter confusas quasdam, & verborum obscuritate fucatas, quibus nihil rei subest, ratiocinationes, tam difficili mysterio adhæreamus, illudque evidenter probari putemus. Vide *Præpositum q.27.d.2.*

19. *Vnde Trinitas quibusdam Ethnicis innotuerit.* Dices, mysterium hoc innotuit variis Ethnicis & Philosophis fide destitutis, ut referunt multi Patres, signanter *S. Aug. 7. confessionum c.9.* Et 10 *de civit. c.23.* & alibi. Omissâ responsione *D. Thomæ*, Resp. Philosophos, quidquid de Sanctissima Trinitate opinati sunt, ex libris Moysi & Prophetarum hausisse, aut ab Hebræis verisque fidelibus didicisse, vel certè accepisse ab Ægyptiis, qui aliquam hujus mysterii notitiam hauserant ab Hebræis. Hoc tamen ex suo ita depravarunt, ut semper aliquam naturæ diversitatem aut inæqualitatem introducerent. De Sybillis equidem significat *S. August. 18. de civit. c.23.* & alii Patres, eas, tum hoc, tum quædam alia mysteria abscondita ex peculiari illustratione Spiritus sancti didicisse.

20. *Aliqualis similitudo SS. Trinitatis suppositâ fide.* Pro fine adverte, fide jam suppositâ, nonnullas adferri posse similitudines seu congruentias, quibus mysterium Sanctissimæ Trinitatis magis credibile reddatur. Quod à variis Patribus præstitum est. Sic juxta *August.* apparet in homine vestigium seu imperfecta quædam imago Trinitatis: quia sicuti anima hominis se ipsam intelligendo generat verbum, & accidentalem sui imaginem, ac mediante verbo producit amorem sui: sic Deus Pater per intellectum generat Verbum æternum, & consubstantialem sui imaginem, ac Verbo concurrente per voluntatem producit Spiritum sanctum velut amorem. Verumtamẽ hæc & quævis aliæ similitudines, adeò tenuem & dissimilitudine plenam hujus mysterii speciem præ se ferunt, ut non solùm non sufficiant ad quempiam deducendum vel in solam cogitationem hujus mysterii sepositâ revelatione, sed neque hâc suppositâ ullatenus suo pondere possint istud persuadere; quamquam nonnihil deserviant ad explicandum mysterium animis fide illius jam imbutis.

QUÆSTIO III.

Per quid constituantur & ab invicem distinguantur divinæ Personæ?

DICO I. Divinæ Personæ non constituuntur immediatè se ipsis seu se totis, vel ab invicem distinguuntur, sed per peculiares sive personales proprietates. Est contra *Præpositvum & Gregorium Ariminensem*. Sed horum sententia, uti sonat intellecta, meritò rejicitur ab omnibus Theologis: immo à Nonnullis notatur erroris aut etiam hæresis. 21. *Personæ divinæ constituuntur per proprietates personales.*

Probatur conclusio: quia divinæ Personæ in aliquo sui conveniunt, nempe in essentia seu Deitate, in aliquo distinguuntur, scilicet in personali proprietate, seu personalitate, ut definitur c. *Firmiter, de summa Trinit. Hæc S. Trinitas secundùm communem essentiam individua, & secundùm personales proprietates discreta*, id est, differens seu distincta. Et in Præfatione Missæ de Sanctissima Trinitate dicitur: *Et in personis proprietas, & in essentia unitas.* Ergo manifestum est, quòd non distinguantur se totis, sed quòd in singulis personis sit aliquod peculiare seu proprium (quod rectè proprietas personalis dicitur) per quod ab invicẽ primò distinguuntur seu discernuntur, adeòque per quod peculiariter constituuntur. Quod adeò clarum est, ut *Poncius d.9.q.4.* existimet Auctores alios intellexisse aliud, quàm verba præ se ferant. De quo quidquid sit, indubiè loquendi modus, Conciliis & Patribus repugnans, meritò improbandus est.

Dices: Si divinæ Personæ non constituantur & distinguantur se totis, sed per aliquid peculiare, seu per aliquam proprietatem, datetur in Deo vera compo- 22.

ſitio à parte rei, ex illo in quo perſonæ conveniunt, & ex illo in quo inter ſe diſtinguuntur: quandoquidem perſonæ divinæ à parte rei habeat quidquid ad ſui conſtitutionem requiritur, neque earum conſtitutio dici poſſit tantùm eſſe ſecundùm rationem. Reſpondet nihilominus *Vaſq. d.* 158. *c.* 2. *n.* 5. cum aliis, conſtitutionem divinarum perſonarum eſſe tantùm ſecundùm rationem. Sed contrà: divinæ perſonæ realiter conveniunt in eſſentia, & realiter differunt in eſſe perſonali; ergo à parte rei conſtituuntur in illo eſſe perſonali. Deinde non eſt credibile conſtitutionem tanti myſterii, pro qua Eccleſia ſemper adeò deſudavit, tandem revocari ad noſtros conceptus fictionemque mentis.

Non tantùm ſecundùm rationem, ſed à parte rei.

Reſpondent alii, conſtitutionem quidem eſſe à parte rei, etſi ex ſummè iiſdem, adeòque ſalvâ ſimplicitate; eò quòd inter eſſentiam & proprietates perſonales, ſive perſonalitates divinas intercedat diſtinctio virtualis. Ita *Prapoſ. q.* 29. *art.* 4. *dub.* 1. *n.* 8. Sed contrà: talis diſtinctio ante opus mentis verè & actu nulla eſt: quonam igitur modo ſufficit, ut ante opus mentis ſit actu vera conſtitutio perſonarum, adeòque diſtinctio inter conſtituentia? Quare ſicut juxta hos Auctores conſtitutio ex reali genere & differentia, eò quòd ſecundùm ipſos tantùm differant ratione, eſt rationis: ſic ipſi idem coguntur fateri de conſtitutione ex eſſentia & perſonalitate divina.

Aliter itaque Reſpondetur cum *Scotiſtis*, conſtitutionem ex natura & perſonalitate divina eſſe à parte rei, ex realiter eiſdem, ſed formaliter diſtinctis: hujuſmodi enim diſtinctio ſufficit, tum ad verificanda contradictoria, quæ de eſſentia & proprietatibus perſonalibus affirmantur: tum ad realem ſeu non excogitatam conſtitutionem ipſarum perſonarum. Nec tamen inde infertur vera compoſitio, utpote quæ non niſi ex limitatis & finitis (quæ ſe habent ut actus & potentia) exurgit; adeòque eſſentia infinita formaliter, & perſonalitas infinita ſaltem identicè, coaleſcunt inter ſe tamquam actus & actus, quatenus eſſentia eſt actus purus, ulteriùs determinabilis per perſonalitatem, velut actũ purum facientem eſſentiam ſecum incommunicabilem.

Tamen citra veram compoſitionem.

23. *Illa proprietates ſunt relativæ.* DICO II. Perſonæ divinæ conſtituuntur in eſſe perſonali per proprietates relativas, ſeu per relationes. Ita *D. Bonav. D. Thom.* & alii Theologi unanimiter, & expreſsè *Scotus d.* 2. *q.* 3. & 4. *d.* 5. *q.* 2. *d.* 13. *quæſt. unic. d.* 18. *qu.* 3. & *quodl.* 4. contra *Joannem de Ripa & Lyncomenſem*, qui exiſtimarunt perſonas conſtitui, & ab invicem primò diſtingui per proprietates abſolutas. Quibus aliqui immeritò annumerant *Scotum d.* 26. ubi quidem pro *Lyncomenſi* diſputat, ſed non fert ſententiam; quam tot locis pro cõmuni doctrina tulit. Varias tamen rationes communis doctrinæ ſolvit, & modum aliqualiter Auctoritatibus reſpondendi addit ibidem, & ex ipſo *Smiſing d.* 2. *q.* 1. *n.* 13. & *ſeqq.* qui proinde *nu.* 12. cum *Suarez* & aliis cenſet, opinionem *Lyncomenſis* non eſſe hæreticam (qualem cenſuit *Bannez*) neque erroneam, ut eam appellat *Vaſquez*.

Communis & vera doctrina colligitur primò ex Scriptura, quæ ubique perſonas divinas exprimit nominibus relativis: quod etiam faciunt Concilia & Patres; ergo ſine fundamento fingitur, eas non conſtitui & diſtingui primò per relationes. Deinde Concilia & Patres, perſonas relationibus diſtinguentes, non ſolùm aliud principale diſtinctivum earumdem dari non inſinuant, ſed potiùs excludunt. Sic *Aug. lib.* 1. *de Trinit.* per multa capita tradit, in omnibus, præterquam quæ ſunt ad aliquid, eſſe unitatem. Idem docet *Tolet. XI. in confeſſ. fidei.* Et *Boëtius lib. de Trin. c.* 12. ait: *Sola relatio multiplicat Trinitatem.* Et *Cyrill. l.* 2. *Theſaur. c.* 3. ait, *Non niſi per relationes diſtingui perſonas, & conſtitui in eſſe Hypoſtaſeon.* Et *lib.* 7. *c.* 1. ait: *Solâ diverſitate relationis, nec aliâ re ullâ diſtinguuntur.* Similia habent alii Patres. Unde meritò *Joan. Theologus in Concilio Flor. ſeſſ.* 18. dixit: *Sola relatio apud omnes tam Græcos, quàm Latinos Doctores divinâ proceſſione perſonas multiplicat, ita ut non ullâ aliâ ratione quàm vi relationis Pater à Filio, ac una perſona ab alia differat.* Per quod autem aliquid ab altero primò diſtinguitur, per idem conſtituitur.

His accedit: quòd abſolutum non multiplicet perſonas, ut patet ex *Tolet. XI.* aliiſq; auctoritatibus relatis: ergo nec conſtituit, ſcilicet tamquam proprium conſtitutivum. Quod addo: nam eſſentia divina eſt cõſtitutivum commune omnium perſonarum: ſed hîc quæritur de proprio, penes quod ſcilicet unum conſtitutum differt ab altero.

Dices: Una perſona divina refertur ad alteram v. g. Pater ad Filium per paternitatem ſive generationem activam: atqui quod refertur debet eſſe prius relatione per quam refertur, ut patet in relationibus creatis: ergo perſona divina nequit conſtitui per relationem, utpote hâc prior. Reſp. Neg. Min. univerſaliter intellectam: etſi enim relationes prædicamentales, veluti accidentales, ſupponant ſubjectum cui inſunt, & quod denomi- 24. *Non præſupponunt illud quod per ipſas refertur.*

Q nativè

non est ratio, sed deceptio. Et quàmvis lumen naturale sit insufficiens ad omnem veritatem assequêdam, non tamen ostendit esse falsum, quod verum est. Mens nostra quidem altiori illustratione seclusâ judicaret, argumenta oppositum hujus mysterii demonstrativè concludere: tamen ritè perpendens omnia principia naturalia desumi ex rebus finitis, quibus omnibus excellentissima illa Dei natura infinitè præeminet, facilè sibi ipsa naturalis ratio persuaderet, posse esse in Deo aliquid, vel aliquo modo, quod vel qui naturali discursu nequeat investigari. Illud ipsum autem in hoc mysterio locum habere, fides nostra docet, quòd nêpe principium istud, *quæcumque sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*, vel tantùm habeat locum in finitis, vel saltem qualiter in Deo locum habeat, à nobis nequeat demonstrari.

Quæ autem adferri solent ex *Raymunde*, ad demonstrandum evidenter hoc mysterium, sive suppositâ, sive non suppositâ illustratione fidei (quæ nullam evidentiam huic mysterio contulit) nullius sunt momenti vel apparentiæ. Quæ si quis Ethnicis proponeret, tantùm abest, ut vel leviter intentum consequeretur, ut potiùs hoc mysterium & fidem nostram risui exponeret; quòd scilicet propter confusas quasdam, & verborum obscuritate fucatas, quibus nihil rei subest, ratiocinationes, tam difficili mysterio adhæreamus, illudque evidenter probari putemus. Vide *Præpositum q.27.d.2.*

19. *Unde Trinitas quibusdam Ethnicis innotuit.* Dices, mysterium hoc innotuit variis Ethnicis & Philosophis fide destitutis, ut referunt multi Patres, signanter *S. Aug. 7. confessionum c.9.* Et 10 *de civit. c.23.* & alibi. Omissâ responsione *D. Thomæ*, Resp. Philosophos, quidquid de Sanctissima Trinitate opinati sunt, ex libris Moysi & Prophetarum hausisse, aut ab Hebræis verisque fidelibus didicisse, vel certè accepisse ab Ægyptiis, qui aliquam hujus mysterii notitiam hauserant ab Hebræis. Hoc tamen ex suo ita depravarunt, ut semper aliquam naturæ diversitatem aut inæqualitatem introducerent. De Sybillis equidem significat *S. August. 18. de civit. c.23.* & alii Patres, eas, tum hoc, tum quædam alia mysteria abscondita ex peculiari illustratione Spiritus sancti didicisse.

20. *Aliqualis similitudo SS. Trinitatis suppositâ fide.* Pro fine adverte, fide jam suppositâ, nonnullas adferri posse similitudines seu congruentias, quibus mysterium Sanctissimæ Trinitatis magis credibile reddatur. Quod à variis Patribus præstitum est. Sic juxta *August.* apparet in homine vestigium seu imperfecta quædam imago Trinitatis: quia sicuti anima hominis se ipsam intelligendo generat verbum, & accidentalem sui imaginem, ac mediante verbo producit amorem suisic Deus Pater per intellectum generat Verbum æternum, & consubstantialem sui imaginem, ac Verbo concurrente per voluntatem producit Spiritum sanctum velut amorem. Verumtamê hæc & quævis aliæ similitudines, adeò tenuem & dissimilitudine plenam hujus mysterii speciem præ se ferunt, ut non solùm non sufficiant ad quempiam deducendum vel in solam cogitationem hujus mysterii sepositâ revelatione, sed neque hâc suppositâ ullatenus suo pondere possint istud persuadere; quamquam nonnihil deserviant ad explicandum mysterium animis fide illius jam imbutis.

QUÆSTIO III.

Per quid constituantur & ab invicem distinguantur divinæ Personæ?

DICO I. Divinæ Personæ non constituuntur immediatè se ipsis seu se totis, vel ab invicem distinguuntur, sed per peculiares sive personales proprietates. Est contra *Præpositum & Gregorium Ariminensem*. Sed horum sententia, utì sonat intellecta, meritò rejicitur ab omnibus Theologis: immo à Nonnullis notatur erroris aut etiam hæresis. 21. *Personæ divinæ constituuntur per proprietates personales.*

Probatur conclusio: quia divinæ Personæ in aliquo sui conveniunt, nempe in essentia seu Deitate, in aliquo distinguuntur, scilicet in personali proprietate, seu personalitate, ut definitur c. *Firmiter, de summa Trinit. Hæc S. Trinitas secundùm communem essentiam individua, & secundùm personales proprietates discreta*, id est, differens seu distincta. Et in Præfatione Missæ de Sanctissima Trinitate dicitur: *Et in personis proprietas, & in essentia unitas.* Ergo manifestum est, quòd non distinguantur se totis, sed quòd in singulis personis sit aliquod peculiare seu proprium (quod rectè proprietas personalis dicitur) per quod ab invicê primò distinguuntur seu discernuntur, adeòque per quod peculiariter constituuntur. Quod adeò clarum est, ut *Poncius d.9.q.4.* existimet Auctores alios intellexisse aliud, quàm verba præ se ferant. De quo quidquid sit, indubiè loquendi modus, Conciliis & Patribus repugnans, meritò improbandus est.

Dices: Si divinæ Personæ non constituantur & distinguantur se totis, sed per aliquid peculiare, seu per aliquam proprietatem, daretur in Deo vera compositio 22.

sitio à parte rei, ex illo in quo personæ conveniunt, & ex illo in quo inter se distinguuntur: quandoquidem personæ divinæ à parte rei habeāt quidquid ad sui constitutionem requiritur, neque earum constitutio dici possit tantùm esse secundùm rationem. Respondet nihilominus *Vasq. d.* 158. *c.* 2. *n.* 5. cum aliis, constitutionem divinarum personarum esse tantùm secundùm ratio nem. Sed contrà: divinæ personæ realiter conveniunt in essentia, & realiter differunt in esse personali; ergo à parte rei constituuntur in illo esse personali. Deinde non est credibile constitutionem tanti mysterii, pro qua Ecclesia semper adeò desudavit, tandem revocari ad nostros conceptus fictionemque mentis.

Non tantùm secundùm rationem, sed à parte rei.

Respondent alii, constitutionem quidem esse à parte rei, etsi ex summè iisdem, adeòque salvâ simplicitate; eò quòd inter essentiam & proprietates personales, sive personalitates divinas intercedat distinctio virtualis. Ita *Prepos. q.* 29. *art.* 4. *dub.* 1. *n.* 8. Sed contrà: talis distinctio ante opus mentis verè & actu nulla est: quonam igitur modo sufficit, ut ante opus mentis sit actu vera constitutio personarum, adeòque distinctio inter constituentia? Quare sicut juxta hos Auctores constitutio ex reali genere & differentia, eò quòd secundùm ipsos tantùm differant ratione, est rationis: sic ipsi idem coguntur fateri de constitutione ex essentia & personalitate divina.

Aliter itaque Respondetur cum *Scotistis*, constitutionem ex natura & personalitate divina esse à parte rei, ex realiter eisdem, sed formaliter distinctis: hujusmodi enim distinctio sufficit, tum ad verificanda contradictoria, quæ de essentia & proprietatibus personalibus affirmantur: tum ad realem seu non excogitatam constitutionem ipsarum personarum. Nec tamen inde infertur vera compositio, utpote quæ non nisi ex limitatis & finitis (quæ se habent ut actus & potentia) exurgit; adeòque essentia infinita formaliter, & personalitas infinita saltem identicè, coalescunt inter se tamquam actus & actus, quatenus essentia est actus purus, ulteriùs determinabilis per personalitatem, velut actû purum facientem essentiam secum incommunicabilem.

Tamen citra veram compositionem.

23. Dico II. Personæ divinæ constituuntur in esse personali per proprietates relativas, seu per relationes. Ita *D. Bonav. D. Thom.* & alii Theologi unanimiter, & expressè *Scotus d.* 2. *q.* 3. & 4. *d.* 5. *q.* 2. *d.* 13. *quæst. unic. d.* 18. *qu.* 3. & *quodl.* 4. contra *Joannem de Ripa & Lynconiensem*, qui existimarunt personas constitui, & ab invicem primò distingui per proprietates absolutas. Quibus aliqui immeritò annumerant *Scotum d.* 26. ubi quidem pro *Lynconiensi* disputat, sed non fert sententiam; quam tot locis pro cōmuni doctrina tulit. Varias tamen rationes communis doctrinæ solvit, & modum aliqualiter Auctoritatibus respondendi addit ibidem, & ex ipso *Smising d.* 2. *q.* 1. *n.* 13. & *seqq.* qui proinde *nu.* 12. cum *Suarez* & aliis censet, opinionem *Lynconiensis* non esse hæreticam (qualem censuit *Bannez*) neque erroneam, ut eam appellat *Vasquez*.

Illæ proprietates sunt relativæ.

Communis & vera doctrina colligitur primò ex Scriptura, quæ ubique personas divinas exprimit nominibus relativis: quod etiam faciunt Concilia & Patres; ergo sine fundamento fingitur, eas non constitui & distingui primò per relationes. Deinde Concilia & Patres, personas relationibus distinguentes, non solùm aliud principale distinctivum earumdem dari non insinuant, sed potiùs excludunt. Sic *Aug. lib.* 1. *de Trinit.* per multa capita tradit, in omnibus, præterquam quæ sunt ad aliquid, esse unitatem. Idem docet *Tolet. XI. in confess. fidei.* Et *Boëtius lib. de Trin. c.* 12. ait: *Sola relatio multiplicat Trinitatem.* Et *Cyrill. l.* 2. *Thesauri c.* 3. ait, *Non nisi per relationes distingui personas, & constitui in esse Hypostaseon.* Et *lib.* 7. *c.* 1. ait: *Solâ diversitate relationis, nec aliâ re ullâ distinguuntur.* Similia habent alii Patres. Unde meritò *Joan. Theologus in Concilio Flor. sess.* 18. dixit: *Sola relatio apud omnes tam Græcos, quàm Latinos Doctores divinâ processione personas multiplicat, ita ut non ullâ aliâ ratione quàm vi relationis Pater à Filio, ac una persona ab alia differat.* Per quod autem aliquid ab altero primò distinguitur, per idem constituitur.

His accedit: quòd absolutum non multiplicet personas, ut patet ex *Tolet. XI.* aliisq; auctoritatibus relatis: ergo nec constituit, scilicet tamquam proprium constitutivum. Quod addo: nam essentia divina est cōstitutivum commune omnium personarum: sed hîc quæritur de proprio, penes quod scilicet unum constitutum differt ab altero.

Dices: Una persona divina refertur ad alteram v.g. Pater ad Filium per paternitatem sive generationem activam: atqui quod refertur debet esse prius relatione per quam refertur, ut patet in relationibus creatis: ergo persona divina nequit constitui per relationem, utpote hâc prior. Resp. Neg. Min. universaliter intellectam: etsi enim relationes prædicamentales, veluti accidentales, supponant subjectum cui insunt, & quod denomi- 24.

Non præsupponunt illud quod per ipsas refertur.

 native

nativè referunt, v. g. fimilitudo, quâ unus paries albus refertur ad alterum: id tamen fallit in tribus relationibus divinis, quæ veluti fubftantiales ac nemini adjacentes poffunt fubftantiam five perfonam formaliter & primò conftituere, & conftituendo aliò referre. Iifdem etiam peculiare eft, quòd fubjecta realiter diftincta non præexigant, fed ipfæmet primò realem diftinctionem caufent, quatenus ficut perfonas feu fubftantiale quid primò conftituunt, fic etiam primò diftinguunt. Denique iifdem fpeciale eft, quòd etfi perfonæ per illas conftitutæ tamquam correlativa fint fimul naturâ, una tamen fit alterâ prior origine tamquam principium productivum illius. Plura vide apud *Smifing n.17. & feqq.* & alios.

25. *Conftituunt in quantùm funt relationes.* Dico III. Relationes divinæ conftituunt tres perfonas in effe perfonarum fub formali conceptu relationum confideratæ. Eft communis. Probatur: quia conceptus ifte eft propriiffimus ipfarum relationum, eoque fublato deftruitur effentia relationis quatenus ab ente abfoluto diftinguitur; ergo relationes conftituunt & diftinguunt fub ifto conceptu. Deinde tres perfonalitates invicem opponuntur, adeòque ab invicem diftinguuntur, fecundùm effe relativum: ergo eatenus quoque præcisè faciūt ipfas perfonas invicem oppofitas & incommunicabiles, adeòque ab invicem difcretas feu diftinctas; & confequenter eatenus eas conftituunt. Denique relatio, quatenus concipitur in genere forma quædam hypoftatica, non diftinguit unam perfonam ab altera; ergo eatenus non conftituit determinatè perfonas divinas.

26. *Etfi interdum concipiantur inadæquato cōceptu formæ hypoftaticæ ut fic.* Nihilominùs fecundùm inadæquatos noftros conceptus procedendo fatendum eft, fubinde concipi divinas relationes fub confufo & generali conceptu formarum hypoftaticarum, abftrahendo, an fint abfolutæ, an relativæ: ut quando dicimus, in Deo dari tres hypoftafes feu perfonalitates, vel etiam tres perfonas, & Patrem effe primam perfonam &c. Et quidem ficut in humanis priùs exiftit aliqua perfona, quàm generet, priùs generat, quàm fit Pater: fic adaptantes huic ordini noftros conceptus de divinis perfonis, apprehendimus ante omnia primam perfonam ingenitam, five improductam & fine origine, deinde quòd originet feu generet aliam perfonam, & generando obtineat nomen Patris & habitudinem ad Filium.

E contrà, ficut in humanis prius eft oriri quàm effe, atque effe prius quàm referri ad illum qui genuit: fic fecundùm rationem imperfectam intelligendi, prius eft oriri feu nafci Filium divinum, deinde effe, denique referri ad Patrem. Tamen intellectu plenè & rationabiliter procedente, non eft intelligere primam perfonam five hypoftafim fine generatione & paternitate, neque aliquem inter eas ordinem: fed hoc ipfo, quo per conceptum proprium & determinatum prima perfona intelligitur conftituta, omnino fimul fecundùm rationem intelligitur generare, & effe Pater, feu effe relata ad terminū productionis; neque effe Patrem fundatur in generatione divina, fed eft ipfum generare. Similiter ipfum nafci eft effe Filium, & referri ad genitorem divinum. Prædictis confonant ea, quæ tradit *D. Bonav. d.25. art.1. q.3. in corp.* & *d.27. p.1. q.2. ad 2.* & *d.28. q.3. ad 3.*

Ex quibus facilè dirimitur alia controverfia, an relationes conftituant divinas perfonas fub ratione originum five emanationum, an fub ratione habitudinum feu relationum in effe quieto. Nam origines & habitudines nullatenus diftinguuntur, nifi penes conceptus noftros imperfectos: quatenus enim divinæ relationes concipiuntur inftar fieri & viæ cujufdam, dicuntur origines, & exprimuntur his verbis: generatio activa, generatio paffiva, & fpiratio paffiva: funtque omnino eædem cum paternitate, filiatione & proceffione, quæ dicuntur habitudines, & concipiuntur quafi formæ in effe quieto. Revera namque origines divinæ non funt via ad terminum, neque origo activa præfupponit fuppofitum, quafi prius fit effe quàm operari, fed fuppofitum divinum conftituitur per ipfum operari, in quo cum fundamento non eft diftinguere, fieri & factum effe; fed cùm origo æterna fit, ipfum fieri eft continuum & permanens, adeò ut generare & generari, fpirare & fpirari durent ufque hodie & totâ æternitate. Unde origo divina feu æterna ut fic involuit & rationem originis & formæ permanentis: adeòque intellectu etiam noftro plenè & rationabiliter procedente, tam per origines, quàm per habitudines, feu potiùs per id quod fimul eft utrumque conftituuntur perfonæ. Confiderando autem inadæquatos noftros conceptus, dicendum potiùs videtur, perfonas cōftitui relationibus prout funt quædam habitudines permanētes: forma enim conftituens rem permanentē debet quoque concipi tamquam permanens, & nō tamquam tendentia quædam. Unde fic loquūtur Doctores communiùs cum *D. Thoma* & *Scoto*. Idem expreffit *Beffarion in orat. dogmatica pro Unione* (quę fuit habita in *Concil. Flor.*) *c.6.* Nullam tamen puto inter Doctores effe differētiam realem: 27. *An conftituant in quantùm funt origines, an in quantùm habitudines.*

realem: nam *D. Bonav.* (qui oppositum loquendi modum habet) expressè fatetur nullam esse distinctionem, vel ordinem inter habitudines seu relationes, nisi secundùm rationem imperfectam intelligendi: secundùm quam ponit ordinem *n. prec.* explicatum: quamquam hæc ratio intelligendi sit minùs propria. Ex qua etiam non sequitur, personas cõstitui per origines, utpote eatenus priores relationibus; primum autem in unaquaque re sit constitutivum illius. Nam etiam servato hoc imperfecto concipiendi modo, constitutivum rei permanentis statuendum est, id quod in ea cõcipitur esse primum permanenter, non autem quod concipitur primum instar viæ, seu tendentiæ ad ipsam rem.

28. *Per quid personæ divinæ primò distinguantur.*

DICO IV. Tres personæ sicut primò constituuntur per paternitatem, filiationem & spirationem passivam, sic proportionatè per easdem distinguuntur. Est *Scoti & Scotistarum*, item *Suarez lib. 7. c. 4.* & communis aliorum, contra *Caiet. Ferrariensem & Vasquez*, cẽsentes Patrem & Filium constitui quidem primò per paternitatem & filiationem, & per easdem primò ab invicem distingui, tamen primò distingui à Spiritu sancto per spirationem activam (per quam ei relativè opponuntur) etsi per eam primò non constituantur. Probatur conclusio: nam per quod aliquid constituitur in entitate, per idem constituitur in unitate: ergo etiam proportionatè in distinctione à quolibet alio, quod non est ipsum; quia unum est indivisum in se, & divisum à quolibet alio. Itaque paternitas & filiatio, sicut primò Patrem & Filium constituunt, sic etiam primò distinguunt à quovis alio, adeòque à Spiritu sancto. Et consequenter spiratio activa distinguit ipsos à Spiritu sancto secundariò, seu minus principaliter.

Quod quidem facile est in sententia, quam infrà trademus ex *Anselmo*: nempe Spiritum sanctum fore realiter distinguendum à filio, etsi per impossibile ab eo non spiraretur. Sed qui id negant, difficultatem patiuntur. Quam non evadunt dicendo, paternitatem v.g. constituere Patrem, quatenus virtualiter, seu radicaliter in se continet spirationem activam. Nam id non satis est ad distinguendam ipsam paternitatem aut Patrem ut sic à Spiritu sancto: sicut id non satis est ad distinguendam essentiam ut sic à Spiritu sancto, etsi ipsa quòque virtualiter, seu radicaliter contineat spirationem activam.

29. *Spiratio activa non constituit primò Patrem & Filium.*

Multò minus admitti potest, quod pauci Recentiores contra vulgatam doctrinam & conceptum excogitarunt, spirationem activam etiam ingredi primam constitutionem Patris & Filii: nam Auctoritates exprimentes cõstitutiva istarum personarum, solius paternitatis, seu generationis, & filiationis, seu nativitatis meminerunt. Deinde Pater priùs origine generat Filium, adeòque est Pater, & consequenter persona (cùm paternitas sit proprietas incommunicabilis) quàm spiret Spiritum sanctum, adeòque ante spirationem, etiam activam: ergo ipsa non ingreditur constitutionem primæ personæ. Idem est cum proportione de Filio.

Denique paternitas & filiatio sufficiunt ad constitutionem primæ & secundæ personæ; ergo ipsa non est spirationi activæ adscribenda. Confirmatur: quia cùm spiratio activa sit posterior generatione, deberet esse ultimum constitutivum, quod dici nequit: cùm ultima constitutiva sint maximè propria, & primò distinctiva constituti à quovis alio; spiratio activa verò est communis Patri & Filio.

QUÆSTIO IV.

An detur in divinis quarta Relatio originis, scilicet spirationis activa, & qualiter à paternitate & filiatione distinguatur?

30. *Datur in Deo quarta relatio realis originis.*

DICO I. Datur in Deo quarta relatio realis originis, scilicet relatio spirationis activæ. Ita *D. Thom. D. Bonav. Scotus*, & unanimiter reliqui Theologi: immo *Smising d. 2. q. 3. n. 54.* putat esse de fide. Nec oppositum docet *Gregor. 1. d. 26.* nam solùm dicit, Patrem ad Filium & Spiritum sanctum referri unâ relatione secundùm rem, cui conveniunt rationes plurium specierum relationis. Similiter *Gabriel d. 27.* (apud *Suarez lib. 5. de Trinit. c. 7. n. 3.* malè citatur *d. 17.*) *q. 1.* tantùm docet, & optimè probat, paternitatem & spirationem non distingui realiter, expressè addens & optimè probans distingui ipsas formaliter. Unde immeritò oppositum conclusionis eis adscribit *Suarez suprà*.

Probatur conclusio: quia juxta fidem datur in divinis duplex processio; singulæ autem processiones exigunt duplicem relationem: ut patet in processione Filii, quæ exigit in ipso relationem generationis passivæ, in Patre autem oppositam correlationem generationis activæ: adeòque similiter processio Spiritus sancti postulat in Patre & Filio relationem spirationis activæ. Deinde Pater & Filius respiciunt relativè Spiritum san-

sanctum, & eatenus ei relativè opponuntur: atqui non ratione paternitatis aut filiationis, ut patet: ergo ratione relationis spirationis activæ, in quantùm scilicet Pater & Filius sunt spirator.

31. Confirmatur I. ex c. *Fideli, de summa Trinit. in 6.* ubi definitur: *Quòd Spiritus sanctus ex Patre & Filio, non tamquam ex duobus principiis, sed tamquam ex uno principio: non duabus spirationibus, sed unicâ spiratione procedit.* Quod (ut patet ex contextu) declarat Ecclesia, ut ostendat Græcos non rectè intellexisse mentem Latinorum, quos putabant asserere, quòd sicut Spiritus sanctus procedit à duobus, sic procedat ab iis, tamquam duobus principiis & duabus principiationibus seu spirationibus, activis scilicet (non enim putabant Græci Latinos adstruere duas spirationes passivas, seu duos Spiritus sanctos) cùm tamen verè Latini assererent, Patrem & Filium esse unum principium Spiritus sancti, & spirare eum unicâ spiratione, utique activâ. Datur igitur relatio spirationis activæ.

Confirmatur II. ex Patribus agnoscentibus in tribus personis relationes mutuas, adeòque in Patre & Filio relationem ad Spiritum sanctum. Sic *Boëtius lib. de Trinit.* prope finem: *Similis est* (inquit) *in Trinitate relatio Patris ad Filium, & utriusque ad Spiritum sanctum.* *Anselm. lib. de process. Spiritus sancti cap. penult.* post med. *Est autem tribus commune ad duos habere relationem: Pater enim ad Filium & Spiritum sanctum refertur &c. Spiritus sanctus ad Patrem & Filium &c.* Videri etiam potest *Bessarion in orat. pro Unione* (quæ habetur post *Concil. Flor.*) *c. 6. circa medium.*

Unde falsum est Auctoritates non meminisse, aut satis insinuasse quartam relationem spirationis activæ: etsi præcipuè expresserint tres relationes proprias & constitutivas personarum.

32. *Neque oppositum docent aliqui Patres.* Nec obstat, quòd aliqui Patres apud *Ruiz disp. 16. sect. 1.* significent relationem Spiritus sancti ad Patrem & Filium non esse reciprocam: nam solùm volunt, quòd sicut Spiritus sanctus dicitur Patris & Filii Spiritus, sic non dicatur reciprocè, Pater esse Pater Spiritus sancti, aut Filius esse Filius Spiritus sancti; quamquam possit fieri reciprocatio in alio nomine, quia scilicet sicut Spiritus est donum Patris & Filii, sic Pater & Filius sunt donator Spiritus sancti. *Donum ergo donatoris, & donator doni, cùm dicimus, relativè utrumque ad invicem dicimus,* ut rectè *August. lib. 5. de Trinit. c. 11.* Similiter possunt dici Pater & Filius spirator Spiritus sancti, ut infrà patebit.

Nec inde sequitur quarta persona, sive quaternitas in divinis: hæc enim tantùm exurgit ex quatuor realiter inter se distinctis; at spiratio activa non distinguitur realiter à paternitate & filiatione. Immo neque sequitur quarta persona formaliter aut virtualiter distincta: eò quòd spiratio activa sit communicabilis Patri & Filio; quod repugnat personalitati, quæ debet suppositum reddere incommunicabile. Itaque habet ipsa se quasi relatio accidentalis, superveniens personis jam constitutis. 33. *Neque sequitur ex illa quaternitas in divinis.*

Dico II. Relatio spirationis activæ non distinguitur realiter à paternitate & filiatione, adeòque sicut eadem Deitas identificatur tribus personis & personalitatibus realiter distinctis, sic relatio spirationis activæ identificatur duabus, & distinguitur realiter ab opposita relatione spirationis passivæ, sive à Spiritu sancto. Est certum apud omnes Theologos contra *Durandum*: cujus opinio à *Suarez* censetur error in fide, ab aliis parum tuta. Opinioni *Durandi, Ruiz d. 17. sect. 1.* immeritò involvit *Scotum* & *Gabrielem*, statuentes distinctionem formalem, quasi verò illa coincidat cum distinctione reali. 34. *Non distinguitur realiter à paternitate & filiatione.*

Probatur conclusio: quia omnia de facto sunt realiter unum in divinis, ubi non obviat relationis oppositio, aut incompatibilitas in eodem supposito: prout non obviat inter relationem spiratoris & paternitatem aut filiationem. Deinde alioquin daretur in Deo quaternitas rerum, scilicet quatuor relationum realiter distinctarum; quod repugnat c. *Damnamus, de summa Trinit.* Evasiones *Durandi* sunt insufficientes: quas varii fusiùs expendunt. Denique sequeretur in divinis quaternitas personarum: nam relatio spiratoris non foret in Patre & Filio, sicut nec Paternitas est in Filio ob realem distinctionem, adeòque foret relatio subsistens, faciensque distinctam personam. Nec juvat identitas essentiæ: nam ratione essentiæ singulæ personæ sunt in se mutuo, adeòque ut spiratio activa non faceret distinctam personam, deberet esse compatibilis per identitatem in eodem supposito cum Patre & Filio; quod non stat cum præfata distinctione reali: hâc enim positâ tam erit extra Patrem & Filium, quàm extra Spiritum sanctum; & cum singulis compossibilis quidem in eadem natura, non tamen in eodem supposito. Nisi quis cogitare malit contra divinam simplicitatem & perfectionem, quòd spiratio activa insit Patri & Filio intrinsecè, tamquam forma subjectis *Alioquin sequeretur quaternitas in divinis.*

jectis realiter diſtinctis. Accedit Auctoritas *Damaſceni lib. 1. de fide c.11.* dicentis: *In ſolis proprietatibus, nimirum paternitatis, filiationis & proceſſionis diſcrimen animadvertimus.*

35. Dices I. Generatio & ſpiratio paſſiva diſtinguuntur realiter; ergo ſimiliter generatio & ſpiratio activa. Reſp. Neg. Cõſeq. Ratio diſparitatis eſt: quòd priores ſint conſtitutivæ diſtinctarum realiter perſonarum, adeòque incompatibiles in eodem ſuppoſito; non ſimiliter poſteriores.

Dices II. Si relatio ſpirationis ſit eadem paternitati & filiationi; ergo malè aſſeritur quarta relatio in divinis. Reſp. Neg. Seq. ſicut nõ malè præter tres perſonalitates aſſeritur una Deitas, etſi non diſtincta realiter ab illis. Quarta itaque relatio verè datur, quia tam verè Pater & Filius habent relationem ad Spiritum ſanctum, quàm Pater ad Filium. Eadem tamen res in Patre eſt relatio paternitatis & ſpirationis, ſimiliter in Filio relatio filiationis & ſpirationis activæ; tamen cum diſtinctione, virtuali ſaltem, ratione diverſorum terminorum: nam in quantùm eſt ſpiratio, fit ordo ad Spiritum ſanctum, in quantùm paternitas, ad Filium. Immo ſecundum *Scotum* & *Gabrielem* eſt diſtinctio formalis ex natura rei: cùm verificentur à parte rei contradictoria de iis: nam in Patre eſt ſpiratio activa, non filiatio: in Filio eſt ſpiratio activa, non paternitas.

Quarto ſolùm formaliter eſt diſtincta.

QUÆSTIO V.

De Relationibus communibus Idẽtitatis, Æqualitatis, Similitudinis, Circuminſeſſionis divinarum Perſonarum:

36. DIco I. Divinæ Perſonæ cum diſtinctione reali habent identitatem in natura, æqualitatem in quantitate perfectionis, ſimilitudinem in qualitate ſive attributis. Eſt de fide: in hoc ipſo enim conſiſtit myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, quòd tribus realiter diſtinctis ſit eadem numero divina natura, ſingulis identificata realiter, cum iiſdem perfectionibus abſolutis. Unde in *Symbolo Athanaſii* expreſsè dicuntur *Totæ tres Perſonæ coæternæ ſibi & coæquales.* Et *Tolet.6. In hac* (inquit) *Trinitate eſt unitas ſubſtantiæ, ut pluralitate careat, & æqualitatem teneat.*

Divinarum perſonarum identitas, æqualitas & ſimilitudo.

37. Dices: In divinis datur prioritas, ergo inæqualitas perfectionis. Reſp. loquendo de prioritate ſimpliciter, ſive temporis, *in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, ſed totæ tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt*; ut contra *Arianos*, Patrem aliis æternitate priorem aſſerentes, dicitur in *Symbolo Athanaſii.* Similter ibidem contra eoſdem, Patrem majorem fingentes, negatur prioritas perfectionis, dicendo: *nihil majus aut minus.* Neque etiam datur prioritas cauſalitatis ſeu dependentiæ, ſecundùm quam effectus habet naturam à cauſa dependentem: nam perſona producens & producta habent eamdem numero naturam; & dependentia præfata arguit imperfectionem, ſeu limitationem in effectu: immo dependẽter eſſe ab alio, eſt quaſi radix imperfectionum ceterarum, ſicut habere eſſe à ſe, radix eſt divinarum perfectionum.

Cum æqualitate ſtat prioritas originis.

Itaque datur ſolùm ordo originis, adeòque proportionata prioritas & poſterioritas, ſecundùm quam dicitur prima, ſecunda, & tertia perſona, & perſona producens prior productâ, quatenus huic communicatur ſummâ neceſſitate natura eadem, atque æquè independens. Quâ ratione non eſt beatius, ſed æquè perfectum dare & accipere, juxta illud *Nazianzeni Orat.3.de Theol.* paulò poſt med. *Nos autem hoc dumtaxat dicere non dubitamus, ſi magnum & illuſtre Patri eſt, à nullo profectum eſſe, non minùs illuſtre Filio eſſe, ex tali Patre originem ducere*; quia videlicet accipit æqualem, immo eamdem naturam, cui juxta *Hilar. lib.9. de Trin.* tantum donat eſſe Pater, quantus ipſe eſt. Sic *Scholion Nazianzeni.* Quare dum *Orat. 3. & 4. de Theol.* ſignificat, Patrem eſſe majorem in ratione cauſæ, vel (ut frequenter Auctores referunt) auctoritate Filio, etiam ſecundùm divinitatem, nomine cauſæ ſeu auctoritatis, intelligit principiũ ſeu principiationem: ſicut eſſe cauſam ſeu auctorem Filii, idem eſt apud Græcos, quod eſſe principiũ Filii. Unde eo eſt major auctoritate, quia eum generat; non tamen major perfectione, ut *Nazianzenus* ibidem patenter inculcat. Immo prout auctoritas ſignificat poteſtatẽ, aut ſimilem naturæ perfectionem, dicit *Orat.4.* ante med. quòd par ſit utriuſque poteſtas atque auctoritas. Juxta priorem itaque ſenſum dicitur à Theologis, in Filio eſſe ſubauctoritas, ipſeq; eſſe principium ſubauctoritativum Spiritus ſancti, quia eſt principium de principio, ſcilicet de Patre, genitum. Alii dicunt *Nazianzenum* loqui ſecundùm communem hominum apprehenſionem, juxta quam honorificentiùs ſonat nomen Patris, & pluris æſtimari ſolet eſſe Patrem & principium, quàm eſſe Filium, aut à principio. Sed altera explicatio apparet ſolidior.

38. *An personæ divinæ sint æquales secundùm personalitates.* Petes, An divinæ personæ sint æquales secundùm personalitates? Resp. propriè nec esse æquales nec inæquales: tum quia propriè id convenit quantitati seu enti quanto, personalitates autem non sunt quantæ, seu determinatæ perfectionis, ut infrà dicetur. Tum quia identitas, æqualitas, similitudo, fundantur in unitate; personalitates autem ut sic illam excludunt, tamquam oppositæ, & inter se diversæ rationis. Possunt tamen dici æquales in quadam proportionali æstimatione, sive considerentur quatenus sunt relationes, sive quatenus personalitates divinæ, in quantùm scilicet una non est majoris, aut minoris æstimationis, quàm altera.

Nomen similitudinis olim suspectum ob Arianos. Circa nomen *similis* observandum, istud ob æquivocationem fuisse olim suspectum: nam *Ariani* refugientes consubstantialitatem ingerebant similitudinem, excludendo formæ identitatem. Quo decepti fuerunt Episcopi Catholici in Conciliabulo Ariminensi, dum passi sunt aboleri nomen *Homousion*, adversariis profitentibus Filium Patri per omnia similem, & sub hoc nomine virus suum regentibus. Nos autem loquimur de similitudine fundata in unitate numerica formæ: Eadem enim bonitas, sapientia &c. sunt in tribus personis. Immò ob similitudinem vi processionis secunda persona est imago, Verbum & Filius Patris.

39. *Divinarum personarum circuminsessio.* Dico II. Divinæ personæ habent circuminsessionem, id est, mutuam & intimam inexistentiam. Patet ex *Joan.* 14. *Ego* (inquit Christus) *in Patre, & Pater in me est.* Afficit autem hæc inexistentia personas totas, juxta *D. Bonav. d.* 19. *p.* 1. *q.* 4. *ad* 4. Et Doctores communiter post *Fulgentium lib. de fide ad Petrum c.* 1. Et *Ambrosium in Hymno Laudum feria secunda* dicentem: *in Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.* Neque concipienda est mutua hæc inexistentia, quasi una persona sit continens & altera contenta: sicut Hæretici quidam, *Metangismonitæ* dicti, latinè quasi transvasantes, apud *August. hæresi* 58. finxerunt Filium esse in Patre, velut vas minus in majore: sed est intima præsentia subsistentis in subsistente, ut loquitur *Hilar. lib.* 7. *de Trinit. sub finem*; sic ut eodem modo una persona insit alteri, quo altera vicissim insit ipsi. Quo modo etiam in creatis posse dari intimam præsentiam sine continentia, patet in penetratione duorum corporum æqualium.

Ejus fundamentum. Fundamentum autem hujus inexistentiæ est unitas naturæ divinæ, juxta Theologos & Patres, signanter *Fulgentium supra* dicentem: *Per hanc unitatem naturalem, id est, naturæ, totus Pater in Filio & Spiritu sancto est &c.* Nam quia singulæ personæ sunt ipsa Deitas, seu natura divina, & hæc est in omnibus & singulis personis, necessariò etiam unaquæque persona est in qualibet alia. Rectè tamē observat *Scotus d.* 19. *q.* 2. *n.* 9. & *D. Bonav. sup. in corp.* minùs principaliter etiam cōcurrere ipsam personarū distinctionem, sive hanc fundamentum secundarium appelles, sive aliter (quod parum refert) si enim illa non requireretur, esset etiam quælibet persona in semetipsa, uti in ipsa est essentia divina: quod tamen est falsum ad sensum quo Scriptura, Patres & Doctores de hac inexistentia loquuntur. Unde potest adæquatum hujus circuminsessionis fundamentum statui, unitas essentiæ in personis realiter distinctis: sicut fundamentum adæquatum similitudinis est unitas formæ in extremis realiter distinctis. Ita *D. Bonav. sup. in corp.*

Hinc patet circuminsessionem non esse tantùm mutuam præsentiam ratione immensitatis; ut rectè *Derkennis d.* 6. *c. unic. in fine*, non rectè referens *Scotum* quasi aliud sentientem: nam etsi personæ non essent immensæ, adhuc invicem circuminsiderent, seu intimè inessent ratione unitatis naturæ singularis. Unde *D. Bonav. suprà ad* 5. existimat, ipsam importare relationem identitatis personarum. Et sanè idem habet fundamentum, quod identitas, nempe unitatem naturæ. Quare ad identitatem saltem reduci potest, & fortasse solâ ratione (*Smising d.* 3. *n.* 77. & 79. putat quòd formaliter ex natura rei) ab eâ distinguitur, quatenus aliter concipimus mutuam præsentiam, aliter mutuam identitatem; eò quòd in creatis possit cerni intima præsentia sine identitate, v. g. in anima respectu corporis, & quatenus personæ concipiuntur eædem, non tam dicatur una esse in altera, quàm dicantur esse una natura. 40. *Non est solùm mutua præsentia ratione immensitatis.*

Notat etiam *Smising n.* 80. quòd sicut dicitur una persona esse in alia, sic etiam dici possit Deus in Deo esse: potest enim ly *Deus* supponere pro persona, sicut dum dicitur in Symbolo *Deus de Deo.* Idem dici potest de ipsis personalitatibus: v. g. quòd paternitas sit in Filio aut filiatione, & contrà: nam ratione identitatis in natura verè intimè invicem insunt. Sic ex *Gabriele Smising sup.*

Sed restat difficultas, an identitas, æqualitas &c. quæ indubiè concipiuntur à nobis instar relationum, sint veræ relationes superadditæ essentiæ divinæ & relationibus originis? Multi enim existimant identitatem (idem est de circum- 41.

cuminſeſſione) perſonarum eſſe ipſam unitatem naturæ ſingularis in diſtinctis perſonalitatibus: æqualitatem eſſe ipſam unitatem quantitatis ſeu quoad perfectioois gradum; quatenus videlicet omnes perſonæ ſicut habent unam, ſic æquè iofioitam, æternam, immenſam naturam &c. ſimilitudinem denique eſſe ipſam unitatem formæ, ſeu quaſi qualitatis, quatenus omnes perſonæ conveniunt in eadem ſapientia, bonitate, miſericordiâ &c. Quod quidem valde credibile eſt: cùm etiam in creatis probabiliſſimè, non aliud videantur relatiooes æquiparantiæ, ut ſimilitudo, aliæque in unitate fundatæ, immo univerſim omnes relationes prædicamentales, quàm ipſa unitas, aut relationum fundamentum cum aliquo connotato.

Supponitur relationes prædicamentales eſſe in creatis reales.

Supponendo tamen cum *D. Thoma, Scoto*, & aliis pleriſque Scholaſticis, dari in creatis ejuſmodi relationes fundamentis proximis realiter ſuperadditas, dubitari adhuc poteſt, an præfatæ relationes ſint reales in divinis, realiter quidem ab oppoſitis correlationibus diſtinctæ, v.g. ſimilitudo Patris cum Filio à ſimilitudine Filii cum Patre, ideotificatæ tamen ipſi fuodamento, ſcilicet eſſentiæ: ſicut tres perſonalitates ſunt veræ relatiooes ab invicem, noo tamen ab eſſentia diſtinctæ. Hoc itaque ſupponendo (de veritate ſuppoſiti agitur in Philoſophia.)

42. *Hoc poſito relationes communes ſimilitudinis &c. ſunt reales in divinis.*

DICO III. Relationes communes, ſimilitudinis, &c. ſunt reales in divinis. Ita *Scotus d.* 19. & *d.* 31. & *quodl.* 6. ejuſque diſcipuli, & refertur *D. Bonav.* & *Carthuſianus* apud *Ruiz d.* 103. *ſect.* 3. *n.* 3. contra *D. Thomam q.* 42. *art.* 1. *ad* 4. & alios communiùs, exiſtimantes prædictas relationes eſſe quidem reales ex parte fundamenti, quod eſt unitas eſſentiæ reſpectu identitatis (idem reſpectu circuminſeſſionis) unitas attributorum reſpectu ſimilitudinis, unitas denique iofioitæ perfectionis, tum eſſentialis, tum attributalis, reſpectu æqualitatis; tamen formaliter ſolùm eſſe rationis, & conſurgere per intellectum.

Probatur concluſio I. quia perſonæ divinæ dicuntur verè ſimiles ſibi & æquales &c. ut eſt fide certum: ergo habent veram relationem ſimilitudinis &c. ſicut habent illa, quæ in creatis dicuntur ſimilia vel æqualia. Si dicas, perſonas denominari ſimiles à fundamento reali ſimilitudinis, non autem à formali relatione. Contrà: ſic etiam poterunt res creatæ denominari ſimiles, adeòque non à formali aliqua relatione ſimilitudinis, veluti ſuperfluâ; cùm tamen ſupponat concluſio, ejuſmodi relationes in creatis eſſe ſtatuendas.

Probatur II. quia extrema harum relationum ſunt realia, & realiter diſtincta, ſcilicet perſonæ divinæ; ratio quòque fundandi, ſeu fundamentum proximum ſubeſt à parte rei, ſive eſt reale, ſcilicet unitas realis & perfectiſſima: hæc autem ſufficiunt ad relationem prædicamentalem.

Dices, requiritur inſuper multiplicatio fundamenti in extremis (cùm & ipſa fundamenta per relatiooem referantur) quæ hîc abeſt: cùm eſſentia, attributa & magnitudo ſeu infinitas perfectionis ſint una & eadem numero in tribus perſonis; in qua tamen unitate fundantur proximè relationes prędictæ. Reſp. Neg. Aſſumpt. cujus falſitatem fusè oſtendit *Smiſing d.* 2. *q.* 3. *n.* 69. & *ſeqq.* quin immo cùm hæ relationes fundentur in unitate, eò erit perfectior relatio identitatis, ſimilitudinis & æqualitatis, quò unitas eſt perfectior; quæ quidem hîc eſt perfectiſſima. Quare non debent fundamenta proxima referri per relationem. Quādo autem etiam ipſa referuntur, id contingit, quia ſimul habent rationem extremi ſuſcipientis in ſe relationem; prout non ſolùm duo parietes albi, ſed etiam ipſæ albedines dicuntur & referuntur tamquam ſimiles. Secùs eſt, quando fuodamentum non habet rationem extremi relationis; prout non habet v. g. generatio activa in creatis reſpectu paternitatis. 43.

Non requiritur multiplicatio fundamenti in extremis.

Diſtinguuntur autem hæ relationes realiter à ſibi oppoſitis in altero extremo, v. g. æqualitas Patris cum Filio ab æqualitate Filii cum Patre &c. tum quia obviat correlativa oppoſitio, tum quia non poſſunt eſſe in eodem ſuppoſito. Quæ tamen reperiuntur in eadem perſona, realiter identificantur, tum ipſi perſonæ, tum inter ſe, v.g. æqualitas Patris cum Filio, & ſimilitudo ejuſdem cum Filio &c. 44.

Diſtinguuntur realiter hæ relationes à ſibi oppoſitis in altero extremo.

QUÆSTIO VI.

An divinæ Relationes ſive Perſonalitates formaliter importēt aliquam perfectionem, eamque ſimpliciter; & infinitam?

SUPPONO tamquam indubitatum de fide, quòd divinæ relationes realiter, ſeu identicè importent omnem perfectionem Deitatis & attributorum communium tribus perſonis: quandoquidem realiter ſint ipſa Deitas divinaq; attributa. Solùm itaq; quæſtio movetur de iis conſideratis ſecundùm proprium cōceptum formalē, quatenus formaliter aut virtualiter diſtinguūtur à Deitate, & perfectio-

 nibus

nibus divinis absolutis, & realiter à sibi oppositis. Hoc supposito

45. *Relationes divinæ important formaliter aliquam perfectionem.* Dico I. Divinæ relationes sive personalitates important formaliter aliquam perfectionem. Ita communiter Doctores. Nec contradicunt *Scotistæ*, ut patet apud *Smising d.3. n.58. Felix c.3. diffic.7.* Neque etiam ipse *Scotus*, ut patet *quodl.7. n.36.* dum ait *actum notionalem*, sive processionem divinam, *habere rationem boni*, adeòque perfecti, *& veri.* & 1.*d.*1.*q.*2. *nn.*12. Conclusionem ex Patribus expressit *Damasc. lib.1. de fide c.11.* dicens: *In solis quidem proprietatibus paternitatis, filiationis & processionis secundùm causam & causale, & perfectionem personalem, id est, existentiæ modum, differentiam intelligimus.* Ratio est manifesta: quia bonum & perfectū transcendit cum entitate; ergo sicut divinæ relationes dicunt aliquam entitatem, sic quoque perfectionem, saltem transcendentalem. Deinde divina persona ut sic est quid perfectum; ergo personalitas, aliqua perfectio. Sanè incredibile apparet, mysterium Trinitatis ut sic, nullam ponere perfectionem in Deo. Immo videtur hoc ipsum fore magnā imperfectionem in divina personalitate, quòd ipsa ut talis nullam perfectionem habeat.

46. *Non solùm unam, sed plures.* Dico II. Divinæ relationes sive personalitates non sunt solùm una, sed plures perfectiones. Videtur ex dictis sequi manifestè (quidquid contradicat *Vasquez*) quia sunt plures entitates personales, quatenus à natura divina præscindunt, & realiter ab invicem distinguuntur: ergo similiter sunt plures bonitates seu perfectiones personales: prædicatum enim hoc transcendit, adeòque plurificatur secundùm pluralitatem entitatum. Idem colligitur ex *Damasceno sup.* docente personas differre *secundum perfectionem personalem*; non differunt autem, nisi secundùm quòd plures sunt: igitur plures sunt perfectiones personales.

47. *Non sunt formaliter finitæ, aut secundùm quid.* Dico III. Divinæ personalitates non sunt formaliter perfectiones secundùm quid aut finitæ. Ita universi Doctores. Patet: quia perfectio secundùm quid semper est mixta imperfectioni, eáque melior est perfectio opposita: divinæ autem relationes sive personalitates (ut & quidquid est in Deo) nullam habent imperfectionem admixtam, nec una personalitas est melior oppositā. Similiter in Deo nil potest esse finitum aut limitatum: quidquid enim tale est, manifestam involvit imperfectionem. Quare personalitates divinæ sunt infinitæ, saltem negativè, id est, non finitæ.

48. *Neque etiā perfectionem* Dico IV. Divinæ personalitates sive relationes non important perfectionem simpliciter vel infinitam, sed abstrahentem à perfectione simpliciter & secùndùm quid, à finita & infinita. Ita *Scotus* ex professo *quodl.5.* & obiter *t.d.8. q.3. n.16.* & *q.4. n.23.* & alibi, *Caietanus* dicens, esse communem sententiam in schola *D. Thomæ* & *Scoti* (ut refert *Smising d.3. n.44.*) & plurimi alii. *simpliciter & infinita.*

Prima pars de perfectione simpliciter (quam pauciores negant) probatur: quia perfectio simpliciter vulgò sic explicatur, quæ est sine imperfectione, nec aliam æqualem excludit ab eodem supposito, vel quæ est melior ipsa, quàm opposita in tota latitudine entis: una autem personalitas excludit ab eodem supposito alteram æqualem, nec est melior opposita in quovis ente seu supposito. Confirmatur: quia ens simpliciter infinitum (quale est quælibet persona divina) debet formaliter in se habere omnem perfectionem simpliciter; sic tamen non continet una persona divina personalitatem alterius: igitur vel personalitas divina non est perfectio simpliciter, vel persona divina carens aliquā non est simpliciter infinita. Quæ probationes sunt adeò manifestæ, ut qui asserunt, personalitates divinas esse perfectiones simpliciter, necessariò debeant hoc nomen aliter explicare, quàm communiter explicari soleat: qui tamen eò ipsò in quæstione de nomine pejore partem habent. *Perfectiones simpliciter sunt invicem compossibiles.*

Secunda pars de perfectione infinita (quam valde probabiliter negat *Suar. lib. 3. de Trin. c.10.* & alii, & ex *Scotistis Poncius d.9. n.36.* putantes, singulas personalitates esse formaliter infinitas in suo genere, v.g. paternitatem in ratione paternitatis &c.) probatur: quia alioquin una persona haberet perfectionem aliquam infinitam, scilicet propriam personalitatem, quam non habet altera formaliter aut eminenter. Unde ulteriùs sequi videtur, partim quòd nulla persona sit ens simpliciter infinitum, utpote quod carere nequit (quin saltem prædictum sit per ideotitatem) ullā perfectione simpliciter aut infinitā formaliter: partim quòd tres personæ simul sint quid majus, & perfectius simpliciter, quàm singulæ seorsim: partim denique, quòd Pater & Filius sint perfectiores simpliciter Spiritu sancto; continerent enim plures perfectiones infinitas, Pater videlicet (idem cum proportione de Filio) paternitatem, & insuper spirationem activam, & Spiritus sanctus unicam spirationem passivam. *Singulæ perfectiones infinitæ debēt esse in qualibet persona.*

Qui tamen oppositam sententiam amplecti desiderat, ad hæc respondere posset, sufficere ad singularum personarum infinitatem simpliciter, ut quælibet contineat omnem perfectiooem simpliciter 49.

simpli-

Personalitates tamen formaliter esse infinitas problematicè sustinetur.

simpliciter, ut qualibet contineat omnem perfectionem simpliciter simplicem. Et secundùm ejusmodi perfectiones, tres simul sumptas non esse quid majus aut præstantius, quàm singulas seorsim. Denique duplicem relationem non arguere in Patre & Filio majorem perfectionem præ Spiritu sancto; eò quòd huic non sit meliùs habere paternitatem aut spirationem activã, v.g. quàm carere; immo melius ei fit non habere: nam aliàs non posset habere spirationem passivam, utpote incompossibilem; & sic ipsemet Spiritus sanctus non esset. Quæ tamen responsiones non adimunt maximam sententiæ, in conclusione positæ, probabilitatem. Contra quam

50. *Quà ratione inter finitum & infinitum datur medium.*

Dices: inter finitum & infinitum non datur medium: ergo cùm personalitates divinæ non sint formaliter finitæ, erunt formaliter infinitæ. *Resp.* Neg. Conseq. quia etsi non detur medium inter finitum & infinitum, quin quodlibet sit alterutrum, saltem materialiter & à parte rei, sive identicè; potest tamen dari medium, quod sit neutrum formaliter, seu secundùm proprium conceptum objectivum, sed abstrahat ab utroque. Sicut etsi inter animal & non animal (idem est de similibus contradictoriis) non detur medium à parte rei: substantia tamen ut sic, item differentiæ laterales, nec sunt formaliter animal, nec formaliter non animal, sed eatenus abstrahunt ab utroque.

QUÆSTIO VII.

De Notionibus divinis.

51. *Quid notio sit.*

NOTIO usu Patrum & Theologorum sumitur pro quadam nota, seu signo, quo nobis innotescit processio, & discrimen divinarum personarum. Unde ipsa est ratio quædam objectiva, discriminans unam personam ab altera. Requiritur proinde, ut non sit communis tribus personis.

Quid prædicata notionalia.

Hinc prædicata quædam divina dicuntur notionalia (quorum frequens in materia præsenti apud Theologos mentio) quæ videlicet conveniunt Deo ratione processionum, suntque uni, aut duabus tantùm personis competentia: &

Quid essentialia.

distinguuntur contra prædicata essentialia, quæ scilicet ad divinam essentiam spectant, vel eam absolutè spectatam consequuntur, suntque adeò tribus personis communia, ut esse Deum, sapientem, bonum &c. A prædicatis autem propriis personarum, sive personalibus,

Quomodo notionalia distinguantur à personalibus.

distinguuntur notionalia, quòd hæc quidem possint esse propria uni personæ, non tamen debeant, cùm possint competere duabus, v. g. esse spiratorem; prædicata autem personalia debeant convenire soli, v. g. esse Patrem &c. Hinc etiam potentia productiva ad intrà, sive principium quo divinæ processiones fiunt, dicitur potentia notionalis, de qua infrà.

52. *Quinque sunt notiones divinæ.*

Assignantur autem à Doctoribus communiter quinque notiones, scilicet Paternitas, Filiatio, Spiratio passiva seu processio (quæ sunt notiones, quibus singulæ personæ ab invicem discernuntur) Spiratio activa, quæ est communis quidem Patri & Filio, discernit tamen illos à Spiritu sancto, facitque illos innotescere in ratione spiratoris, sive principii Spiritus sancti: ac denique Innascibilitas, seu omnimoda improducibilitas, quæ convenit soli Patri, eumque notificat sub ratione principii sine principio, sive (ut loquitur *D. Bonav.*) fontalis plenitudinis.

53. *Non plures, ex communi sententia.*

Sed quæritur, utrùm possint assignari plures notiones, quàm quinque? Respondetur communiter, quòd non: quæ enim præterea assignari possent, sufficienter in prædictis continentur, v. g. generatio activa in paternitate: aut minùs congruè notiones vocantur, v.g. inspirabilitas Filii, improductivitas Spiritus sancti: eò quòd hæ negationes non spectent ad personæ alicujus dignitatem, ideoque non mereantur specialiter inter notas hujus aut illius personæ recenseri: cùm juxta Doctores communiter, notio importet aliquam personæ dignitatem. At innascibilitas, seu improducibilitas, etsi de principali quòque importet negationem, tamen nostro concipiendi modo est quædam dignitas in Patre, quòd scilicet à nullo habeat, aut habere possit suum esse; id quod non satis expressè innotescit per paternitatem: nam *etsi gignat quisque filium, non ex eo ipse ingenitus est*, inquit, *August. 5. de Trinit. cap. 6.* Præterea juxta *D. Bonav. d. 28. quæst. 2. & 3.* ex consequenti importat, seu notificat in Patre auctoritatem principalem, quatenus est auctor sive principium totius divinitatis, seu reliquarum personarum: persona enim aliqua debet esse improducta, quæ sit fons, seu principium aliarum: quod non denotatur nomine Patris, aut nomine spiratoris solitariè.

Quomodo sit mera quæstio de nomine.

Nihilominùs quæstio hæc de numero notionum est de mero nomine: in qua, etsi locuti simus ut multi; tamen sine

sine alio inconvenienti posset major statui numerus notionum, eis annumerando inspirabilitatem & improductivitatem, & dicendo quòd notio non necessariò importare debeat aliquam personæ dignitatem. Ita varii *Scotistæ* aliique Doctissimi Viri, conformiter *Scoto* d. 28. q. 2.

In qua Nonnulli numerum notionum augēt.

QUÆSTIO VIII.

An Personæ vel Relationes divinæ faciant numerum, & quibus nominibus exprimantur?

54. *Personæ divinæ faciūt realem numerum.*

DICO I. Personæ divinæ faciunt realem numerum. Ita omnes Theologi. Patet ex *Concilio Tolet XI. in Confess. fidei*: *In relatione personarum numerus cernitur: in divinitatis verò substantia, quid enumeratum sit, non comprehenditur.* Et *VI. Synodus Generalis Act.* 11. dicit *Beatam Trinitatem esse numerabilem tribus* (scilicet personalibus) *subsistentiis.* Consonant etiam Patres. Ratio Theologica est: quia secundùm fidem sunt tres Personæ, ergo admittendus est numerus ternarius personarum; cùm terminus *tres* sit numeralis. Immo numerus iste nil reale positivum superaddit entitatibus, sive unitatibus singularum personarum. Ternarius itaque personarum positivè statuit tres personas, sicut dum dicitur, esse ternarium lapidum, asseritur positivè, esse tres lapides.

Quo sensu aliqui Patres videantur à divinâ excludere numerum.

Dum autem quidam Patres à divinis videntur excludere numerum, seipsos explicant, de numero quantitativo, qui nimirum in rebus materialibus reperitur, & exurgit ex divisione continui, soletque recenseri sub prædicamento quantitatis. Hoc sensu *Ambros. lib. 8. in Lucam*, in illud *cap.* 18. *Nemo bonus, nisi solus Deus*, ait: *Deus unus est, non unus est numero.* Et *Basil. Ep.* 141. circa principium: *Non est Deus numero unus.* Rationem addit: *Est namq; numerus corporalis naturæ.* Non tamen negant Patres unitatem transcendentalem Dei, aut numerum transcendentalem personarum.

55. *Nomina cōmunia personarum.*

DICO II. Nomina communia personarum, quæ etiam pluraliter exprimuntur, sunt, suppositum, persona, hypostasis, subsistentia. Unde simpliciter dicuntur tria supposita, tres personæ, tres hypostases & subsistentiæ. Patet ex usu Conciliorum, Patrum & Doctorum.

Nota I. Suppositum significare naturam subsistentem incommunicabiliter, seu substantiam completam incommunicabilem. Persona etiam significat talem naturam, sed intellectualem. Nomina ista porrò convenire in Trinitate, notissimum est ex Auctoritatibus. Immo etiam *Arius* fatebatur Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse personas: utpote naturas intellectuales incommunicabiliter existentes; sed negabat esse divinas, præter solius Patris personam. Similiter *Sabellius* aiebat, nomina ista importare quidem singula personam, etiam divinam, sed unam & eamdem. 56.

Quid significent suppositum & persona.

Nota II. Nomen hypostasis à pluribus annorum centenariis cœpisse usurpari, ut solùm significet subsistentiam incommunicabilem, pro qua modò simpliciter stat, prout distinguitur contra usiam, id est, naturam sive essentiam. Immo etiam tempore *Augustini* (ut ipse fatetur *lib.* 5. *de Trinit. c.* 8. *in fine*) plerique Græco sermone asserebant unam usiam, & tres hypostases. Quamquam juxta etymologiam nominis hypostasis sit idem, quod substantia vel usia: ideoque apud Concilia & Patres quandoque legatur esse una in Deo hypostasis. Unde *Hieron. Ep.* 57. *ad Damasum*: *Taceantur* (inquit) *tres hypostases, si placet, & una teneatur: non bona suspicionis est &c.* Rationem suprà reddiderat: *Tota litterarum sæcularium schola nihil hypostasim, nisi usiam novit: & quis, rogo, ore sacrilego tres substantias prædicabit?* Multùm enim Patres tunc erant de sanis vocabulis, sanoque potissimùm intellectu eorumdem soliciti, cùm adhuc vigeret hæresis *Arianorum*, qui incautos Catholicos obscuris aut æquivocis verbis studebant decipere, ut admissis tribus hypostasibus tres admissas esse diversas personarum substantias criminarentur. Quod *Hieron. ibidem*, metuens aiebat: *Mihi credite, venenum sub melle latet.* Sed omnis mali intellectus suspicio modò ab hoc nomine detersa est: immo non nisi pluraliter de tribus personis jam dici potest, ne si in divinis una tantùm dicatur hypostasis, Trinitas personarum cum *Sabellio* negari videatur. 57.

Item hypostasis.

Nota III. Subsistentiam etymologicè idem esse, quod usiam, seu substantiam; ut patet apud *Boëtium lib. de duabus naturis.* Usus tamen etiam apud veteres Patres invaluit, ut nomen istud stet pro supposito vel persona, sive personalitate. Unde tres in Deo subsistentias profitetur *V. Synodus Generalis can.* 1. *VI. Synodus* 58.

Item subsistentia.

nodus Generalis act. 11. Pluresque aliæ auctoritates apud *Smising d. 1. num.* 72. Ex quibus constat sumi subsistentiam pro ipso supposito seu persona: sicut & nomen hypostasis juxta statim dicta. Solet tamen utrumque nomen, & maximè subsistentiæ, etiam confundi cum abstracto suppositi vel personæ, sive cum suppositalitate vel personalitate.

59. *Potest admitti in Deo subsistentia absoluta communis tribus personis.*

Nota IV. Posse nihilominùs admitti in Deo unam subsistentiam absolutam communem tribus personis, per subsistentiam intelligendo existentiam ita per se completam, ut non indigeat alio sustentante tamquam subjecto vel supposito, etsi in alio sit vel esse possit. Ita *Scotus* cum suis, *Thomistæ*, *Nominales*, *Suarez* & alii communiùs contra *Vasquez*. Et consonant Patres apud *Smising d. 1. num.* 79. Sufficiat illud *Dionysii de divin. nomin. cap.* 4. dicentis, *bonitatis*, divinæ, *subsistentiam ipse esse suo omnium subsistentium causam esse.* Dum autem alii Patres & Concilia (quæ vide apud *Smising num.* 72.) urgent tres subsistentias, & unam negant, manifestè loquuntur de subsistentia personali seu relativa, adeòque de existentia ultimò terminata & incommunicabili, juxta quod *subsistentia & persona in nullo differunt, nisi in nomine: subsistentia enim persona est*, ut inquit *Theodoretus, in Additionibus ad Breviarium Liberati tom. 2. Concil.* Ratio est: quia Deus ut sic absolutè spectatus, sive Deitas ut præintellecta personalitatibus, est ab eis omnino independens, & per se completè existit; ergo absolutè subsistit, etsi non incommunicabiliter. Deinde hóc ipsum est perfectio simpliciter; omnis autem illa competit Deo ut sic, sive Deitati ex se, antecedenter ad personalitates.

60. *Prædicata transcendentia possunt dici pluraliter, saltem cum addito.*

Dico III. Nomina transcendentia, sive communia essentiæ & personalitatibus, possunt dici pluraliter de personis, v.g. possunt tres personæ seu personalitates dici tres res seu entitates, existentiæ, substantiæ, cum addito, relativæ seu personales. Ratio generalis est: quia prædicata transcendentia dicuntur plura secundùm pluralitatem eorum quæ transcendunt. De entitate idem tradunt Doctores communiter, post *Anselm. lib. de Incarn. c.* 3. ubi ait: *Nihil prohibet dicere, duas personas, Patrem & Filium, esse duas res.* Rationem addit: *Solemus enim usu dicere rem, quidquid aliquo modo dicimus esse aliquid, qui autem de Deo Patrem, Filium & Spiritum sanctum dicit, aliquid dicit.* Idem est de unitate, veritate & bonitate; quæ transcendunt cum ente. Confirmatur: quia datur in divinis numerus transcendentalis, secundùm quid scilicet, sive personarum: numerus autem conflatur ex pluribus unitatibus: dantur igitur plures, scilicet tres, unitates: igitur etiam plures veritates & bonitates.

V.g. tres entitates.

Tres unitates, veritates & bonitates.

61. *Tres existentiæ.*

De existentia idem docent *Scotus, Suar. Smising d. 1. n.* 82. & alii passim contra *Vasquez* & nonnullos alios. Ratio est: quia existentia nil est aliud quàm actualitas cujusq; rei: ergo sicut sunt tres res actuales, sic tres existentiæ relativæ seu personales realiter distinctæ. Dum autem Patres (quos vide apud *Vasq. d. 126. c. 2.*) solùm unum esse in Deo videntur concedere, loquuntur de esse simpliciter, essentiali, & primo in Deo, nos autem de esse sive existere, cum addito, personali, seu relativo.

Nec obstat, quòd hinc sequi videatur, dari similiter in Deo tres durationes, adeòque æternitates relativas: cùm existentiæ intima sit, eamve consequatur duratio, omnis autem duratio in Deo sit æternitas: consequens verò est contra id, quod dicitur in *Symbolo Athanasii: non tres æterni, sed unus æternus.* Non obstat (inquam) quia in Symbolo isto est sermo de æternitate absoluta & essentiali. Deinde etsi admittātur tres durationes, possent negari tres æternitates: eò quòd æternitas sit modus durationis infinitæ seu infinitè perfectæ, uti immensitas est modus essentiæ sive existentiæ illimitatæ; durationes autem relativæ, sicut & ipsæ personalitates, non importent perfectionem formaliter infinitam.

62. *Tres item substantiæ, cum addito, relativæ.*

De substantia idem docet *Smising d. 1. n.* 83. referens *num. seq. Bellarm.* & *Molina.* Et consonat *Anselm. Monolog. c. penult.* ubi ait posse dici *unam essentiam, & tres substantias.* Idem admittit *Hilarius lib. de Synodis* explicans fidem Antiocheni Concilii. Idipsum est Græcis usitatum, qui nomen substantiæ pro persona seu supposito accipiunt, ideoque admittunt unam usiam & tres hypostases, *quod est Latinè, unam essentiam, tres substantias,* inquit, *August. 5. de Trin. c.* 8. Immo etiam apud Latinos nomen substantiæ quandoque accipi pro supposito, admittit *D. Thom. q. 29. art. 2. ad 2. & q. 30. art. 1. ad 1.* Similiter *Joannes Theologus in Concilio Flor. sess.* 19. advertit substantiam usurpari posse, & pro essentia, & pro persona. Ratio est: quia substantia est prædicatum transcendens cum quavis persona sive personalitate: quælibet enim est substantia, sive ens subsistens per se, aut independenter à subjecto inhæsionis: ergo tres personæ, sive personalitates sunt tres substantiæ.

Nihilo-

63. *Simpliciter dicitur una tantùm substantia.* Nihilominus, *quia nostra loquendi consuetudo jam obtinuit* (inquit *Aug. sup. c. 9. in princip.*) *ut hoc intelligatur cùm dicimus essentiam, quod intelligitur dum dicimus substantiam, non audemus dicere unam essentiam, tres substantias* (scilicet sine addito personales) *sed unam essentiam vel substantiam, tres autem personas*, ne videamur multiplicare naturam divinam. Nomen enim istud simpliciter positum stat pro essentia seu natura divina, ut advertit *Andreas Archiepiscopus Rhodi in Concilio Florent. sess. 19.* Unde de divina substantia absoluta loquuntur aliæ Auctoritates, excludentes numerum à divina substantia, ut *Tolet. XI. in Confess. fidei*, dicens: *Nec sicut tres personas, ita tres substantias prædicamus, sed unam substantiam, tres autem personas.* Et hinc tres personæ dicuntur *consubstantiales*, id est, unius substantiæ sive essentiæ. Eademque est ratio, ob quam diximerus in Cõcilione dari tres substantias relativas seu personales: per hoc enim additum expressè aut tacitè ex circumstãtiis subintellectum omnis mali suspicio excluditur; cùm sit idem, quasi diceretur, dari tres Hypostases seu personalitates. Ob quod etiam sine periculo dicimus tres res cum addito, relativas, quantùmvis *Concil. Lateranense* (& refertur c. *Firmiter, de summa Trinit.*) unam solùm rem, uti unam substantiam in Deo confiteatur.

64. *Cautela pro nomine essentiæ.* Major tamen cautela adhibenda est in nomine essentiæ: nam etsi essentia largè, & ens nominaliter sumptum coincidant, adeòque per se loquendo dici possent in divinis tria esse, sicut tria entia relativa: nihilominus quia vocabulum essentiæ ex usu, etiam Philosophorum, non significat nisi primam & radicalem rationem essendi, quæ Deitas est, monet *Smising d. 1. q. 4. num. 68. & 84.* non esse dicendas in Deo tres essentias, nequidem cum addito, relativas; ne videamur significare, tum quòd prima & radicalis ratio in ente divino sit quid relativum, tum quòd sint tres ejusmodi rationes, adeòque tres deitates. Quare apud Patres non reperitur numerus appositus essentiæ, aut naturæ divinæ: sicut reperitur additus entitati vel substantiæ. Nihilominus quando ex circumstantiis omnis mali suspicio detergeretur, posset etiam similis locutio admitti, præsertim dum hæreses (ob quas cautiùs loquendum) exoleverunt. Ideóque *Poncius d. 9. num. 45.* non facit differentiam inter vocabulum essentiæ & alia nomina.

DISPUTATIO II.

De Processionibus Divinis earumq; Principiis.

QUÆSTIO I.

An & quotuplex detur in divinis Origo seu Processio?

DICO I. in divinis datur vera & realis origo seu processio. Est de fide. Probatur ex *Joan. 8.* ubi Christus de seipso, ait: *Ego ex Deo processi.* Et *Joan. 15.* de Spiritu sancto ait: *Spiritus veritatis qui à Patre procedit.* Idem probari potest ex omnibus Scripturis, quæ secundam in deitate personam appellant genitam aut filium: nil enim potest esse genitum aut filius, nisi per generationem à generante procedat. Eadem fidei veritas explicatur in omnibus Conciliis & Patrum scriptis, contra hostes Trinitatis editis, & optimè in *Symbolis Constantinopolitano* & *S. Athanasii.* 1. *Datur in divinis vera & realis processio.*

Eamdem veritatem ratione declarare conati sunt Scholastici, non quidem volentes Trinitatem demonstrare, sed suadere, non esse impossibilia quæ fides docet, ut minorem in hoc mysterio credendo difficultatem sentiat humanus intellectus. *Scotus d. 2. q. 7. num. 3.* quatuor rationes assignat, quas fusè ex ipso refert, & ab impugnationibus defendit *Smising disp. 3. num. 8. & seqq.* Nobis hæc sufficiat: In Deo est intellectus & voluntas, sed hæ potentiæ sunt de se productivæ verbi sive notitiæ genitæ & amoris: ergo similiter sunt productivæ in Deo: atqui non possunt in Deo generare aut producere notitiam solùm accidentalem, similiter amorem tantùm accidentalem; in Deo enim non potest esse aliquod accidens: ergo verbum & amor productus debent esse substantia; cùm autem nequeant esse substantiæ absolutæ sive naturæ substantiales (implicat enim esse plures naturas divinas) erunt substantiæ relativæ sive personales. 2. *Ratione declaratur.*

Confirmatur: quia si intellectus creatus generet notitiam accidentaliter similem, & quidem eò perfectiorem, quò intellectus & objectum, vel ejus vice species sive memoria fecunda est perfectior: non debet videri incredibile intellectum divinum, qui est infinitè perfectus, & objectum similiter habet perfectissimum, generare notitiam similem substan-

substantialiter, adeòque consubstantialem; cùm tantùm una possibilis sit substantia divina. Cùm autem generatio ista seu productio esse non possit absque reali distinctione producentis & producti, primò essentia divina communicat sese primæ personæ, & à se velut diffundit primam personalitatem absque productione: quæ persona tum instructa essentiâ & intellectu divino infinitè secundo communicat eamdem essentiam secundæ personæ producendo verbum sive notitiam genitam. At quia fecunditas naturæ divinæ, quantùm ad productionem termini intellectûs, jam accepit suum terminum adæquatum, hinc nequit Filius ulteriùs producere alium Filium, sive aliud Verbum. Quia tamen productio verbi sive processio per intellectum præcedit productionem per voluntatem, jamq; secunda persona accepit communicatam sibi naturam diviná cum omnibus perfectionibus, adeòque camdē voluntatem adhuc fecundam ad producendum amorem, qui origine est posterior; hinc Filius simul cum Patre spirat seu producit amorem illum personalem, qui est Spiritus sanctus. Hic autem ulteriùs nequit spirare alium Spiritum sanctum, eò quòd divinæ voluntatis fecunditas jam acceperit suum terminum adæquatum, qui illius fecunditatem quasi exhaurit. Hæc aliquo modo juvare possunt ad rem hanc abditissimam utcumque apprehendendam; quamvis perfectè à nobis concipi nequeat, quousque in caligine fidei & non per speciem ambulamus.

3. *Quomodo equidem persona producta sit à se.* Dices: Si dentur processiones in divinis, personæ procedentes non erunt à se independentes, prima principia, ex se necessaria: adeòque nec erunt Deus, qui est ens à se, independens, primū principium, & ex se necessarium. Resp. Neg. I. Seq. Deus enim est ens à se hoc sensu, quòd ex vi essentiæ suæ sit ens necessariò existens, & repugnet naturæ suæ habere esse dependenter ab aliquo: eodemque sensu est ens necessarium ex se, seu ex vi naturæ & essentiæ suæ. Quod etiam competit divinis personis productis: quæ sicut habēt camdē omnino cum persona producente essentiam, ita vi illius habent eamdem essendi necessitatē independenter à quocumque. Siquidem ipsa essentia ex se & omnino necessariò exigit communicare se tribus personis, uni quidem immediatè, aliis verò mediante productione, non sui, sed personarum. Quare sicut prima persona à se, seu vi essentiæ suæ existit necessariò, sed improducta: sic aliæ personæ ex se, seu vi essentiæ suæ existunt summè necessariò, sed per productionem, hanc postulante ipsâmet essentiâ. Denique personæ productæ sunt primū principium, scilicet creaturarum, quia omnes tres personæ indivisè & instar unius principii omnia operantur ad extrà, uti essentia divina (quam ratio principii creaturarum consequitur) est indivisa in tribus personis. Non sunt autem primum principium sumendo illud respectu ad intrà: sed eateous Spiritus sanctus non est principium, & solus Pater primum principium. Verùm ratio Dei ut sic non requirit esse hoc sensu primū principium, sed tantùm ratio primæ personæ divinæ. *Et primum principium.*

Dico II. Duæ sunt processiones divinæ, & non plures. Est de fide. Prima pars patet ex iis Scripturis & Conciliis, quæ docent esse duas personas procedentes seu productas: ergo etiam sunt duæ processiones, cùm una persona non possit procedere eâdem processione quâ alia. Unde etiam fides docet, processionem unā esse generationem, aliam non; ut patebit *quæst. seq.* Ideoq; non differunt tantùm numero, sed & quasi specie, sive secundùm rationē suam formalem. Quam diversitatem participant ex eo, quòd principia formalia earum sint diversæ rationis, nempe intellectus & voluntas. Vide *Scotum d. 7. n. 13. & 15.* Confirmatur Conclusio: quia fides docet Filium à solo Patre, Spiritum sanctum ab utroque procedere; non potest autem esse una processio, quæ est ab uno tantùm, & quæ à duobus. Neque etiam potest aliquid esse principiū productionis, cujus est terminus: prout cōtingeret, si processio Spiritus sancti esset eadem cum processione Filii, qui simul quoque est principium Spiritus sancti. 4. *Duæ sunt processiones divinæ.*

Secunda pars probatur: nam fides docet tantùm esse tres personas divinas, quarum una est improducta, duæ autem productæ seu procedentes: ergo sunt tantùm duæ processiones; cùm hæ in divinis multiplicari non possint, nisi ex multiplicatione procedentium. Ratio assignatur à *D. Thoma q. 27. art. 5. & Scoto d. 2. q. 7. n. 18. & 19.* quia in natura summè intellectuali & spirituali, qualis est divina, sunt tantùm duæ facultates, & duo genera actuum immanentium, scilicet intellectûs & voluntatis; secundùm quas processio ad intrà debet accipi: adeòque sunt tātùm duæ productiones diversæ rationis; & cùm singulæ productiones sint suis principiis adæquatæ & coæternæ (ut loquitur *Scotus sup. n. 19.*) sunt etiam tantùm duæ numero. 5. *Non plures.*

Dico III. Plures processiones quàm duæ non sunt in divinis possibiles. Est certissimum apud omnes: nam alioquin de facto darentur plures quàm duæ; cùm 6. *Immo plures non sunt possibiles.*

R in di-

in divinis ob summam essendi necessitatem idem sit esse & posse. Confirmatur: quia in primis nequeunt esse plures processiones diversæ rationis: cùm nequeant esse plures quàm duo modi procedendi, scilicet per intellectum & voluntatem, sive plura quàm duo priocipia ad intrà productiva diversæ rationis. Non etiam ejusdem rationis: tum quia alioquin possent esse plures sine numero, adeòque (ut insinuat *Basil. lib. 5. contra Eunom c. 12.*) de facto esset infinita multitudo gignentium & genitorum, ac per consequens spirantium & spiratorum; cùm divina fecunditas necessariò & essentialiter sit in actu: tum quia unica generatio Filii est operatio adæquata intellectui divino, & perpetuò durans (idem est de spiratione respectu voluntatis divinæ) potentia autem agens actione sibi adæquatâ, adeòque ad extremum potentiæ, nequit eâ durante agere simul aliâ actione ejusdem rationis, æquali vel majori.

QUÆSTIO II.

An & cur una solùm Processio divina sit generatio?

7. *Sola processio Filii est generatio.* DICO I. Sola processio divina Filii seu secundæ personæ est generatio. Est de fide. Nam Scriptura, Concilia & Patres, solam secundam personam appellant Filium, genitum, unigenitum, & (ut dicitur in *Symbolo Apostolorum*) *unicum Dei Filium.* Clarissimè autem *Symbolum Athanasii* sic asserit Filium esse genitum, ut expressè addat Spiritum sanctum non esse genitum.

Quomodo Filius dicatur primogenitus. Nec obstat, quòd *ad Coloss. 1.* dicatur *Filius primogenitus.* Nam dicitur ibi primogenitus creaturarum, id est, à Patre ab æterno genitus antequam ulla creatura fuerit condita, ut habet verior expositio. Quàmvis varii Patres hunc locum explicent de Christo secundùm humanitatem, secundùm quam est primogenitus creaturarum, non tempore, sed dignitate: sive (ut nonnulli) prædefinitione, quia ante ceteras omnes creaturas fuerit prędestinata incarnatio Verbi. Adde dici posse primogenitum largè, quia nemo ante ipsum Filius fit à Patre genitus; quamquam nec alius post ipsum. Sicut *Lucæ 2.* dicitur Maria peperisse Filium suum primogenitum, quia ante eum non pepererat aliquem, quamquam nec postea, adeòque simul fit unigenitus.

Discrimen porrò assignare inter generationem Filii & processionem Spiritus sancti, adeò est difficile, ut *August. lib. 3. contra Maximin. c. 14.* scribat: *Quid inter nasci & procedere intersit, de excellentissima illa natura loquens explicare quis potest? distinguere inter illam generationem & hanc processionem non valeo, non sufficio &c.* Idem sentiunt *Nazianzenus, Basilius* & alii Patres. Quo non obstante ipsi Patres, & communiter Scholastici conati sunt reddere aliquam discriminis rationem, quâ intellectus manuducatur ad mysterii hujus credibilitatem concipiendam, utque excludantur ex mentibus fidelium indignæ de Deo imaginationes, ac denique respondeatur Hæreticis, mysterium hoc ob absurditatem seu impossibilitatem subsannantibus. *Eunomiani* enim & *Macedoniani* (teste *Athanasio in Epist. ad Serapionem*) processionem Spiritus sancti hoc argumento impugnabant: aut Spiritus sanctus procedit à solo Patre, & sic erit Filius Patris & frater Filii: aut procedit à solo Filio, & sic erit filius Filii & nepos Patris: aut ab utroque, & sic uterque erit parens: cùmque uterque non possit esse pater, alter erit mater; quod est absurdum. Ad quod quidē responsio in promptu est, Spiritum sanctum esse neutrius filium, sed procedere, non generari, immediatè à Patre & Filio tamquam concorditer eum spirantibus. Sed difficultas manet, quæ sit ratio hujus discriminis inter processionem Filii & Spiritus sancti. In qua assignanda Patres & Scholastici multùm desudarunt, & varii varias discriminis rationes (quas fusè refert & discutit *Smising d. 3. n. 89. & seqq. & n. 111. & seqq.* & alii) allegarunt.

DICO II. Processio Filii idcirco est generatio, non autem processio Spiritus sancti, quòd illa, ex eo quòd sit per intellectum, sit perfectè per modum naturæ & similitudinis; hæc verò, quia per voluntatem, fit per modum impulsus & inclinationis. Ita plerique Doctores. Et colligitur ex *Scoto d. 10. n. 13. †. ad 1. & d. 13. n. 20.* & alibi. Et ex *S. Bonaventura*, qui passim urget proprium Filio procedendi modum instar naturæ; ut *d. 27. p. 1. in Exposit. textûs dub. 2.* & *p. 2. q. 4. in corp.* Et *Compend. Theolog. verit. lib. 1. c. 7.* Assignat quidem *d. 13. art. 1. q. 2. ad 3.* discrimen, quòd Spiritus sanctus ut amor, Filius ut imago procedat: hoc ipsum tamen redit in id quod habet Conclusio: propria siquidem ratio, cur Filius sit imago sive expressio similitudinis in summo, est, *quia exit per modum naturæ, & ita per modum verbi, & speciei*, seu perfectæ pulchritudinis, *& per modum similitudinis expressæ*; ut habet *d. 31. art. 1. q. 2. in corp.* 8. *Cur potiùs una processio sit generatio quàm altera.*

Aliæ

Aliæ verò rationes (ut ibidem docet) tantùm faciunt ad congruentiam, quòd scilicet Filius procedat ab uno, Spiritus sanctus à duobus; quòd item Filius cōsimiliter producat aliam personam, seu habeat naturam fecundam, uti Pater.

Coincidit etiam discrimen traditum ab *Augustino 5. de Trinit. cap. 14.* quòd nempe Filius procedat ut natus, id est, per modum naturæ; Spiritus sanctus autem ut datus, quia videlicet per modum inclinationis bonæ voluntatis, sive instar amoris, qui est primum inter dona, quæ à voluntate donantis procedunt.

9. *Quid generatio.* Probatur Conclusio I. quia generatio est origo viventis à vivente perfectè per modum naturæ & similitudinis, ut omnes fatentur, & consonat synonima vox *nativitas*, sic dicta à *nasci*; unde & natura dicitur quasi nata: generatio igitur debet esse opus naturæ, quæ (ut notat *D. Bonav. sup. q. 3. in corp.*) producit sibi simile & æquale: processio autem Filii, & non Spiritus sancti, est opus naturæ, quia est per intellectum, qui censetur natura seu agens naturale; & opponitur agenti per voluntatem, per quam est processio Spiritus sancti: quæ idcirco dicitur voluntaria, solius autem Filii dicitur naturalis.

Operatio intellectûs ex sua formali ratione est assimilativa. Probatur Conclusio II. quia operatio intellectûs ex ratione sua formali non solùm est naturalis, sed etiam pro posse assimilativa termini cum suo principio, scilicet intellectu fecundo; ob quod etiam intellectus creatus seipsum v. g. intelligendo dici solet concipere & generare verbum sui, ipsumque verbum dici conceptus & proles intellectûs. Quòd autem verbum creatum, utpote accidens, sit solùm imperfectè & intentionaliter simile suo principio, est propter principii sive intellectûs limitationem. Cùm igitur Deus Pater sit infinitè perfectus proferet verbū sibi simillimum, immo consubstantiale; adeòque per generationem substantialem, & quidem perfectissimam, utpote per quam communicatur natura, non tantùm similis seu eadem specie, sed eadem numero. Processio autem Spiritus sancti ex ratione sua generica seu specifica non est assimilativa, eò quòd voluntas, per quam fit, non operetur per modum similitudinis, sed inclinationis seu impulsûs: adeòque quòd Spiritus sanctus procedat consubstantialis suo principio, non vendicat sibi ex formali ratione seu modo procedendi, sed is quasi materialiter se habet, totum præstante infinitate essentiæ & voluntatis, unde ad intrà oriri nil potest, nisi infinitum & consubstantiale.

Confirmatur: quia processio verbi ex formali ratione exigit similitudinem, quantùm fieri potest perfectissimam; adeò ut similitudo substantialis non debeat censeri extranea processioni verbi, aut ad illam materialiter se habere, sed potiùs per se requisita sit, seclusis imperfectionibus: quæ utique secludendæ sunt à Patre divino proferente suum verbum. Quòd autem processio voluntatis ex formali sua ratione non ita requirat terminum, quantùm fieri potest principio similem, atque adeò seclusis imperfectionibus consubstantialem, patet: eò quòd alioquio operatio voluntatis creatæ aliquam saltem & imperfectam similitudinem postularet, proportionatè ad perfectionem ipsius voluntatis aut volitionis; uti postulat operatio intellectus creati: id autem constat esse falsum. Hæc itaque differentia sufficit, ut sola processio Filii rationem generationis propriè dictæ participare videatur. *Non sic operatio voluntatis.*

Dices: Nomen filii in creatis significat suppositum vivens, procedens à principio vivente ut conjuncto cum simili natura: ergo in divinis ideo secunda persona sola est filius, ejusque processio est generatio, quia solus accipit naturam fecundam seu communicativam sui. Probatur Consequentia: quia similis natura importat fecunditatem, seu potentiam rursus communicandi naturam similem: sublatâ enim potentiâ generandi etiam radicali (propinqua deficit in mulris, qui ob senium aliumve defectum sunt steriles) non manet natura similis. Unde vel ob hoc ipsum admittendum non est, mulos propriè generari, utpote accipientes naturam non fecundam, adeòque dissimilem: vel certè admittendum est, eos etiam posse generare, adeòque habere naturam fecundam; prout in Asia mulum ex mula generare mulum refert *Theophrastus*. Ita arguit *Derkennis disput. 4. cap. 4. §. 3.* 10.

Non ideo secunda persona est filius quia accipit naturam fecundam. Resp. Neg. Conf. ejusque probationem: nam Spiritus sanctus accipit naturam similem, immo eamdem numero, non tamen adhuc fecundam seu ulteriùs communicativam sui. Carentia enim fecunditatis est ex carentia alicujus notionalis, scilicet generationis, aut spirationis activæ: hoc autem non pertinet ad naturam; neque secundùm notionalia, sed secūdùm essentialia spectatur in divinis similitudo & identitas naturæ. Nec refert, quòd in creatis non sit generatio sine communicatione naturæ fecundæ. Nam si id verum fit, esset ideo, quòd sine fecunditate, saltem remotâ & radicali, non foret

R 2 natura

natura communicata similis, sive ejusdem speciei infimæ: adeòque non esset ex eo quòd vox *filius* significet fecunditatem istam, sed quòd significet naturam similem; qualis non esset, nisi fecunda esset. Alioquin si posset etiam in creatis communicari natura similis sine fecunditate (prout fit aliquo modo in eunuchis sic natis ex utero matris, frigidis &c.) esset æquè propriè filius, & æquè propria generatio: adeòque spiratio divina, quâ communicatur similis, immo eadem natura, non deficit hâc ex parte à ratione propriè dictæ generationis.

Ex quo colligitur, quòd etsi per impossibile Spiritus sanctus esset origine prior Filio, ejusque principium, equidem non esset Filius: quia nimirum fecunditas naturæ in fecunda persona non facit, quòd ejus processio sit generatio; adeòque id ipsum non faceret in Spiritu sancto, etsi per impossibile fecundus foret. Deinde isto casu adhuc non procederet Spiritus sanctus perfectè per modum naturæ & similitudinis, sed solus Filius, uti modò.

QUÆSTIO III.

An processiones divinæ sint de aliquo, & ad aliquid tamquam terminum?

11. *Processiones divinæ sunt de aliquo.*

DICO I. processiones divinæ sunt de aliquo, scilicet de essentia divina. Sic loquitur *Toletanum IV. & XI. in Confess. fidei, Nicaenum in Confess. fidei, Ephesinum in Epist. ad Nestorium.* Item Patres (quorum verba refert *Magister* 1. *d.* 5.) unanimiter asserentes Filium esse natum de substantia Patris. Eademque est ratio de Spiritu sancto, de quo proinde similiter loquitur *Aug. lib. 3. contra Maximin. c.* 15. Concordant denique omnes Theologi. Ratio est: quia divinæ personæ procedunt, non de nihilo, nec de substantia aliena: alioquin vel essent creaturæ, vel darentur plures naturæ divinæ, seu plures Dii: ergo procedunt de substantia seu essentia personæ producentis.

12. *Per hoc denotatur origo & consubstantialitas.*

DICO II. quando Filius dicitur esse de substantia Patris (idem est cum proportione, quando Spiritus sanctus dicitur de substantia Patris & Filii) denotatur origo Filii à Patre, & cum eodem consubstantialitas; ut sensus sit, Filium per generationem accepisse à Patre eamdem naturam seu essentiam. Ita *D. Bonav. d.* 5. *ar.* 1. *q* 2. *Scotus ibid.* & alii cõmuniter. Ratio sumitur ex *D. Bonav.* & *Scoto*: quia si tantùm denotaretur origo, vel efficientia, creaturæ essent de substantia Dei: si tantùm consubstantialitas, Pater esset de substantia Filii: ergo denotat utrumque simul.

13. *Rejicitur explicatio Henrici & Durandi.*

Nota *Henricum* & *Durandum* existimasse denotari hoc modo loquendi habitudinem materiæ; aut quasi materiæ, id est, seclusis materiæ imperfectionibus; sicut dum dicitur cultellus esse de ferro: quasi verò essentia divina sit velut materia respectu Filii & Spiritus sancti. Verùm iste modus loquendi displicet aliis Doctoribus communiter, & fusè impugnatur à *Smising d.* 3. *n.* 18. *& seqq.* Sanè omnes Doctores antiqui usque ad *Henricum*, non fuerunt ausi in divinis nominare materiam, nec quasi materiam; cùm tamen omnes concorditer dicant cum *Augustino*, quòd Filius generatur de substantia Patris, ut inquit *Scotus sup.* Et meritò: cùm essentia, seu natura divina sit quasi forma totius respectu Filii & Spiritus sancti; sicut natura humana, seu humanitas est forma totius hominis. Deinde si in generatione divina, essentia esset quasi materia, esset quasi in potentia ad formam, seu terminum formalem generationis; adeòque in potentia ad semetipsam, cùm ipsa essentia sit terminus formalis generationis, ut mox dicetur. Nec refert, quòd essentia origine præcedat personalitates Filii & Spiritus sancti, ac per eas quodammodo determinetur. Nam hoc non est proprium materiæ: cùm etiam forma possit generationi præexistere tempore, v.g. anima rationalis regenerationi: personalitas quòque creata determinet naturam substantialem, & tamen natura sit forma totius suppositi.

14. *Quid præterea denotatur.*

DICO III. quando Filius dicitur genitus de substantia, seu essentia Patris, significatur præterea, essentiam esse principium quo ipsius generationis seu processionis: nam dum actio aliqua dicitur esse de aliquo, significatur principium ipsius actionis. De quo plura *quæst.* 5.

15. *Processiones divinæ respiciunt personas productas tamquam terminum totalem.*

DICO IV. processiones divinæ respiciunt personas productas tamquam terminum totalem: ipsam autem essentiam divinam tamquam terminum formalem. Prima pars patet: quia terminus totalis productionis est illud totum, quod ex productione resultat; prout ex processionibus divinis exurgunt, seu resultant ipsæ personæ productæ.

Essentiam verò tamquam terminum formalem.

Secunda pars probatur: quia illud est terminus formalis generationis, quod generans præstat genito, & in quo idem assimilatur generanti, illud autem est natura divina: ergo ipsa est terminus formalis generationis divinæ, & consequenter processionis Spiritus sancti, Hoc sensu *Joan.* 10. Christus dixit: *Pater meus quod dedit mihi* (scilicet

licet per æternam generationem, & in quo ei sum similis) *majus omnibus est*, nempe divina essentia. De qua etiam *Aug. 15. de Trin. c. 26. cum* (inquit) *sicut Filio præstat essentiam..... de Patre generatio, ita Spiritui sancto præstet essentiam..... de utroque processio.*

16. *Divinæ processiones sunt univocæ.* Confirmatur I. Quia divinæ processiones sunt univocæ: quales non essent, si non essentia, sed personalitates essent terminus formalis: cùm generatio univoca postulet similitudinem geniti & generantis secundùm terminum formalem; Filius autem non sit similis Patri secundùm relationem seu personalitatem, sed potiùs diversæ rationis, sit autem similis, immo idem secundùm essentiam. Vide *Scotum d. 7. n. 11. & seqq.*

Terminus formalis generationis creatæ. Confirmatur II. Quia terminus formalis generationis creatæ est natura, non autem proprietas individualis aut hypostatica: ergo similiter natura divina est terminus formalis generationis divinæ. Idem est de processione Spiritus sancti.

17. Observanda tamen est differentia inter generationem humanam & divinam, quòd etsi utraque intendat genito dare formam communem, humana quidem naturam humanam, divina verò generatio naturam divinam: quia tamen in humanis forma communis, v. g. natura humana, diversificatur in suppositis, generante & genito, fit, ut non tantùm generatio secundùm intentionem, sed etiam quatenus productio quædam est, terminetur ad formam communem; ideoque etiam hæc, v.g. natura humana, dicitur generari: in divinis autem quoniam substantia non diversificatur, nec ei advenit novum esse, idcirco generatio, quatenus productio est, non terminatur ad naturam, sed solùm ad personam, quæ proinde sola dicitur propriè generari, utpote terminans generationem quatenus productio est. Ita ferè *D. Bonav. d. 5. a. 2. q. 1. in corp.*

Differentia inter generationem humanam & divinā.

18. *Terminus generationis quatenus est actio.* Observandum præterea, generationis, seu processionis, quatenus est quædam productio seu quasi actio, terminum formalem bono sensu posse appellari ipsam personalitatem personæ productæ seu procedentis: sicut generationis humanæ, quatenus est quædam actio seu efficientia, terminus formalis appellari potest ipsa unio formæ cum corpore: tum quia personalitas præcisè est quæ per processionem activam principiatur, cùm in persona producta nil omnino sit præter essentiam (quæ productionem non terminat) & personalitatem: tum quia ex parte hujus termini una processio divina differt ab alia.

Observandum III. Processiones divinas esse actiones immanentes; ut loquuntur Doctores communiter. Non enim sunt operationes transeuntes, quales dicuntur quibus producitur subjectum extrinsecum, adeòque distinctæ naturæ, aut aliquid in subjecto extrinseco; v.g. creatio hominis, aut gratiæ in homine: effectus enim isti transeunt extra ipsum causam seu principium, quod est Deus. Secùs est de divinis processionibus: his enim producitur aliquid intrà ipsum producens, non quidem inexistens ei ut forma subjecto, sicut cognitio inhæret intellectui, ipsam actione immanente producenti (unde sunt quidem operationes immanentes in tota perfectione, sed non in toto rigore, quo actiones creatæ, verùm seclusis imperfectionibus: aliàs enim id foret magna imperfectio in Deo) sed intimè inexistens per inseparabilem circuminsessionem ratione unitatis naturæ. 19. *Processiones divinæ sunt actiones immanentes.*

In tota quidem perfectione, non tamen in toto rigore.

Observandum IV. Processiones activas inexistere ipsis personis producentibus, v. g. generationem activam Patri, spirationem activam Patri & Filio, juxta Doctores communiter contra paucos: quandoquidem generatio activa non distinguatur ab ipsa paternitate, nisi ratione, similiter spiratio activa à relatione spiratoris, ut iidem Doctores tradunt. Alioquin si generatio activa esset in ipso Filio, non distingueretur ipsa realiter à generatione passiva: cùm tamen sint duæ oppositæ correlationes juxta Doctores communiter. Deinde sic origines seu processiones divinæ non haberent terminum realiter distinctum; nam quod inest Filio v.g. non distinguitur ab eo realiter: cùm tamen actio distinguatur realiter à termino acto. Prætera nil deest relationi Paternitatis, quò minùs ipsa sit generatio activa. Idem cum proportione est de relatione spiratoris. 20. *Processiones activæ insunt principio.*

Nec refert, quòd actio creata sit in ipso effectu intrinsecè, & non in ipsa causa: hoc enim ipsum non satis constat. Et quamquam cum vulgata opinione admittatur, non fit inde rectà argumentatio ad productiones istas admirabiles intrà Deum, quibus nil simile in creatis, & de quibus nil temerè dicendum, quod Sacri Doctores non tradiderunt, sed tritis eorum (qui communiter asserunt quod præmisimus) vestigiis pressè est inhærendum. Alioquin si exemplum actionis creatæ urgere fas est, pari jure inferri posset, in divinis non dari, nisi unicam relationem generationis in Filio, & spirationis in Spiritu sancto, quibus nulla 21. *Licèt actio creata fortè sit intrinseca effectui.*

nulla in Patre & Filio correſpondeat oppoſita correlatio: ſicut actioni ſubjectatæ in creatura non reſpondet in cauſa, ſaltem primâ, oppoſita correlatio.

QUÆSTIO IV.

An divinæ Proceſſiones ſint per intellectum & voluntatem?

22. *Proceſſiones divinæ ſunt per intellectum & voluntatem.*

DIco: divinæ proceſſiones non ita ſunt ex fecunditate ſolius divinæ naturæ ſeu eſſentiæ, quin etiam ſint per intellectum & voluntatem: adeò ut excluſis per impoſſibile à Deo intellectu & voluntate, non eſſet in divinis generatio Filii, nec ſpiratio Spiritus ſancti. Ita unanimiter Theologi contra *Durandum*, cujus doctrinam plerique Recentiores gravi cenſurâ perſtringunt.

Probatur Concluſio ex auctoritate Scripturæ, Conciliorum & Patrum, appellantium ſecundam perſonam Verbum, Imaginem, Figuram, Speculum &c. quæ omnia ad intellectum pertinent: Spiritum ſanctum autem Amorem ſeu Charitatem, Donum, quæ pertinent ad voluntatem: ſine fundamento verò & contra proprietatem verborum confingit *Durandus*. nomina iſta perſonis tribui per quamdam accommodationem, eò quòd ſicut in creatis intellectio eſt prior volitione, ſic emanatio ſecundæ perſonæ, ſit prior emanatione tertiæ perſonæ.

23. *In quo ſolo multa ſundantur.*

Probatur II. Quia in hocſolo, quòd una perſona procedat per intellectum, & altera per voluntatem, fundari poteſt, quòd una proceſſio ſit prior alterâ, quòd una ſit ab unica perſona, altera à duabus; quòd una ſit generatio, & non altera; quòd ſint duæ & non plures proceſſiones: quorum omnium poteſt utcumque aſſignari ratio pro captu noſtro, ſi ponantur proceſſiones eſſe per intellectum & voluntatem.

Probatur III. Divinæ proceſſiones ſunt operationes immanentes perfectiſſimè vitales, & naturæ intellectuali (qualis eſt divina) propriæ; atqui operationes ita propriæ ſunt ſolius intellectûs & voluntatis: ergò divinæ proceſſiones ſunt per intellectum & voluntatem.

24. *Cur fecunditas in creatis competat naturæ, non intellectui aut voluntati.*

Nec obſtat I. Quòd in creatis fecunditas competat naturæ, non autem intellectui & voluntati: nam ibi intelligere & velle ſunt accidentia; ibique natura generantis non communicat ſe naturæ geniti vitaliter & immanenter, v. g. natura Patris creati filio; in divinis autem operationes ad intrà ſunt ſubſtantiales, vitales, immanentes & ad terminum conſubſtantialem.

Non obſtat II. Quòd intellectus & voluntas, ſive ipſum intelligere & velle non ſint aliquid diſtinctum à natura divina aut ab invicem: adeòque videantur proceſſiones divinæ hâc ex parte non ſortiri differentiam, prioritatem &c. Nam ſubeſt, & ſufficit diſtinctio formalis. Alii dicunt ſufficere diſtinctionem virtualem. Alii vocant eminentialem, eò quòd nimirum etſi ſimpliciſſima ſit natura divina, proceſſio tamen Filii profluat ex eo, quatenus ipſa eminenter eſt vis intellectiva, proceſſio autem Spiritus ſancti, quatenus ipſa natura eſt eminenter vis volitiva.

QUÆSTIO V.

Qualiter Proceſſiones divinæ ſint per eſſentiam, ac intellectum & voluntatem? ubi de Potentia notionali.

SUPPONO in actionibus ſive productionibus, præter principium quod operatur, ſeu producit (quod eſt ipſum ſuppoſitum ſeu ſubſiſtens, cui ultimatè actio competit, quæque ipſum ultimatè denominat) dari principium quo; quod nihil eſt aliud, quàm virtus aliqua, per quam ſuppoſitum eâ inſtructum poteſt operari: prout calor eſt principium quo ignis calefacit, potentia loco motiva eſt principium quo animal movetur &c. Hæc virtus ſeu principium quo una perſona in divinis producit aliam, vocari ſolet potentia notionalis, ſeu potentia productiva ad intrà. De qua 25. *Quid principium quod.* *Quid principium quo.* *Coincidit cum potentia notionalis.*

DICO I. In divinis verè datur ejuſmodi potentia ad intrà productiva ſeu notionalis, ſive principium quo. Ita unanimiter Theologi contra *Aureolum*, exiſtimantem in Patre v. g. non magis propriè eſſe potentiam generandi, quàm potentiam ut ſit Deus. Cujus opinio eſt improbabilis, & graviter à Variis notatur, intellecta uti ſonat. Quod addo: nam fortaſſe (ut advertit *Derkennis, de proceſſ. divinis c.2.* §. 1.) nihil aliud vult *Aureolus*. quàm quòd potentia hæc non ſit ab ipſa productione diſtincta. Ratio Concluſionis eſt: quia in divinis datur vera productio, ſcilicet generatio & ſpiratio; item datur terminus productus, ſcilicet Filius & Spiritus ſanctus: implicat autem dari productionem & terminum productum ſine potentia productiva. 26. *Datur in divinis.*

Dices cum *Aureolo*: objectum ſeu terminus potentiæ eſt ens poſſibile, adeòque 27.

eòque potens esse & non esse. Deinde persona Patris cõstituitur per ipsum generare: nõ datur igitur in Patre potentia ad generandum. Denique potentia respicit actionem de genere actionis, mediam inter ipsam potentiam & terminum productum, quæ est ipsum fieri termini, importatque dependentiam termini à suo principio. Resp. ad I. id quod assumitur, tantùm esse verum de objecto potentiæ ad extrà sive omnipotentiæ Dei; non autem de objecto potentiæ

Ejus terminus est necessarius. notionalis sive productivæ ad intrà. Hæc enim identificatur ipsi actui, & essentialiter ac necessariò est in actu, qui est generare & spirare. Unde tanta est necessitas essendi in termino v. g. in Filio, quanta in ipso principio producente, v. g. Patre, qui essentialiter constituitur per ipsum generare.

Resp. ad II. Neg. Seq. nam ex antecedente solùm sequitur, potentiam ad generandum esse realiter indistinctam ab ipsa generatione seu productione; prout statim diximus. Nam nihilominus Pater verè generat seu producit, adèoque potest generare seu producere Filium, & consequenter habet potentiam ut producat. Non tamen datur in Patre realis potentia elicitiva productionis, quasi actionis mediæ inter potentiam & terminum productum, sicut potentiæ creatæ suas operationes eliciunt: nam ad hoc requireretur productio realiter distincta à principio producente; ipsa porrò generatio & spiratio activa sunt actus subsistentes, indistincti à potentia productiva, & persona producente, abundè supplentes vicem actionis mediæ, quæ divinæ perfectioni repugnaret.

Identificatur cum suo actu. Itaque potentia notionalis respicit terminos realiter distinctos & productos per actum notionalem ab ipsa potentia indistinctum, v. g. potentia generandi in Patre est ad ipsum Filium (addo etiam ad ipsam Filiationem, utpote realiter à Patre distinctam) quem Pater realiter producit per generationem activam, quæ est & ipsa principiatio seu productio, & constituit Patrem in esse Patris; qui proinde essentialiter actu & semper principiat Filium, uti est Pater. Ex quibus etiam patet responsio ad III. Neg. Ass.

28. *Potentia notionalis est ipsa essentia.* Dico II. Divinæ processiones sunt per essentiam divinam, tamquam potentiam notionalem, seu principium quo. Ita *Alensis, D. Thomas, Scotus*, & concorditer alii, apud *Ruiz d.* 100. *s.* 2. Idemque expressis verbis tradit *Ioannes Theologus in Concilio Florentino* (ubi is Latinorum partes potissimùm sustinebat) *sess.* 18. dicens, quòd *Persona sit producens & generans, principium autem quo ipsa persona generet, sit id quod solum communicabile est. Pater ergò generativum principium est, & suppositum quoddam significat: divina verò substantia, quæ cum Patre realiter idem sunt, non quidem generat, sed est principium quo generatio fit.* Et infrà: *nam Patris persona suppositum est atque generans, divina verò natura generativum principium quo Pater Filium generat.* Similia repetit *sess.* 19. Ubi eamdem etiam naturã vocat generandi potestatem, & concludit: *Hanc nobis doctrinam Doctores omnes tradiderant, orationes has exponentes: Filius est ex substantia Patris, & sanctus Spiritus ex Patris Filiiq; substantiâ.*

Conclusionem similiter docent Patres, dum asserunt personas productas profluere, emitti sive subsistere ex natura vel essentia divina, vel ex virtute naturæ: eidemque potentiam, fecunditatem, vimque generandi adscribunt; ut videre est apud *Ruiz sup.* & alios.

Sufficiant verba *Anselmi Monolog. c.* 52. *Non ex eo procedit*, Spiritus sanctus, *in quo plures sunt Pater & Filius; sed ex eo in quo unum sunt. Nam non ex relationibus suis, quæ plures sunt..... sed ex ipsa sua essentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater & Filius tantum pariter bonum.* Eamdem identitatem Deitatis in ratione potẽtiæ spirativæ sæpiùs repetit in *Opusc. de process. Spiritus sancti*, &c. 10. (aliàs 9.) post princip. *nisi* (inquit) *fortè quis dicat, Spiritum sanctum non procedere de Deitate Patris, sed de Paternitate, nec per Deitatem Filii, sed per filiationem: quæ opinio suâ se patenti fatuitate suffocat.*

Ratio Theologica est: quia personæ divinæ productæ assimilantur personæ producenti secundùm divinam naturam: ergo ipsa est potentia, quâ persona producens agit: nam omne producens per suam actionem, productum sibi assimilat secundùm formam quâ agit, ut patet in generatione viventium: nam filius in humanis assimilatur suo patri secundùm naturam humanam, quæ est principium quo generationis, quatenus virtute naturæ humanæ potest pater generare sibi similem. Deinde ratione divinæ naturæ fit Pater fecundus, adeòque potens generare Filium: ergò ipsa natura est principium quo. Denique terminus formalis divinarum processionum, est divina essentia: ergo eadem est principium quo: cùm in divinis nil sit tam perfectum, quàm ipsa essentia; omne autem agens debeat agere formâ æquè vel magis perfectâ, quàm sit terminus formalis actionis. 29. *Secundùm quam personæ productæ assimilantur producenti.*

Dices I. Potentia productiva sive ratio 30.

tio principii necessariò dicit habitudinem veram originalis principii ad suum principiatum; adeòque dicit formaliter oppositionem ad principiatum: ergo potentia productiva seu notionalis nequit esse identificata principiato seu personæ productæ, adeòque ipsa non potest statui essentia, sed potiùs relatio seu personalitas; v. g. potentia generandi, ipsa paternitas. Ita *D. Bonav. d.7. a.1. q.1.* (qui tamen alteram sententiam quòque problematicè ibidem defendit) & alii: quos sequitur *Derkennis de process. divinis c.2. §. 3.* cum hac declaratione, quòd scilicet generatio divina (idem est de spiratione) adæquatè spectata, exigat in termino genito, & esse simpliciter idem, scilicet eamdem naturam, & esse personale distinctum; adeòque involvat tum communicationem ejusdem naturæ, tum productionem filiationis distinctæ. Itaque principium quo communicationis (quâ una persona communicat alteri suammet essentiam) docet esse ipsam essentiam; at principium quo productionis, esse relationem (nam productio quâ talis respicit esse distinctum) adeòque adæquatum principium generationis v. g. esse essentiam (non excluso intellectu) cum paternitate. Quæ doctrina satis plausibilis apparet. Nihilominus

Principium quo non debet realiter distingui à principiato. Resp. Neg. Ant. intellectum de principio quo & principiato: sufficit enim habitudo, oppositio, & distinctio realis inter principium quod & principiatum. Nec mirum, quòd in creatis principium quo etiam distingui soleat realiter à principiato: nam ibi agens non assimilat sibi effectum secundùm eamdem numero naturam; sicut fit in divinis. Deinde ibi potentia productiva physicè & realiter influit in ipsum actionem & effectū: in divinis autem divina essentia non est principium producens, sed quo Pater fit fecundus seu potens producere; adeò ut hic non solùm denominativè (prout aqua calida denominatur calefacere) sed verè & physicè influat seu producat Filium, fecunditate seu potentiâ essentiæ, ipsâ tamen essentiâ juxta *C. damnamus, de summa Trin.* non producente. Quod ex Auctoritatibus & probationibus Conclusionis satis compertum manet: Auctoritates si quidem relationis non meminerunt, immo nonnullæ eam excludunt.

Quare in creatis sic distinguatur.

Relatio non est Potentia notionalis.

Idemque faciunt rationes allegatæ. Accedit, tum quòd essentia sufficiat sine relatione; adeòque ad hanc superfluè recurratur: tum quòd relatio quà talis, utì & personalitas in creatis (esto esset ibi quid positivum) nullius sit activitatis.

31. Ex quibus non solùm refutata manet sententia illorum, qui solam relationem divinam censent esse principium quo, sed etiam aliorum, qui eam advocant in consortium principii quo, sive potentiæ notionalis. *Neque dem partialis.*

Refutata similiter manet explicatio *Derkennis.* Contra quam specialiter facit, quòd hujus doctrinæ non meminerint Patres vel antiqui Scholastici: quin potiùs Auctoritates simpliciter potentiam generandi essentiæ adscribant, relationem autem potiùs excludant quàm comprehendant, utì dictum est. Deinde quòd non aliter communicetur v.g. Filio essentia, quàm quatenus producitur Filius sive filiatio; adeòque idem sit principium quo productionis, & communicationis. *Quomodocumque explicetur.*

Dices II. *Athanasius Dialogo 1. de Trinit.* circa initium dicit: *Patrem hypostasi gignere, mandato creare.* Resp. Librum non esse *Athanasii*, ut notat *Bellarminus lib. de script. Eccles.* Deinde explicari potest, quòd gignat hypostasi tamquam conditione gignendi, aut etiam tamquam actu ipso generativo; cùm hypostasis Patris sit generatio activa. Aut certè sermo est de hypostasi in concreto, quam quidem Auctor confundit in eodem dialogo cum persona, sic ut sit sensus improprius, q.d. Patrem gignere se ipso, adeòque naturaliter & necessariò, cùm tamen creet liberè suo mandato; ut significet Filium non esse voluntatis, sed naturæ. Alioquin ibidem apertè asseritur, Filium gigni ex ipsa essentia seu natura Patris. 32. *Quo sensu Pater hypostasi gignat.*

Dices III. Si relatio non spectet ad ipsam potentiam notionalem; ergo in Filio est potentia generãdi, & in Spiritu sancto potentia spirandi; cùm in iis sit, seclusâ relatione, quidquid potentia notionalis juxta nos adæquatè sumpta includit. Resp. Neg. Seq. nam potentia generandi (idem est de potentia spirandi) propriè usurpando verbum generandi in virtute gerundivi, idem est, ac potentia ad generandum: quod designat actum generandi ut egredientem ab eodem supposito, cui potentia generandi tribuitur; adeòque importat potentiam simul cum relatione requisita, videlicet paternitate, sine qua potentia generativa non ordinatur in supposito divino ad generandum. Si tamen latè & impropriè sumatur, ut potentia generandi nil sit, nisi id quo Pater generat, sic verè est in Filio potentia generandi; nam in Filio est principium, sive id quo Pater generat. Ita *D. Thomas, Scotus, Gabriel, Smising d. 3. n. 201.* 33. *Cur in Filio non sit potentia generandi.*

Dico III. Potentia notionalis, seu principium quo, ex adjuncto dicit respectum seu relationem, tamquam conditionem 34. *Quomodo requiratur ad potentiã notionalem relatio.*

tionem, sine qua non est essentia principium. Ita *Scotus*, *Suarez*, *Smising d.3.n.188. & seqq.* & plurimi alii: neque existimat *Smising suprà*, ullos Auctores, qui nobiscum in praecedenti conclusione cōveniunt, ab hac dissentire quod ad rem attinet; licèt alii aliter loquantur, nolentes appellare conditionem, sed voleotes relationem, vel connotari, seu obliquè involvi, vel esse partem quasi constitutivam aut determinativam principii quo: loquor enim de potentia propinqua, prout importat omnia ad operandum requisita, inter quae sunt etiam ipsae conditiones operandi. Quae fusiùs prosequitur *Smising sup. n.190.*

Probatur Conclusio: quia essentia divina de se, & sumpta sine relatione produceotis, est indifferens, ut exeat in actum notionalem vel oon, aut in hunc vel in illum actum notionalem: si enim ex se foret sufficienter determioata in ratione principii productivi, esset sic determinata ubicumque, seu in quacumque persona: quod enim convenit essentiae ex se, convenit ei ut est in quocumque supposito; adeòque esset in tribus personis geoerativa & spirativa.

Deinde ad principiandum, seu producendum, requiritur suppositum realiter distinctum à persona producta; ad hoc autem requiritur relatio: haec itaque constituit suppositum aptum & expeditum proximè ad operandum, seu producendum ut quod.

Denique non potest esse in aliquo potentia expedita ad operandum, in quo nequit esse ipsa operatio à potentiâ distincta; adeòque nec potentia generandi, in quo nequit esse ipsa generatio, quae realiter est identificata potentiae generativae; sed haec oequit esse nisi in Patre; ergò paternitas est conditio requisita ad producendum.

35. *Essentia ex se determinatur ad paternitatem.* Itaque essentia divina sicut ex se determinatur absque media productione ad perfectiones absolutas sive attributa, quae intelliguntur ab ea metaphysicè quasi emanare: sic ex se determinatur ad generationem activam seu paternitatem, sive ad primam personalitatem: sicque *Per hanc velut conditionem determinatur ad generandū.* determinata emittit germen consubstantiale, Filium. Filiatio autem nequit esse conditio ad generandum, sed est potiùs conditio opposita: filiatio enim seu generatio passiva, distinguitur, realiter à generatione activa, adeòque in Filio nequit esse generatio activa, & consequenter nec potentia generandi. Deinde conceptâ filiatione, jam concipitur secunditas generativa divinae essentiae habere suum terminum adaequatum, qui est Filius consubstantialis: non igitur filiatio est conditio requisita, sed paternitas, quae scilicet est ipsum generare, constituitque suppositum Patris, in quo secunditas generativa necdum intelligitur habere adaequatum terminum, scilicet Filium.

Filio proinde communicatur sola virtus spirandi; ipso enim & Patre constitutis in ratione personae, necdum intelligitur fecunditas spirativa naturae divinae habere suum terminum adaequatum, scilicet personam spiratam, quae est posterior & tertia origine. Itaque eadem *Per eamdē & filiationem determinatur ad spirandum.* paternitas in Patre, & filiatio in Filio sunt conditiones spirandi, quatenus constituunt supposita cum virtute spirandi pro isto signo nondum habente suum terminum, adeòque cum virtute spirandi proximè expeditâ ad spirandum. Sic *Suarez*, *Arriaga* & alii.

36. Sunt tamen, qui existiment ipsam relationem spiratoris, seu spirationem activam complere prioćipium spirativum, tamquam cooditionem sine qua non. Et quidem necessariò sic loquuntur, qui relationem statuunt adaequatam potentiam notionalem, immo etiam qui partialem: cùm Sacri Doctores tradant in Patre & Filio esse uoitatem virtutis spirativae; non esset autem, si paternitas & filiatio (quae utique realiter sunt plures) essent totalis vel partialis virtus spirativa. Sed inhaerendo doctrinae à nobis traditae, non adeò multùm referre videtur, utrùm paternitatem & filiationem dicamus esse conditionem spirandi, eò quòd constituant supposita apta spirare, spirationem autem activam dicamus esse meram operationem: an verò etiam hanc appellemus cooditionem spirandi. Quod postreumum *Aut certè etiam per spirationem activam.* quidem non adeò incongruè dicitur: nam ipsa operatio non malè statuitur conditio operandi ipsi potentiae operativae, quando haec est eadem cum operatione, & essentialiter in actu; sicut generatio activa dicitur conditio generandi, etsi sit ipsa generatio. Relatio quòque paternitatis aut filiationis non sufficeret, nisi in eodem supposito adesset spiratio identificata.

Ea tamen est differentia, quòd spiratio *Quae tamē quoque non conditio spirandi, sed mera productio dici-tur.* intelligatur advenire suppositis jam constitutis (quae sunt principia quod spirandi, seu quae spirant) adeòque spiratio possit quòque dici posterior principio adaequato, scilicet principio quo & principio quod, & vocari proinde mera productio seu operatio: paternitas autem *Differenter se habet paternitas ad generandū.* non adveniat, sed constituat ipsum principium quod generat, scilicet Patrem; adeòque non tantùm censeatur operatio, sed etiam conditio requisita ex parte principii; quod utique debet esse suppositum distinctum. Ex quibus satis elucidatum

datum manet, quid de reipsa, quid etiam de modo loquendi sit sentiendum.

37. *Essentia cũ relatione non est adæquatum principium quo.* Dico IV. Essentia cum relatione non est adæquatum principium quo seu potentia notionalis, nisi quatenus intelligitur simul cum essentia ipse intellectus, qui est proximum principium generationis Filii, & volũtas, quæ est proximum principium spirationis Spiritus sancti. *Sed simul cum intellectu & voluntate.* Ita communiter Doctores. Ratio est: quia Pater generat per intellectum, Pater & Filius spirant per voluntatem: ipse igitur intellectus & voluntas sunt principia. Deinde juxta Patres & Doctores Filius procedit ex memoria fecunda Patris, Spiritus sanctus ex voluntate fecunda Patris & Filii; quod designat intellectum & voluntatem esse principia, ex quibus sunt processiones. Denique Filius est verbum mentis paternæ, Spiritus sanctus amor Patris & Filii: verbi autẽ principium est intellectus, amoris principiũ est voluntas; non principium quod (hoc enim in divinis est suppositum) ergo principium quo. Quòd autem sint principium immediatum & proximum, patet: quia verbũ & amor non spectant proximè ad essentiam, sed ad intellectum & voluntatem. Deinde essentia est principium generale & indifferens; intellectus autem & voluntas principium speciale & determinatum, iste generationis, hæc spirationis.

38. *Prout considerantur in actu primo.* Dico V. Intellectus & voluntas in actu primo sunt principia quo divinarum processionum. Ita *Scotus d. 2. q. 7. d.12. q.1.* & alibi, & plurimi alii, contra *Suarez* & alios existimantes, ipsam intellectionem & volitionem essentialem esse principia quo.

Suadetur exẽplo verbi & amoris mentis nostra. Probatur I. Quia Filius est verbum mentis paternæ: atqui verbum est actus ipsius mentis seu intellectũs, non est autem actus alterius actũs, ut patet in nobis; ergo &c. Idem cum proportione est de Spiritu sancto, qui est amor spiratus.

Probatur II. Quia intellectus divinus non est minùs potens dicere seu proferre verbum suum, quàm intellectus creatus (idem est cum proportione de voluntate respectu amoris producti) qui tamen producit verbum suæ mentis se solo cum objecto seu specie: ergo similiter intellectus divinus cum essentia est adæquatum principium quo, seu potentia productiva Verbi divini.

Confirmatur I. Quia ex nullo capite ostenditur essentiam cum intellectu & voluntate non sufficere sine actibus. Confirmatur II. Quia si per impossibile intellectio seu scientia actualis divina distingueretur realiter ab essentia, esset verum verbum; & tamen producere-tur à solo intellectu & objecto absque concursu alterius intellectionis sive actûs intelligendi.

Probatur III. Quia juxta Patres Filius procedit ex memoria fecunda Patris: atqui memoria fecunda non est intellectio, sed ipse intellectus cum objecto aut specie; ergo Filius procedit, non ex intellectione, sed ex ipso intellectu in actu primo & essentiâ. *Hac ratione procedit Verbum ex memoria fecunda.*

Prædictis consonat *August. 15. de Trinit. c. 10.* docens de verbo nostro (in quo juxta eumdem *ibidem* & *cap. 11.* reperitur similitudo quædam Verbi divini) illud gigni à memoria, sive *ex ipsa scientia quam memoriâ tenemus*; quam *cap. 6.* vocat *mentem*; *c. 7. memoriam*, apertè distinguens illam in Deo ab intelligentia sive actuali scientia. Et rursum *cap. 23.* dicit memoriam nostram habere quamdam similitudinem Patris, & intelligentiam quæ per intentionem cogitationis inde formatur, quando quod scitur, dicitur, habere nonnullam similitudinem Filii. Præterea *cap. 14.* docet verbum nostrum *sic nasci de nostra* scientia, *quemadmodum & illud* (Verbum divinum scilicet) *de scientia Patris natum est.* Loquitur autem de scientia nostra in actu primo seu habituali, quæ in nobis est, etiã dum nil actu cogitamus, ut patet *cap. 15.* & quia scientia actualis est ipsissimum verbum mentis nostræ. Denique *9. de Trinit. c. 12.* scientiam sive mentem aut memoriam ab ipsa notitia actuali distinguit dicens: *Itaq; mens, cùm seipsam cognoscit, sola parens est notitia sua: cognitum enim & cognitor ipsa est*, nil autem est parens sive genitor notitiæ, nisi mens & objectum, id est, memoria fecunda. Unde immediatè præmiserat: *ab utroque notitia*, seu verbum, *paritur, à cognoscente & cognito*; non igitur à cognitione. Quare idem de Verbo divino censet *Augustinus*, qui prædicta ad declarandam generationem Verbi divini allegat. 39. *Consonat eadem doctrina Augustino.*

Nec video, quid alicujus momenti objici possit contra doctrinam traditam. Solùm observa, juxta plures ex Auctoribus oppositæ sententiæ, intelligere Dei actuale esse ipsam primã essentiam Dei, aut certè non dari in Deo intellectum in actu primo distinctum ab ipso actuali intelligere: quos proinde statuere actualem intellectionem pro principio quo, non est mirandum. Sed hæc doctrina *Tract. prac. d. 6. De intellectu & scientia Dei q. 1.* refutata est; atque ex dictis in hac ipsa Conclusione minùs verosimilis efficitur. 40. *Nec aliquid obstat.*

Dico VI. Actualis intellectio & volitio essentialis non sunt actus notionales, seu ipsæ origines activæ aut productiones 41. *Intellectio & volitio essentialis*

non sunt actus notionales. ctiones personarum. Ita Scotistæ & plerique alii. Et colligitur ex *Scoto d.2.q.7.n.22.* ubi intelligere distinguit contra dicere; dicere autem est producere seu proferre verbum.

Probatur I. Quia intellectio nostra sive actus intellectus nostri non est actio productiva verbi, sed intellectus cum objecto producit verbum mediante aliâ dictione seu actione prolativâ verbi: ergo similiter intellectio divina non est productio verbi, sed dictio.

Probatur II. Quia productio personarum seu actus notionalis est quid relativum, nec commune tribus personis: intellectio autem & volitio essentialis sunt actus absoluti & communes tribus personis.

Probatur III. Quia ipsa generatio activa (quæ coincidit cum relatione paternitatis) est productio Filii; similiter spiratio activa (quæ omnino est eadem cum relatione spiratoris) est productio Spiritus sancti; adeòque productiones personarum sunt relativæ, nec communes tribus personis: ergo intellectio & volitio essentialis non sunt actus notionales sive productiones ipsæ personarum. Confirmatur: quia præfatæ relationes sufficiunt; ergo gratis recurritur ad intellectionem & volitionem essentialem.

42. Dices: Patres asserunt nos intelligendo & cogitãdo producere verbum mentis, idque accommodant ad Verbum divinum, ut patet apud *August. lib.15. de Trinit.c.10.* quem imitatus *Fulgentius lib.2.ad Monimum c.7.* ait: *Sic est verbũ apud Deum, sicut est in mente verbum, sicut in corde consilium: cùm enim mens apud se verbum habet, utique cogitando habet, quia nihil aliud est apud se dicere, quàm apud se cogitare.* Et *Anselmus Monolog.c.34. Quoniam autem* (inquit) *idem est summo Spiritui scire quod intelligere, sive dicere, necesse est, quòd eodem modo sciat omnia, quæ ea dicit aut intelligit:* ergo secundùm Patres processiones divinæ sunt aliquo modo per actum intelligendi & volendi, sive tamquam per principia, ut vult *Suarez*; sive tamquam per principiationes seu productiones ipsas personarum, ut vult *Vasquez*.

Resp. Neg. Conseq. Si enim humana divinis sint accommodanda, potiùs oppositum sequitur. Nostra siquidem cogitatio vel cognitio non est principium verbi mentis, neque etiam ejusdem productio sive prolatio, sed est ipsum verbum mentis: *Formata quippe cogitatio ab ea re quam scimus, verbum est quod in corde dicimus,* inquit *August. sup.* qui etiam ibidem & alibi satis apertè docet, verbum non procedere de intelligentia seu cogitatione actuali, sed de memoria, de mente, de scientia in actu primo.

Manet nihilominus Verbi divini nonnulla similitudo (perfectam similitudinem ipse *August.* sæpè excludit) quòd sicut dum mens intus aliquid cogitat, præsertim dum cogitat seipsam, producit in se aliquam imaginem & notitiam, quæ quidem utpote genita & producta, est verbum suum; sic quoque Pater divinus per memoriã suam fecundam, id est, per intellectũ ejusque objectum, scilicet essentiam, producat imaginem & similitudinem suam, quæ, utpote genita & producta, sit Verbum, & quidem perfectissimum & consubstantiale. Inter alias tamen dissimilitudines hæc una est, quòd in nobis notitia genita, verbum mentis, formalis intellectio, conceptus, scientia actualis, sint unum & idem; adeòque intelligimus formaliter per verbum mentis nostræ. At in divinis scientia actualis, intellectio, notitia, per quam Pater formaliter intelligit, est improducta, & communis tribus personis: neque est Filio proprium repræsentare Patri objecta cognita, uti est proprium verbo mentis nostræ, sed appropriatum; adeòque cogitatio, scientia, notitia Patris formaliter non est verbum, sed ipsum est distinctus actus personalis, quem Pater per memoriam producit seu dicit. Ut proinde etsi in nobis idem sit intelligere (sumptum pro actione) & dicere, in divinis tamen sit planè aliud. Quocirca impropriè loquitur alii Patres hæc confundentes. Quam impropriëtatem in *Anselmo* notavit ipse *D.Thomas q.34. art.1.ad 3.* Unde idem *Anselmus Monol. c. 60.* etiam Filio & & Spiritui sancto attribuit dicere, utique impropriè, prout *nihil aliud est summo Spiritui dicere, quàm quasi cogitando intueri,* uti seipsum *Anselmus ibid* explicat. Alioquin dicere propriè est proferre seu producere verbum; solus autem Pater id facit.

43. *Verbi humani cum divino similitudo.*

Et dissimilitudo.

Dicere propriè & intelligere in divinis non sunt idem.

Unde producere seu proferre verbum non est Patri cogitare seu cognoscere aliquid: sed latè loquendo posset sic vocari, prout idem est quod Patrem concipere imaginem suæ substantiæ, quæ imago sic concepta est verbum sibi consubstantiale. Sed illud concipere non est propriè cogitare aut cognoscere, prout est in nobis: aliàs Pater intelligeret per verbum, sicut nos; quod est contra *Augustinum* & omnes Doctores, de quo statim. Idem cum proportione est de voluntate fecunda respectu amoris essentialis, & respectu amoris personalis, qui est productus per spirationem.

44. *Quid sit Patrem proferre verbum.*

QUÆST.

QUÆSTIO VI.

An ex eo quòd divinæ Processiones sint per Intellectum & Voluntatem, Pater intelligat & dicat Verbo, item Pater & Filius diligant Spiritu sancto?

45. *Pater non intelligit Verbo.* DIco I. Pater non intelligit Verbo, sive(quod coincidit)non est sapiens sapientiâ genitâ. Opposita enim propositio improbatur ab *Athanasio Orat. contra Gregales Sabellii ante med. Anselmo Monol. c.43.* omnibusq; Doctoribus Scholasticis: & quamquam tradiderit eam aliquando *August. lib.83.qq.q.23.* retractavit tamen *1. Retract. c.26.* & conclusionem adstruit ex professo *6. de Trinit.c.1.& lib.7.c.1.* & alibi: illamque probat *15. de Trin.c.7.* ex eo quòd si Pater esset sapiens sapientiâ genitâ, eâdem esset Deus, cùm ei idem sit sapere quod Deum esse, adeòque non ab illo esset Filius, sed ipse à Filio: omnes itaque personæ sapiunt seu intelligunt sapientiâ improductâ, sive intellectione essentiali & communi tribus personis.

Ratio conclusionis est, quòd dum dicitur Pater intelligere verbo aut sapientiâ genitâ, ablativus importet rationem formæ vel principii cognoscendi: dicimur enim intelligere intellectione seu cognitione formaliter, ipso autem intellectu principiativè, seu tamquam per principium: Verbum autem seu sapientia genita Patri neque est principium, neque forma cognoscendi, seu ipsa cognitio, sed Pater intelligit intellectu & cognitione essentiali seu communi tribus personis.

46. *Neque est intelligens Verbo.* Neque est facienda distinctio inter hanc propositionem: *Pater est intelligens & sapiens Verbo*, & istam, *Pater intelligit & sapit Verbo*; quam priori negatâ admittit *Vasquez d.151.c.6.* Utramque enim confundunt tam veteres quàm recentiores, ipséque *August.7. de Trinit. c.1.* dicens: *Quid aliud dicimus, cùm dicimus, hoc illi,* Patri, *est esse, quod sapere, nisi eo est, quo sapiens est?* Utraque propositio proinde est neganda; cùm significetur Filium Patri esse principium vel formam cognoscendi, sive Patrem formaliter aut principiativè intelligere per Filium.

47. *Sed intelligit in Verbo.* Aliud est de hac propositione, *Pater intelligit in Verbo.* Nam præpositio adjuncta reddit hunc sensum, quòd Pater per sapientiam essentialem intelligat in Verbo, tamquam objecto repræsentante Patri ea quæ intelligit: sic autem Filius seu Verbū, in quo sunt omnia, repræsentat omnia Patri Filium videnti: quamquam id solùm appropriatè Verbo cōpetat, eò quòd procedat per intellectum, cui idcirco appropriatur esse artem, ideam &c. propriè namque convenit ipsi essentiæ divinæ, in qua visa videntur à Patre cetera. Eodemque sensu Filius in se novit omnia juxta *August.15. de Trinit.cap.14.* similiter Spiritus sanctus omnia novit in Verbo. Immo & beati hâc ratione dicuntur in Verbo videre creaturas. Vide *D. Bonav. d.32. art.2. q.1.*

Aliud similiter est de hac propositione, *Pater omnia creat Verbo*; quæ est apud *August. 11. confess. c.7.* & alibi. Et *Genes.1.* dicitur: *In principio*, (id est, in Filio, juxta veteres Patres passim) *creavit Deus cælum & terram.* Et *ad Coloss.1. In ipso* (Filio) *condita sunt universa*, id est, per Filium, juxta Hebræi sermonis proprietatem, ut notat *Sasbouth ibidem.* Nam creare seu operari significat causalitatem effectivā, non autem formalem, sicut intelligere. Quare isto loquendi modo significatur Patrem operari per Verbum, tamquam principium effectivum creaturarum subauctoritativum (ut loquitur *D. Bonav. sup. q. 2. in corp.*) id est, principium de principio: Verbum enim, quod est principium creaturarum, est de Patre tamquam principio. Præterea cum verbum appropriatè sit ars, idea, sapientia Patris, rectè dicitur eatenus facere creaturas in Verbo aut per Verbum. 48. *Item omnia creat in Verbo.*

Dices I. Quilibet est sapiens sapientiâ suâ: atqui Filius est sapientia Patris, *1. ad Cor.1.* ergo &c. Resp. quemlibet sapere sapientiâ, quæ formaliter est sua: Filius autem non formaliter, sed appropriatè est sapientia Patris tamquam principii. 49. *Quomodo Filius sit sapientia Patris.*

Dices II. Nos intelligimus verbo à nobis producto; ergo & Pater. Resp. Neg. Conseq. quia ob imperfectionem nostrā, dum intelligimus producimus notitiam realiter distinctam, quæ velut accidens intellectum informat, & simul est verbum: sed in divinis Pater non indiget notitiâ productâ, ut intelligat formaliter, sed est suamet intellectio, quàmvis ob infinitam suam fecunditatem præterea habeat verbum à se expressum per intellectum. *Cur nos intelligamus verbo à nobis producto.*

DICO II. Pater dicit Verbo. Ita unanimiter Doctores post *Augustinum 7. de Trinit. c.1.* & alibi sæpè. Pro meliori intellectu 50. *Pater dicit Verbo.*

Notandum I. Quòd sicut id quod ore dicimus seu proferimus, vocatur verbum oris, ita quod intellectu dicimus, aut proferimus, vocetur verbum mentis. Unde verbum idem est, quod dictum vel prolatum: Dicere autem nil est aliud, quàm producere verbū, seu loqui, sive ore, sive mente: *Verbum aliud oris, aliud mentis.*

mente: quod enim loquimur, verbum est. Quare verbum importat respectum ad loquentem sive dicentem, tamquam principium suum. Et hâc ratione Filius est propriè Verbum Patris tamquam principii sui, quia nimirum Pater ipsum dicit seu loquitur. Quia verò dum verbū proferimus, aliquid per illud declaramus seu manifestamus, etiam Verbo Patris convenit, ut Pater aliquid dicat seu declaret Verbo suo: nam (ut inquit *August. 7. de Trinit. c. 3.*) *Si hoc verbum quod nos proferimus temporale & transitorium, & seipsum ostendit, & illud de quo loquimur; quantò magis Verbum Dei, per quod facta sunt omnia?* Hoc tamen Verbo Patris solùm convenit appropriatè: propriè enim & formaliter scientia sive intellectio Dei essentialis seu communis tribus personis repræsentat seu manifestat omnia, idemque objectivè facit ipsa Deitas tamquam objectum primum & adæquatè motivum divini intellectus. Verbum itaque ostendit Patri omnia, non ratione suæ personalitatis, sed ratione essentiæ & scientiæ, seu intellectionis communicatæ sibi à Patre per intellectum seu memoriam fecundam. Ostendit, inquam, omnia, quæ sunt in scientia Dei, adeòque ostendit & Patrem & se ipsum, immo etiam omnes creaturas; quin immo juxta *D. Thomam q. 34. art. 3. ad 5.* etiam non entia: quia juxta *August. 15. de Trinit. c. 14.* non est aliquid minùs in Verbo Dei, quàm in scientia Dei. Idemque *11. Confess. c. 7.* ait: *Verbum Dei sempiternè dici, & eo sempiternè dici omnia.* Ex quo confirmatur, respectum hunc manifestativi seu declarativi non esse realem: si quidem Verbum ad se ipsum aut ad creaturas nō dicit respectum realem: ad Patrem autem solùm respectum geniti, ad Spiritum sanctum solùm respectum spirantis. Idemque tradunt plerique Doctores *D. Bonav. Scotus, Suarez, Smising d. 3. n. 221.*

Quâ ratione Filius sit propriè Verbum Patris.

Ratione cujus Verbum omnia Patri ostendat.

Qualis sit respectus declarativi importatus per Verbum.

Hinc patet, Filium esse Verbum Patris dumtaxat, scilicet propriè, principaliter & principiativè, non esse ita Verbum creaturæ; ut docet *Anselmus Monolog. cap. 31. & tribus seqq.* & *D. Bonav. d. 27. q. 2. ad 4.* Secundùm tamen respectum minùs proprium & secundarium, rectè posset Filius quoque dici Verbum sui & Spiritus sancti; immo & creaturarum, videlicet tamquam rerum dictarum, id est, ostensarum seu manifestatarum per Verbum appropriatè.

An Filius sit Verbum Patris tantùm.

Manifestat autem Verbum omnia Patri, sibi & Spiritui sancto æternaliter: at temporaliter Pater per Verbum loquitur creaturæ. Estque illa locutio verbum creatum, & denotat effectum temporalem, qui mentem & dispositionem Dei æternam nobis significat. Juxta quod frequenter in Scriptura fit mentio verbi, quod fecit aut dixit Dominus & ostendit nobis.

51. Notandum II. Quòd etsi dicere aliquando reperiatur usurpatum pro intelligere; impropriè tamen ita sumitur, ut notat *D. Thomas q. 34 art. 1. ad 2. & 3.* neque juxta Phrasim *Augustini*, ut notat *Scotus d. 32. q. 2.* Et hoc sensu non rectè asseritur, *Pater dicit Verbo*; sicut non rectè dicitur, *Pater intelligit Verbo.* Aliter sumi posset, ut dicere sit idem quod verbum producere seu proferre. Et sic solus Pater dicit, id est, producit Verbum. Sed ad sensum præsentem (qui est quoque *Augustini* & Doctorum) dicere idem est, quod verbo suo aliquid significare seu manifestare: nam dum verbum dicimus, etiam verbo ipso aliquid dicimus seu declaramus. Quare hoc sensu solus Pater dicit: illius enim est dicere seu loqui, cujus est concipere: solus autem Pater concipit Verbum, adeòque solus Verbo à se concepto loquitur seu aliquid dicit.

Dicere multipliciter accipi potest.

52. Itaque sensus hujus propositionis, *Pater dicit Verbo omnia*, est talis, Pater Verbo à se concepto seu producto declarat seu manifestat se & omnia alia, quæ cognoscit; quod postremum Verbo appropriatè convenit. Dicit (inquam) Pater hæc omnia Verbo principiativè, scilicet producendo ipsum Verbū. Adeòque in præfatâ propositione per dicere principaliter significatur respectus ad ea quæ dicuntur seu manifestantur, secundariò autem connotatur respectus ad principium quod dicit, scilicet ad Patrem. Unde ferè coincidit, si quis diceret: Pater generat Verbum, quod est appropriatè manifestativum Patris & aliorum.

Quid sit Patrem dicere omnia Verbo.

Ex quo patet, cur *Pater* potiùs *dicat Verbo* quàm *intelligat Verbo*: nimirum, quia intelligere sumitur merè essentialiter, & significat Verbum esse Patri formam cognoscēdi, aut principium: dicere autem sumitur notionaliter, & importat in Verbo, quo Pater dicit, respectum principiati ad principium. Et sic sufficienter probata & declarata manet conclusio.

Cur Pater potiùs dicat Verbo, quàm intelligat Verbo.

53. Dico III. Pater & Filius diligunt Spiritu sancto. Ita *D. Bonav. d. 32. art. 1. q. 1.* *Scotus eâdem dist n. 11. D. Thomas q. 37. art. 2.* & alii communiter. Et sumitur ex Patribus, apud *D. Bonav. sup.* & *Smising d. 3. q. 4. n. 235. & 236.* asserentibus, quòd Pater & Filius ament se amore, qui ab ipsis procedit; quòd Spiritus sanctus sit amicitia Patris & Filii; sit ipsa dilectio quam Pater

Pater & Filius diligunt Spiritu sancto.

S

ter habet in Filio, & vicissim; sit vinculum Trinitatis, sit denique unitas Patris & Filii: *Quia* (ut inquit *August. 6. de Trinit. c. 5. in princip.*) *charitas est quâ genitus à gignente diligitur, genitoremq; suum diligit.*

54. *Hæc propositio reperitur in Patribus.* Unde non rectè dixit *Suarez l. 11. c. 3. n. 5.* præfatam propositionem non reperiri in Patribus, inde inferens propter Auctoritatem Sanctorum non multùm videri contendendum ad illam propositionem in omni proprietate defendendam. *Nec est impropria.* Non rectè etiam dixit *Durandus d. 32. q. 1. n. 14.* illam esse impropriam, nec sine expositione admittendam: quam improprietatem etiam fassus est *Torres*, & nonnulli Recentiores, ut refert *Tannerus d. 4. q. 4. dub. 8* Ex quibus aliqui ad auctoritatem *Augustini* respondent, ipsum in simili retractasse, quando retractavit hãc: *Pater est sapiens sapientiâ genitâ.*

Non retractata ab Augustino. Sed non habet apparentiam: tum quia (ut rectè *Scotus sup. n. 3.*) retractasset in propriis terminis, si retractandum duxisset, & non tantùm in quasi simili, de qua statim dubitari poterat, an sit eadẽ utriusque per omnia ratio: tum præcipuè, quia *Augustinus* in ipso Opere de Trinitate, in quo tradit propositionem in Cõclusione assertam, retractat aliam, scilicet *Pater est sapiens sapientiâ genitâ*: quomodo ergo hãc retractando censeri potest retractasse doctrinam, quam in eodem opere expressè proponit? Adde cum *D. Bonav. sup. & Scoto sup.* quòd non solùm eam dicit *Augustinus*, sed etiam Sancti alii, quorum dicta *Augustinus* non retractat.

55. *Malè eam aliqui explicant.* Difficile nihilominus videtur congruã hujus propositionis explicationem adhibere. Nam in primis non potest esse hic sensus (quem statuit *Simon Tornacensis*, teste *D. Bonav. sup. q. 2. in corp.*) Spiritus sanctus est signũ mutuæ dilectionis Patris & Filii. Sic enim (ut rectè *D. Bonav. & Scotus sup.*) quoque dici possent Pater & Filius se diligere creaturâ, quæ similiter est signum dilectionis mutuæ eorum. Dici quoque posset Pater sapiẽs sapientiâ genitâ; cùm hæc sit maximè signum sapientiæ in Patre generante.

Rejicitur alia explicatio. Secundò non rectè cum *Durando & Molina* statuitur hic sensus: Pater & Filius diligunt se amore essentiali, qui appropriatur Spiritui sancto: nam (ut rectè *D. Bonav. sup. q. 1. & Scotus sup.*) sic etiam possent dici esse boni Spiritu sancto; quia bonitas appropriatur Spiritui sancto. Deinde posset similiter dici Pater esse sapiens Verbo, scilicet sapientiâ essentiali appropriatâ Verbo.

Item alia. Tertiò non rectè explicatur hoc modo: Pater & Filius diligunt se formaliter Spiritu sancto, quasi formaliter se diligant, tum amore essentiali, tum amore personali: nam pari ratione Pater esset formaliter sapiens Verbo seu sapientiâ genitâ ac personali.

Communis itaque doctrina *D. Bonav. D. Thom. Scoti* & aliorum est, *diligere* hîc sumi notionaliter. Et quidem *D. Thomas sup.* sumit illud merè notionaliter. *Scotus* verò *d. 32. q. 1.* ex professo hanc explicationem refutat. Et meritò: quia juxta *D. Thomam ibid. secundùm quod diligere notionaliter sumitur, nihil est aliud quàm spirare*; nõ rectè autẽ dicitur Pater & Filius spirare Spiritu sancto: significatur enim Spiritũ sanctũ esse id quo aliquid aliud spiratur, seu esse per spirationem accipit. Propter quod non rectè etiam dicitur, *Pater generat Verbo*, quia generare sumitur merè notionaliter. Plura in hanc rem congerit *Smising n. 241. & 242. ex Scoto sup. n. 5.* ubi exemplum vulgatum ex *D. Thoma*, quòd scilicet arbor dicitur florior floribus, optimè refutat, velut ad oppositum potiùs quàm ad propositum faciens. 56. *Communis explicatio.*

Tandem igitur cum *Scoto q. cit. Maldero q. 37. art. 2.* & aliis dicendum est diligere sumi partim essentialiter, partim notionaliter, sicut dicere in hac propositione: *Pater dicit Verbo.* Unde sensus est hic aut similis: Pater & Filius producunt Spiritum sanctum, qui est amor Patris & Filii: sive Pater & Filius principiativè se diligunt Spiritu sancto, formaliter autem amore essentiali. Sicut enim dicere importat habitudinem ad rem dictam seu id quod verbo manifestatur, & connotat etiam habitudinem ad dicentem, seu verbum proferentem: sic in præsenti diligere importat habitudinẽ ad rem dilectam, quæ non est realis, nec propria, sed appropriata Spiritui sancto; cõnotat autem habitudinem ad diligentem, seu illum qui spirat. Nam sicut diligere Patrem & Filium etsi conveniat amori essentiali, tribuitur tamen appropriatè Spiritui sancto seu amori personali, eò quòd amor essentialis non solùm sit in Spiritu sancto, aut etiam sit realiter ipse Spiritus sanctus, sed hic insuper ab utroque procedat per voluntatem aut amorem: sic potest idipsum principiativè tribui principio amoris producti, seu Patri & Filio. 57. *Sensus genuinus propositionis in conclusione asserta.*

Ratio autem cur potiùs dicatur Pater & Filius diligere Spiritu sancto, quàm Pater sapere sapientiâ genitâ, est, quia sapere non sumitur nisi essentialiter: diligere autem etiã sumi potest notionaliter. Ratio quoque, cur potiùs dicatur Pater dicere, quàm generare Verbo; item Pater & Filius diligere, quàm spirare Spiritu sancto, est: quia dicere & diligere sunt actiones, quæ non solùm important ordinem ad terminum per ipsas productum, 58.

Cur Pater & Filius potiùs diligant, quàm spirent Spiritu sancto. ctum, sicut generare & spirare; sed insuper importânt ordinem ad objectum quod dicitur aut diligitur: quod proinde objectum etiam respicitur à principio productivo aut agente, mediante termino producto; respicitur (inquam) effectivè, quatenus producit terminum qui respicit objectum formaliter. Ejusmodi autem actionibus competit enuntiare utrumque respectum, ponêdo objectum repræsentatum vel amatum in accusativo, terminum autem in ablativo; v. g. intellectus verbo dicit tale objectum, voluntas amore diligit tale objectum. Eodem igitur modo rectè dicitur Pater dicere se & alia Verbo seu per Verbum; item Pater & Filius diligere se Spiritu sancto seu per Spiritum sanctum, qui est amor subsistens seu personalis, verè quidem identicè, immo appropriatè amor Patris & Filii.

59. *Quænam Pater & Filius diligant Spiritu sancto.* Porrò sicut Pater omnia quæ sunt in sua scientia dicit Verbo, sic juxta *D. Thomam q.37. art.2. ad 3.* & plerosque alios, Pater & Filius diligunt Spiritu sancto, non solùm se, ipsumque Spiritum sanctum, sed etiam creaturas; quatenus Spiritus sanctus procedit ab illis ut amor bonitatis primæ, secundùm quam Pater & Filius amant se, omniaque alia.

An etiam creata. Nihilominus hæc propositio: *Pater & Filius diligunt creaturam Spiritu sancto,* non est ita propria, ut rectè *Scotus d.32. q.1. ad ult.* Immo non facilè usurpanda sine sufficienti declaratione, ut ait *Suarez 11. de Trinit. c.3. num. ult. in fine.* Tum quia Spiritui sancto ex vi processionis suæ non convenit esse amorem creaturæ; cùm is contingens sit, necessariò autem Spiritui sancto conveniat, quidquid vi processionis convenit. Tum quia eidem nil convenit vi processionis suæ, nisi quod ei convenit pro instanti seu signo suæ originis (pro nunc enim completur ipsius processio) pro tunc autem non convenit ei amor creaturæ, utpote posterior originibus ad intrà. Confirmatur, ad hominem contra alios: Spiritus sanctus non procedit ut amor, nisi illorum, ex quorum amore procedit; non procedit autem ex amore creaturarum, præsertim actualium, ut postea dicetur: ergo nec procedit tamquam amor illarum.

60. *Sicut Pater Verbo dicit creata.* Dices: Non magis convenit Verbo procedere ex scientia creaturarum, seu non magis ei convenit vi processionis declarare creaturas; & tamen cùm *Augustino* omnes Theologi, etiam ipse *Scotus*, admittunt simpliciter hanc propositionem: *Pater dicit verbo omnia, etiam creata.* Resp. idcirco neque hanc esse omnino propriam, admitti tamen simpliciter, intellectam scilicet in vulgato & usitato sensu, in quo ab ipso *Augustino* usurpatur. Equidem locutiones minùs propriæ non sunt facilè extendendæ, neque *Augustinus* legitur usurpasse hanc: *Pater & Filius omnia etiam creata diligunt Spiritu sancto.* Vulgatus autem sensus utriusque hic esse potest: Pater & Filius pro aliquo signo diligunt Spiritu sancto omne diligibile, quia scilicet amor essentialis pro aliquo signo extenditur ad omnia etiam creata: quamquam pro ipso signo processionis simpliciter diligant Spiritu sancto, omne quod est pro isto signo diligibile. Similiter Pater dicit Verbo se, aut quidquid pro signo productionis Verbi noscit: latè tamen loquendo dicit omnia etiam creata Verbo, pro aliquo scilicet signo sequenti. Utrumque tamen etiam fit peculiariter vi processionis, non quasi processio ipsa à creatura dependeat, sed quia modus processionis est talis, ut quidquid sive necessariò sive contingenter pro quovis signo declaratur seu exprimitur, id fiat Verbo, scilicet appropriatè (verbo enim loquimur & aperimus, quidquid manifestamus aut declaramus) quidquid item diligitur pro aliquo signo, id fiat Spiritu sancto, qui est amor. De hac quæstione fusissimè *Smising d.3. q.4. per totam.*

QUÆSTIO VII.

Quorum cognitionem præsupponat processio Verbi, & quorum amorem processio Spiritus sancti?

Titulus quæstionis plerumque sic proponitur: Ex quorum cognitione procedat Verbum? Quæ autem de processione Verbi disputantur, supponuntur habere locum conformiter in processione Spiritus sancti, quantùm ad amorem. Malui autem proponere aliter titulum, eò quòd propriè loquendo Verbum non procedat ex cognitione actuali, aut Spiritus sanctus ex amore, sed illud per intellectum, hic per voluntatem, juxta *dicta q.5.*

Nihilominus Verbum processit ex utero seu memoriâ fecundâ Patris aliquid pro tunc intelligentis, similiter Spiritus sanctus ex voluntate Patris & Filii aliquid diligentis.

Quæritur itaque, quænam pro isto priori processionum divinarum cognoscebantur aut diligebantur, seu quorum cognitio & amor processionibus præsupponatur.

Dico I. Processionibus divinis non præsupponitur cognitio vel amor creaturarum actualium. Ita *Scotus 1. d.18. n.5.* & 2. 61. *Processionibus non præsupponitur cognitio*

creaturarū actualium. & 2.d.1. q.1.n.9. & *quodlib.*14. *n.*14.15. & 16. & alii Doctores communiter contra *Valentia. Arriaga* & nonnullos alios. Ratio est: quia divinæ processiones sunt omnino necessariæ; cognitio autem, uti & amor, creaturarum actualium est libera, potuitque non esse in Deo: atqui contingens & liberum nequit præsupponi summè necessario, neque hoc potest ab illo ullatenus pendere; ergo &c. Confirmatur: quia natura determinatur priùs ad ea quæ ipsam substantialiter velut complent ac intrinsecè terminant, quàm ad ponendum aliquid extrinsecum, præsertim sibi non necessarium, quodque liberè ponit; prout fit in Deo respectu creaturarum actualium: ergo processionibus divinis non præsupponitur decretum seu amor Dei, vel cognitio quatenus terminata ad creaturas actuales.

62. Dices I. Infinita perfectio divinæ cognitionis postulat ipsam semper terminari ad quodlibet verum: atqui processioni Verbi præsupponitur cognitio infinitè perfecta; ergo eadem quatenus terminata ad quodlibet verum, adeòque ad creaturas actuales. Resp. Disting. Maj. postulat ipsam semper terminari, id est, pro quovis instanti reali, Conc. Maj. pro quovis instanti seu signo rationis, Neg. Maj. Vel aliter Resp. quòd postulet ipsam terminari solùm pro quovis signo, pro quo aliquid est scibile; pro isto autem signo priori res creatæ non sunt scibiles.

Creaturæ non sunt pro quovis signo scibiles.

Dices II. Essentialia sunt priora notionalibus, adeòque divinis processionibus; antecedenter enim ad processiones concipitur natura divina habere omnem perfectionem simpliciter, tantùmq; ei deesse incommutabilitas, quam accipit à notionalibus: atqui cognitio & amor creaturarum spectant in Deo ad essentialia; ergo sunt priora processionibus. Resp. Dist. Maj. sunt priora secundùm omnem suam rationem intrinsecam Conc. secundùm omnem terminationem, etiam ad creaturas Neg. sic namque sunt posteriora, uti quicumque respectus ad extrà in Deo, & sicut in ipso omnia necessaria sunt priora liberis.

Quo sensu essentialia sint priora notionalibus.

Dices III. Verbum procedit ex scientia comprehensiva Patris; ad hanc requiritur notitia etiam creaturarū, ergo &c. Resp. ad Maj. Verbum procedere ex scientia in actu primo comprehensiva, nō autem ex actuali cōprehensione, juxta dicta q.5. Deinde supponamus, quòd procedat ex actuali notitia, adhuc non sequitur, quòd procedat ex notitia quatenus comprehensiva pro isto signo: sic enim petitur principium. Sufficeret enim, quòd procedat ex notitia perfectissima (quam ut sic præcisè consideratam, an comprehensivam appelles, an non, parum curo) divinæ naturæ secundùm rationem omnem absolutam, seu secūdùm omnem rationem, secundùm quam pro isto signo processionis est cognoscibilis: non est autem pro tunc cognoscibilis secundùm respectus ad extrà aut creaturas, cùm sint posteriores ipsis processionibus, hæque ab iis nullatenus dependeant.

An scientia generationi prævia sit comprehensiva.

Ex hac conclusione sequitur, divinis processionibus nō præsupponi scientiam conditionalium, sive enim sequatur, sive antecedat omne decretum, est simpliciter contingens, potuissetque Deus non scire hoc in tali vel tali conditione futurum, sicut potuisset non esse futurum. 63.

Processionibus non præsupponitur scientia conditionaliū.

Dico II. Divinis processionibus non præsupponitur cognitio & amor creaturarum possibilium, seu cognitio simplicis intelligentiæ & amor correspondens. Ita omnes *Scotistæ* ex locis *Scoti sup. cit. Vasquez, Becanus* & plures alii, contra multos alios. Probatur I. quia sequeretur creaturam saltem secundùm esse possibile naturà priorem esse ente infinito summè necessario: quod tamen dici nequit, eò quòd ejusmodi ens nequeat ullatenus dependere à creatura, etiam possibili, nec tolleretur, etsi creatura non foret possibilis: aliàs non esset magis necessarium quàm creatura possibilis. Confirmatur: quia creaturæ secundùm esse possibile spectatæ sunt minùs necessariæ quàm divinæ processiones; minùs autem necessarium nequit esse prius magis necessario. 64.

Nec creaturarum possibilium.

Probatur II. quia natura divina priùs determinatur ad sibi intrinseca, quàm ad alia minùs intrinseca, immo extrinseca: adeòque priùs determinatur ad producendum personas, quàm ad cognoscendum aut volendum creaturas possibiles, sibi extrinsecas.

Confirmatur hæc & præcedens conclusio: quia sicut potentia Dei creativa non potest operari ad extrà, nisi priùs ratione sit in tribus personis: ita non videtur potentia intellectiva aut volitiva posse terminari ad objectum extrinsecum, nisi priùs ratione sit in tribus personis: ista enim terminatio se quodammodo habet instar operationis ad extrà.

Dico III. Processionibus divinis naturà priùs præsupponitur cognitio & amor Essentiæ divinæ, & per consequens perfectionum attributalium. Ita universi Theologi. Patet: quia essentia divina cum suis perfectionibus absolutis, adeòq; cum intellectu ac voluntate & scientiâ ac volitione perfectissimâ (utique terminatâ ad ipsam essentiam, quæ est objectum primum, ejusque intrinsecas perfectiones) 65.

Sed cognitio essentiæ divinæ.

est

est prior processionibus & relationibus; adeòque priùs cognita, & amata.

66. Sed difficultas satis intricata restat, an solius essentiæ cognitio (idem de amore) præsupponatur divinis processionibus; ut volunt plerique *Scotistæ*: an insuper ipsarum processionum seu trium personarum, ut volunt plerique alii, & ex *Scotistis, Smising d. 3. n. 273.* Cui favet *Scotus d. 6 n. 5* docens Patrem generare Verbum voluntate etiam antecedente; & consequenter antecedente cognitione. Verùm *Cavellus in Scholio* explicat *Scotum* de voluntate antecedente, non terminatâ ad ipsum Verbum, sed ad essentiam; aut certè ob alia loca in speciem opposita *Scotus* est dubius, ut idem *Cavellus*. Aliis verò *Scotistis* favet *Doctor* pluribus locis, ut *d. 1. q. 2. n. 5.* ubi tamen (præterquam quòd textus in originali à *Scoto* sit cancellatus, ut notatur in margine) solùm disjunctivè asserit Patrem priùs origine quàm generet Filium esse beatum visione essentiæ absolutè, vel ut est in una persona, scilicet Patre; adeòque hujus visionem præsupponi *Scotus* non diffitetur. Et *d. 10. num. 14.* supponit quidem Spiritum sanctum antecedenter ad sui processionem non esse cognitum; addit tamen problematicè responsionem oppositam: neque etiam negat processioni tertiæ personæ præsupponi notitiam Patris & Filii. Denique *2. d. 1. q. 1. n. 9.* ubi tamen solùm videtur excludere notitiam objecti secundarii, extranei, scilicet creaturarum, ut advertit *Smising sup. n. 268.* ubi & *n. n. prec.* fusè mentem *Scoti* discutit. Unde patet ferè arbitrarium esse in via *Scoti* eligere hîc quod magìs placet.

An etiam trium personarum.

Mens Scoti discutitur.

67. Et quidem existimo, quòd etiamsi Verbum procederet ex actuali notitia propriè, sufficeret per se notitia solius essentiæ, etiam seclusâ per possibile vel impossibile notitiâ personarum, ad exprimendum Verbum cõsubstantiale, Patrique per omnia simile. Deinde existimo, quòd etsi Verbum procederet ex notitia personarum, etiam Spiritus sancti, velut objecti per se requisiti, adhuc non foret Verbum imago Spiritus sancti, eò quòd ab eo non procederet tamquam principio, etsi foret similitudo ipsum instar objecti repræsentãs: ut enim Verbum esset imago Spiritus sancti, deberet esse verbum illius ut principii. Ob quod etiam non foret imago sui ipsius, vel Deitatis, vel creaturarum possibilium, quantumvis illa repræsentaret, & ex illorum notitia procederet: prout equidem verè non procedit juxta nos. His ita discussis

68. Dico IV. Processionibus divinis, etiam comprehensâ generatione activâ, præsupponitur notitia intuitiva (idem est de amore) solius essentiæ. Hoc sensu valde probabilem existimo vulgatam *Scotistarum* Doctrinam. Ratio est: quia in priori signo ante omnes processiones, sola essentia præsupponitur habere esse, & consequenter esse cognoscibilis: nam nec quidem Pater præsupponitur generationi activæ; cùm per hanc sive paternitatem formaliter constituatur in esse primæ personæ: adeòque non præsupponitur in ratione cognoscibilis: *Neque enim* (inquit *Augustinus lib. 4. de Gen. ad lit. c. 32.*) *Cognitio fieri potest, nisi cognoscenda præcedant.* Et infrà: *Nisi enim prius sit quod cognoscitur, cognosci non potest.*

Generationi activa præsupponitur notitia solius essentiæ.

69. Dico V. Generationi passivæ Verbi præsupponitur saltem prioritate originis notitia Patris, non autem ceterarum personarum: processioni verò Spiritus sancti præsupponitur cognitio utriusque spirantis, seu Patris & Filii. Ita tenent varii, nec dissentit *Scotus*, ut satis colligi potest ex præmissis, & *quodl. 14. n. 14.* Prima pars probatur: quia generationi Verbi præsupponitur prioritate originis Pater completè existens, adeòque pro isto priori signo est cognoscibilis, & consequenter cognitus: Verbum autem & Spiritus sanctus pro isto signo necdum supponuntur esse, adeòque nec videri. Secunda pars similiter probatur: quia Pater & Filius sunt origine priores processione Spiritus sancti, immo etiam præsupponuntur spirationi activæ: ergo pro isto priori possunt cognosci; non autem Spiritus sanctus, qui necdum supponitur. Eadem cum proportione locum habent in amore.

Generationi passivæ Verbi, notitia insuper Patris.

Processioni Spiritus sancti notitia Patris & Filii.

70. Nec refert, quòd Pater & Filius sint correlativa, adeòque simul natura quoad esse & cognosci: nam cum hac simultate consistit, cognitionem unius correlativi esse priorem origine; eò quòd sicut in divinis unum est altero prius origine quoad esse, sic etiam debeat esse quoad cognosci.

Simultas natura quoad esse & cognosci stat cum prioritate originis.

Non refert etiam, quòd Deus videat futura antequam existant: quia saltem videt posteriùs ratione quàm ex suo decreto sint futura: adeòque personæ divinæ, quæ nullatenus rationem futuri, sed tantùm præsentis obtinent, videri nequeunt, priusquam supponantur præsentes & existentes.

Non satisfacit proinde, quod Alii respondent, ad notitiam intuitivam (qualis indubiè debet esse notitia divina personarum) sufficere, quòd personæ omnes sint præsentes eidem instanti reali seu durationis, etsi pro posteriori signo originis; eò quòd signa hæc non sint signa

 in qui-

in quibus res sint, involventia scilicet differentias præsentis, præteriti & futuri, sed sint solùm signa à quibus, seu emanationes unius ab altero, quæ consistũt cum simultate, tum temporis, tum naturæ. Non satisfacit (inquam) quia notitiæ intuitivæ personarum deberet existentia & præsentia earumdem insuper præsupponi; prout tamen non præsupponitur ob posterioritatem originis. Deinde pari facilitate dici posset, etiam creaturas possibiles priùs ratione cognoscibiles, adeòque cognitas esse. Denique difficile tunc apparet, cur Deus videre nequeat æterna sua decreta priùs ratione quàm aliquid decernat; prout pletique nobiscum putant Deum videre non posse, ut patet ex *Tr. de Deo Uno d.6.n.48.*

Objectum notitiæ intuitivæ debet ei præsupponi.

QUÆSTIO VIII.

An Essentia divina sit principium quod divinarum processionum, sive principium quod generet Filium, & spiret Spiritum sanctum?

71. RESP. Essentia divina non est principium quod generat aut spirat. Ita omnes Theologi cum *Magistro d.5.* contra Abbatem *Joachim* deridentem *Magistrum*, quòd diceret essentiam neque esse generantem, neque genitam, neque procedentem. Sed *Magistri* assertio est definita, ac *Joachimi* assertio damnata in *Concilio Lateranensi*, & refertur c. *Firmiter, de summa Trinit.* Ratio est: quia inter producens & productum debet esse distinctio realis, cùm nihil producat seipsum: essentiæ autem omnia, quæ sunt in divinis, identificantur. Deinde quando de aliquo concretim prædicatur actio, intelligitur prædicari in sensu formali, adeòque ad veritatem non sufficit identitas realis, sed requiritur ut prædicatum connotet subjectum: generare autem & spirare in divinis non connotant essentiam abstractim expressam, sed ipsas personas. Alioquin idẽticè essentia est id quod generat, quia scilicet essentia est Pater, qui generat. Plus tamen sonat ex sensu communi, dum simpliciter dicitur, Essentia est generans; uti dictum est,

Essentia divina non est principium quod processionum.

Licèt identicè sit id quod generat.

72. Unde ejusmodi propositio (ut inquit *D. Bonav. d.5. art.1. in corp.*) *si legatur alicubi, est exponenda. Sancti enim quandoque ad confundendas hæreses expressiùs loquuntur, quàm proprietas sermonis sustineat.* Sic illud *Hilarii 4. de Trinit. paulò post initium: Nihil nisi natum habet Filius.*, hoc sensu dictum intelligitur: nil nisi nascendo seu per nativitatem habet Filius; & sic etiam habet essentiam. Similiter explicandum est, quod *9. de Trinit. versùs finem* profitetur *ejusdem generis genitam naturam naturaliter in se gignentem se habuisse naturam*: ubi, *genitã*, idem est, quod per generationem acceptam: *gignentem*, idem est, quod fecundam ad generãdum instar principii quo. Item quod *Athanasius Epist. ad Serapionem* dicit, Patrem genuisse in Filio essentiam, idem est, quod gignendo dedisse. Quod insuper *August. 15. de Trinit. c.14.* dicit Filium esse *Essentiam de Essentia*, sensum habet, quòd Filius qui est essentia Patris sit de Patre, qui est Essentia. Eumdem denique sensum habet, quod subinde legitur Filius esse sapientia de sapientia.

Auctoritates quædam

Patrum explicantur.

Nec obstat I. Quòd rectè dicatur, Essentia seu Deitas creat: nam etsi actiones ultimatè & ut quod sint suppositorum, simplicìter tamen etiam tribuuntur principiis formalibus, quando ea distinguuntur à terminis actionis; prout essentia quidem distinguitur à termino creationis, seu re creatâ, non tamen à termino divinæ generationis seu processionis, sive à Filio & Spiritu sancto. Deinde (inquit *Malderus q.39. art 5.* & ferè coincidit) creare est actio essentialis, seu conveniens Deo ratione essentiæ absque respectu ad aliquid distinctum in ipso Deo, sed cum respectu ad aliquid distinctum à Deo extra ipsum Deum. 73.

Cur essentia potiùs dicatur creare, quàm generare.

Non obstat II. Quòd rectè dicatur, Deus generat; immo in ipso Symbolo profiteamur *Deum de Deo genitum*. Nam concretum essentiale *Deus* potest supponere pro persona seu supposito, adeòque verificatur hæc propositio tali modo: Deus Pater generat Deum Filium.

Rectè dicitur, Deus generare.

Non obstat III. Quòd essentia rectè dicatur communicata: Pater enim essentiam communicavit Filio. Nam inter cõmunicans & communicatum non debet esse distinctio: idem enim potest se alteri communicare, prout materia & forma dicuntur se communicare composito. An autem essentia possit quoque dici communicãs, dubitari posset. Et quidem omnino id dici potest facto respectu ad terminum distinctum cui fit communicatio: Deitas enim seipsam communicat nobis. Facto tamen respectu ad Filium aut Spiritum sanctum, videri potest non recta locutio, quâ Essentia dicitur se cõmunicare Filio: eò quòd nihil se realiter communicet sibi ipsi; adeòque requiratur distinctio inter communicans & id cui fit communicatio. Et ita expressè docet *Derkennis de process. divinis c.2. §.3. num.21.*

Et essentia communicari.

An etiam dicatur cõmunicans.

QUÆST.

QUÆSTIO IX.

An Pater sit principium quod generationis Filii, & uterque processionis Spiritus sancti?

74. *Pater est principium quod generationis Filii.*

DICO I. Pater, isque solus, est principium quod generationis Filii. Est fide certissimum, nec ab ullo in controversiam vocatum, in Symbolis, Conciliis & Patribus passim obviis expressum. Sufficiat illud *Athanasii in Symbolo: Filius à Patre solo est &c.*

75. *Idem cum Filio processionis Spiritus sancti.*

DICO II. Pater & Filius sunt principium quod processionis Spiritus sancti. Quantùm ad Patrem, res est manifesta ex Auctoritatibus passim obviis, ipsâque Scripturâ *Joan.* 15. ubi de Spiritu sancto dicitur: *Qui ex Patre procedit.*

Processionē Spiritus sancti à Filio, negant Græci.

Sed quoad Filium vetus est & grave dissidium inter Græcos & Latinos Doctores. Et quidem primus qui apertè negare ausus est, Spiritum sanctum à Filio, immo & per Filium procedere, fuit Doctissimus *Theodoretus in Refutatione anathematum*, quæ *Cyrillus* ediderat adversùs *Nestorium c.9.* Hæc ipsa tamen refutatio fuit in *Concilio Ephesino* damnata, ipséque *Theodoretus* primùm inter Nestorianos reputatus: quàmvis postea errorem suum disertè retractaverit, & in *Concilio Calcedonensi* inter Catholicos receptus sit. Nihilominus error de processione Spiritus sancti à solo Patre paulatim ita invasit Orientalem Ecclesiam, ut *Theophylactus* Bulgarorum Archiepiscopus (qui floruit circa annum 1071. teste *Baronio*) scribens in *caput* 3. *Joan.* reprehendat velut ex communi Græcorum sententiâ Ecclesiam Latinam: contra quā in apertum etiam schisma tandem iidem Græci lapsi sunt, in eoque hactenus perseverant sensim in alios quoque errores prolapsi. Quantumvis autem sæpè reconciliati fuerint, ut in *Concilio Lateranensi* sub *Innocentio III.* deinde operâ Seraphici Doctoris *S. Bonaventuræ* in *Concilio Lugdunensi* (ubi Symbolum cum additione *Filioq;* ter Græcè terque Latinè in plena Concilii congregatione decantatum fuit) & postea rursùm in *Concilio Florentino*: semper tamen sunt reversi ad vomitum. Quare cum instante *Marco Ephesio* (qui solus *Concilio Florentino* subscribere detrectavit) iterum relapsi fuissent, tandem captâ per Turcam (non quidem ipsis feriis Pentecostalibus, ut nonnulli referunt, sed feriâ tertiâ post octavam, die 29. Maii, ut ostendit *Spondanus ad annum* 1453.) Constantinopoli, amissoque regno pœnas perfidiæ dederunt, eò justiores, quòd paucis ante annis, videlicet anno 1439. (ut patet ex Litteris Unionis) peculiari Dei providentiâ veritatem fidei in Concilio præfato agnovissent & approbassent.

Itaque hæc pars conclusionis de processione Spiritus sancti à Filio definita est in sex Conciliis Toleti celebratis. Deinde Oecumenico Concilio sub *Innoc. III.* & refertur c. *Firmiter, de summa Trinit.* Item in *Lugdunensi*, & refertur *c. unico, eod. tit. in* 6. quibus Græci interfuerunt & subscripserunt. Postea rursum in *Florentino* post longam cum Græcis disputationem iisdem subscribentibus. Denique in *Trid. sess.* 3. *in Confess. fidei.* 76. *Veritas Catholica patet ex Conciliis.*

Etiam antiquis in Græcia celebratis.

Immo eamdem veritatem tradunt antiqua Concilia Generalia in Græcia celebrata. Nam in *Synodo Ephesina* lecta, & à tota Synodo approbata est Epistola (quæ exstat in *Concilio Ephesino Tom.* 1. *c.* 14.) quam *S. Cyrillus* nomine *Concilii Alexandrini* scripserat ad *Nestorium*, in qua habetur: *Nam Spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est: unde & ab illo similiter sicut ex Deo Patre procedit.* Eadem epistola fuit approbata à *IV. Synodo act.* 5. & à *V. Synodo act. ult.* & *VI. Synodo act.* 17. & à *VII. Synodo act.* 7. ut refert *Bellarm. lib. 2. de Christo c.* 23.

Et Symbolo Athanasii et Patribus.

Eadem veritas traditur in *Symbolo S. Athanasii*, & stabilitur orthodoxorum Patrum, Græcorum pariter & Latinorum, consensu; quos ordine suo refert *Bellarm. lib. 2. de Christo c.* 24. *&* 25.

Item ex Scripturis.

Colligitur quoque hæc veritas non obscurè ex Scripturis, quæ asserunt Spiritum sanctum mitti à Filio, ut *Joan.* 15. *&* 16. missio autem in divinis non est, nisi personæ procedentis à persona producente, ut *disp. seq. q.* 4. dicetur. Item *Joan.* 16. de Spiritu sancto dicit Christus: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*: igitur scientiam, quam annunciat, accipit aliquo modo à Filio: nihil autem una persona accipit ab altera, nisi per processionem. Item ibidem: *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt; propterea dixi: quia de meo accipiet.* Omnia inquit; intellige, exceptâ paternitate (ut explicat *Florentinum*) in qua distinguitur: adeòque etiam Filius habet virtutem spirandi. Quod & indicat ratio subjuncta: *Propterea dixi vobis: de meo accipiet*, scilicet Spiritus sanctus per processionem. Præterea *ad Galat.* 4. Spiritus sanctus dicitur *Spiritus Filii.*

Rationes assignant Scholastici theologicis principiis innixas, sed non omnes efficaces. Nam ratio illa *D. Thomæ*, quòd Spiritus sanctus non distingueretur à Filio, si ab illo non procederet, assumit falsum, ut infrà dicetur. Uti & illa 77. *Rationes quædam rejiciuntur.*

ejusdem: quòd in creatis amor procedat à verbo; adeòque etiam in divinis Spiritus,qui est amor, procedat à Filio,qui est Verbum: nam in creatis verbum non est principium productivum amoris,sed tantùm conditio applicans voluntati objectum. Unde non rectè infertur,Verbum divinum esse principium productivum Amoris personalis; quod hîc intenditur. Immo nec concluditur, Verbum esse Patri instar conditionis applicantis ei objectum amoris: nam id facit intellectio divina essentialis, per quam Pater formaliter intelligit, ac vitaliter percipit se & alia objecta.

78. *Vera ratio Scoti adstruitur.* Optima est ratio *Scoti d.11. q.1. nu.2.* (quam etiam attigit *D.Bonav.d.11.art.1. q. 2. in corp.*) Filius habet communem cum Patre virtutem spirandi,nempe voluntatem fecūdam quatenus nondum intelligitur habere terminum productum per spirationem; quā Filius est origine prior:ergo hic etiam potest spirare,adeòque de facto spirat.Quam rationem insinuat *Florentinum sess.25.* dicens: *qui autem proferunt Spiritum ex sola Patris persona procedere, hi procul dubio substantiam ab hypostasi separant, & partitionem imaginantur divinæ substantiæ.* q. d. cùm Filius eamdem cum Patre substantiam habeat, adeòque & voluntatem, prout intelligitur adhuc fecūdā seu necdum exisse in actum; oportet cõsequenter ipsum habere eamdem potestatem seu virtutem spirandi, adeòque eamdem spirationem activam: alioquin certè non haberet eamdem sive divinam substantiam,sed hæc erit separata ab hypostasi Filii,ipsaque divina substantia erit quasi partita, utpote non integrè communicata Filio quoad suas perfectiones.

79. *Objectiones Græcorum solvuntur.* Objiciunt Græci I.in *Symbolo Constantinopolitano* solùm habetur: *qui à Patre procedit*; Et profertur anathema in Symboli corruptores aut immutatores. Resp. non fuisse vetitam, nec potuisse vetari, additionem legitimè faciendam: magisq; explicativam mysteriorum fidei, sed solùm contrariam aut sine legitima auctoritate attentandam. Unde sicut Ecclesia in Concilio Constantinopolitano Symbolo Nyceno, profitenti solùm Spiritum sanctum,rectè addidit: *qui à Patre procedit*, ob occurrentias istius temporis, nempe contra *Macedonianos* asserentes(quemadmodum de *Eunomio* refert *Basil.l.2.contra Eunom.prope finem*) Spiritum sanctū esse immediatam facturā solius Filii: sic postmodùm ab eadem Ecclesia *veritatis declarandæ gratiâ,& imminente tunc necessitate, licitè ac rationabiliter fuisse appositum*, Filioque.definit *Eugenius IV.in litteris S. Unionis*,Græcis consentiētibus;qui tamen *Rationabiliter Symbolo appositum est, Filioque.*

id noluerunt Symbolo suo inserere ob memoriā antiquitatis,& *Concilii Constantinopolitani*. Sicut idcirco etiam *Leo III.* ejusdem Concilii Symbolum immutatum, seu absque particula *Filioq;* insculptum laminæ argenteæ posteris reliquit, & retro altare S. Pauli Romæ reposuit, teste *Magistro d 11.*

Idcirco autem (inquiunt deputati Latinorum *in Confess.fidei sess.25. Concil.Florent.*) *divinum symbolum declaratum ac dilucidatum a majoribus nostris fuisse dicemus,ne quispiam ambigens, an Filius Spiritus sancti causa sit, in aliquam incideret hæresim*, non illam solùm, quæ Spiritus sancti à Filio processionem negaret (in quam Græci actu inciderant) sed etiam *ne*(ut in declaratione præfatæ Confessionis fidei subditur) *quispiam credendo Spiritum ex solo Patre procedere, tres in partes unicam illam divinam substantiam dividi mente conciperet*, dum scilicet in Filio facilè quis apprehenderet non esse eamdem & integram,quæ in Patre, substantiam, cui non foret communicata facultas expedita spirandi.

Aliam quoque *Andreas* Archiepiscopus Colossensis *sess.7.post med.*rationem additionis dat dicens: *Nam maximo in Gallia & Hispaniis schismate imminente,cùm jam* ex Filioque *passim celebraretur, Romano Pontifici fuit necesse in multorū Occidentalium ampla dignitatis magniq; Consilio Patrum Conventu,addito*,ex Filioque,*symbolum illustrare.* Quamquam non satis constet, quo id tempore præcisè sit factum. Sufficit traditio, & Ecclesiæ (in qua eadē sēper infallibilitas & potestas) declaratio, quòd rectè & licitè sit factum. Additionis antiquitatem satis ostendit,quòd reperiatur in Symbolo secundæ Synodi Nycenæ, sive VII. Generalis Concilii apud Græcos celebrati, juxta vetustissimum Codicem M.S. de cujus corruptione nemo potest suspicari, ut arguit *Juhannes Cardinalis sess.5.Florent.in fine.* Immo adhuc antea in Concil. *Toletano VIII.*quod fuit celebratum circa annum 653.vel (ut habet *Estius d.11.§.2.*) 560.recitatur symbolum cum hoc additamento.De hoc argumento pulchrè *D.Bonav. d. 11. art.1. q.1.in corp.* *Additionis antiquitas ostenditur.*

Objiciunt II.Auctoritates Patrum orthodoxorum,qui dicunt Spiritum sanctū esse à Patre vel ex Patre per Filium; ut *Basilius,Cyrillus,*& plurimi alii,præsertim Græci.Immo nonnulli eùm esse ex Filio negant,ut *Damasc.lib.1.de fide c.11.*de Spiritu sancto,inquiens: *At verò eum non ex Filio esse dicimus, sed Filii Spiritum nominamus.* Et Antiquissimus *Dionys.de divin. nom c.2.*ait,solum Patrem esse fontem divinitatis. Et *Nazianz. Orat. ad Episcopos* 80.

qui

qui venerant ex Ægypto, ait: *Omnia quæ habet Pater, habet Filius, exceptâ causalitate.* Et *Basil.Ep.*43.de Filio,ait: *Nullamq́; prorsus notionum communicationem secundùm proprietatem suam cum Patre habet;* adeòque nec secundùm notionem spirationis activæ.

Apud Patres orthodoxos idem est per Filium *&* ex Filio.

Resp.ex Litteris S.Unionis,in quibus *declaratur,quòd id quod Sancti Doctores & Patres dicunt,ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit,ut per hoc significetur, Filium quoque esse,secundùm Græcos quidem causam,secundùm Latinos verò principium subsistẽtiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem.* Unde ipsi Græci in *Florentino* fassi sunt,particulam *per* & *ex* idem significare, scilicet rationem principii. Et ita quidem de Patribus orthodoxis sentiendum: quidquid Schismatici alios sensus tortos obtendant.

Damascenus nõ fuit in errore Græcorum.

Idemq́ue de *Damascene* dicendum est cum *Bessarione Græco, Cardinali, orat. pro unione* (quam Græcè habuit in Florentino,& postea latinitati ipse donavit) *c.*6. post *Scotum d.*11.*q.*1.*n.*2.& *in Report.ibidem.* Ratio autem, ob quam *Damascenus* asserit Spiritum non dici ex Filio, est, quia nõ est ex ipso tamquam primo principio:*Nam*(teste *Bessarione suprà*) *communis linguæ Græcorum usus per præpositionem,* ex,*principalem significat causam.* Pater autem habet quamdam principii principalitatem, quatenus auctoritatem seu rationem principii habet à se; *Hoc ipsum* autem *quòd Spiritus sanctus procedit ex Filio,ipse Filius à Patre æternaliter habet* (ut loquitur *Florentinum in Litteris Unionis*) ideoq́ue est principium subauctoritativum sive principium de principio; quod significatur in isto modo loquendi, quo Spiritus dicitur procedere à Patre per Filium. Alioquin *Damasc.lib.*1.*cit.c.*9. dixerat *omnia quæ habet Pater esse Filii, hoc uno excepto quòd ingenitus non est.* Si tamen explicationi via non pateret,admitti posset cum *D.Thoma q.*36.*art.*2.*ad* 3. *Damascenum* fuisse in errore Græcorum, tunc necdum satìs ei aperto: *Sicut enim intellexi* (inquit *D.Bonav. d.*11. *art.*1.*q.*1. *in fine) ipse fuit in tempore quando orta est contentio.* Cautè tamen loquitur,ut *D.Bonav.ibid.* notat,eò quòd non asserat,quòd Spiritus sanctus non sit à Filio,sed quòd non dicatur à Filio, *quia Græci non confitebantur,nec tamen negabant,sed modò eorum maledicta progenies addidit ad paternam dementiam,* inquit *D.Bonav.sup.*

Negat Spiritum ex Filio tamquam primo principio.

Cur Pater dicatur fons divinitatis.

Ad Dionysium Resp.vocari ab eo Patrem fontem divinitatis, scilicet primum & universalem: est enim principium primum seu sine principio, communicans divinitatem utrique personæ,ob quod in Litteris Unionis dicitur: *Fons ac principium totius Deitatis, Filii scilicet & Spiritus sancti. Nazianzenus* excipit causalitatem,scilicet ipsius Filii, sive generationem activam. Quod aliis verbis exprimitur in Litteris Unionis: *Omnia quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit,præter esse Patrem.* Denique *Basilius* loquitur de notione propria Patri, sive de notione personali, qualis non est spiratio activa, communis Patri & Filio.

Objiciunt III. Ex doctrina Latinorum sequitur dari duo principia Spiritus sancti, eumq́ue procedere duabus spirationibus. Quare hoc nomine Græci Latinos graviter redarguebant, eorumq́ue declaratione perceptâ de unica causa seu principio valde exhilarati sunt in *Cõcilio Florentino*;ut patet *sess.*25.*prope finem.* Quamquam mirum videatur id Græcos ignorasse, quod jam tum in *Concilio Lugdunensi* communi ipsorum ac Latinorum cõsensu erat stabilitum. Unde Resp.Neg. Seq. Pro majori autem hujus rei declaratione sit

QUÆSTIO X.

An Pater & Filius sint unũ Principium Spiritus sancti, eumq́; spirent unicâ spiratione?

RESP. *Fideli ac devotâ professione fatemur,quòd Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tamquam duobus principiis, sed tamquam ex uno principio; non duabus spirationibus, sed unicâ spiratione procedit.* Ita expressis verbis *Concil. Lugdunense,* & refertur, *cap.unico,de summa Trinit.in* 6. Idem postea rursum definivit *Florent. in Litteris Unionis*: & antea docuerant Patres, *August.*5 *de Trinit. c.*14. & alii. Idipsum tradiderunt Scholastici *D.Thom. D.Bonav. Scotus,* omnesq́ue Recentiores. Ratio est: quia tres personæ sunt unum principium creaturæ; ergo similiter Pater & Filius sunt unum principium Spiritus sancti. Confirmatur: quia nomen substantivum non prædicatur pluraliter,etiam de pluribus suppositis, nisi multiplicetur forma principaliter significata; ideoq́ue tres personæ dicuntur tantùm unus Deus, ob unitatem naturæ divinæ principaliter significatæ: principium autem est nomen substantivum, & non multiplicatur principale significatum, quodcumque statuatur; statuitur autem usu & sensu Doctorum communi ipsa virtus spirativa, quæ est voluntas fecunda, eadem in Patre & Filio. Procedit itaque Spiri- 81.

Pater & Filius unũ sunt principium Spiritus sancti.

Quid requiratur ad multiplicationem concreti substantivi.

Spiritus sanctus ab illis tamquam uno principio, quia procedit ab illis in quantùm sunt unum, sive quatenus est in eis una fecunditas voluntatis.

82. *Unica est spiratio activa Spiritus sancti.*

Ex quo consequitur unicam similiter esse spirationem, quâ Pater & Filius spirant Spiritum sanctum: nam actiones vel productiones non multiplicantur, nisi ex diversitate principiorum aut terminorum; unicus autem est terminus spiratus, unumque principium spirativum seu potestas spirandi. Sicut in simili unâ actione creativâ creatur Angelus à tribus personis, eò quòd sit unica potentia creandi seu unum principium creativum, unicusque terminus creatus. Unde relata Concilia unicam quoque definiunt spirationem. Intellige activam: nam id exigit forma loquendi: non enim rectè dicitur Spiritus sanctus procedere seu produci spiratione passivâ. Deinde *Concilium Lugdunense sup.* testatur, se suâ definitione occurrere velle errori à quibusdam asserto aut quibusdam imposito: nullus autem accusatus legitur quasi asseruisset duas spirationes passivas, seu duos Spiritus sanctos. Denique Latini (ut patet ex Concilio Florentino ipsisq; Litteris Unionis) declarabant unicam dari spirationem ad obviandum pravæ suspicioni Græcorum; quorum tamen nullus umquam adduxit Latinos in suspicionem erroris de duplici spiratione passiva, adeòque de duplici Spiritu sancto. Unde non est verosimilis explicatio Conciliorum de spiratione passiva: quidquid dixerit *Arriaga d.50. n.8.*

Idem convincitur ex Conciliis.

83. *Non impropriè solùm Pater & Filius sunt unum principium.*

Ex dictis patet I. Meritò reprobari ab omnibus modum loquendi *Durandi & Gregorii*. qui dixerunt Patrem & Filium propriè loquendo esse duo principia, largè tamen loquendo dici unum ob unitatem virtutis spirativæ. Nam Cōcilia absolutè & simpliciter definiunt esse unum, & non duo principia; ergo propriè loquendo sunt unum tantùm principium. Alioquin reprobatâ propositione propriè verâ, approbassent illam, quæ in rigore est falsa. Neque etiam excussissent calumniam Græcorum, si (quod Græci ex sententia Latinorum sequi contendebant) Pater & Filius essent duo principia propriè loquendo. Quare particula *tamquam*, quâ utuntur Concilia, non est diminuens aut alienans, sed explicans rei veritatem; usitato more Scripturæ, ut *Joan. 1. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre. Ad Hebr. 3. Moyses fidelis erat in tota domo tamquam famulus &c.* & alibi sæpè. Unde sine tali particula Latini deputati in *Concil. Florent. sess. 25. in Confess. fidei*, dicunt: *Quoniam Græci suspicantur nos duo principia profiteri, idcirco hanc habentes sententiam vel talia profitentes Anathemate notamus.* Et in ipsis *Litteris Unionis* definitioni præmittitur, *Latinos affirmasse, non se hâc mente dicere Spiritum sanctum ex Filioq; procedere, quòd duo ponant esse principia seu duas spirationes, sed ut unum tantum asserant esse principium unicamq; spirationem Spiritus sancti, prout hactenus asseruerunt.*

Neque hinc sequitur Patrem esse duo principia, scilicet tum Filii, tum Spiritus sancti, ob duplicem potentiam productivam: nam ut dicantur duo principia, ultra multiplicationem formæ significatæ requiritur multiplicatio subjectorum seu suppositorum. *Non enim* (ut inquit *Scotus d.12. q.1. num.17.*) *dicitur aliquis plures scientes, licet habeat plures scientias*; adeòque nec plura producentia aut plura principia productiva, sed oportet ad hoc esse plura supposita.

84. *Immo sic propriè sunt unum, ut non propriè plura principia.*

Patet II. Nullatenus quoque admittendam esse doctrinam *Henrici de Gandavo* existimantis Patrem & Filium posse quidem propriè dici unum principium, posse tamen etiam propriè dici duo principia Spiritus sancti. Nam ex Auctoritatibus relatis constat, simpliciter determinari, quòd non sint duo principia. Idem conficit exemplum unici principii creativi, & confirmatio subjecta de requisitis, ad multiplicationem concreti substantivi.

85. *Pater & Filius sunt etiam unus spirator.*

Petes I. An sicut Pater & Filius sunt unum principium, sic sint unus spirator? Resp. Aff. cum Doctoribus communiter, qui hæc confundunt tamquam synonima, ut spirator sit idem quod principium spirativum: quamquam *D. Bonav. d.29. art.2. q.2.* aliquam conetur differentiam assignare, ideoque admittat Patrem & Filium esse quidem unum principium, non tamen unum spiratorem. Ratio eadem est: quia nimirum spirator est concretum quidem verbale, tamen instar substantivi, sicut creator: adeòque sicut tres personæ dicuntur unus creator, sic Pater & Filius sunt unus spirator ratione ejusdem principalis significati: sive illud statuatur vis spirandi, sive cum nonnullis ipsa spiratio activa. E contrà, sicut tres personæ dicuntur tres creantes, sic Pater & Filius possunt dici duo spirantes, uti apud omnes certum est: concreta enim hæc sunt adjectiva, ad quorum multiplicationem sufficit multiplicatio suppositorum; ut sensus sit: Pater & Filius sunt duo supposita spirantia. Quòd si principale significatum spiratoris statuatur ipsa spiratio, con-

Sed duo spirantes.

Quid requiratur ad multiplicationem concreti adjectivi.

tio, consequenter non sufficeret unitas virtutis spirativæ, nisi quoque adesset unitas spirationis, ad hoc ut Pater & Filius dicerentur unus spirator; adeò ut si spiratio esset multiplex, Pater & Filius forent duo spiratores: sicut si esset duplex in duobus paternitas, forent duo Patres. Similiter discurrendum foret de voce *principium*, si quis præter communem sensum contenderet significare principaliter, non vim seu potentiam principiandi, sed ipsam principiationem; prout nonnulli contendunt, quæstionem de nomine excitantes: in qua de cetero non multùm refert, quo modo quis loquatur.

86. *Pro quo supponat vox, spirator.* Petes II. Pro quo supponat hoc vocabulum, spirator seu principium spirandi? Resp. cum *Suar. lib. 10. c. 7. Smising d. 4. q. 3. num. 60.* supponere pro subsistente in hac singulari virtute spirandi, cum conditione requisita ad spirandum; quæ sita est in hoc, quòd virtus illa sit in subsistente sive supposito priùs quàm intelligatur Spiritus sanctus productus. Unde spirator supponit vagè pro hoc vel illo subsistente incommunicabili, sive sit Pater, sive Filius, sive sit unum, sive plura. Et hinc fit, quòd non solùm verificetur de Patre & Filio junctim, sed etiam de singulis seorsim. Idemque est cum proportione de vocabulo creator. Alios aliter opinantes refert & refutat *Smising n. 61. & seqq.*

QUÆSTIO XI.

An processio Spiritus sancti necessariò exigat esse à duobus suppositis?

87. *Processio Spiritus sancti necessariò est à duobus suppositis.* RESP. Aff. nam de facto est, adeòque necessariò exigit esse à duobus: Fundatur autem hæc exigentia in eo, quòd processio Spiritus sancti fit per voluntatem, quæ ordine posteriùs agit quàm intellectus, & consequenter priùs origine est in Filio per intellectum producto, quàm intelligatur esse productus Spiritus sanctus, ut optimè explicat *Scotus d. 12. q. 2. n. 11. & 12.* Alioquin si per impossibile voluntas priùs ageret quàm intellectus, Spiritus sanctus procederet à solo Patre; immo Filius è contrà procederet à duobus, scilicet Patre & Spiritu sancto: nam in Patre solo est tam adæquata, & sufficientissima vis spirandi, quàm sit in Patre & Filio (ut rectè probat *Scotus n. 8. & 9.*) & quàm sit in eo solitariè sumpto perfecta & adæquata vis generandi. *Non tamen si per impossibile operatio voluntatis esset prior.* Nec est cur tunc non posset tam bene per voluntatem solus spirare, quàm nunc per intellectum generare. Immo non nisi solus spirare posset: cùm Filius tunc foret posterior spiratione, adeòque voluntas ei non communicaretur, nisi jam præsupposita spiratione. E cōtrà autem Spiritui sancto tunc communicaretur intellectus fecundus, priusquam scilicet intelligeretur esse in actu productionis Filii. Si verò nullus foret ordo inter intellectum & voluntatem, non esset quoque ordo inter Filium & Spiritum sanctum, sed uterque prodiret æquè primò à solo Patre: non enim intelligeretur tunc Filio communicari voluntas fecunda, seu quæ pro tunc necdum supponatur in actu spirationis: cùm supponeretur inter operationem intellectûs & voluntatis nullus ordo, sive prioritas & posterioritas. *Aut inter ipsam & operationē intellectûs nullus esset ordo.*

Simile aliquid habetur in processione creaturarum seu ad extrà: necessariò enim de facto omnes creaturæ procedunt à tribus personis, seu totâ Trinitate, eò quòd in singulis sit indivisa potentia, prævie ad productionem creaturarum. Si tamen per impossibile daretur tantùm una persona in hac eâdem Deitate, esset in illa æqualis potentia, procederentque creaturæ tunc ab una tantùm persona. Quare sicut creaturæ per se ex intrinseca sua ratione non postulant esse à tribus personis, nec ad illas dicunt ordinem, nisi quatenus dicunt ordinem ad potentiam creandi, quæ est in tribus personis: sic nec persona divina spirabilis ut sic exigit per se intrinsecè procedere à duobus, nec ad illos dicit ordinem, nisi in quantùm virtus spirandi expedita est in duobus. *Simili quodam modo creaturarum processio est necessariò à tribus personis.*

Dices I. Spiritus sanctus dicit per se respectum ad Patrem & Filium; ergo ex se intrinsecè postulat esse à Patre & Filio. Resp. dicere quidem ad illos respectum in quantùm sunt spirator; sed rationem spiratoris ut sic abstrahere à pluralitate suppositorum spirantium, etsi necessariò de facto in pluribus suppositis repetiatur. 88. *Ratio spiratoris ut sic abstrahit à pluralitate spirantium.*

Dices II. Spiritus sanctus juxta Patres procedit tamquam amor mutuus, nexus, vinculum, donum duorum, scilicet Patris & Filii; ergo ex intrinseca sua ratione postulat esse à duobus. Resp. Neg. Conseq. quia prædicta etiam tantùm competunt de facto, & necessariò; non tamen per se ex intrinseca ratione personæ spirabilis. Itaque Spiritus sanctus est amor Patris & Filii: propriè quidem amor productus & personalis; quod nil est aliud, quàm Spiritum sanctū procedere per voluntatem Patris & Filii: appropriatè autem amor essentialis, quo vitaliter *Vel ex intrinseca ratione personæ spirabilis.*

vitaliter diligunt omnes personæ se invicem, atque etiam creaturas. Eâdemque ratione est nexus & vinculum: aut etiam, quatenus censentur in Spiritu sancto tàquam communi producto jungi ipsæ personæ producentes. Denique est donum duorum, quatenus est à duobus, adeòq; unum non magis ei per se competit, quàm alterum

Qualiter sit nexus aut donum Patris & Filii.

89. Dices III. Tunc saltem non esset idem numero Spiritus sanctus. Resp. non minùs, quàm essent eædem creaturæ, si tantùm esset una persona creatrix. Si urgeas, fore similiter alias creaturas, uti aliam omnipotentiam, aliamque Deitatem (ad quam creaturæ dicunt ordinem transcendentalem) adeòque fore etiam aliam virtutem spirativam, immo Deitatem, si non foret in duabus personis. Resp. transeat totum. Neque id est contra *Scotum*, ut patebit litteram considerāti. Dico equidem, fore quidem alias creaturas, alium Deum, alium Spiritum sanctum, ex consequenti: sed tamen quæstionem procedere ex suppositione impossibili (qualis fit sæpè, dum inquiruntur præcisæ & formalissimæ rerum rationes) quòd scilicet esset eadem virtus spirativa, eadem natura divina &c. quibus suppositis, dico adhuc fore consequenter eumdem Spiritum sanctum, etsi tantùm spiraretur ab una persona. Idemque est cum proportione de creaturis.

An esset idē Spiritus sanctus, si à duobus non procederet.

90. Petes I. An Spiritus sanctus æquè perfectè & immediatè procedat à Patre & Filio? Resp. indubitatum esse, quòd sic: nam Pater & Filius sunt æquales, & præditi eâdem numero virtute spirativâ, & simul emittunt ex ea Spiritum sanctum: adeòque non est, unde orietur differentia aut inæqualitas in modo procedendi. Subinde tamen Pater legitur appellatus causa vel principium principale & proprium Spiritus sancti, ob principalitatem primi principii; cùm Filius etiam hoc, quòd sit principium, habeat à Patre. Unde *Aug. 15. de Trin. c. 17.* postquam dixisset Spiritum sanctū principaliter procedere ex Patre, subdit: *Ideo autem addidi, principaliter, quia & de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur: sed hoc quoque Pater illi dedit &c.* Eodem sensu procedit Spiritus sanctus à Patre propriè: non quòd impropriè à Filio, sed quia Pater non habet ab alio, quòd spiret: communicat autem quidem Filio quòd spiret, sed non quòd spiret ita, ut hoc ipsum non habeat ab alio. Propriè etiam Pater spirat, quatenus ob rationem primi principii id ei appropriatur: quo sensu Filius propriè dicitur sapientia ab *Augustino.* Utramque responsionem habet *D. Bonav. d. 12. in expos. textûs dub. 3.*

Procedit à què perfectè & propriè à Patre & Filio.

91. Petes II. An virtus spirandi priùs origine competat Patri quàm Filio, & an Pater priùs ratione spiret Spiritum sanctum quàm Filius? Resp. ad I. Aff. quia in priori originis Pater habet omnes perfectiones, etiam voluntatem fecundam, & independenter à Filio; Filius autem omnia, etiam virtutem spirandi seu voluntatem fecundam, accipit per originem à Patre: ergo ipsa est in Patre priùs origine. Ad II. Resp. Neg. quia etsi vis spirandi priùs origine insit Patri; non tamen intelligitur esse in actu antequam sit Filius, qui origine spirationem præcedit: ideoque Filius à Patre genitus, virtute ab eo acceptâ, simul omnino cum Patre spirat: sicut etsi causa creata sit Deo posterior, etiam tempore, tamen simul naturâ & tempore ponit communem sibi & Deo actionem seu effectum. Dum autem *Scotistæ* dicunt Patrem priùs origine quàm Filium spirare Spiritum sanctum, solùm volunt significare, quòd Pater spiret à se, Filius non, sed per virtutem acceptam à Patre. Quo sensu etiam Pater priùs origine creat quàm aliæ personæ.

Et quāmvis in Patre priùs origine sit vis spirandi.

Spirat tamen simul omnino cum Filio.

QUÆSTIO XII.

An Spiritus sanctus distingueretur à Filio realiter, si ab eo non procederet?

92. HYPOTHESIS hæc juxta Græcos quidem de facto est, at juxta fidem Catholicam impossibilis: valet tamen ad inquirendum præcisum, & proprium distinctivum personarum divinarum. Similes autem quæstiones, supponentes aliquid impossibile, sunt usitatæ Doctoribus, immo & Patribus. Nascitur porrò præsens quæstio ex eo, quòd *D. Thomas, D. Bonav.* & alii passim contra Græcos probent Spiritum sanctum procedere à Filio, quia alioquin ab eo non distingueretur realiter. Unde plerique Doctores censent, in tali hypothesi fore unicam personam, quæ simul esset Filius & Spiritus sanctus, & consequenter solùm fore duas divinas personas realiter distinctas: eò quòd existiment unicum & adæquatum fundamentum distinctionis realis unius personæ ab altera esse solam oppositionem correlativam producentis & producti. Nihilominus ad quæst. Resp. &

Sententia negativa proponitur.

93. DICO: Si Spiritus sanctus nō procederet à Filio, adhuc distingueretur ab eo realiter:

Sententia affirmativa præfertur.

realiter: quãquã tunc sublata foret aliqua secũdaria ratio distinctiva, nempe originatio Spiritus sancti à Filio, quæ & ipsa sufficit ad distinguendum realiter; cùm nihil possit originari realiter à se ipso, aut sibi correlativè opponi. Ita *Scotus d. 11. q. 2. Occam, Carthusianus* & alii.

Probatur ex Patribus

Probatur ex *Aug. 5. de Trin. c. 14.* & aliis Patribus, quatenus dicunt Filium & Spiritum sanctum distingui, quòd ille procedat ut natus, hic verò ut datus; quod discrimen in ista hypothesi adhuc subsisteret. Clariùs *Anselmus l. de processione Spiritus sancti c. 2. in fine* loquitur: *Filius, autem (ut interim aliam causam dicã, quoniam nondum constat, quòd Spiritus sanctus de illo sit & procedat,* quia scilicet id cõtra Græcos necdum probaverat) *ideo non est Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus est Filius, quia Filius nascendo habet esse de Patre, Spiritus sanctus verè non nascendo sed procedẽdo.* Et *c. seq.* adjungit secundariã causã distinctionis sumptam ex processione dicens: *cùm autem apparebit* (id est probatũ fuerit contra Græcos) *quia Spiritus sanctus est de Filio, tunc quoque palam erit, quia propter hoc* (etsi nõ solũ) *nequit esse Filius Spiritus sanctus, & Spiritus sanctus Filius.* Deinde repetit doctrinam nostræ conclusionis, quod & facit *c. 4.* dicens: *& ideo non habet hìc unitas*, essentiæ, *vim consequentiæ*, seu ex unitate essentiæ non sequitur hìc unitas utriusque personæ, *quia pluralitas obviat, quæ ex nativitate nascitur & processione. Nam etsi per aliud non essent plures Filius & Spiritus sanctus, per hoc solùm essent diversi.* Quo nil clarius ad rem nostram posset afferri.

94 *Et ratione.*

Ratio est: quia in ista hypothesi adhuc esset sufficiens principium distinctionis, scilicet filiatio & passiva spiratio: nam eadem numero persona non potest generari & spirari; uti nec produci duabus actionibus adæquatis, quarum quælibet nata est unam personam per se producere; alterutra enim est impossibilis, aut certè superflua: quorum neutrum in divinis potest subsistere. Deinde per quod aliquid constituitur in esse, distinguitur etiam à quolibet alio: ergo sicut Filius constituitur in esse personali per filiationem (nam spiratio activa est communis Patri & Filio) sic & per illam distinguitur à quavis alia persona, adeòque personaliter distinctus manebit, quovis alio circumscripto, præsertim quod sit posterius, prout spiratio activa est posterior filiatione.

95. Dices 1. *Omnia in divinis sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio*; uti habet axioma commune Theologorum desumptum ex *Anselmo l. de process. Spiritus sancti c. 3.* dicente, *unitatem non amittere suam consequentiam*, adeòque rectè sequi illam subesse, *ubi non obviat aliqua relationis oppositio.* Ex quo patet immeritò dixisse *Vasquez d. 147. c. 4. n. 20.* axioma illud *Anselmo* attributum, in ejus auctoritate nullum habere fundamentum. Resp. axioma posse verificari de facto, non autem de casu impossibili. Deinde etiam in ista hypothesi impossibili obviaret relationis oppositio ad mentem *Anselmi*, id est, oppositio relationum, seu repugnantia orta ex relationibus: etsi non foret correlativa oppositio. Patet ex *Anselmo sup. c. 2.* dicente: *hæc itaque so'a causa pluralitatis est in Deo* (quia scilicet se solâ sufficit, vel quia est primaria & per se) *&c. quia prædictis duobus modis est Deus de Deo, quod totum potest dici relatio: nam quoniam Filius existit nascẽdo, & Spiritus sanctus procedẽdo ipsâ diversitate nativitatis & processionis referuntur ad invicem, ut diversi & alii ab invicem.* Et *c. 3. supradicta* (inquit) *relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis* (nascendo scilicet & procedendo) *Deus de Deo est, prohibet patrẽ & Filiũ & Spiritum sanctũ de invicem dici.* Nec minùs clarè idem patet ex verbis antè relatis ex c. 4. Ut mirum sit *Anselmum* ejusve axioma doctrinæ nostræ tam præfidenter opponi. Itaque in ista hypothesi foret repugnantia seu incompossibilitas relationum, scilicet personalitatis Filii & Spiritus sancti sive filiationis & spirationis passivæ; quæ adhuc forent incompossibiles in eodem supposito, utpote singulæ productiones totales singularum personarum. Quas quidem relationes ita repugnantes *Scotistæ* vocant disparatas: correlationes autem vocant formaliter oppositas.

In hypothesi quæstionis adhuc obviaret relationum oppositio.

Instabis: Etiam spiratio activa & paternitas sive filiatio sunt relationes disparatæ ac diversæ rationis; & tamen spiratio activa non constituit diversam personam, sed eadem reperitur in personis Patris & Filii. Resp. non esse disparatas ad sensum hujus loci, id est, repugnantes ac incompossibiles in eodem supposito; spiratio enim activa advenit suppositis Patris & Filii jam constitutis: quia non repugnat eidem supposito multiplex productio activa, etiam totalis, diversorum effectuum (eadem enim res per plures actiones simul plura operatur, v. g. eadem anima simul intelligit, vult &c.) adeòque potest Patri simul competere productio Filii & Spiritus sancti: uti neque repugnat eidem supposito duplex productio, una activa, alia passiva; adeòque Filio potest competere activa, quâ producit Spiritũ sanctũ, & passiva quâ generatur à Patre. At eidem supposito non 96

Cur potiùs quàm obviet de facto inter paternitatem & spirationem activam.

competit duplex productio passiva totalis, quarum quælibet sufficiat ad ejusdem rei seu suppositi productionem; idque quia vel est impossibilis, ut docet *Vasquez* & *Scotistæ* passim: vel quia saltem superflua, ut docent reliqui: nil autem in Deo est impossibile aut superfluum.

97. Dices II. *Toletanum XI. in Confess. fidei* dicit: *Ergo hoc solo numerum insinuant* (scilicet personæ) *quòd ad invicem sunt.* Et *Nyssenus l.* quòd non sint tres Dii *ad Ablabium* prope finem dicit: *per quod solum* (scilicet differentiam causæ, & ejus quod est ex causa) *discerni unum ab altero deprehendimus.* quod latiùs prosequitur. Resp. *Toletanum* solùm velle, quòd personæ insinuent numerum quatenus relativæ sunt. Unde ly *ad invicem* opponit ei quod subdit: *Hoc solo numero carent, quòd in se sunt*, id est, quòd absolutum quid sunt. Idem vult in verbis immediatè præcedentibus: *In relatione personarum numerus cernitur, in divinitatis verò substantiâ quid enumeratum sit, non comprehenditur.* Nyssenus autem tantùm vult esse differentiam personarum penes causalitatem, id est, processiones solas, quia videlicet non penes naturam, ne sint tres Dii: quod *lib. cit.* ex professo impugnat. Minimè tamen indicat, non esse inter personas differentiam, nisi quatenus facto ad invicem respectu se habent ut causa & causatum: sed quatenus quælibet aliquo respectu est causa vel causatum. Neque id ad scopum *Nysseni* erat necessarium. Quin immo nomine causæ intelligit ibi solum Patrem, qui est absque causa: nomine illius quod est à causa, Filium & Spiritum sanctum, ut patet ex contextu: ut proindè apertum sit ipsum non adstruere, hujus ab illo processionem ad distinctionem esse necessariam; denique gratis concesso, quòd hoc adstrueret, esset intelligendus de facto & possibili, non de hypothesi impossibili.

98. *In hypothesi identitas non esset perfectior, utpote impossibilis.* Dices III. Ubi mutua origo non obviat, identitas est major perfectio; ergo est asserenda in hypothesi. Resp. Neg. Ant. sicut enim non est major perfectio, quando obviat origo mutua, eò quòd identitas tunc sit impossibilis; sic neque est in hypothesi, ubi obviat oppositio, sive repugnantia aut incompossibilitas relationum disparatarum, eò quòd etiam in isto casu adhuc repugnaret identitas Filii & Spiritus sancti.

99. *Auctoritates quædam abusivè referuntur.* Denique solent objici nonnulla testimonia ex *Florentino*. Sed verba malè citantur, & rectè citata non repugnare nostræ doctrinæ, est manifestum. Ejusmodi sunt quæ Deputati Latinorum expresserunt in formula confessionis fidei sess. ultimâ: *Nam credentes sanctum Spiritum ex Filio nequaquam procedere, necesse est, ut intelligant Spiritum ex solo Patre procedere, ac consequenter non esse Filium.* Nonnulli objicientes citant: *ac consequenter eum esse Filium.* Potest autem particula *consequenter* intelligi dupliciter. Primò, ut sit idem, quod insuper, ulteriùs, aut æquivalens. q. d. Græci credentes sanctum Spiritum ex Filio non procedere, necessariò dicere debent, quòd procedat ex solo Patre, ac equidem adhuc non sit Filius, cujus à Spiritu sancto distinctionem in primis quatuor Generalibus Conciliis definitam Græci profitebantur. Sic *Smising. d. 4. q. 2. n. 43.* Id tamen non videtur quadrare contextui, ut inspicienti facilè patebit. Secundò, ut habeat vim consequentiæ; q. d. Negantes processionem Spiritus sancti à Filio, necessariò admittunt processionem Spiritus à solo Patre, & consequenter non esse, id est, non dari Filium in divinis; utpote cui non foret communicata Deitas cum omni perfectione, sive cum voluntate expedita ad spirandum, prout communicari debuisset, veluti quæ needum intelligitur pro tunc habere terminum spiratum, tamquam origine posteriorem. Huic consonant verba immediatè sequentia, quæ antea explicavimus, & non rectè relata objici solent: *Qui autem proferunt Spiritum ex sola Patris persona procedere* (objicientes citant: *qui proferunt Spiritum sanctum distingui à Filio, & cum hoc procedere à solo Patre*) *hi procul dubio substantiam ab hypostasi separant, & partitionem imaginantur divinæ substantiæ.*

QUÆSTIO XIII.

An divinæ processiones sint voluntariæ & liberæ?

Dico I. divinæ processiones sunt voluntariæ, saltem concomitanter sive consequenter. Est certum apud omnes: nam si Deus diligat omnia quæ sunt, etiam creata, indubiè complacet sibi in divinis processionibus, vultque eas esse, sicut sunt; quâ ratione vult se esse Deum, & in hoc sibi placet. Immo vult necessariò divinas processiones: cùm voluntas divina feratur necessariò in omnia Deo intrinseca. 100. *Processiones sunt voluntariæ concomitanter seu consequenter.*

Dixi in Conclusione, *saltem concomitanter seu consequenter*: nam utrùm divinæ processiones sint etiam voluntariæ antece- 101. *An antecedenter, dubitatur.*

tecedenter, est dubium: cujus resolutio petenda est ex dictis *q. 7.* Si namq; divinis processionibus non præsupponatur notitia earumdem ac personarum procedentium, (prout *q. cit.* tamquam probabilius conclusimus) consequenter non præsupponitur earumdem volitio, adeòq; divinæ processiones non sunt antecedenter volitæ. Si verò processionibus divinis præsupponatur earumdem & personarũ omnium notitia, consequenter præsupponitur earumdem amor; adeòque forent antecedenter volitæ, tum quatenus eas antecedenter amaret divina essentia, tum quatenus ipse Pater in signo priori, quo origine antecedit, vellet generationem passivam Filii, & processionem tam activam quam passivam Spiritus sancti. Quod consequenter admittit *Smising*, *Cajetanus* & alii; nec satis consequenter à pluribus negatur.

Sola processio spiritus sancti est voluntaria principiativè.

Dico II. sola processio Spiritus sancti est voluntaria principiativè. Est communis Theologorum. Probatur: quia sola processio Spiritus sancti est per voluntatem tamquam principium: processio autem Filii est per intellectum. Unde processio Filii solùm est voluntaria terminativè aut objectivè; processio autem Spiritus sancti insuper est à voluntate velut principio elicitivo seu productivo.

102.
Generatio Filii nequidem à voluntate ut imperante pendet.

Immo generatio Filii nequidem potest esse à voluntate tamquam principio imperante, quasi voluntas ex necessitate applicet potentiam generandi; prout actus fidei (qui spectat ad intellectum) procedit à voluntate illum imperante: ut rectè *Scotus d. 6. n. 6. ꝟ. quidquid sit*, & certum censet *Suarez l. 6. c. 3. n. 5.* Intellectus enim Patris est sufficientissimè determinatus, adeòque non indigens aliâ potentiâ ipsum applicante ad productionem Filii. Immo in divino intellectu nulli propriè reperiuntur actus imperati, nequidem ii qui videntur esse liberi v. g. scientia futurorum contingentium: nam independenter ab applicatione voluntatis imperantis, necessariò & ab intrinseco cognoscit Deus quidquid est scibile; adeò ut determinatio divinæ voluntatis non imperet intellectui divino, ut aliquid intelligat, sed solùm faciat aliquid scibile, quatenus facit aliquid esse futurum. Dum verò *Aug. 9. de Trin. c. 7.* scribit: *verbũ amore concipitur*; loquitur de verbo mentis nostræ perfecto, quia videlicet re aliquâ imperfectè à nobis conceptâ, voluntas ex amore perfectæ notitiæ applicat intellectum ad investigandum pleniùs & concipiendum verbum perfectum: quod Deo non competere, patet. Quare in hoc est dissimilis imago creata ipsi Trinitati increatæ, quia ibi non nascitur per inquisitionem, sicut potest nasci in nobis: unde potiùs valet ad oppositum quàm ad propositum, ut rectè *D. Bonav. d. 6. a. 1. q. 2. ad 4.*

Processiones divinæ sunt necessariæ.

Dico III. Divinæ processiones sunt necessariæ necessitate oppositâ indifferentiæ ad agendum & non agendum. Est certissimum: nam divinæ processiones, ipsæque personæ productæ, sunt ens necessarium & immutabile. 103.

Processio Spiritus sancti recto sensu libera.

Dico IV. Etsi processio Filii sit naturalis & non libera, processio tamen Spiritus sancti recto sensu dicitur esse libera. Prima pars constat apud omnes ex eo, quòd non habeat ullatenus voluntatem pro principio: quidquid autem non procedit à voluntate, est naturale, & non liberum. 104.

Uti loquuntur Principes Theologorum.

Secunda pars à plurimis Recentioribus impugnatur. Sed constat solùm esse quæstionem de nomine: in qua ad probationem resolutionis nostræ sufficit, quòd loquamur, uti Principes Theologorum loquuntur, scilicet *D. Thom. q. 10. de Potentia a. 2. ad 5. Scotus d. 10. n. 10. Quodlib. 16. n. 13.* aliisque locis, noster Cardinalis *Aureolus d. 10. a. 5. §. quod dicendum secundùm veritatem.* & alii. Et consonat *D. Bonav. 2. d. 25. p. 2. a. 1. q. 2.* admittens libertatem etiam respectu actus necessarii: *Henricus* (quē refert *Scotus*) in *Summa a. 60. q. 1.* etsi sententiã minùs rectè explicet: & plures alii. Pro eodem loquendi modo *Smising d. 3. q. 6. n. 314. & seqq.* allegat *Augustinum*, *Anselmum*, ipsumque *Philosophum*. Pro meliori autem intellectu

Quonam sensu, explicatur.

Nota libertatem in materia morali sumi pro libertate contingentiæ seu pro indifferentia ad agendum & non agendum: qualis juxta fidem requiritur ad meritum & demeritum; ut ex ipsis quoque Doctoribus præallegatis, præsertim *D. Thom. D. Bonav. & Scoto* (quos *Calvinistæ* non rectè allegant ad confirmationem sui erroris contra libertatem) manifestum est: de quo alibi. Præter libertatem tamen moralem datur libertas voluntatis essentialis, sive libentia voluntatis, consistens in hoc, quòd voluntas se ipsam præviâ ratione delectabiliter & eligibiliter determinet ad eliciendum actum, quàmvis non contingenter; quo modo Deus liberè amat se ipsum, similiter beati Deum, quem tamen juxta receptãm in scholis doctrinam (de qua alibi) amant necessariò. Eodem autem modo determinat se voluntas Patris & Filii ad spirandum Spiritum sanctum. Ex qua proinde libertatis acceptione, sic declaratâ, sufficiẽter probata manet secunda pars conclusionis.

105. Hinc patet, non coincidere agens liberum sic sumptum & contingens, neque agens naturale & necessarium: nam Pater & Filius non contingenter, & tamen liberè, non etiam naturaliter, & tamen necessariò spirant Spiritum sanctum. Opponuntur itaque principium necessarium & contingens: item liberum & naturale. Quare principium liberum hic nihil est aliud, quàm principium perfectè voluntarium, agens scilicet ex proposito & intellectualiter cum perfecta cognitione: inde enim fit, ut se ipsum eligibiliter dirigat & determinet. Secus quàm agens naturale (quod contra voluntarium & intellectuale distinguit *Augustinus & Philosophus* apud *Smising. sup. n. 115. & 117.*) hoc enim ab auctore naturæ determinatur, & in finem dirigitur.

Alio tamen sensu rectè dicitur non libera. Equidem non est dubium, quin processio quoque Spiritus sancti possit dici non libera, loquendo de libero strictè: possit quoque dici naturalis, partim quatenus ex naturæ divinæ fœcunditate, partim quatenus necessaria est. Possunt enim dari diversæ ejusdem vocis acceptiones.

106. *Sophisma Arianorum refertur.* Ex his colligitur, qualiter solvendū sit sophisma *Arianorum* (occasione cujus præsens quæstio movetur) contra divinitatem Filii ab eis objectum, nempe: Pater genuit Filium, vel volens vel nolens: si nolens, miser est, qui Filium generare coactus fuit: si volens, erit Filius, non naturæ, sed voluntatis, quæ proinde potuisset velle non gignere. Ad hoc enim facilè respondetur, quòd Pater non gignat Filium nolens, quasi necessitate extrinsecâ aut infirmitate coactus: neque volens, quasi contingenter & ad placitum suum, sic ut potuerit non generare, quo modo volens condidit mundum: sed volens, summoperè voluntate complacentiæ, & simul summâ, sed summè placitâ, naturæ necessitate, quo modo etiam volens est Deus. Alioquin ad hominem retorqueri posset idem sophisma in ipsos *Arianos*, immo in omnes Christianos (prout acutè fecit quidā Catholicus, teste *Aug. 15. de Trin. c. 20.*) quærendo vicissim, an Deus Pater esset Deus volens, aut nolens: si volens, erit Deus non naturâ, sed voluntate, adeòque contingeter: si nolens, coactè erit Deus, adeòq; miserè.

& refutatur.

Etiam ad hominem contra Arianos.

Conciliantur quadam auctoritates. Juxta hæc facilè conciliantur quædam auctoritates in specie oppositæ. Nam *Toletanum XI. in confess. fidei* ait: *Filius Dei naturâ est filius, non adoptione, quem Deus Pater nec voluntate* (scilicet liberâ libertate contingentiæ) *nec necessitate* (scilicet coactionis aut infirmitatis) *genuisse credendus est*; sed potiùs complacitâ voluntate, etsi necessariâ. Quod ultimum volunt Patres *concilii Sardicensis* dicentes (teste *Hilario l. de synodis, longè ante med.*) *quod neque consilio, neque voluntate, Pater genuerit Filium, anathematizat Sancta & Catholica Ecclesia.* Loquuntur enim hi Patres de voluntate complacentiæ, cum qua consistit naturæ necessitas, & hæc ipsa quoque summè complacita; quo modo Pater est Deus voluntate, & tamen naturæ necessitate.

DISPUTATIO III.

De Personis Divinis, Missione, & modo loquendi in Mysterio SS. Trinitatis servando.

PLERAQUE, quæ concernunt divinas personas, etiam in particulari, attigimus in præcedentibus: adeò enim ipsæ personæ sunt invicem connexæ, ut quæ tangunt omnes, vix tradi possint, nisi pariter tradantur ea quæ concernunt singulas, aut contrà. Unde vix restant, nisi nomina singularum explicanda.

QUÆSTIO I.

De Persona Patris.

1. *Prima Persona propriè dicitur Pater.* PRIMA origine persona in SS. Trinitate, ob hoc ipsum dicta prima, usitatissimè appellatur Pater. Estque hoc nomen ei maximè proprium, ut manifestum est ex Scriptura, Conciliis & Patribus passim obviis, hoc nomine significantibus proprietatem primæ personæ, immo rationem ipsius constitutivam & distinctivam. Ratio Theologica est: quia soli primæ personæ competit propriè generare Filium, ut fides docet: ergo soli competit esse Patrem, seu genitorem.

2. *Larga & impropria ejusdem nominis acceptio.* Notandum tamen, latè & impropriè loquendo competere Deo ut sic, adeòque toti Trinitati, esse patrem: quatenus id coincidit cum principio productivo creaturarum, quæ sunt, sive imago (ut creaturæ rationales) sive vestigium & aliqualis similitudo Dei, ut creaturæ irrationales. Hoc sensu *Deuter. 32.* dicitur: *Numquid non ipse est Pater tuus?* & infrà: *Deum qui te genuit, dereliquisti.* & *Iob 38. Quis est pluviæ pater? vel quis genuit stillas roris?* Præterea specialiter dicitur pater creaturæ rationalis ob similitudinem gratiæ aut gloriæ: eâdemque ratione justi & beati dicuntur filii Dei, geniti,

geniti, non naturâ, sed voluntate & adoptione, per gratiam sanctificantem aut gloriam, juxta illud *ad Rom. 8. Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus Filii Dei.* Et ibid: *Ipsi intrà nos gemimus adoptionem Filiorum Dei expectantes.*

3. *Quo modo ab humanis ad divina sit translatum.* Notandum præterea, nomen Patris (idem est de aliis similibus nominibus personarum) esse ab humanis translatum ad divina, spectando ordinem notitiæ & impositionis vocis: spectando tamen ordinem & proprietatem ac principalitatem rei, potiùs inde ad nos esse traductum. Quod postremum vult *Damasc. l. 1. de fide c. 9.* dicens: *quin illud quoque nosse interest, paternitatis, filietatis & processionis vocabula, non à nobis ad beatam divinitatem translata fuisse, verùm contrà illinc ea nobis communicata.* huc que accommodat illud *Apostoli ad Ephes. 3. Flecto genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur.* Ubi tamen *nominare* sumitur pro *esse* (prout etiam legit *Damasc. sup.*) sive *accipere esse*; ut sensus litteralis sit: oro humiliter Deum Patrem, unde omnis familia (id enim significat vox *paternitas* apud Paulum) sive Spirituum in cælo, sive hominum in terra, originem accepit, & existit. Vide nostrum *Sasbouth* in locum Apostoli cit.

4. *Nomen ingeniti, proprium primæ Personæ.* Secundò, nomen Ingeniti vel (ut nonnulli Scolastici frequentiùs loquuntur) innascibilis, tamquam proprium Patri divino, omnes Theologi assignant, secuti plures Patres, potissimùm *Augustinum* & *Damascenum*. Olim tamen quidam Patres nomen ingeniti suspectum habuerunt, nec usurpandum esse censuerunt, immo *Athanasius, de decretu Synodi Nicena, infine,* dicit, ab hostibus ex ideo in Servatorem inventum: etsi enim rectum sensum admitteret, inimici tamen eo abutebantur pro sua libidine ad contumeliam Salvatoris, juxta *Athanas. sup.* tribuentes illud Patri divino, quatenus *ingenitus* idem est quod *increatus* sive *non factus*, ut hâc ratione patenter insinuarent, animisque simplicium ingererent apprehensionem, quòd Filius sit genitus, id est, factura & creatura Patris. Ac certum quidem est, in hac significatione etiam Filium & Spiritum sanctum esse ingenitos. Quo modo etiam certum est Spiritum sanctum non esse genitum, loquendo de generatione propriè & pressè sumpta, ut patet ex *Symbolo Athanasii*. Quare neutro sensu ex prædictis est nomen proprium Patri.

Cur apud quosdam veteres suspectum.

Quo sensu sit Patri proprium. Sumitur itaque hîc nomen *ingenitus*, ut significet negationem omnis omnino productionis. Et hoc sensu Ecclesia in officio Trinitatis canit: *Te Deum Patrem ingenitum*, & à Patribus ac Doctoribus tribuitur primæ personæ tamquam ei proprium. Reliquæ enim secundùm fidem sunt productæ. Unde *August. 15. de Trin. c. 26. Pater solus non est ab alio, ideo solus appellatur ingenitus.*

Intelligitur autem proprium Patri, quatenus inter personas ipsas nulli convenit, præterquam Patri. Essentiæ divinæ nihilominus etiam convenit esse ingenitam, quolibet ex prædictis sensibus: nam neque est creata, neque propriè genita, neque omnino producta. Quare, ut esse ingenitum sit proprium Patri etiam cum exclusione ipsius essentiæ divinæ, debet esse idem quod nullatenus esse ab alio, adeòque nec productum nec productione communicatum: essentia autem in Filio & Spiritu sancto est quoque ab alio, scilicet communicata à Patre, adeòque in istis personis non debet dici ingenita. Et hoc sensu solus Pater nullatenus est ab alio, adeòque solus dicendus est ingenitus. Ita rectè *Smising d. 2 q. 6. n. 144.* Idem ex *D. Thoma* observavit *Malderus q. 33. a. 4.* *Etiam cum exclusione Essentia divina.*

5. *Nomen potentiæ seu principii est solùm appropriatum Patri.* Denique primæ personæ attribuitur nomen potentiæ, item principii, quod tamen non est proprium illi, sed solùm peculiariter appropriatum. Nam factâ comparatione ad aliquid intrà Deum, etiam Filio competit potentia & ratio principii respectu Spiritus sancti; factâ autem comparatione ad aliquid extra Deum, convenit omnibus personis divinis, immo generaliter cuivis causæ efficienti.

Quia est sine principio, & principium ceterarum personarum. Appropriatur tamen nomen principii primæ personæ: tum quòd sit principium sine principio: tum quòd totius divinitatis, *vel, si meliùs dicitur, Deitatis, principium Pater est*, ut ait *August. 4. de Trin. c. 20. versus finem.* Cui conformiter *Dionys. de divin. nom. c. 2. Athanasius orat. de dicto:* Ex Deo Deus &c. *Toletanum VI. in Confess. fidei, & Wormatiense* Patrem vocarunt *principium, fontem, & originem divinitatis*; id est divinitatis, non ut productæ, sed ut communicatæ: vel meliùs hoc sensu, quòd sit principium omnis personæ habentis divinitatem ab aliquo seu per originem: sicut Adam dicitur principium totius generis humani, id est, omnium qui humanam naturam per generationem acceperunt.

Eodem sensu ab *Hilario 4. de Trin.* appropriatur Patri nomen Auctoris, quia

scilicet est auctor sine auctore, sive auctor principalis utriusque personæ producentis.

6. *Causa Græcis idem quod principium ideoq; causam in divinis nominant.* Eodemque sensu Patres Græci appropriant Patri nomen causæ largè sumptum: quod ipsi confundunt cum nomine principii, ut eos exposuit *Bessarion in orat. pro Unione* (quæ habetur post Concil. Florent.) in fine dicens: *notandum quod SS. Doctores Orientales etiam in divinis utantur nomine causa & causati largo modo: non quidem ut limitationem & dependentiam importat, sed prout productionem & emanationem à principio, ejus quod est à principio, significat.* Unde in disputationibus habitis cum Græcis in *Florentino* indifferenter usurpata sunt nomina causæ & principij: & in ipsis *litteris Unionis* modus uterque loquendi, Græcorum scilicet & Latinorum, respectivè exprimitur. More tamen & sensu Latinorum nequit in divinis nominari causa: quia illud nomen juxta ipsos importat in principiato dependentiam & limitationem, significatque causatum habere esse dependens à causa; quod utique procul est à personis divinis, quæ æqualiter habent esse independens, immo idem numero. *Abstinent Latini apud quos denotat esse dependens in causato.*

QUÆSTIO II.

De Persona Filii.

7. *Secunda persona propriè Filius.* SECUNDÆ in Trinitate personæ, nomen Filij, item geniti & unigeniti proprium esse, certum est ex Scriptura, Conciliis & Patribus passim obviis. Ratio Theologica est: quia soli secundæ Personæ propriè convenit procedere per generationem.

8. *Item Verbum Patris* Secundò *vocatur nomen ejus Verbum Dei*; ut dicitur *Apoc.* 19. quo nomine etiam appellatur *Joan.* 1. & ceteris personis condistinguitur, 1. *Joan.* 5. *tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus.* Idem nomen esse proprium seu competere soli Filio, docet *Aug.* variis locis: signanter *l. 6. de Trin. c. 2. Verbum solus Filius accipitur, non simul Pater & Filius.* Similia habet *l.* 7. *c.* 2 addens: *eo quippe Filius quo Verbum, & eo Verbū quo Filius.* & paulò post: *propterea non eo Verbum quo Sapientia, quia Verbum non ad se dicitur, sed tantùm relativè ad eum cujus est Verbum, sicut Filius ad Patrē: Sapientia verò eo quo essentia.* & paulò post: *Verbum enim relativè, Sapientia verò essentialiter intelligitur.* Et *l. 15. c. 17. In hac Trinitate non dicitur Verbum Dei, nisi Filius.* Et *Cyrillus l. 7. Thesauri c. 1. Verbum enim ipse Filium hic appellat, ut hoc nomen quasi proprium & ipsius esse Filii maximè significativum elegisse videatur* Joannes videlicet c. 1. Evangelii. Ratio Theologica est: quia Filius, & quidem solus, procedit per intellectum; ergo ei competit, & proprium est, esse Verbum. Confirmatur: quia verbum mentis (de quo tantùm, & non de verbo externo aut oris hic agitur) nihil est aliud, quàm signum vel imago naturaliter expressa ab intellectu fecundo, manens in illo, quàm diu durat imaginis expressio seu conceptio; quæ scilicet est ipsius verbi dictio, seu prolatio: hoc autem competit Filio, eique soli. Quare hæc est doctrina *Magistri d.* 27. *D. Bonav. Scoti ibid. D. Th. q.* 34. *a.* 1. & 2. & aliorū communiter.

9. *Alogiani Verbum in divinis non receperunt.* Ex quibus refutata manet hæresis *Alogianorum*, id est, A verbiorum (ut ita dicam) seu sine verbo, qui in divinis Verbum non recipiebant; ideoque Evangelium & Apocalypsim Joannis, ac fortè etiam Epistolas ejus rejiciebant tamquam apocrypha, videntes omnino clarissimis inde deductis testimoniis se alioquin convincendos. Sed hoc ipsum satis convincit eorum ineptiam: cùm non sit ullus dubitandi locus de auctoritate canonica prædictorum librorum. Neque Verbum divinum cogitare debent vanum & transitorium, uti nostrum: nam *ne vile aliquid putares, quale consuevisti cogitare, cùm verba humana soleres audire, audi quid cogites: Deus erat Verbum.* inquit *Aug. Tr.* 1. *In Joan.* Unde *neque quærendum est cur non tale sit Dei Verbum, quale nostrum est: cùm Deus nequaquam talis sit, quales nos sumus.* inquit *Athanas. serm.* 3. *contra Arianos* non longè ante med. *Taceant igitur Alogiani, & quæ non intelligunt, venerentur tamquam Sacramentum absconditum, & nolint res divinas ex capacitate sua intellectus metiri*; ut rectè concludit noster *Alphonsus à Castro V. Deus, Hæresi* 7.

10. *Erasmo & Novatoribus immeritò displicet Editio vulgata utens nomine Verbi.* Sed & criticus ille litterio *Erasmus in Annot. ad c.* 1. *Joannis* (quem imitantur *Calvinus, Beza*, aliique Novatores) contendit loco *Verbi* potiùs Latinè vertendum fuisse *Sermonem*; quo quidem vocabulo etiam utitur *Hilarius* & *Cyprianus*; ipseque *Aug. Tr.* 108. *in Joan.* censet posse admitti. Immo & ipse vulgatus Interpres ad *Hebr.* 4. vertit *Sermonem*, dum dicitur: *vivus est enim sermo Dei* (*Erasmus* intelligit cum aliis Filium Dei) *& efficax.* Unde miratur, cur Latinis potiùs placeat *Verbum*, quàm *Sermo*, in quo genus convenisset, & sermo magis exprimit Græcam vocem λόγος. Sed magis se ipsum exponit admirationi, quòd contra communem Latinorum usum, tot sæculis in Ecclesia receptum, ab ipso *August. Hilario* & aliis Patribus Latinis traditum, in editionis Latinæ vulgatæ (quæ

(quæ authentica est) despectum verterit ubique *Sermonem* loco *Verbi*: præsertim cùm fateatur nomen λόγος etiam significare *verbum*: hocque magìs, quàm *sermo* simplicitatem Verbi divini exprimat; cùm *sermo* potiùs aliquod complexum ex multis verbis, quàm simplicem animi conceptum significet.

11 Refutata quoque manet doctrina *Durandi* (quam plures graviter censurant) existimantis. Verbum in divinis significare intellectionem communẽ tribus personis, adeòque propriè solùm dici essentialiter, esseque secundæ personæ tantùm approptiatum. Oppositum namque patet ex Auctotitatibus relatis, scilicet dici personaliter & relativè ac propriè de Filio. Immo juxta *D. Bonav. d. 27. p. 2. q. 1.* & alios Doctores unanimiter, Verbum propriè loquendo non nisi notionaliter seu persoaliter dici potest. Quod satìs ex Auctoritatibus, præsertim *August.* relatis patet. Et ex eo, quòd verbum sit conceptus à mente expressus, & productus; ideoque verbũ dicitur, generatur, concipitur, &c. quæ non cõveniunt intellectioni essentiali & improductæ, sed soli secundæ personæ productæ per intellectũ.

Verbum propriè loquendo non nisi personaliter sumitur.

Ex quo colligitùr, cur potiùs omnis nostra cognitio sit verbum mentis, quàm intellectio essentialis in divinis: nimirum quia (ut rectè notat *D. Bonav. sup.* ℣ *quod ergo objicitur*) omnis nostra cognitio est genita seu producta; secùs est de notitia essentiali Dei. Latè tamen & impropriè posset hæc vocari verbum, quatenus hoc idem est quod cognitio. Sicut juxta *D. Th. q. 34. a. 1. ad 2. & 3. Anselmus* impropriè accipit *dicere* pro *intelligere*, dum *Monol. c. 60. dicere* tribuit tribus personis, addens, quòd *nihil aliud est summo Spiritui dicere, quàm quasi cogitando intueri.* Simili improprietate *Basil. l. 5. contra Ennom.* Spiritũ sanctũ appellavit *Verbum Filii*, eò quòd procedat à Filio, eumque nobis manifestet, sicut verbum oris solet manifestare conceptus mentis seu cordis.

Cur in divinis non sumatur essentialiter.

12 Tertiò convenit propriè seu soli secundæ personæ nomen Imaginis, juxta *D. Thom. D. Bonav.* & omnes Theologos, excepto *Durando*, qui *d. 28. q. 3.* censet nomen istud in divinis proprè non habere locum; eo tamen modo quo locum habet, æquè convenire Spiritui sancto ac Filio, nisi quòd per quamdam appropriationẽ magìs attribuatur Filio, eò quòd ex ratione nominis Filius præ se ferat similitudinem cum Patre, quam non ita præ se fert vi nominis Spiritus sanctus. Probatur ex Scriptura, quæ ad *Coloss. 1. Ad Hebr. 1.* tribuit Filio quòd sit imago & figura Patris; nullum quoque sequitur inconveniens, si propriè intelligatur nomen imaginis. Sic autem illud tribuit Scriptura Filio, ut non aliis personis. Nam (ut ait *Aug. 6. de Trin. c. 2.*) *Verbum solus Filius accipitur ..... sic enim Verbum, quomodo imago, non autem Pater & Filius simul ambo imago, sed Filius solus imago Patris, quemadmodum & Filius &c.* Quare juxta *Augustinum* Verbum, Imago & Filius pariformiter propria sunt secundæ personæ. Idem *l. 7. c. 2.* docet, quòd, *in eo quod nata est*, seu dicitur sapientia, *& Verbum & imago & Filius intelligatur, & in his omnibus non ostendatur essentia, quia relativè dicuntur.* Similiter alii Patres rationem imaginis Verbo seu Filio propriam faciunt, ut inter Græcos *Athanasius de decretis (synodi Nycænæ* paulò ante med. *& serm. 4. contra Arianos, Didymus, Nazianzenus, Chrysostomus*: Ex Latinis *Hilarius, Anselmus, Richardus* apud *Malderum q. 35. a. 2.*

Nomen imaginis Filio proprium.

Ratio sumitur ex descriptione imaginis propriè dictæ, à Scholasticis desumpta ex *Aug. l. 83. qq. q. 74.* & aliis locis (quam elucidat *Smising d. 2. q. 7. n. 182. & seq.*) estque talis: Similitudo totalis, sive aliquid perfectè simile, ad imitationem alterius ab eodem expressum, ex modo scilicet suæ expressionis sive processionis. Similitudo quidem debet esse totalis, ut distinguatur imago à vestigio, quod non nisi partem rei repræsentat, v. g. vestigium hominis pedem hominis. Unde creaturæ irrationales dicuntur vestigium Creatoris, rationales verò imago, eò quòd hæ pleniùs (etsi nequidem undequaque perfectè; ideoque sint imago satìs imperfecta) istæ inadæquatiùs & valde imperfectè Creatorem referant, sive illius similitudinem exprimant. Debet præterea exprimi ad similitudinem alterius: nam *non omnis similitudo imago est* (inquit *Aug. q. 4. super Deuteron*) *unde si gemini inter se similes sint, similitudo dici potest cujuslibet alterius in altero, non imago.* Et (ut ait *q. 74. l. 83. qq.*) *omne ovum omni ovo, in quantùm ovum est, simile est; sed ovum perdicis, quàmvis in quantùm ovum est, simile est ovo gallinæ, nec imago tamen ejus est, quia de illo expressum non est. Imago enim* (inquit *c. 16. operis imperfecti de gen. ad lit.*) *tunc est, cùm de aliquo exprimitur.* Hinc fit ovum pictum potiùs esse imaginem alterius ovi, eò quòd sit ad hujus, instar exemplaris, imitationem, adeòque etiam de ipso saltem exemplariter concurrente expresũ. Unde Imago juxta *D. Bonav. d. 31. p. 2. a. 1. q. 1. in argumentis*, dicitur quasi *imitago.* 13

Imaginis descriptio.

Hinc itaque probatur doctrina præmissa: quia Filius est perfectè simils Patri, 14

à quo

Ratio ob quam Filius est propriè imago Patris. à quo expressus seu productus est, idque ex vi & ex modo suæ processionis: procedit enim ut Verbum & ut Filius: verbi autem processio talem similitudinem postulat, eò quòd sit conceptus seu partus mentis, qui ex natura sua est similis dicenti quatenus habet memoriam fecundam: similiter filii processio est generatio viventis secundùm similitudinem in specie infima, adeò ut nulla in generatione divina intercedat distinctio aut dissimilitudo naturæ, sed Patri & exemplari divino ipse Filius exactissimè per omnia correspondeat.

15. *Non obstat unitas essentiæ in Patre & Filio, sed juvat.* Unde non rectè *Durandus* ob unitatem numericam essentiæ, quæ est fundamentum similitudinis, idem in tribus personis, exclusit à divinis rationem imaginis propriè dictæ, quasi ob hoc una persona non sit alteri propriè similis. Nam similitudini solùm obstat identitas terminorum seu extremorum, non autem identitas seu unitas fundamenti in extremis, sed per hanc potiùs perficitur. Itaque Filius est similis Patri secundùm rationem personæ, tamquam terminum similitudinis, secundùm naturam tamquam fundamentum similitudinis; similitudo autem terminorum distinctorum, si omnino perfecta sit, potiùs postulat unitatem naturæ, quæ est ratio seu fundamentum similitudinis. *Ita Smising. d. 2. n. 190. Malderus q. 35. a. 2.*

Ratio cur Spiritus sanctus non sit propriè imago. Quòd autem solus Filius sit propriè imago Patris, patet: quia etsi Spiritus sanctus sit quoque perfectissimè similis & consubstantialis Patri & Filio (ob quod paulò largiùs loquendo etiam dici posset imago Patris & Filii, & à *Damasceno l. 1. de fide c. 18.* post *Basilium* aliosque Græcos Patres *imago Filii* appellatur) id tamen non habet ex modo & genere processionis (quæ non est per assimilationem, sed per modum impulsûs, & amoris, qui est unitivus) sed totum facit infinitudo perfectissima principii ad intrà, unde nil nisi consubstantiale potest procedere.

16. Dices: Ratio imaginis secundùm Auctoritates est communis Trinitati: ergo non convenit propriè Filio. Antecedens probatur ex *Gen. 1. faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Imago autem ad quam homo fit, est *communis Trinitatis imago* juxta *Hilar. 5. de Trin. non longè ab initio*; sive *una sanctæ Trinitatis divinitas*, ut loquitur *Fulgentius de fide ad Petrum c. 1.* Resp. Neg. Con. nam in Auctoritatibus istis sumitur imago impropriè, ut sit idem, quod idea seu exemplar: & sic Deus Unus & Trinus est imago seu prototypon, ad cujus similitudinem creatura, præsertim rationalis, est facta. *Deitas sive Trinitas impropriè dicitur imago, id est, idea hominis.* Rectiùs tamen Scriptura allegata intelligitur, ut imago ibi non tribuatur Deo, sed ipsi homini, qui sic conditus est ad imaginem Dei, ut ipse quoque sit quædam imago Dei, adeòque significetur hominem esse conditum in imaginem Dei, prout habet textus Hebræus: q. d. faciamus hominem, ut sit imago & similitudo nostra. Est autem homo imago & similitudo Dei, partim quatenus in anima reperitur quædam umbra Trinitatis, partim quatenus proprietates divinæ naturæ in eadem relucent, de quo *Tract. seq.* *Et homo vicissim imago imperfectissima.*

17. *Nomen Sapientiæ Filio appropriatum.* Denique secundæ personæ in Scriptura & Patribus attribuitur nomen Sapientiæ: etsi enim nomen istud sit commune tribus personis, appropriatur tamen Filio, eò quòd sapientia spectet ad intellectum, qui est principium Filii. Quâ ratione eidem attribuitur esse artem, quâ omnis creatura facta est. Specialiter autem post incarnationem Filius Dei *factus est nobis Sapientia 1. ad Cor. 1.* quatenus nos verbis & exemplis erudivit; quod ad sapientiam spectat. Nomen tamen complexum Sapientiæ genitæ ei proprium est, ut patet. *At Sapientia genita est ei propria.*

QUÆSTIO III.

De Persona Spiritus Sancti.

18. *Tertia persona propriè Spiritus sanctus dicitur.* TERTIA in Trinitate persona propriè nominatur Spiritus sanctus. Ita *D. Th. q. 36. a. 1. D. Bonav. d. 10. a. 2. q. 3. Scotus d. 18. q. un.* & alii communiter contra *Durandum d. 27. q. 3.* censentem propriè esse nomen essentiale & commune, at Spiritui sancto solùm appropriatum.

Auctoritates namque Scripturæ, Conciliorum & Patrum ubique tertiam personam hoc nomine appellant, & contra ceteras distinguunt: adeòque censent esse nomen maximè proprium & personale. Unde *Aug. 11. de civit. c. 10.* ait: *Spiritus Patris & Filii, Spiritus sanctus propriâ quadam notione hujus nominis in sacris litteris nuncupatur.*

19. *Spiritus Primò à spiritualitate.* Notandum verò cum *D. Bonav. sup. Scoto sup. n. 5.* Spiritum dici dupliciter. Primò à spiritualitate; & hoc modo esse nomen absolutum, commune toti Trinitati: singulæ namque personæ, & Spiritus, & Sanctæ sunt, ut notat *Aug. l. 5. de Trin. c. 11 & l. 15. c. 19.* Unde *Joan. 4.* dicitur: *Spiritus est Deus.* Et Pater dicitur *Sanctus, Joan. 17.* Similiter & Filius, *Luca 1.* & *Isaia 6.* Seraphim clamant ter *Sanctus.*

Secundò & ad sensum hujus loci à spiratione dicitur.

Sanctus. Deinde Spiritus quoque dicitur à spiratione, ut sit idem quod spiratus, sive id quod spiratur; & sic convenit il.i soli personæ, quæ procedit per modum amoris, estque spirata unicâ voluntate Patris & Filii. Spirare enim in spiritualibus solius est amoris: ideoque homines in uno malo concordes dicuntur conspiratores, non quia idem cogitant, sed quia idem malum appetunt, & ad idem malum unus omnium colligatus est affectus; ut bene *D. Bonav. sup.* Quod ampliùs declarans *D. Tho. suprà* ait: *Nomen Spiritus in rebus corporeis impulsionem quãdam & motionem significare videtur: nam flatum & ventum spiritum nominamus. Est autem proprium amoris, quòd moveat & impellat voluntatem amantis ad amatum* (scilicet instar flatûs, qui obvia quæque rapit & impellit eò quò tendit) *Sanctitas verò illis rebus attribuitur quæ in Deum ordinantur; quia igitur persona divina* (scilicet Tertia) *procedit per modum amoris, quo Deus amatur, convenienter Spiritus sanctus nominatur.* Illud significatum voluit Christus, quando daturus Spiritum sanctum insufflavit in Apostolos, ut ex *Richardo Victorino 6. de Trin. c. 9.* notavit *Malderus q. 36. a. 1.* addens fuisse idem significatum per ventum illum vehementem in die Pentecostes, quando discipuli acceperunt Spiritum sanctum.

20\. *Correlativum Spiritûs est spirator.*

Ex quibus patet spiritum ut spiritum referri ad spirantem sive spiratorem, ut notavit Joannes *Theologus in Concil. Florent. sess. 21. circa medium. Augustinus* quoque *5. de Trin. c. 11.* agnoscit *in eo quòd* tertia persona *propriè dicitur Spiritus sanctus relativè dici, cùm & ad Patrem & ad Filium refertur, quia Spiritus sanctus & Patris & Filii Spiritus est.* Addit tamen: *sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine; apparet autem, cùm dicitur donum Dei..... donum ergo donatoris, & donator doni cùm dicimus, relativè utrumque ad invicem dicimus.* Sic autem loquitur *Augustinus*, eò quòd magis appareat relatio in nomine doni, quod semper dicit respectum ad dantem: spiritus autem non; immo potest accipi absolutè & essentialiter, ut rectè respondet *D. Bonav. d. 18. in expos. textûs dub. 1.* Addit idem *Aug. sup. c. 12.* non posse è converso dici Patrem aut Filium Spiritus sancti; sicut potest dici donator doni: ob defectum usitati vocaboli correlativi respectu vocabuli Spiritus.

Vocabulum hoc Augustini tempore non usitatum erat.

Quod tamen à posterioribus Doctoribus adhibitum & usitatum est, scilicet spirator: dicitur enim spirator spiritûs, uti dicitur spiritus spiratoris. Sed hoc nomen tunc non erat usitatum, uti donatoris; ut rectè *D. Bonav. d. 26. in expos. textûs dub. 9.*

21\. *Cur Spiritus peculiariter dicatur Sanctus.*

Ratio verò, ob quam Spiritus peculiariter appelletur Sanctus, traditur à *D. Bonav. sup. quòd generatio* (per quam procedit Filius,) *est motus naturalis, circa quem non attenditur sanctitas vel puritas, sicut attenditur circa amorem voluntatis.* Aliam assignat idem *S. Doctor* (vel quisquis est auctor) *Compend. Theol. verit. l. 1. c. 9.* dicens: *quia Sanctus idem est, quod mundus, vel firmus vel sine terra. Ista autem non solùm conveniunt ei quoad se, sed etiam in comparatione quoad nos: nam per gratiam Spiritus sancti à peccatis mundamur, in bonis firmamur, à terrenis separamur, Sanctus ergo non solùm in se, sed quia nos facit &c.* Cui consonat *D. Thom. sup.*

22\. *Spiritus sanctus est propriè amor personalis, appropriatè essentialis.*

Secundò, tertia Persona appellatur Amor, sive charitas. Estquè hoc nomen uno sensu personale & proprium Spiritui sancto, juxta *D. Th. q. 37. a. 1. D. Bonav. d. 10. a. 2. q. 1. Scotum dist. 18. q. un.* & alios communiter, contra *Durandum & Alsacensem* putantes solùm esse appropriatum. Pro cujus rei intellectu.

Dilectio in divinis sumitur tripliciter. Primò essentialiter.

Nota ex *D. Bonav. sup.* quòd dilectio in divinis potest accipi & accipitur necessariò essentialiter, notionaliter, & personaliter. Essentialiter accipiendo denotat vitalem tendentiam in rem amatam; estque communis tribus personis: ideoque & Pater charitas seu amor est, similiter & Filius, ut notat *Aug. 15. de Trin. c. 17. & 19.* Estque hæc primæva nominis significatio.

Secundò notionaliter.

Notionaliter sumpta dilectio idem est quod actus spirandi seu spiratio activa: sicut actio productiva amoris creari apud nos subinde significatur nomine dilectionis: & huic in processione Verbi correspondet dictio seu productio Verbi. Estque dilectio sic sumpta communis Patri & Filio. Non solet tamen vocari amor seu charitas.

Tertiò personaliter.

Denique personaliter sumpta dilectio sive amor significat amorem productum, qui in divinis est personalis seu persona; & hoc sensu nomen est proprium Spiritui sancto, qui procedit per voluntatem instar amoris. Et huic nomini respondet in Filio nomen Verbi, quod significat terminum productum per intellectum.

Ratio, cur Spiritus sanctus sit propriè amor.

Usu namque & consensu Doctorum fundatissimo optimè potuit nomen amoris, dilectionis, &c. de se commune ex prima nominis impositione, nec significans ordinem ad principium producens, sed tantùm ad rem amatam, transferri ad significandum etiam propriè personam aliquam secundùm suam peculiarem rationem. Sicut nomen processionis commune utrique origini divinæ significat etiam propriè originem tertiæ personæ, eamque distinguit ab origine Filii,

Filii, ut patet ex *Symbolo Athanasii* aliisque Patribus. Processioni enim Spiritus sancti olim non erat assignatũ aliud proprium vocabulum: etsi usu posteriorum Doctorum invalere cœperit nomen spirationis. Similiter ergo quoniam inopia erat propriorum & distinctorum vocabulorum, quæ significant habitudinem producti per voluntatem (prout non desunt in actu producto per intellectum, qui dicitur Verbum) vocabulum amoris usurparunt Doctores etiã personaliter & propriè pro amore producto. Et hinc fit, nomen Sapientiæ sine addito non nisi essentialiter dici; nomen autem amoris dici tam essentialiter quàm personaliter.

23. Tertiò appellatur Donum. Pro cujus nominis intellectu

Spiritus sanctus dicitur donum.

Nota donationem hic sumi, prout describitur à *Philosopho* 4. *Top.* 4. sub finem *datio irreddibilis*, id est, gratuita & liberalis, minimèque facta intuitu compensationis. Unde tria concurrunt ad rationem doni, primò res apta donari, quæ appellatur donum: secundò donans, qui possit aliquid tribuere: tertiò donatarius, sive is cui aliquid indebitum seu liberaliter tribui queat.

Quid donatio.

Ex quibus patet rationem doni propriè & completè non habere locum in Deo, nisi facto respectu ad extrà, seu ad creaturam: nam neque Filio Pater, neque uterque Spiritui sancto, quidquam propriè donat. Etsi enim persona producens communicet personæ procedenti divinam naturam, non tamen liberaliter (nisi hoc sensu, quòd non coactè, sed libenter, etsi necessariò) & gratuitò, sed jure & essentialiter debitam: donatio autem significat largitionem ejus, quod jure aut naturâ non competit. Quamquam largè & minùs propriè sumendo donationem pro communicatione alicujus rei, etsi debitæ, possit natura divina dici donum, quod Pater dat, id est, communicat Filio, ut loquitur *Hilarius*. Quò etiam facit illud *Joan.* 10. *Pater meus quod mihi dedit, majus omnibus est*; si referatur ad Personam divinam Filii, cui per æternam generationem data sit essentia divina, prout hunc locum intellexit *Conc. Lateranense*, & refertur c. *Damnamus, de summa Trinit.* Alioquin si fiat respectus ad naturam humanam Christi, data est ei adhuc magis propriè natura & personalitas Verbi, utpote humanitati indebita.

Deitas impropriè donatur Filio.

Magis propriè donatur humanitati Christi.

24. Itaque factâ comparatione ad creaturam potest adhuc quodam sensu donatio competere toti Trinitati; adeòque potest sumi essentialiter. Nam Pater mittendo Unigenitum suum, liberaliter cum mundo donavit, juxta illud *Joan.* 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Et *Isaiæ* 9. *Filius datus est nobis.* Immo & se ipsum Filius dedit: juxta illud *Apost. ad Galat.* 2. *Qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.* Similiter *Aug.* 15. *de Trin. c.* 19. *post med.* inquit de Spiritu sancto: *ita datur sicut donum Dei, ut etiam se ipsum det, sicut Deus.* Unde sic etiam tota Trinitas se ipsam donare potest, conformiter ad illud *Joan.* 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Hæc enim mansio est totius Trinitatis à se ipsâ donatio. Potest namque idem se ipsum certo sensu donare, sicut etiam potest se ipsum vendere & in servitutem tradere. Creatura autem rationalis capax est, cui Deus ipse donetur: cùm possit illo frui, illiusque effectibus uti: quamquam non sic, ut Deus se donando constituat se ipsum sub dominio creaturæ rationalis (id namque impossibile est & alienum à divina perfectione) sed quia donando se, fit ejus cui donatur, quatenus hic ipso frui, & exinde plures ejus effectus percipere possit.

Aut generi humano,

Cui seipsum dat Filius.

Vel & Spiritus sanctus.

Immo & tota Trinitas.

Nihilominus donum adhuc strictiùs sumptum significat rem donabilem cum habitudine ad donantem realiter distinctum, ratione cujus donum sit donantis: quæ habitudo in divinis nequit esse alia quàm originis, & hâc ratione sumitur notionaliter, estque commune Filio (qui datus est nobis à Patre, *Joan.* 3. & *Isaiæ* 9.) & Spiritu sancto.

Strictius tamen solus Filius & Spiritus sanctus donatur.

Denique donum strictissimè sumptum est nomen personale sive proprium Spiritui sancto: & significat rem à persona distincta donabilem ex vi & modo suæ processionis. Solus autem *Spiritus sanctus ex vi processionis suæ est primus amor & infinitus, & procedens per actum amoris à Patre & Filio, eum liberaliter* (id est, non coactè) *producentibus*, inquit *Scotus d.* 18. *n.* 7. ut autem præmiserat: *Inter omnia dona dantis, primum donum, quod dat, & quisquis dare potest, est amor ejus quem primò dat amato, qui est ratio cujuscunque alterius doni; nihil enim habet rationem doni, nisi in quantùm cadit sub actu amoris.* Ita *Scotus*. Quibus consona habet *D. Bonav. d.* 18. *a.* 1. *q.* 1. Unde donum aliquo & recto sensu esse proprium Spiritui sancto, docent communiter Doctores. Signanter *D. Bonav. sup. q.* 4 & 5. Ipseque *Aug.* 4. *de Trin. c.* 20. significans Spiritui sancto id esse proprium, sicut Filio natum esse: *Sicut enim* (inquit) *natum esse, est Filio à Patre procedere, ita mitti est cognosce quòd ab illo procedat. Et sicut Spiritui sancto donum Dei esse, est à Patre procedere, ita mitti est cognosci quòd ab illo procedat.* Et *l.* 5. *c.* 14. distinguit Spiritum sanctum à Filio, *quia exiit non quomodo natus, sed quomodo*

25.

Strictissimè solus Spiritus, qui ita propriè dicitur donum.

datur

datus. & *l.15.c.17.*ait: *In hac Trinitate non dicitur Verbum Dei, niſi Filius, nec donum Dei, niſi Spiritus ſanctus &c.* Immo ob *Aug.* Auctoritatem *D. Bonav. ſup. q.4. in corp.* ait, donum in divinis non niſi perſonaliter dici, ſicut Verbum de Filio. Quare etſi Filius dicatur datus, non tamen donum. datum namque idem eſt quod communicatum, idque vel ex liberalitate, & ſic eſt commune Trinitati: vel ſimul ex auctoritate, & ſic convenit Filio & Spiritui ſancto, qui habent ſubauctoritatem reſpectu Patris: vel ex liberalitate, & auctoritate, non tantùm communicatum, ſed etiam productum; & ſic eſt proprium Spiritui ſancto, cujus proprium eſt procedere ſecundùm rationem liberalitatis, quia ſcilicet inſtar amoris (ex quo omne donum procedit, ut ait *q. 1.*) & ita ſecundùm rationem doni & donabilis. Et hoc tertio modo donum & datum æquivalent: differunt tamen, quia datum dicit communicationem in actu, ſed donum in habitu ſeu potentiâ. Sic ferè *D. Bonaventura.*

Differentia inter datum & donum.

26\. *Scriptura ſpecialiter tribuit Spiritui ſancto eſſe donum.*

Quin & ipſa Scriptura nomen Doni ſoli Spiritui ſancto tribuit: *Act. 2. Accipietis donum Spiritus ſancti,* id eſt, donum quod eſt Spiritus ſanctus; *ſicut enim corpus carnis* (dum *ad coloſſ. 2.* dicitur: *in expoliatione corporis carnis*) *nihil eſt aliud quàm caro, ſic donum Spiritus ſancti nihil eſt aliud quàm Spiritus ſanctus*, inquit *Aug. 15. de Trinit. c. 19.* Item *Act. 8. exiſtimaſti donum Dei* (ſcilicet Spiritum ſanctum, ut patet ex contextu) *pecuniâ poſſideri.* Et *Pſ. 67.* de eodem dicitur: *Accepiſti dona in hominibus.* Quod reſumit *Apoſt. ad Epheſ. 4.* dicens: *dedit dona hominibus.* Accepit enim in hominibus tamquam in membris, idemque tamquam caput de cælo dedit eiſdem membris juxta *Aug. ſup.* Pluraliter autem exprimuntur dona, tum ob multiplices effectus gratiæ etiam in eodem homine, tum (ut notat *Aug. ſup.*) *quia per donum, quod eſt Spiritus ſanctus in commune omnibus membris Christi multa dona, quæ ſunt quibuſque propria, dividuntur. Non enim ſinguli quique habent omnia, ſed hi illa, & alii alia: quamvis ipſum donum, à quo cuique propria dividuntur, omnes habeant, id eſt, Spiritum ſanctum.* De eodem Spiritu ſancto intelligit *Aug. ſup.* & alii veteres Patres dictum Chriſti ad Samaritanam *Ioan. 4. Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forſitan petiſſes ab eo & dediſſet tibi aquam vivam.* De qua aqua dixit *Ioan. 7. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Aqua viva igitur eſt Spiritus idemque eſt donum Dei, de quo *Ioan. 4.* Quamquam hoc nomine Filium Dei ſignificaſſe ſe eſſe donum Dei, cenſeat Wiggers *quaeſt. 38. art. 2. n. 3.*

Cur nomen doni pluraliter exprimat.

Dices: Donum dicit habitudinem ad creaturas, ſeu ad eum cui donatur, vel donabile eſt: quæ non poteſt eſſe realis; adeòque donum nequit eſſe perſonalis proprietas Spiritus ſancti. Reſponderi poteſt dupliciter. Primò cum *Eſtio d. 18. §. 1.* donum ſolùm ſecundariò connotare ejuſmodi reſpectum; principaliter autem ſignificare proceſſionem ipſam per modum amoris: quod ſufficit, ut ſit nomen perſonale. Sicut Verbum eſt nomen perſonale Filii, etſi ſecundariò connotetur reſpectus ad ea quæ per Verbum exprimuntur; qui reſpectus ſimiliter nequit eſſe realis. Secundò reſponderi poteſt, quòd etſi donum principaliter iſtam habitudinem importaret, adhuc poſſet eſſe nomen proprium & perſonale ratione connotati, quod eſt ipſa proceſſio per modum amoris. 27.

Idem denotat reſpectum ad creaturas.

Petes I. An Spiritus ſanctus ab æterno habuerit rationem Doni? Reſp. Aff. cum *D. Bonav. ſup. q. 2.* & aliis communiter. Idemque expreſſit *Aug. 5. de Trin. c. 15. Quia* (inquit) *ſic procedebat, ut eſſet donabile, iam donum erat & antequam eſſet cui daretur. Aliter enim intelligitur cùm dicitur donum, aliter cùm dicitur donatum. Nam donum poteſt eſſe & antequam detur: donatum autem, niſi datum fuerit, nullo modo dici poteſt.* Unde convenientiùs tribuitur Spiritui ſancto nomen Doni, utpote æternaliter; quàm dati, quod convenit ex tempore, cùm ſignificet actum dationis. Ab æterno tamen competiit Spiritui ſancto eſſe donandum: per æternam enim prædeſtinationem fuit ab æterno decreta, atque eo ipſo futura datio ſeu donatio Spiritus ſancti. 28.

Spiritus ſanctus ab æterno eſt donum.

Sed datus in tempore.

Etſi quoque donandus ab æterno.

Petes II. Quâ ratione & ſenſu Spiritus ſanctus dicatur Spiritus noſter? Reſp. id non eſſe proprium Spiritui ſancto, qui dicitur noſter, quatenus nobis inſpiratus, ſpirat, & vitam operatur in nobis. Unde ſicut per ſpiritum noſtrum vivit anima noſtra, ſic ſpiritus noſter vivit per Spiritum Dei, qui eſt vita ſpirituum. Quare ſimiliter dicitur Deus noſter, quatenus à nobis colitur, Pater noſter ſeu Creator & Conſervator noſter, quatenus nos fecit & conſervat; aut etiam Pater noſter, quatenus per gratiam in Filios nos adoptat: Finis noſter, quatenus ad ſe fruendum nos ordinavit; Dominus noſter, quatenus ejus peculium ſumus (quod ſpecialiter appropriatur Chriſto, quia emit ſeu redemit nos pretio magno Sanguinis ſui) Magiſter 29.

Quo ſenſu dicatur Spiritus noſter.

gifter

gister noster, quatenus nos docet & instruit. *Est ergo* (inquit *D. Bonav. d.18.a.1. q.6. in fine*) *regula, quòd de his dicitur* noster *quæ dicunt respectum ad nos, secundùm habitudinem causalitatis vel correlationis.* Unde non potest dici essentia nostra, persona nostra, immo nec Filius noster; ne per hoc ultimum apprehendatur habitudo effectûs ad nos tamquam causam vel principium.

30. *Reliqua illius nomina breviter explicantur.* Sunt & alia nomina, præter donum Altissimi, quæ Spiritui sancto attribuuntur ab Ecclesia, & breviter explicantur à *D. Bonav.* (vel alio auctore) *Compend. Theol. verit. l.1.c.9.* nam *dicitur* fons vivus: *Quia semptemplici rivo donorum* (quæ recensentur *Isaia 11.*) *nobis fluit. Item dicitur* Ignis: *quia affectum nobis accendit. Item dicitur* Charitas, *non solùm quia est amor Patris & Filii, sed quia nos amantes facit. Item dicitur* Spiritualis Unctio: *quia omnes tribulationes mundanas suaves facit & jucundas, secundùm illud Prosa: In labore requies, in æstu temperies &c. Item dicitur* Dextræ Dei Digitus: *quia sicut corporales res digito demonstrantur, ita per Spiritum sanctum ostenduntur res spirituales oculo spirituali. Item dicitur* Paracletus: *quia consolationes cælestes mentibus instillat. Item* Magistrorum Optimus, *quia intellectum ad Dei cognitionem & sui ipsius illuminat.* Adde vocari *Digitum Dei* in Scriptura, *Luca 11. Si in digito Dei* (*Matthæus c. 12.* habet *in Spiritu Dei*) *ejicio dæmonia*; ut significetur unitas substantiæ, sicut digitus est ejusdem cum corpore substantiæ & naturæ. Specialiter autẽ Spiritus dicitur *digitus*, juxta *Hieron. in c. 12. Matth.* eò quòd *Isaia 53.* Filius dicatur *Brachium Domini*: sicut enim brachium procedit à corpore, digitus autem à brachio & corpore; ita Filius à Patre, Spiritus sanctus à Patre & Filio. Deinde juxta *Aug. l.2. qq. Evangelic. q.17.* ut significetur donorum Spiritus sancti multiplicitas, eò quòd in nullis membris nostris magìs appareat partitio.

31. *Explicantur diversa nomina appropriata.* Pro fine nota varios terniones nominum communium, sed à Sacris Doctoribus certis personis ob specialem cum earum proprietate convenientiam appropriatorum: quæ *Augustinus* passim vocat propria personarum.

Primus est *Hilarii l.2. de Trin. in princip. Æternitas in Patre* (sic refert *Aug 6. de Trin. 10.* At *Hilarius* habet: *infinitas*, durationis scilicet, *in æterno*; quod in idem redit) *species in imagine, usus in munere.* Nam sicut æternitas est sine initio, sic Pater sine principio ex quo. Species seu pulchritudo attendi solet in imagine; adeoq; maximè in Filio, qui est perfectissima imago præstantissimi exemplaris, Patris. Usus est in munere seu dono, scilicet Spiritu sancto. Intellige cum *Estio d. 31. §. 3.* de usu, qui afficit nos, quibus sanctus Spiritus donatur. Unde *Hilarius* sub finem Libri ait: *utamur ergo tam liberalibus donis, & usum maximè necessarii muneris expetamus.* Usus itaque noster est in munere, tum quatenus donis sancti Spiritus utimur, ut ad summi boni fruitionem perveniamus: tum quatenus ipso auctore & ex ejus munere omnis rectus usus procedit. At *August. sup.* per usum intelligit fruitionem, quâ Pater & Filius delectabiliter conquiescunt in suo munere, seu sancto Spiritu. Unde ortum videtur, quòd Patri tribuatur esse, velut primo principio; Filio, convenienter esse, velut perfectæ similitudini, sancto Spiritui, delectabiliter esse, velut fini & quieti.

Secundus est *Aug. l.1. de Doctr. Christ. c. 5.* dicentis: *In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto unitatis æqualitatisq; concordia.* Sicut enim unitas est principium numeri, sic Pater principiom seu prima in Trinitate persona. Æqualitas tribuitur Filio; tum quia ab ipso incipit dualitas personarum, ad æqualitatem necessaria & sufficiens: tum quia æqualitas, id est, perfecta proportio, maximè attenditur in imagine exactissima; qualis est Filius. Concordia utriusque tribuitur Spiritui sancto: tum quia procedit ut amor, qui est plurium unitivus: tum quia concordia seu connexio presupponit saltem duas personas, quarum sit nexus. Vide *Estium sup. §. 5.* Et *D. Bonav. d. 31. a. 2. q. 3.*

Tertius est, unitas appropriata Patri (de qua actum est) Veritas Filio, tamquam Verbo intellectuali, bonitas Spiritui sancto, tamquam amori, & per voluntatem procedénti.

Quartus est, omnipotentia appropriata Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui sancto. De quibus satìs suprà egimus. Videri potest *Estius d. 34. §. 3. 4. & 5.*

Quintus sumitur ex illo *ad Rom. 11. Ex ipso*, Patre, velut primo, *& per ipsum*, Filium, velut medium, *& in ipso*, Spiritu sancto, velut ultimo in quo est status, *sunt omnia.* Sic accommodat hæc verba, attentâ præpositionum diversâ energiâ, *D. Bonav. d. 36. in Expos. textûs dub. 4.* Vel aliter: *Ex ipso*, Patre velur primo principio efficienter, *& per ipsum*, Filium velut exemplariter, *& in ipso*, Spiritu sancto velut ultimo finaliter, aut velut bonitare (cujus est sovere & conservare) conservativè *sunt omnia.* Vide *Estium d. 36. §. 4.*

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De Missione divinarum Personarum.

32. *Missio denotat processionem temporalem.*

PROCESSIO temporalis divinarũ personarum ad creaturam solet exprimi nomine missionis, rariùs nomine processionis simpliciter sumptæ: quamquam de processione temporali Spiritus sancti loquens *Beda Homil. Dom. infra oct. Ascensionis*, dicat: *Ejus missio ipsa processio est, quâ ex Patre procedit & Filio*; ut eum explicat *D. Bonav. d. 15. p. 1. art. 1. q. 2. ad 2.*

Convenit personis divinis.

Divinas porrò personas mitti ad creaturam, evidens est ex Scriptura *ad Gal. 4. Joan. 15.* & alibi. Pro cujus intellectu

Notandum ex *D. Bonav. sup. q. 1. in corp.* Missionem transferri à creatis ad divina. Secundùm autem quod missio in his inferioribus consideratur, habet respectum ad tria, scilicet ad principiũ sive ad mittentem, ad terminum quò aliqua res vel persona mittitur, & ad missum, sive illum qui mittitur.

Involvit respectum ad mittentem.

Ad principium sive mittentẽ sub multiplici habitudine potest comparari: sive tamquam ad dantem alteri esse, & sic radius mittitur à sole, radix aut flos ab arbore: sive tamquam ad dantem virtutem, & sic mittitur jaculum à projectore: sive tamquam ad dantem jurisdictionem seu auctoritatẽ, & sic mittitur nuntius à Prætore. Secundùm omnẽ hanc operationem est in divinis missio: nam Filius mittitur à Patre, & Spiritus sanctus à Patre & Filio, tamquã habens esse, virtutem, adeòq; etiam auctoritatem à mittẽte. Secundùm alias autem comparationes, quibus mittẽs seu principiũ se habet ad missum ut dans consilium, sicut consiliarii mittentes Regem ad bellum, vel ut imperans, sicut dominus mittit servum, manifestè non convenit missio personis quà divinis: consisilium enim accipere imperfectæ scientiæ est; imperio autem subdi, diminutæ est potestatis.

Ad terminum missionis.

Ad ipsum terminum missio quoque comparatur sub triplici habitudine: mittitur enim aliquid sive ad locũ ubi quiescit, sicut lapis mittitur deorsum: sive ad aliquem, à quo possideatur aut habeatur, sicut mittitur alicui donum: sive ad aliquid, in quo is qui mittitur, operetur. Sic persona divina mittitur, ut nobiscum sit seu in nobis per habitationem quiescat: ut à nobis possideatur: & ut nobiscum operetur bona.

Et ad personam missam.

Triplex tamen in creatis reperiri solet imperfectio, semovenda à divinis, factâ comparatione ad ipsum missum. Is enim separatur à mittente ob distantiã termini à mittente; in divinis autem ob ubiquitatem nulla est distãtia. Subjicitur etiã mittenti, à quo secũdùm naturam distinguitur, & à quo esse, virtutem, aut operationem recipit; in divinis autem est omnimoda æqualitas naturæ, & æqua in mittente ac misso nobilitas. Denique mutatio cõtingit in eo, qui mittitur ad terminum à quo distat; in divinis autem missus nullo loco abest. Equidem in divinis loco separationis, est missi à mittente per originem egressio seu emanatio: loco subjectionis est subauctoritatis origo: loco mutationis est novi effectus productio, sive nova aliqua operatio circa terminum. Ita ferè *D. Bonav. sup.*

Ex quo ulteriùs colligitur I. terminũ ad quem fit missio divinarũ personarum debere esse quid creatum: nulla enim novitas potest accidere divinis personis ad intrà, sed tantùm ratione novæ operationis in creatis; cùm autem is qui mittitur debeat quodammodo subire aliquam novitatem, sive per mutationem (quæ à divinis procul abest) sive per operationem. Confirmatur: quia missus debet quodammodo à mittente exire eò, ubi sic antea non erat; hoc autem nequit fieri, nisi in ordine ad aliquam creaturam: cùm personæ divinæ sint in se invicem semper & immutabiliter per identitatem ac circuminsessionem. Unde Scriptura nusquam meminit termini increati, sed solùm creati; ut *Joan. 3. Misit Deus Filium suum in mundum.* Et *c. 16. Mittam eum ad vos.* Et infrà: *Exivi à Patre & veni in mundum.* Ex quo infert *Aug. 2. de Trinit. c. 5. Ergo à Patre exire & venire in hunc mundum, hoc est mitti.* Et consonant omnes Theologi. 33.

Terminus missionis necessariò est quid creatum.

Colligitur II. Missionem personæ divinæ simpliciter dici temporaneam: quia missus præter respectũ mittentis ad missum, importat aliquem effectum in creatura, adeòque operationẽ temporaneam, juxta illud *August. sup.* de apparitione Spiritus sancti in specie columbæ & linguis igneis loquentis: *Hæc operatio visibiliter expressa, & oculis oblata mortalibus, missio Spiritus sancti dicta est.* Et *lib. 4. c. 20. Non eo ipso quo de Patre natus est, missus dicitur Filius, sed vel ex eo, quòd apparuit huic mundo Verbum caro factum..... vel ex eo, quòd ex tempore cujusq; mente percipitur ..... quod ergo natum ab æterno, æternũ est..... quod autem mittitur ex tempore, à quoquam cognoscitur.* Idem docent omnes Doctores cum *Magistro d. 15.* ubi *D. Bonav. p. 1. art. 1. q. 2.* & *D. Thomas q. 43. ar. 2.* Idem quoque colligitur ex Scriptura, *ad Gal. 4. Ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum.* Et de missione Spiritus sancti tamquam futurâ dicitur *Joan. 16. Cùm autem abiero mittam* 34.

Ipsaq; missio simpliciter temporanea.

eum ad vos. Ubi similiter missio promittitur: quod autem est æternum, non potest promitti, inquit *D. Bonav. sup.*

Nec obstat, *Gregor. Hom. 26. in Evang.* ubi de Christo scribit: *Quamvis mitti etiã juxta naturam divinitatis possit intelligi: eo enim ipso à Patre Filius mitti dicitur, quo à Patre generatur.* Loquitur enim de datione incompleta & inchoata, quatenus generatio divina involvit dationem & acceptionem voluntatis veniendi in tempore in mundum. Sicut etiam in humanis quis mittere & mitti dicitur, quando ille imperat, hic imperium aliquò eundi acceptat, etsi nondum pervenerit. Alioquin tunc demum perfecta censetur missio, quando perventum est ad terminum quò aliquis mittitur; maximè quando is qui mittit debet ad termini acquisitionem cooperari; sicut fit in divinis, ubi opera ad extrà sunt inseparabiliter omnium personarum.

Etsi inchoativè sen incompletè æterna.

35. Colligitur III. requiri, ut persona quæ mittitur incipiat aliquo novo modo esse in creatura: non enim dicitur quis eò mitti, ubi antea eodem omnino modo erat. Dixi *novo modo*: quia ob ubiquitatẽ nequit divina persona esse simpliciter de novo in aliqua creatura, nisi primò creetur: nec tamen in creatione censetur divina persona ad creaturam mitti: tum quia missio fit ad rem præexistentem: tum quia non incipit idcirco esse novo modo, utpote qui alium priorem præsupponit.

Requirit novum essendi modũ Personæ missæ in creatura.

36. Colligitur IV. non rectè missionem confundi cum processione divinæ personæ, uti Quidam, quos refert *Magister d. 15. litt. K. in princip.* Non rectè similiter ab ipso *Magistro* processionem à missione, quasi impertinentem excludi, ac si missio v.g. Spiritus sancti, non sit aliud quàm specialis illius in creatura operatio, v.g. sanctificatio: aliàs namque etiam Pater mitti diceretur, ratione specialis operationis in creatura, prout opera potentiæ ei specialiter tribuuntur; quod tamen alienum est a modo loquendi Scripturæ & Patrum. Unde *Aug. 4. de Trinit. c. 20.* dicit: *Sed Pater cùm ex tempore à quoquam cognoscitur, non dicitur missus: non enim habet de quo missus sit, aut ex quo procedat.* Et *c. 21. in fine*: *Etiamsi voluisset Deus Pater per subjectam creaturam visibiliter apparere, absurdissimè tamen aut à Filio quem genuit, aut à Spiritu sancto qui de illo procedit, missus diceretur.* Soli itaque personæ procedenti convenit mitti. Ideo in Scriptura soli Filio & Spiritui sancto attribuitur, quòd mittantur.

Ad illam requiritur processio personæ missæ.

Sed dubitari posset, an missio requirat, ut persona missa emanet seu procedat à persona mittente? Nam gravissimi Scholastici ob reverentiam *Magistri*, & *Augustini*, quem *Magister* refert, probabilem censent loquendi modum, juxta quem missio importat manifestationem personæ, quòd sit seu emanet ab alia, etsi non à mittente. Dicit enim *August. 4. de Trinit. c. 20.* quòd mitti sit *cognosci esse ab alio*; esto non à mittente. Ideoque *2. de Trinit. c. 5.* admittit Filium missum à Spiritu sancto, immo & à se ipso. Quare juxta hæc conveniret toti Trinitati sive omnibus personis mittere, sicut omnes possunt declarare seu manifestare processionem alicujus personæ, & esse principium effectus secundùm quem attenditur missio: mitti autem conveniret soli Filio & Spiritui sancto. Atque in opinionem *Magistri* sic intellectam *D. Bonav. sup. qu. 4.* inclinatur: similiter *Scotus d. 15. q. unic.* problematicus est. Ipse quoque *D. Thom. d. 15. q. 3. art. 1.* juxta eam procedit, & *1. p. q. 43. ar. 8. in corp.* resolvit tam juxta unam quàm alteram sententiam.

37. Sed quàmvis ita posset ex usu vocabulum missionis habere istam significationem; non diffitentur tamen hi Auctores, quin magis propriè, & juxta intentum Scripturæ missio importet habitudinem ipsius missi ad mittentem tamquam principium. Unde ipse *D. Bonav. sup. q. 1. in corp.* id apertè supponit. Et *d. 11. art. 1. qu. 1.* probat Spiritum sanctum procedere à Filio æternaliter ex eo, quòd secundùm Scripturam à Filio mittatur. Idem quoque apertè supponit *D. Thom. sup. art. 1. in corp.*

Et quidem ab ipsa persona mittente.

Quare *D. Bonav. Breviloquii p. 1. c. 5.* absolutè idipsum requirit, nec nisi impropriè Filium à Spiritu sancto mitti asserit, eò quòd mittere dicat auctoritatem mittentis respectu personæ missæ tamquam ab eo procedentis. Quod etiam repetit ipse vel alius auctor *Compendii Theol. verit. lib. 1. cap. 9.* concludens: *Hæc autem est ratio, quia mittere dicit auctoritatem ratione productionis æternæ.* Idem docet *Centiloquii parte 3. sect. 3.* Unde sic sentiunt Doctores, præsertim Recentiores communiter.

Probatur ex dictis: tum quia ex missione Spiritus sancti à Filio, rectè probatur, & à Patribus, uti & à *Joanne Theologo in Concil. Florent. sess. 24.* probata fuit processio Spiritus sancti à Filio. Tum quia is qui mittitur debet à mittente exire seu procedere potestate seu auctoritate ab eo acceptâ: neque enim sufficit influxus in opus, sed debet esse in ipsum missum: qui cùm nequeat esse in divinis per consilium vel imperium, consequenter esse debet per originem.

Probatur duplici ratione.

38. Neque obstat *August. 4. de Trinit. c. 20.* dicens,

Filio mitti est cognosci quòd sit à Patre seu mittente.

dicens, *sicut natum esse, est Filio à Patre esse: ita mitti est Filio cognosci quòd ab illo sit.* Nam vult quòd ab illo sit, à quo mittitur. Quod etiam significat, dum de Spiritu sancto subdit: *Et sicut Spiritui sancto donū Dei esse, est à Patre procedere: ita mitti est cognosci quòd ab illo sit*, à quo se licet & mittitur. Unde ex missione Spiritus sancti à Filio, paulò pòst infert ipsum à Filio procedere, dicens: *quod ergo ait, Quē ego mittam vobis à Patre, ostendit Spiritum & Patris & Filii.* Eamdem à mittente processionem satis indicat in verbis anterioribus ejusdem cap. Unde *Augustinus* maximè patrocinatur communi doctrinæ: uti & *Greg. Homil. 26. in Evang.*

Filius juxta August. mittitur à Spiritu sancto secūdùm humanitatem.

Non obstat etiam, quòd idem *Aug. 2. de Trinit. c. 5.* asserat Filium mitti etiā à Spiritu sancto & à se. Nā loquitur de Christo secundùm humanitatem, sic ut *missus sit qui in carne apparuit:* eatenus autē tota Trinitas misit Christum, & Filius Deus se hominem, non vi processionis divinæ, sed per imperium tāquam dominus rem creatam. Sic *Compend. Theol. verit. l. 1. c. 9.*

Instabis ex *Aug. l. 4. de Trin. c. 20. Non tantùm ideo dici missum Filium, quia Verbum caro factum, sed ideo missum, ut Verbum caro fieret;* quod apertum est intelligi secundùm divinam naturā, cùm secundùm humanitatem non sit missus, ut caro fieret. Resp. etiam sic quidem missum Filium; non tamen nisi à solo Patre: de quo solo ibi fit mentio.

39. Non obstat III. Quòd *Isaiæ* 48. nomine Filii dicatur: *Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus.* Quo loco ad propositū utitur *Aug. lib. 3. cōtra Maximin. c. 20.* Et *2. de Trin. c. 5.* & ante illum *Ambr. l. 3. de Spiritu sancto c. 1. & 2.* Insuper *Tolet. XI. in confess. fidei*, dicens: *Missus tamen Filius non solùm à Patre, sed & à Spiritu sancto, missus esse credēdus est, in eo quod per Prophetam dicit: Et nunc Dominus misit me & Spiritus ejus.*

Idipsum significatur in variis auctoritatibus.

Non obstat (inquam) quia Auctoritates citatæ agunt de Filio secundùm humanitatem, quatenus in natura assumpta missus fuit, idq; non per naturam, sed per voluntatem & imperium, ad prædicandum, aliaq; salutis nostræ opera exequēda. Eatenus enim humanitas missa est à Trinitate tota, atque adeò ab ipso Filio secundùm divinitatem, ut mox sequentia *Toletani* verba declarāt: *à se ipso quoque missus accipitur, pro eo quòd inseparabilis nō solùm voluntas, sed operatio totius Trinitatis agnoscitur.*

40. Non obstat IV. Quòd Filius seipsum det sive tradat: uti & Spiritus sanctus. Nā dare tunc nihil est aliud, quàm liberaliter se communicare: ultra quod mittere importat auctoritatem principii in mittente. Alioquin sumendo dare strictiùs pro cōmunicare cum auctoritate, principii videlicet, solus Pater dat Filium, & uterque Spiritum sanctum. Et sic date coincidit cum mittere. Alioquin missio species quædam est donationis largè sumptæ.

Dare, nisi strictè sumatur, largiùs patet quàm mittere.

Ex prædictis describi potest missio, quòd sit processio alicujus personæ divinæ ad creaturam, in qua ex vi processionis suæ incipiat esse novo modo.

Missio dividitur primò ex parte personæ mittentis. Secundò ex parte personæ missæ. Tertiò ex parte creaturæ ad quam fit missio: alia enim est ad Angelos, alia ad homines: & hæc rursum, alia ad homines ante legem gratiæ, alia ad eosdem sub lege gratiæ. 41.

Multiplex divisio missionis.

Quartò dividitur ex parte effectûs in visibilem & invisibilem. Invisibilis est, quā mittitur Filius & præsertim Spiritus sanctus ad inhabitandū creaturam rationalem per gratiam sanctificantē sive gratum facientem. Ita communiter Doctores cum *D. Bonav. d. 15. p. 2. ar. 1. q. 1.* Ad missionem namq; requiritur, ut persona missa existat in eo ad quem mittitur, & ab eo habeatur seu possideatur: non existit autē persona missa noviter in creatura rationali (ad quā procedit persona missa) neque perfectè ab ea possidetur, nisi per gratiam gratum facientem: per quam nimirum est in facultate habentis seu possidentis, qui ipsā gratiā liberè & rectè utitur, & per illam Deo sive personā missā tamquàm objecto fruitur. Vide *D. Bonav. d. 14. art. 2. q. 1.* Unde non dicitur absolutè dari Spiritus sanctus, (qui tamen datur, quando ad aliquem mittitur) nisi per charitatem incipiat possideri: sed si absque ea aliquæ gratiæ speciales conferantur, v.g. Prophetia &c. dicitur dari cum addito, Spiritus Prophetiæ, aut simili modo. Quare non fuit missus Spiritus sanctus Saüli dum prophetavit, aut Caïphæ.

Missio invisibilis quid?

Fit secundùm donum gratiæ sanctificantis.

Dices: Missio hæc æqualiter spectat ad totam Trinitatem, sic ut dū Spiritus sanctus ad cor inhabitandum mittitur, ipse quoque Pater & Filius simul veniant & mansionem ibidem faciāt: quod repugnare videtur propriè dictæ missioni, quæ videtur requirere, ut missus à mittēte quodammodo exeat: aliàs enim si mittens eodem modo se haberet, non tam mitteret, quàm simul veniret. Resp. non esse recedendum hac in re à communissimo sensu Doctorum, *Magistri, D. Bonav. D. Thomæ* & aliorum admittētium invisibilem missionem simpliciter dictā. Dico igitur, etsi verè in ea omnes personæ simul veniāt, specialiter tamen cēsetur venire, & à mittēte procedere ad creaturā persona missa, v.g. Spiritus sāctus, quatenus ei vi processionis effectus appropriatè cōvenit; prout gratia cōpetit Spiritui sancto, qui est charitas & donū, ideoq; specialiter dicitur nobis 42.

Est missio simpliciter dicta.

bis dari, & per illum charitas diffundi in cordibus nostris. Quare eo modo quo censetur specialiter ad nos una persona venire, censetur ab altera à qua emanat tamquam auctoritativè missa exire. Neque aliud ad propriam in divinis missionem requiri sensus omnium Scholasticorum demonstrat. Quia tamen iidem effectus gratiæ sub diversa consideratione appropriantur Filio, & Spiritui sancto, censetur uterque mitti secundùm eadem gratiæ dona ad nos, Filius quidem à Patre, Spiritus sanctus insuper à Filio; vt *D. Thom. D. Bonav.* aliique Doctores observãt: quamquam specialiori quãdam ratione in ratione donationis, seu quatenus sunt dona quædam, appropriëntur omnia Spiritui sancto, quia per ipsum tamquam primum donum donantur alia; ut inquit *D. Bonav. d.18. art.1. q.1. ad 2.*

43. Dices II. Secundùm Scripturam *Joan. 14. ad Rom. 5.* & alibi, *August. 15. de Trinit. c.26.* & alios Patres, datur seu mittitur nobis ipse Spiritus sanctus: quod tamen simpliciter falsum esset, si solùm mitteretur ratione effectûs, scilicet gratiæ gratum facientis. Resp. cum *D. Bonav. d.14. art.2. q.1. D. Thom. q.43. art.3.* & aliis communiter, verè, etsi tantùm moraliter, mitti & donari etiam ipsam personam divinam sive Spiritum sanctum ratione dicti effectus, quatenus gratia unit hominem moraliter cum Spiritu sancto, qui censetur in anima habitare & manere, & ab anima haberi. Quod adeò verum est, ut si per impossibile non foret animæ præsens ratione immensitatis, equidem hoc titulo præsens dicendus esset. Vide *Suarez lib. 12. c.5. n.12. & seq.*

In ea datur seu mittitur ipse Spiritus sanctus.

44. Petes, An missio invisibilis fiat non solùm ad illos, qui innovantur primò per gratiam, seu primò justificãtur, sed etiam ad illos, qui crescunt in gratia per augmentum justificationis? Resp. id pertinere ad modum loquendi: & aliquos quidem sic loqui; rectiùs tamen cum *D. Bonav. d.15. p.2. art.1. q.3.* & accommodatiùs ad conceptum missionis, id universaliter non admitti: cùm eatenus præcisè non incipiat in justo persona missa esse novo modo, nisi quatenus eiusmodi augmenti seu profectûs occasione operatur in justo peculiaria quædam dona vel effectus, v.g. donum Prophetiæ, vel simile. Sicut hâc ratione dum super Eliseum requievit duplex spiritus Eliæ, rectè ad eum dicitur missus Spiritus sanctus. Et hoc augmentum appellat *D. Bonav.* extensivum. In hunc sensum quoque *D. Thomam q.32. art.6.* interpretatur & sequitur *Wiggert ibid.*

Qualiter missio hac locum habeat in justificationis augmento.

45. Visibilis missio respicit effectum visibilem, qui effectum invisibilem jam factum vel faciendum repræsentet. Unde missio visibilis est signum invisibilis, juxta *D. Bonav. d.16. art.1. q.1.* Non requirit tamen novam semper infusionem gratiæ sanctificantis: nam in missione Spiritus sancti in specie columbæ fuit tantùm manifestatio gratiæ Spiritus sancti dati & nunc inhabitantis ac quiescentis in Christo, & simul ab alio procedentis, adeòque tota & perfecta ratio missionis, ut rectè *D. Bonav. sup. ad 4.*

Missio visibilis.

Missio visibilis alia est substantialis in essendo, sive est ad subsistendum; uti est sola Incarnatio Verbi: alia solùm est ad repræsentandum, sive ad apparendum in forma visibili; uti missus est Spiritus sanctus in specie columbæ, in linguis igneis, in sono, in nube lucida: quæ non fuerunt à Spiritu sancto substantialiter assumpta, sed solùm usurpata, tamquam signa ex instituto significantia, non omnes personas, sed specialiter Spiritum sanctum (qui proinde propriè dicendus est missus) ac repræsentantia interiorem sanctificationem, fueruntque formata, sive immediatè à Deo, sive (ut censet *August. 3 de Trinit. c.4. & 10. & seqq.*) ministerio Angelorum. Erat autem columba quidem verum corpus, sed non vera columba, juxta veriorem sententiam, quam tradit *D. Bonav. d.16. art.1. q.3. ad 4.* ideoque statim desiit, & apud Evangelistas *Matth. 3.* & *Luca 3. sicut columba* legitur Spiritus descendisse. Similiter juxta *D. Bonav. sup.* ignis quidem fuit verum corpus, non tamen verus ignis, quia non comburebat. Ideoque dicuntur apparuisse dispartitæ linguæ *tamquam ignis. Act. 2.* 46.

Alia substantialis, seu ad subsistendum, Alia ad repræsentandum.

Apparuit Spiritus sanctus in specie, non in veritate columbæ aut ignis.

QUÆSTIO V.

De modo loquendi observando in mysterio Sacrosanctæ Trinitatis.

CIRCA modum loquendi de mysterio Trinitatis illa in primis regula præ oculis habenda est, quam tradit *Aug. 10. de Civit. c.23.* ubi cùm retulisset, quomodo Philosophi nonnulli divinæ Trinitatis arcanum obscuris quibusdã verbis indicaverint, subdit: *Liberis verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt; nobis autem ad certam regulam loqui, fas est, ne verborum licentia, etiam de rebus quæ his significantur impiam gignat opinionem.* Fusè & eruditè de hoc *Smising d.5. q.2. & 3.* Nos pro parte sparsim de eodem egimus in præcedentibus: pro parte reliquã non est tanta difficultas, hoc observato, ut admittantur 47.

Habenda in hoc mysterio cura sanorum verborum.

Salvanda in iis naturæ unitas, personarum Trinitas. tantur loquendi modi, qui salvant naturæ unitatem, & personarum Trinitatem, sive ipsarum processionum actuumque notionalium oppositionem & distinctionem; contrarii verò rejiciuntur.

48. Hinc primò fit, unitatem personarum in natura rectè explicari dicendo, v. g. *Pater & Filius sunt unum & idem*, scilicet neutraliter (ut patet Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus*) non rectè autem masculinè dicendo v. g. *Pater & Filius sunt unus*. Prior namque dicendi modus denotat unitatem naturæ, posterior unitatem suppositi seu personæ. Nisi *Unus* sumatur tamquam Syncategnema, & addatur v. g. *Deus*, aut æquipollens: rectè enim dicitur, *Pater & Filius sunt unus Deus*. E contrà non rectè: *Pater & Filius sunt unum suppositum*. Immo quia pronum est *idem* junctum personis accipere masculinè, congruit simpliciter non dicere *Pater & Filius idem sunt*, sine addito *Deus* aut simili. Idem est de vocabulo, *unicus*, nam Deus dicitur unicus, similiter tres personæ sunt quid unicum: quia solùm significatur unitas Deitatis. Quamquam Nonnulli (inter quos malè refertur *D. Bonav. d. 21. art. 2. q. 1.* ubi ne verbum hac de re habet, nec alibi id in eo reperi) existiment Deum non posse dici unicum, falsò putantes id esse idem quod solitarium; non potest autem Deus dici solitarius, ne personarum consortium excludatur. Similiter potest dici unicus Pater, unicus Filius &c. non tamen persona unica, neque tres personæ unicus, nisi addendo, Deus. Denique non quadrat huic mysterio vocabulum *unitum*, quod importat unionem, quæ procul abest ab hoc ente simplicissimo & per simplicitatem unissimo. Idemque est de voce *conjunctus*: quæ videntur Synonyma, ideoque negatur à *Patribus Concilii Alexandrini Ep.* quæ est 10. apud *Cyrillum*.

Unum significat unitatem naturæ, unus unitatem suppositi.

Rejicienda vocabula uniti & conjuncti.

49. Secundò, distinctio personarum rectè exprimitur per hoc quòd ab invicem dicantur *distincta*, *discreta* (cum quo videtur coincidere vocabulum *secreta*; cùm secernere sit idem quod discernere aut distinguere: etsi id neget *Vasquez*, post *Lactantium*, putans esse idem quod dividere) *alia*, *altera*; prout partim Scripturæ, partim Concilia, partim Patres & Doctores loquuntur. Neutraliter tamen non potest Pater dici *aliud* (idem est de voce *alterum*) juxta Concilia & Patres ob significatam per hoc alietatem naturæ, dum scilicet *aliud* sumitur Categorematicè, seu ponitur per se: cum addito enim rectè dicitur Pater esse *aliud suppositum* à Filio. E contrà non rectè dicitur masculinè *alius*, cum addito *Deus*.

Persona ab invicem discreta, immo & secreta.

Sunt item alia, non aliud.

Nisi cum addito, suppositum.

Idem est cum proportione de termino complexo *non idem* vel *non unum*, neutraliter aut masculinè sumpto.

At non rectè dicitur Pater *dissimilis* Filio, vel ab eo *alienus*, *dispar*, *discrepans*, *divisus*, *separans*: hæc enim per se important alietatem distinctionemve naturæ. Idem est juxta Doctores, signanter *D. Bonav. d. 24. in Expos. textûs*, *Scotum ibid. q. unic. n. 2.* de nomine *diversus*: & (ut addit *D. Thom. q. 31. art. 2. ad 2.*) de nomine *differens*: idque ob eamdem rationem. Posset tamen nomen differentiæ (idem est de nomine diversitatis) usurpari, & à Patribus, item à *Magistro*, *Alensi* & aliis usurpatur cum addito, dicendo personas differre ab invicem per relationes, aut quoad personalitates Patrem esse diversum à Filio.

Non sunt dispares, divisa &c.

Non diversa aut differentes.

Nisi cum addito, quoad personalitates.

Tertiò, numerus in divinis explicari solet nominibus *multitudinis*, *pluralitatis*, *multiplicitatis*, *trinitatis*, *ternarii*, *trini*, *triplicis &c.* Et quidem certum est, rectè in Deo dici multitudinem, pluralitatem &c. personarum, esse triplicem relationem seu proprietatem personalem, adeòque triplicem personam, duplicemque esse personam procedentem: per hæc enim solùm significatur distinctio & numerus personarum, qui verè subest. Ob eamdem rationem rectè dicitur, *Deus est Trinitas*, *Deus est Trinus*. Sic enim Patres & Concilia eum Ecclesia loquuntur: solùmque indicatur in una essentia ternarius personarum, cum Trinitas sit trium unitas, ut rectè *D. Bonav. d. 24. art. 3. q. 2.* non autem idem quod ter unitas: sic enim trinus idem esset quod ter unus, adeòque falsò diceretur Deus trinus, uti ter unus, ut rectè *D. Bonav sup.* Nec refert, quòd *Toletanum XI. in Confess. fidei* asserat, *nec rectè dici potest, ut in uno Deo sit Trinitas*; intellige enim, Trinitas naturæ seu esse, ideoque mox subdit: *sed unus Deus Trinitas.* 50.

Rectè dicitur persona triplex.

Item Deus esse Trinitas, aut trinus.

Nihilominus non rectè dicitur *Deus est triplicitas*, seu *Deus est triplex*, ut cum *August. 6. de Trinit. cap. 7. & 8.* docent omnes Scholastici, signanter *Magister*, *Alensis*, *D. Bonav.* *D. Thomas*: modus enim iste loquēdi denotat numerum in Deo secundùm rationem Deitatis. Ob eamdem rationem Deus nō dicitur multiplex; ideoque impropria est opposita locutio, & exponenda, ut rectè *D. Bonav. c. 19. p. 2. in Expos. textûs dub. 3.* Dum autem Spiritus sapientiæ dicitur multiplex *Sapient. 7.* intellige cum *D. Bonav. sup.* causaliter, sive in donis, quæ multa sunt. Præterea idem nomen frequenter à Patribus usurpatur prout opponitur simplici seu non composito. Et sic 51.

Non autem triplex, vel triplicitas;

Neque etiā multiplex.

 indu-

Negat Trinitas esse trina.

indubiè nec Deus est multiplex, nec persona est multiplex, sed simplex. Denique non rectè dicitur Trinitas esse trina (uti nec multiplex aut triplex) ut rectè *D. Bonav. sup. ad* 3. *D. Thom. qu.*31. *art.*1. *ad* 5. Nam (ut rectè *D. Thom.*) significatur multiplicatio ejusdem numeri in seipsum, id est, ternarii in ternarios, quasi sint tres Trinitates. Immo (ut ibidem *D. Bonav.* & *Smising d.*5. *num.*34.) non conceditur hæc, *Deitas est trina*: ipsa enim non est numerabilis. Rectè tamen dicitur cum addito aut subintellecto, in personis. Unde canit Ecclesia: *Te trina* (subintellige, in personis) *Deitas unaq; poscimus.*

Immo nec Deitas trina, nisi subintelligatur, in personis.

52. *Attributa abstractim prædicantur singulariter de personis.*

Quartò, quod ad modum prædicandi spectat, tres personæ dici debent in singulari Deitas, Sapientia, Bonitas &c. non autem in plurali Deitates, Sapientiæ &c. Immo nec possunt concretim dici pluraliter Dii, creatores, æterni, immensi &c. sumendo concreta substantivè; ut patet ex *Symbolo Athanasii.* Quamquam concreta adjectiva rectè pluraliter prædicentur, v. g. tres creantes, habentes Deitatem &c. Ratio est: quia in abstracta prædicatione denotatur plurificatio ipsius formæ significatæ. Similiter dum concreta substantiva pluraliter dicuntur, significatur sive requiritur plurificatio non solùm suppositi, sed etiam formæ principaliter significatæ; quæ tamen unica est, scilicet Deitas, omnipotentia &c. At concreta adjectiva pluraliter sumpta ex communi usu tantùm significant esse plura supposita; quæ habent talem formam. Sicut idcirco si in tribus subjectis esset unica albedo, rectè dicerentur tria alba, id est, habentia albedinem. De quibus fusiùs *Smising d.* 5. *q.*3. *num.* 46. *& seqq.* Unde non rectè *Marsilius* & *Aliacensis* (apud *Smising n.* 46. *cit.*) dixerunt, spectatâ nominum proprietate rectè dici posse: *tres personæ sunt tres Dii*, etsi is loquendi modus apud simpliciores vitandus sit, cùm sit præter usum Ecclesiæ, & ne putentur esse plures Deitates. Non rectè (inquam) id dixerunt: cùm distinctio inter concreta substantiva & adjectiva quoad vim propriam & modum significandi diversum, quòd scilicet hæc solius suppositi, ista formæ multiplicationem exigant, sit stabilita communi omnium sensu, & usu etiam Sacræ Scripturæ, Ecclesiæ & Patrum frequentissimo: quorum loquendi modus adeò constanter excludens pluralitatem Deorum, & statuens tantùm esse & dici unum Deum, immeritò impropríetatis arguitur.

Similiter concretim, nisi adjectivè exprimantur.

Tres personæ negantur propriè vocari tres Dii.

Refutantur Marsilius & Aliacensis.

53. Nec refert, quòd *Hilar. lib.*1. *de Trinit.* non longè à fine dicat *Spiritum sanctum esse à Patre & Filio auctoribus*, ut refert *D. Thomas q.*36. *art.*4. Nam impropria est locutio, in qua substantivum usurpatur adjectivè, ut notat *D. Thomas sup. ad ult.* q. d. habentibus auctoritatem seu fecunditatem spirandi, sive esse ab illis spirantibus.

Explicatur Hilarius.

Non refert etiam, quòd in *Symbolo Athanasii* dicantur *tres personæ coæternæ*: nam sensus est, quòd sint similes seu pares in æternitate: neque denotatur pluralitas æternitatis, sed in una æternitate plurium seu distinctorum idêitas, adeòque connotatur relatio mutua, ut rectè *D. Bonav. d.*9. *in Expos. textûs dub.*2. Simili modo dicuntur tres personæ conformes, ab una scilicet forma Deitatis, vel ab una voluntate, & significatur distinctas personas esse ejusdem formæ. Sicut etiam dicuntur consubstantiales, id est, eædem in essentia, seu plures participes ejusdem essentiæ ac substantiæ. Indicat etiam *D. Bonav. sup.* nomen *coæternum* sumi posse ut adjectivuum, seu significans substantiam, scilicet æternitatem, in adjacentia.

Quo modo tres personæ pluraliter coæternæ.

Vel conformes.

Et consubstantiales.

Quintò, Prædicata essentialia sive absoluta rectè de invicem prædicantur, non solùm concretim dicendo: *Deus est sapiens, bonus &c.* sed etiam abstractim dicendo: *Deitas est sapientia, bonitas &c. Bonitas est sapientia &c.* idque ob perfectissimam identitatem, quam extrema postulant, quatenus sunt perfectiones simpliciter & infinitæ, quæ postulant sibi identificare quodcumque compossibile. Idem est, si prædicata essentialia comparentur cum personalibus aut notionalibus. Quare non solùm rectè dicitur, *Deus est Pater, est spirator &c.* sed etiam, *Deus est Paternitas, Deitas est Paternitas, Deitas est Pater &c.* Si tamen actus notionales exprimantur in concreto adjectivo, rectè quidem dicitur *Pater generare, Filius generari &c.* & consequenter rectè dicitur *Deus* (qui potest connotare suppositum, vel pro eo supponi) *generans, spirans, genitus, spiratus*: non rectè tamen abstractim dicitur *Deitas est generans, aut genita &c.* ut ex antè dictis patet. 54.

Prædicata absoluta de se invicem dicuntur identicè.

Similiter comparata ad prædicata relativa.

Sextò denique, comparando actus notionales seu processiones, aut etiam personas ipsas inter se, non rectè prædicantur de se invicem, sive abstractim, sive concretim, quæ sunt correlativè oppositæ, aut realiter distinctæ; v.g. generatio activa de passiva, Pater de Filio aut Spiritu sancto &c. nam realiter distinguuntur, nec unum connotat alterum. Immo etsi Pater & Filius rectè dicantur spirare: non rectè tamen dicitur, *Paternitas est spiratio*. 55.

Relativa tamen opposita ad prædicantur de invicem.

Immo nec paternitas de spiratione activa.

spiratio activa, Filiatio est spiratio activa; juxta *D. Bonaventuram, D. Thomam, Scotū* & alios communiter. Secùs est de hac: *Paternitas est generatio activa.* Rationem dat *Scotus*, quòd in posteriori propositione non intercedat distinctio formalis: quæ intercedit in prioribus exemplis, & tamen in neutro extremo est infinitas seu infinita formaliter perfectio: identica autem prædicatio solùm valet juxta ipsum in divinis; dum vel non intercedit distinctio formalis inter extrema, vel alterutrum saltem extremum est infinitum, quod proinde postulat identificare sibi alterum extremum, uti quodcumque compossibile. Aliàs qui solam rationis distinctionem statuunt, difficulter solidam differentiam inveniunt: adeò ut nonnulli (inter quos refertur *Albertus*, & probabile censet *Præpositus q. 32. art. 3. dub. 2. num. 10.*) ejusmodi prædicationem concedant.

Et hæc palpitante ingenii acie de hoc sublimissimo mysterio indagata, scriptoque mandata sufficiant ad gloriam Dei Trini, *qui* (ut ait Apostolus *ad Ephes. 3.*) *potest omnia facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus, secundùm virtutem quæ operatur in nobis: ipsi gloria in Ecclesia* (quæ hodie gloriam Trini Dei festivè colit) & *in Christo Iesu in omnes generationes sæculi sæculorum.* Amen.

TRACTATUS III.

DE

DEO CREATORE.

PRÆFATIO.



EXPLICATA *Deitate & Perfectionibus infinitis, ei secundùm rationem suam absolutam competentibus, in* Tract. de Deo Uno: *ac ejusdem Fecunditate ad intrà, sive æternâ Processione divinarum personarum in* Tract. de Deo Trino: *explicanda restat ejusdem Deitatis Fecunditas ad extrà, seu processio ad creaturas, quatenus eas in tempore creat & conservat.*

DISPUTATIO I.

De Creatione rerum in generali.

QUÆSTIO I.

An Deus sit Creator omnium rerum?

1\. NOTA creationem hîc sumi, prout significat productionem rei per verâ dependentiam, sive prout significat causalitatem causæ efficientis. Quo sensu omnis res à Deo distincta dicitur creata & creatura. Eodemque sensu Patres & Concilia negant Verbū aut Spiritum sanctum esse creatum seu creaturam. Quæritur itaque an Deus sit causa efficiens seu productiva omnium rerum, scilicet à se distinctarum.

DICO I. *Unus solus verus Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus est unum universorum principium, Creator omnium visibilium & invisibilium.* Ita in terminis definit *Concilium Lateranense*, & refertur c. *Firmiter, de summa Trinit.* Idem patet ex *Symbolo Apostolorum*, *Nicæno* & *Constantinopolitano*. Patet etiam manifestè ex Scriptura, *Eccli. 24.* & *2. Machab. 1.* ubi Deus vocatur *creator omnium.* & *Joan. 1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil ..... & mundus per ipsum factus est.* Et alibi sæpissimè. Ratio est: quia Deus, isque solus est ens à se; & omnis res à Deo distincta essentialiter est ens *Deus est Creator omnium.*

est ens ab alio & dependens, adeòque productum à Deo.

2. *Error Atheorum.* Huic veritati primò contradicunt *Athei*, existimantes universum hoc catere omni principio. Contra quos plenius actum est *Tract.1.d.1.q.3.*

Manichaeorum. Secundò *Manichaei*, qui statuerunt duo prima principia rerum, unum bonum & alterum malum, existimantes à Deo bono manasse res spirituales, à Deo malo autem res corporeas (exceptâ materiâ primâ quam increatam putarunt) & malas. Quem errorē de duobus principiis plures alii hæretici quoque tenuerunt, sed diversimodè:& post multa sæcula secuti sunt *Albigenses*. Estque planè perniciosus & repugnans unitati Dei, quam probavimus *Tract.1. d.1.q.4 dub.3.* Repugnat etiam auctoritatibus allegatis. Denique non est fingendus Deus malus (quod nomen aures piæ horrent) pro ullis creaturis: cùm omnis creatura bona sit,ut patet *Genes.1.*& *1.ad Timoth.4.* Solum peccatum est malum; quod non est à Deo, sed à deficiente libero creaturæ rationalis arbitrio. Vide *D.Bonav. 2.d.1. art.2. q.1.*

3. *Philosophorum.* Tertiò quidam Philosophi, nominatim *Commentator*, existimarunt materiam primam esse increatam, Deoque coæternam, ne alioquin dici oporteret, mundum esse factum ex nihilo contra vulgatum axioma: *Ex nihilo nihil fit.* Verùm isti sunt injurii infinitæ Dei potentiæ, quæ nullatenus indiget materiæ fulcimento ut operetur, & tam facilè aliquid ex nihilo, quàm ex aliquo producit. Sunt quoque Deo injurii, dum in aseitate, independentiâ & necessitate essendi eidem æquiparant substantiam adeò imperfectam, quæ est propè nihil.

4. *Simonis Magi & sequacium.* Denique *Simon Magus* mundum hūc spectabilem esse factum ab Angelis, hos autem ab ipso *Simone* ex quadam Selene meretricula (quam Helenam alii nominant, ut annotavit noster *Fevardentius* in suis notis ad *Irenaeum lib.1.c.20. n.4.*) procreatos deliravit, addēs se esse Deum. Similiter *Saturninus* (aliàs *Saturnilus*) dixit mundum corporeum esse immediatè conditum à septem Angelis contra voluntatem Dei Patris. Denique *Basilides* asseruit quoque conditum ab Angelis, sed diverso delirandi modo. Hic verò error est planè ex cerebro stultissimè confictus, sine ullo fundamento. Frequenter etiam Apostolus agit contra illos, qui culturam Angelorum quasi minorum Deorum, ac opificum & rectorum mundi invehebant, ut ad *Coloss.2.* & alibi: adeòque studiosè inculcat universa à Deo esse condita in Filio seu per Filium suum, Angelos autem esse meros ministros missos in ministerium ad *Hebr.1.* Præterea in *Genesi* & alibi tribuitur dūtaxat ipsi Deo creatio rerum, quas dicitur creasse solo verbo seu jussione suâ. Machina quoque mundialis clamat infinitam quamdam mentem esse, quæ adeò sapienter omnia construxit & ordinavit. Adde Angelos fuisse creatos simul cum mundo. Atque esto, quòd non juxta omnium doctrinam non possunt creare. Dato autem, quòd & fuissent ante mundum, & assumi potuissent ad creationem tamquam instrumentales causæ: in hoc quidem non fuisset tantum inconveniēs: assumptos equidem non fuisse certum est ex sensu Ecclesiæ & Patribus, *August. 12.de Civit. c.24. & 25.* & aliorum, ac ex modo loquendi Scripturæ, quæ sic creationem rerum Deo adscribit, ut tacitè omnem aliam causam etiam instrumentalem videatur excludere. Ad quod etiam facit illud *Isaiæ 44. Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Et, confirmari potest ex modo loquendi Concilii Lateran. relati. Quare juxta *Estium 2.d.1. §. 2.* si quis diceret Deum in rerum creatione instrumento aliquo usum fuisse, contra fidem loqui videretur. Idem denique fuit valde conveniens, ne scilicet si in prima rerum molitione alia cum Deo causa concurrisset, videretur Deus eâ indiguisse, & res corporales viderentur requirere concursum alterius causæ præter Deum.

Dices, *Joan.12. & 14.* diabolus dicitur princeps, & *2.ad Cor.4.* dicitur Deus hujus sæculi: ejusdemque ministri ad *Ephes. 6.* dicuntur rectores mundi. Resp. ibi sermonem esse de mundo vitioso, seu spiritualiter tenebroso, quatenus diabolus subjugo tyrannidis suæ peccatores captivos tenet, iisque dominatur, & pro arbitrio regit, ac dirigit in quævis vitia. Eodem sensu *Job 41.* dicitur esse *rex super omnes filios superbiæ.* Et *Joan. 8.* dicuntur Judæi *ex patre diabolo esse.* Et ad *Philipp.3. Quorum Deus venter est.* Unde *August. in Psal. 54.* expendens illud *ad Ephes. 4. Mundi rectores*, ait: *Mundi dixit, tenebrarum harum: mundi dixit, amatorum mundi: mundi dixit, impiorum & iniquorum; mundi dixit, de quo in Evangelio dicitur, & mundus eum non cognovit.* 5. *Quo sensu diabolus dicatur princeps mundi.*

DICO II. Creatio omnium rerum convenit Deo secundùm rationem toti Trinitati communem, adeòque æqualiter tribus personis. Est de fide ex c. *Firmiter, de summa Trinit.* ubi definitur, *unus Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus, unum universorum principium.* Similiter in *Symbolo Constantinopolitano*, postquam creatio 6. *Creatio rerum convenit toti Trinitati.*

creatio omnium attributa est Patri, subditur de Filio; *per quem omnia facta sunt:* quod desumptum est ex *Joan.* 1. Ipseque Christus de se ait: *Joan.* 5. *Pater meus usque modò operatur, & ego operor &c. quacumque ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Idem autem est de Spiritu sancto, cui, exceptâ principiatione, convenit quidquid convenit Filio aut Patri. Quare etiam de ipso canit Ecclesia: *Veni Creator spiritus.* Hinc est axioma apud omnes Theologos receptissimum: *Opera SS. Trinitatis ad extrà sunt indivisa;* seu (ut post *August. lib. de Prædest. SS. cap.* 8. loquitur *Concilium Francofordiense in Sacrosyllabo*) *inseparabilia sunt opera Trinitatis.* Ratio est: quia trium personarum eadem est natura, adeòque eadem potentia productiva: ergo quidquid una operatur, operantur omnes; sicut ob eamdem rationem quidquid vult una, volunt omnes.

Cujus opera ad extrà sunt indivisa.

Confirmatur ex *Scoto* 2. *d.* 1. *q.* 1. *n.* 8. quia potentia productiva ad extrà est in tribus personis priùs naturâ quàm exeat in actum; cùm processio personarum sit prior processione ad extrà: ergo singulæ personæ æqualiter sibi vendicant actionem ad extrà; uti singulis æqualiter inest principium agendi seu potentia productiva.

7. Nec obstat, quòd effectus ad extrà aliquando tribuantur primæ, aliquando secundæ, aliquando etiam tertiæ personæ. Sicut in *Symbolo Apostolorum* & *Nicæno* tribuitur Patri esse creatorem sive factorem cæli & terræ. Et *Proverb.* 8. opus creationis & gubernationis tribuitur Sapientiæ seu Filio. Et *Psal.* 103. rerum creatio tribuitur Spiritui sancto, dum dicitur: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur.* Non obstat, inquam: quia cùm Deus omnia creet & gubernet infinitâ potentiâ, sapientiâ & bonitate, idcirco operum productio, etsi tribus personis communis, specialiter nunc uni, nunc alteri personæ appropriatur; sicut potentia, sapientia & bonitas, etsi communes tribus personis, specialiter alicui solent appropriari. Unde quia Patri tamquam primo principio appropriatur omnipotentia, appropriatur quoque eidē effectio rerum, præsertim illarum in quibus specialiùs relucet potentia factoris, prout relucet in creatione rerum ex nihilo. Filio autem, eò quòd procedat per intellectum, appropriatur sapientia, idea, ars, & consequenter ipsa opera Trinitatis, quatenus in eis Sapientia supremi artificis relucet. Denique sicut Spiritui sancto, eò quòd procedat per voluntatem, appropriatur bonitas, sic eidem tribuuntur opera ad extrà (quæ sunt participatio divinæ bonitatis se diffundentis) præsertim autem quæ specialiùs divinam bonitatem commendant, v.g. dona gratiæ, incarnatio seu conceptio activa Christi &c. Atque tum ob hoc in *Symbolo Apostolorum* dicitur Christus *cōceptus de Spiritu sancto,* quàmvis etiam de se ipso quatenus Deo, & de Patre æqualiter conceptus sit: tum ut lucidiùs denotaretur castimonia & sanctitas conceptionis, neque ansa daretur alicujus inordinatæ apprehensionis, si de Patre conceptus diceretur Christus.

Etsi specialiter nunc uni, nunc alteri personæ appropriantur.

Est autem hîc notanda singularis, immo fidei dissentanea explicatio *Henrici de Gandavo quodl.* 6. *q.* 2. qui censet scientiam seu notitiam & amorem Dei essentialem non esse ei rationem operandi ad extrà, sed notitiam & amorem personalem, adeòque ipsum Verbum & Spiritum sanctum. Unde consequens est tres personas non eodem modo ad operationem seu productionem rerum concurrere, sed invicem diversimodè adjuvare, quasi Pater tamquam supremus artifex operetur omnia per Filium tamquā per ideam mentis suæ, & per Spiritum sanctum tamquam per inclinationem suæ voluntatis. Quam opinionem doctè & copiosè refellit *Scotus* 2. *d.* 1. *q.* 1. *n.* 5. *& seqq.* Verbum enim non est formaliter, sed tantùm appropriatè Sapientia Patris, qui omnia noscit, & consequenter disponit per sapientiam seu scientiam communem tribus personis, adeòque eadem est Patri ratio operandi. Idem est de amore. Quare sicut Pater non est sapiens Verbo, sic nec formaliter potens aut operans Verbo tamquam ratione operandi. Præterea completa ratio principii operativi non convenit Patri à Filio & Spiritu sancto, sed à se; sicut aliæ perfectiones simpliciter ei competunt à se. Insuper formalis & adæquata ratio principii creaturarum est in Deo perfectio simpliciter; adeòque competit tribus personis: prout tamen non competit notitia vel amor notionalis. Quare soli Patri competeret producere creaturas per notitiam personalem. Denique tres personæ non essent unum universorum principium; cujus tamen oppositum definitur c. *Firmiter.* cit. Non enim eodem modo & actione producerent: creaturæ namque procederent à solo Patre efficienter, à Filio idealiter, à Spiritu sancto impulsivè. Quare non essent unica causa seu principium: sicut è contrà Pater & Filius sunt & dicuntur unum principium Spiritus sancti, ideò quòd unicâ spiratione eodemque modo Spiritus sanctus ab utroque procedat. 8.

Error Henrici refertur & refellitur.

QUÆST.

QUÆSTIO II.

An Deus omnia quæ creavit necessariò conservet ad hoc ut possint persistere in esse?

9. *Quid conservatio?* CONSERVATIO est actio quâ res sustêtatur in esse immediatè antè præhabito: sive est actio cõtiouativa existentiæ effectûs. Estque ipsa non minor influxus, quàm prima productio, dicente *Chrysostemo Homil.3.in Ep.ad Coloss.* omnia continere, id est conservare, non minùs esse, quàm omnia creare. Immo per se loquendo est eadem actio eum prima productione, solo ab ea conootato distincta, per comparationem scilicet ad iostãs vel partes temporis quibus coexistit, sic ut quatenus coexistit primo instanti, dicatur creatio, quatenus autem sequentibus instantibus, dicatur cõservatio: cùm enim per se loquendo nec sit novus terminus, nec novum principium, consequenter nec nova actio. Ita *D. Thom. Scotus*, & alii, præsertim Recentiores, communiter, cõtra *Henricum, Aureolum*, & *Gregorium* existimantes conservationem & creationem realiter distingui. Quam sententiam eò mirabilius est amplexum fuisse *Gregorium*, quòd ipse aliàs sentiat, actionem identificari termino, adeòque nequeat esse realis distinctio inter actionem creativam & conservativam, cùm idem sit terminus utriusque, ut evidens est. Dixi, *per se loquendo*: nam sæpè fit effectum primo instanti existentiæ produci à Deo & causâ creatâ simul, in posteriori autem tempore aut instanti conservari à solo Deo; ut patet in effectibus univocis: sic enim ignis genitus non pendet in conservari à generante, nec calor productus à calore producente, & sic de ceteris: tunc autem necessariò succedit nova actio ob mutationem unius principii actionis. His præmissis

An distinguatur à prima productione?

10. *Deus omnia conservat.* DICO: Omnia quæ Deus creavit, continuò ne in nihil recidant, conservare debet; adeò ut citra assiduum Dei in illa influxum, ne momento quidem possint consistere. Est certum apud omnes, & juxta *D.Th.q.104.art.1.* & alios de fide.

Probatur ex Scriptura *ad Hebr.1. Portans omnia verbo virtutis suæ. Sap.11. Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod à te vocatum non esset, conservaretur? Act. 17. In ipso vivimus & movemur & sumus.* Et *ad Coloss.1. Omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant*, id est, conservantur, juxta *Chrysost. Hom.3. in Ep. cit.* ubi (ut refert sive transfert *Less. lib.10. de perfect. divin. c.3.* Et in re coincidit vulgata translatio *Gentiani Herveti*) ait: *Non solùm ipse ea ex nihilo ad hoc ut essent produxit, sed & idem ipse nunc quoque ea conservat & tuetur, ita ut si ipsius curâ destituerentur, mox perirent & corrumperentur &c.* Idem tamquam indubitatum docent alii Patres, *Aug. Enchirid. c.27. Non sanè creatoris desistente bonitate, & malis Angelis subministrare vitam vivacemq́ue potentiam, quæ subministratio si auferatur, interibunt.* Et *lib.4. de Gen. ad lite. c.12. Potest etiam intelligi Deum quievisse à condendis generibus creaturæ* (dum scilicet *Genes. 2.* dicitur Deus *requievisse ab universo opere quod patrarat*) *quia ultrà jam non condidit aliqua genera nova. Deinceps autem usque nunc & ultrà operatur eorumdem generum administrationem...... alioquin continuò dilaberêtur &c. Neque enim sicut structuram ædium cùm fabricaverit quis, abscedit, atque illo cessante atque abscedente stat opus ejus; ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit. Proinde & quod Dominus ait: Pater meus usque nũc operatur, continuationem quamdam operis ejus quâ universam creaturam continet & administrat, ostẽdit.* Quod fusiùs deinceps prosequitur. Et *lib.9. c.15. Cui naturæ si Deus subtrahat operationem intimam, quâ eam substituit & facit, continuò tamquam extincta nulla remanebit. Greg.16. Moral. c. 18. Cuncta ex nihilo facta sunt, eorumq́ue essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu retineret.* Et alii.

Alioquin mox in suū nihilum reciderent.

Hinc sumitur à *D.Bonav.2.d.37.art.1. q.2. in corp.* ratio conclusionis hujusmodi; omnis enim creatura ex nihilo est, & aliundè habet esse. Quia ex nihilo est, ideo quodam modo vana est & vanitati subjecta est. Quia verò aliũdè habet esse, ideo esse est sibi quodam modo accidentale. Sicut igitur vanum non potest fulciri, nisi per verum & stabile, & accidens non potest fulciri nisi per subjectum, sic esse creaturæ non potest conservari sine munificentia creatricis essentiæ creaturam conservantis instar immediati priocipii. Unde *1.d.37.p.1.art.1. q.1. in corp.* ponit exemplum in impressione formæ sigilli in aqua, quæ noo cõservatur ad momentum, nisi præsente sigillo. Item aliud exemplum de corpore ponderoso in aëre, quod nisi manu sustentetur, mox ruit. Sic omnes creaturæ mox evanescerent ac in suum nihilum reciderent, si vel momento subtraheretur influxus Dei conservativus. Quare non est simile in artifice creato, qui oon facit totam rei artefactæ substantiam ejusque principia intrinseca, ideoque facit opus per se stabile sine conservatione continua artificis; at Deus 11.

Quod declaratur à simili.

facit

facit opus secundùm totum sui, & ideo ab ipso totaliter dependet, & sine ejus adjutorio conservari non potest, inquit *D.Bonav.in 2.q.cit.ad 2.*

12. *Et fundatur in essentiali dependentia omnium à Deo.* Breviter à nobis formatur probatio conclusionis: quia creatura dependet à Deo essentialiter; quod autem sic dependet, non solùm primo productionis momento, sed semper dependet. Deinde creatura magìs dependet à Deo, quàm lumen à sole, visio ab oculo, &c. quæ tamen sic dependent, ut assiduâ conservatione indigeant. Denique nō posset alioquin Deus Angelum, animam rationalem, vel materiam primam in nihilum redigere: non enim possunt destrui per actionem cōtrariam, sed tantùm per subtractionem concursûs; quæ locum non haberet, si non conserventur à Deo.

13. *In qua similiter fūdatur essentiale Dei dominium.* Ex dictis hâc & præc. quæst. colligitur, quo titulo competat Deo absolutum & inabdicabile dominium proprietatis in omnes creaturas: quod eidem Scriptura adscribit *Esther 13.* & alibi frequenter. Non enim illud habet Deus occupatione, quasi res antea fuerint adespotæ, & ipse veluti in vacuam mundi possessionem fit ingressus: non etiam donatione, non successione, non emptione; quibus modis homines rerum externarum dominia comparare solent. Sed partim titulo creationis, quia omnia ex nihilo effinxit: partim titulo conservationis, quia postquam effinxit, continuò ne in nihilum relabantur, munifico & liberali influxu sustentat & conservat: adeòque ratione essentialis dependentiæ & subjectionis ad Deum. Unde essentialiter sumus omnes servi & mancipia Dei, ipseque essentialiter Dominus: qui sicut neminem potest manumittere sive dimittere sine dependentia à se, sic nec ullius existentis & in esse permanentis dominio se privare. Quare longè sublimius dominium habet Deus in creaturas, quàm figulus vel artifex in opus figulinum vel artefactum: si enim hic fiat illius dominus, etsi solùm concurrat ad ipsum primò efformandum, idque mediante arte per motum localem applicando activa (quæ ipse non fecit, & quibus vim agendi non tribuit) passivis: quantùm juris erit Deo in creaturas, qui solus quidquid est in creatura vi suâ contulit, & in esse conservat, sic ut alioquin ipsa nil sit vel possit? His accedit titulus ultimi finis: quia enim propter Deum ejusque gloriam omnia creata sunt, nec aliud majus officium vel usum ex natura sua intrinseca habent, quàm deservire gloriæ & honori Dei, fit ipsum esse Dominum totius creaturæ: sicut homo potest uti rebus inferioribus quæ ipsius gratiâ factæ sunt, quàmvis non sit earum auctor, v.g. frugibus, pecoribus &c. Vide *Lessium lib.10. de perfect. divin. c.3. & 5.*

QUÆSTIO III.

An Deus immediatè cooperari debeat omnibus actionibus causarum secundarum, etiam peccaminosis?

INTER Catholicos Doctores *Durandus* censuit Deum non concurrere immediatè ad operationes sive effectus causarum secundarum, præsertim liberarum. 14. *Immediatum concursum negavit Durandus.* Secundùm quam viam facilè patet, quomodo Deus non sit causa peccati: totum enim esset causatum à voluntate, & nullo modo à Deo, nisi mediatè, quatenus produxit voluntatem talem quæ posset sic & sic velle, ut inquit *Scotus d.37.q.2.n.6.* Quare juxta hoc actus peccati, sive secundùm materiale aut esse physicum, sive secundùm formale, tantùm esset à Deo permissivè, quatenus creavit voluntatem liberam, quam, adjectis prohibitionibus & pœnis, justissimis de causis sinit agere motus suos, etiam in malis. Actus tamen boni seu meritorii essent equidem à Deo tamquam causâ morali & speciali, quatenus illos vult fieri, & per auxilia gratiæ partim physicè, partim moraliter ad illos concurrit. Actus denique seu effectus causarum naturalium etiam essent à Deo, eique adscribendi, etsi tamquam causæ mediatæ: qui enim causas ad unum determinatas producit, censetur etiam causa effectuum earumdem, quos non impedit. *Durandi* sententiam operoso in eam rem Tractatu edito nuper resuscitavit *Ludovicus à Dola Capucinus*: & satis probabilem obiter censet *Poncius d.5. q.7. in fine*, quamquam in cursu Philosophico *d.38. q.5.* eam ex professo impugnet. Contra quam

DICO: Deus non solùm producit & conservat immediatè ipsas causas creatas, 15. *Asserunt communissimè Theologi.* sed etiam ad omnes illarum operationes & effectus immediatè concurrit: ita ut si Deus concursum suum positivum subtraheret, nulla creatura naturaliter aut liberè agens quidquam posset operari, sed velut immobile horologium consisteret: adeòque cessaret omnis motus cælorum, pugna elementorum, generatio & corruptio, intellectio & volitio &c. Conclusio docetur à Theologis communissimè, & *Scoto 2.d.37. q.2.* Idem *1.d.42. quæst. unic. nu. 2.* dicit esse creditam. Et *D.Bonav.2.d.37 art.1 q.1.in corp.* ait: *Hanc positio-*

positionem absque omni ambiguitate tenendam esse. Immo multi censent opinionem *Durandi* esse erroneam, aut etiam hæreticam: qualis reputabatur à multis tempore *Alberti*, ipso teste *1.d.35.art.7.* ut refert *Suarez To.1.Metaph.d.22.n.7.* Eamdam *Bellarminus*, *Casalius* & alii recensent inter errores *Pelagii*, non levibus ex fundamentis, signanter ex *Hieronymo Dial.1.contra Pelagianos*, & *epist.ad Ctesiphontem*: quamquam *Smising Tom.1.Tr.3. d.6.n.304.& 305.* & alii *Pelagium* ab hoc errore vendiceot.

16. *Indicat Scriptura.* Probatur I. ex Scriptura, quæ quotidianos & minimos effectus Deo tamquam causæ simpliciter attribuit, ut *Job 10. Nonne sicut lac mulsisti me? Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me.* Et *c.38. Quis est pluviæ pater? vel quis genuit stillas roris?* Et *Psal.146. Qui producit in montibus fœnum.* Item *Psal.148. Ignis, grãdo, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciũt verbum ejus. Matth.5. Qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Et *c.6. Si fœnum agri ..... Deus sic vestit. Joan.5. Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Quibus apertè significatur Deum non tantùm vires rebus olim inseruisse, sed etiã illis immediatè cooperari. Alioquin impropriæ essent locutiones quibus Deus dicitur pluere, & similia facere, si solùm esset causa causarum, & nõ ipsorum effectuum. Deinde per illas locutiones intendit Scriptura nobis commendare assiduum Dei beneficium, eò quòd scilicet assiduè operetur, & quotidiè. Huc etiã spectat illud Apostoli, quod refertur *Act.17. In ipso vivimus, & movemur, & sumus:* dicimur enim in ipso esse, quatenus id quod sumus in nobis, jugiter operatur: adeòque eodem sensu in ipso movemur omniaque agimus, quatenus hoc ipsum ipse in nobis operatur.

17. *Et Sancti Patres.* Accedit Auctoritas Patrum *Aug.* enim *lib.4.de Gen. ad litt. c.12.* dicti Apostolici ex *Act.17.* mox recitati hanc allegat rationem: *utique cùm aliud simus quàm ipse, non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur.* Quæ ratio est communis omni creaturæ, etiam à causis secundis causatæ, quæ similiter est & vivit in Deo; adeòque in ipsam quadrat similiter hæc ratio: *Cùm aliud sit quàm ipse Deus, non ob aliud in ipso est, nisi quia Deus ipsam operatur.* Et infra: *Unde* (inquit) *colligitur, quòd si hoc opus suũ rebus subtraxerit, nec vivemus, nec movebimur, nec erimus.* Quod non minùs diceret, si possent, ipsi effectus causarũ creatarum. Præterea *in principio c.cit.* & alibi jugem Dei operationem, ex istẽtiæ rerum necessariã asserit; addens non aliter ipsum quievisse à pristino creationis opere, quàm quia nova deinceps rerum genera non produxit, eò quòd *alioquin continuò dilaberentur.* Dilaberetur igitur lux solis, calor ignis, & reliqua accidẽtia rerum in principio formatarum, si cessaret continua operatio Dei conservativa illorum; adeòque non conservaotur à sola substantia creata, à qua tamen connaturaliter conservari petunt. Allegatq; generalem omni creaturæ, adeòque etiam effectibus causarum secundarum, rationem: *Creatoris namq; potentia & omnipotentis atque omnitenentis virtus* (agit de virtute etiam in actu seu de operatione) *causa subsistendi est omni creaturæ, quæ virtus si aliquãdo cessaret, omnis natura* seu creatura *concideret.*

Idem *August. lib.5.de Gen. ad litt.c.20.* ubi refert: *Sunt qui arbitrãtur tantummodo mũdum ipsum factum à Deo, cetera jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit & jussit, Deum autem ipsum nihil operari.* Deinde subdit: *Contra quos profertur illa sententia Domini: Pater meus usque nunc operatur..... non solùm magna atque præcipua, verùm etiam ista terrena & extrema ipse operatur.* Quod probat ex Apostolo *1.ad Cor.15.* ubi agit de semine, cui priùs mortuo, dein vivificato Deus dat corpus quo modo voluerit, & unicuique seminum proprium corpus. *Sic ergo credamus* (pergit *Augustinus*) *vel, si possumus, etiã intelligamus usque nunc operari Deum, ut si conditis ab eo rebus operatio ejus subtrahatur, intereant.* Et quamquam non condat nova rerum genera, tamen *secundùm illa genera rerum quæ primùm condidit, nova eum multa facere, quæ tunc non fecit, manifestum est &c. Movet itaque occulta potentia universam* (nota) *creaturam suam*, idque specificat per quotidianas causarum secundarum actiones. Et *Epist.145. ad Consentium: Quomodo enim negare peterimus, Deum etiam nunc operari cuncta quæ creantur, cùm Dominus dicat Pater meus usque modò operatur?* Deinde ostendit etiam in præsenti Deum operari formando corpora, vestiendo fœnum &c. Et *lib.2. de lib. arbit. cap. ult. Nulla ergo natura est, quæ non sit ex Deo.*

Anselmus lib. de concordia præscientiæ c.7. Facit (inquit) *Deus omnia quæ justà vel injustà voluntate fiunt, id est bona opera & mala. In bonis quidem facit & quòd sunt & quòd bona sunt: in malis verò facit quòd sunt, sed non quòd mala sunt.* Usque adeò igitur omnia facit Deus, ut etiam ipsum esse seu entitatem malarum actionum efficiat, utique non tantùm permissivè, sed positivè; cùm permissivè quoque faciat Deus, quòd malæ sunt. Et ibidem: *Omnes actiones & omnes motus facit Deus, quia ipse facit res à quibus, & ex quibus, & per quas, & in qui-*

in quibus fiunt, & nulla res habet ullam potentiam volendi aut faciendi nisi illo dante: ipsum quoque velle (quod aliquando justum est, aliquando injustum) in quantùm est, bonum est, & à Deo est: non esse verò bonum, non est quid, nec à Deo est. Et *l. de casu diaboli c.* 20. *Cur mirum, si dicimus Deum facere singulas actiones quæ fiunt malâ voluntate: cùm fateamur eum facere singulas substantias quæ fiunt injustâ voluntate & inhonestâ actione?* v. g. etiam homines qui generantur per adulterium. Quas Auctoritates in sensu conclusionis (uti apertè sonant) semper intellexerunt Doctores Scholastici communiter.

18. *Et probat essentialis dependentia ac subordinatio.* Probatur ratione primò: causa secunda essentialiter & immediatè dependet ab influxu Dei in essendo, ergo etiam in operando: nam utrâvis ratione æqualiter est ens per participationem. Secundò: Deus est verè & propriè causa prima & universalis, cui ceteræ causæ & effectus essentialiter subordinantur: ad hoc autem requiritur concursus immediatus: nam aliàs sublatâ causâ seu principio remoto, ceteris stantibus, omnia eodem modo se haberent, ac si principium remotum numquam extitisset.

Tertiò: alioquin effectus causarum secundarum in fieri, seu quamdiu subsunt ipsis causis secundis non penderent à Deo, neque ipsæ causæ secundæ indigerent auxilio Dei ad operandum, v. g. sol ad illuminandum &c. adeòque tolleretur perfectissima subordinatio & dependentia creaturarum à Deo. Immo actiones causæ secundæ Deus non posset impedire, nisi vel destruendo causam, vel introducendo in subjectum effectum contrarium: cùm nullus præterea restet impediendi modus, nisi insensibilis denegatio concursûs generalis. Hoc autem cedit in diminutionem divinæ potentiæ; immo repugnat experientiæ: cùm Deus in fornace Babylonica impediverit combustionem trium puerorum, nec destruendo ignem, nec introducendo contrarium in corpora puerorum; adeòque impediverit subtrahendo concursum. Confirmatur I. quia indubiè perfectius, uti & immediatius erit dominium Dei ac potestas in omnes creaturas, si hæ nil omnino sine illius auxilio & cöoperatione agere possint; ergo dicendum est illas in omnibus ope Dei indigere. Confirmatur II. quia non minùs exigunt effectus causæ secundæ immediatè dependere à Deo, quàm ipsa causa secunda. Alioquin isti contra Deum gloriari possent: ipse non fecit nos. Sicut propriè me non generavit parens mediatus, nec fructus moderni arbor destructa è cujus semine præsens arbor prodiit.

Petes I. In quo consistat concursus Dei ad actiones & effectus creaturarum? Resp. importare in ipso Deo volitionem ipsius efficacem quatenus applicatam ad hoc vel illud cum creatura agendum: vi cujus volitionis in tempore præstituto prodit operatio & effectus creatus. An autem intermediet inter volitionem Dei & effectum creatum distincta actio, quæ sit quidam purus modus (ut vocant) disputatur. Et quidem faciliùs affirmatur, supposito quòd inter causam creatam & effectum mediet distincta actio seu causalitas causæ efficientis; prout in Physica docetur. Eo enim supposito necessarium videtur, ut hæc ipsa actio velut quoddam ens creatum dependeat immediatè à Deo tamquam principio: adeòque eadem actio quæ tota exit à creatura, etiam tota exit à Deo, & consequenter eâdem indivisibili actione mediante procedit pariter effectus à Deo & creatura. Quo non obstante provenit eadem actio & effectus ab utraque causa perfectè in suo ordine, sicut visio procedit perfectè tam à visu quàm à specie, quia scilicet à singulis procedit virtute in suo ordine commensuratâ effectui. Hæc autem actio quatenus procedens à Deo vocatur à quibusdam concursus Dei ad extrà; aut potiùs in actu secundo: volitio autem Dei vocatur concursus Dei ad intrà, estque ipsa omnipotentia Dei quatenus interiùs applicata ad operationem. 19. *Quid importet concursus Dei?*

Petes II. Quo sensu dicatur causa prima seu Deus agere per causas secundas; cùm si immediatè attingat illarũ effectus & operationes, potiùs dicendus sit agere cum causis secundis quàm per illas? Resp. id dici, partim quia causæ secundæ agunt per virtutem acceptam à causa prima: partim quòd causa prima agat per causas secundas velut causa universalis per particularem, sicut intellectus per speciem intelligibilem intelligit, potentia per habitum operatur &c. partim quia operationes causæ secundæ sunt sub manu & directione providentiæ Dei, qui omnipotentissimâ bonitate suâ etiam malis operationibus utitur easque ordinat in fines rectos. 20. *Quo sensu causa prima dicatur agere per secundam?*

Sed restat gravis difficultas, quo modo consistat cum sanctitate Dei, quòd ab eo immediatè procedant etiam actiones peccaminosæ: cùm enim ipsæ sint peccata, si Deus ipsarum sit causa, videtur consequenter esse causa peccati. Respondent 21.

Deus est causa entitatis physicæ, non malitiæ.

spondent Theologi communiter, Deum ex officio causæ primæ & universalis esse quidem causam entitatis physicæ actus peccaminosi (quam alii vocant materiale peccati) non tamen ipsius deordinationis moralis sive malitiæ; quam formale peccati appellant: nam secundùm hoc est solùm à creatura deficiente à lege sibi præscriptâ. Ratio est: quia sola creatura sic producit illum actum contra legem & rectam rationem; lex enim & recta ratio non vetat, quò minùs causa prima exequatur munus suum, cooperando tamquam causa universalis omni motioni causarum secundarum: sed solùm vetat, ne actus malus, v. g. odii, eliciatur liberè à creatura. Cujus ulterior ratio est: quia creatura est causa particularis talis actûs, & principium formale determinativum actionis malæ, tum quoad speciem, tum quoad exercitium, quatenus sic determinat se liberè ad actionem, ut alteri principio determinativo, scilicet Deo, sit ratio se determinandi ad eamdem actionem. Sicut causa particularis necessaria, v. g. species intelligibilis albedinis, est principium formale determinativum intellectionis albedinis, quatenus ad illam sic concurrit, ut intellectui etiam sit ratio causandi talem intellectionem. Et sicut in constitutione physicâ forma substantialis est formale determinativum, quatenus sic constituit hoc compositum, ut etiam materiæ primæ sit ratio idem constituendi.

22. *Hanc solùm censetur permittere.*

Itaque lex & ratio seu conscientia solùm dictat, ne quis sit causa libera particularis seu principium sic determinativum actionis malæ, v. g. odii Dei. At influere per modum principii universalis & quasi determinati, non prohibet generaliter lex aut ratio, sed tunc solùm quando quis tenetur tale opus impedire, seu quando deest justa ratio sic cooperandi. Dum enim illa adest, ejusmodi cooperans, tantùm censetur ad physicū actum cooperari, ad malitiā autē se habere permissivè.

Idque justis de causis.

Sic autem contingit in Deo, qui justissimas habet rationes non impediendi peccata, adeòque cooperandi instar causæ primæ, quæ non debet perturbare ordinem universi, sapientissimè sic institutū, ut relictâ voluntati libertate, eam sinat agere motus suos, nolens semper per gratias efficaces (uti posset etiam salvâ libertate) peccata impedire, de quibus novit bene facere; quod judicavit melius, quàm mala nulla esse permittere, ut ait *Aug. Enchirid. c. 27.* Permissio namque peccati non est intrinsecè mala, sed etiam hominibus sæpè licita; quantò igitur potiùs supremo Deo? A quo si tolatur facultas peccata permittendi, tolletur quoque facultas vindicandi & justitiam suam exercendi. Neque id peculiare est in nostra doctrina, sed etiam *Durando* solvendum est, qui fatetur Deum justè peccata permittere: quod etiam fides docet.

Itaque non refert, quòd is qui scienter juvat furem in actione, dicatur concurrere cum fure, & culpa furis ei attribuatur: nam (ut rectè *D. Bonav. 2. d. 37. a. 2. q. 1. ad 3.*) decens & conveniens est, quòd homo proximum non adjuvet in ea actione, in qua ambulat non rectè, immo potiùs debet impedire: cùm nec ipse sciat nec possit bonum elicere, nec ad illud adjutorium aliquâ lege adstringatur, sed potiùs prohibeatur: non sic autem est in proposito. Primò, quia decet divinam liberalitatem ut influentiam virtutis suæ nec bonis nec malis subtrahat. Secundò, quia decet divinam providentiam sic res quas condidit administrare, ut eas agere proprios motus sinat. Tertiò, quia ipse novit & scit inde bonum elicere: & ideo cùm cooperatur peccatori in actione, laudabiliter facit: & ideo nullo modo malitia, quæ reddit suum actorem culpabilem, est ei attribuenda. Hactenus *D. Bonav.*

Non refert etiam, quòd Deus determinet voluntatem creatam ad hunc potiùs quàm ad alium individuum actum peccaminosum: nam in hoc nulla est deordinatio vel malitia, sed in hoc quòd quis sit liberè ratio, cur actus potiùs exerceatur, quàm non exerceatur, vel cur exerceatur actus talis vel talis speciei. Aliqui verò, qui imaginantur indecentiam in hac determinatione inter individuos actus peccaminosos, etiam suppositâ determinatione voluntatis ad hunc vel illum ponendum: hi (inquam) negant Deum determinare individuationem effectuum, præcipuè illorum qui procedunt à causa libera. Ut refert *Oviedo 1. 2. Tr. 6 Contr. 7. n. 42.* ubi ipse consequenter ad sua principia de indifferentia concursus divini, respondet, Deum non determinare existentiam absolutam alicujus individui peccati, quasi hoc individuum præ alio intendat, sed negare principia indifferentia ad cetera individua, & ea ad hoc individuū concedere, illudque permittere, ex quo immediatè & per se tantùm fit, voluntatem manere quasi sub conditione determinatam ad hoc individuum, sic ut ipsa quidem absolutè se determinet ad ipsum, quod libere posset omittere, tamen ex voluntate Dei nequeat se determinare nisi ad hoc, posito quòd aliquod istius speciei peccatum velit admittere. 23. *Nec obstat divina determinatio actûs quoad individuum.*

Neque etiam inde sequitur, Deū non fore dicendum causam actionis bonæ: nā in primis ad hāc particulariter determinat & inducit voluntatam creatam per bonas in- 24. *Cur Deo potiùs adscribatur bonitas actûs.*

inspirationes & gratias: deinde per præcepta & cōsilia. Accedit, quòd etiā persistendo in concursu generali sit disparitas inter bonas & malas actiones; quòd Deus ex intētione seu proposito, & ad eum finē, nobis influxum suum conferat, ut bene operemur, sicut & ad bene operandum nos creavit; sed est præter ejus intentionem & voluntatem, quòd concursu ejus mediante peccemus: quare in eo contra voluntatem Dei abutimur bonitate & dono ipsius, juxta *Aug. l. 2. de lib. arb. c. 1.*

25. *Causa effectûs principalis etsi sit causa annexi ex natura rei.* Non refert præterea, quòd causa effectûs principalis sit etiam causa annexi, præsertim quando annexum non est aliter causabile, quàm per productionem subjecti seu principalis; prout malitia non est aliter causabilis, quàm ratione causationis actûs, cui annectitur. Nam etsi assumptum sit verum, quando annexum consequitur principalem effectum ex natura rei; prout inventio thesauri, etsi tantùm per accidens, conjungitur fossioni, ideòque refertur in fodientem tamquam causam per accidens: est tamen falsum, quando annexum consequitur effectum principalem ex speciali modo & conditione ipsum producendi: prout malitia consequitur actum non ex natura rei, sed ex speciali modo, quo creatura ipsum producit, videlicet tamquam causa libera particularis, & tamquam principium formale determinativum actionis communis ipsi & Deo. Quare malitia abest, dum eadem actio sine libertate exercetur à stulto: Immo si Deus solus extra voluntatem aut omne subjectum produceret actum odii, nulla esset in eo moralis malitia. *Non tamen Deus est causa malitiæ.*

26. *Etsi sit causa malorum naturalium.* Non refert denique, quòd Deus, etsi solùm sit causa universalis effectuū naturalium, & ad illos determinetur per causas naturales, sit equidem etiam causa negationum & malorum naturalium annexorum. Nam mala naturalia consequuntur effectus causarum naturalium ex natura rei: malitia autem moralis consequitur actum physicum ex speciali modo operandi creaturæ liberæ. Deinde Deus sic operatur physicam entitatem actus mali tamquam causa prima & universalis, ut voluntatem creatam ab eodem retrahat tamquam causa particularis, per prohibitiones, minas, aliaque media: adeòque non est ei abscribenda malitia moralis, etsi adscribantur mala naturalia. Denique etsi Deus non concurreret immediatè, adhuc juxta *Durandum* ei adscriberentur effectus causarum naturalium & mala consequentia ratione productionis ipsarum causarum determinatarum, quæ censentur instrumenta naturalia Dei tamquā supremi artificis; non sic effectus causarū liberarū. Sicut etiam in humanis, pater est causa filii, & tamen non censetur moralis causa malarum actionum illius. Quæ differentia non tollitur per concursum immediatū, adeòque sufficit ipso etiam admisso.

QUÆSTIO IV.

An Deus quædam produxerit & producat per propriè & strictè dictam creationem, & an hæc soli Deo competere possit?

Nota creationem presse & propriè sumptam esse productionem rei ex nihilo, id est, non ex aliquo sui aut præjacentis subjecti. Res namque ipsa creationis in hoc potissimùm consistit, quòd ante illam nil rei præexstiterit, sive ratione sui, sive materiæ aut subjecti, è cujus potentia educatur. Quare nihilum est ipsum non esse rei, tum in se, tum in potentia subjecti. Neque necesse est, ut ipsum duratione antecesserit rem creatam: quamquam enim ea quæ de facto creantur aut creata sunt, aliquandu fuerint realiter nihil: tamen etsi producta fuissent aliqua ab æterno (quod saltem possibile est juxta plurimos Doctores) equidem fuissent creata, seu producta ex nihilo, non quòd fuit re ipsâ (eo scilicet modo quo nihilum esse potest) sed quod fuisset connaturaliter & ex natura rei, nisi per omnipotentiam Dei statuentis terminum positivum oppositum, scilicet rem creatam, impeditum fuisset. Ideòque nihilum est prius naturâ, atque etiam tunc fuisset prius naturâ ipsâ re creatâ, priuitate quasi privativâ; non autem positivâ, qualis est inter ea quæ simul sunt tempore, & tamen ordinem naturæ inter se habent, ut inter solem & lucem. De quo duplici ordine aptè disserit *Scotus 2. d. 1. q. 2.* In explicatione creationis plures addunt, per nihilum insuper negari terminum à quo positivum, ad excludendam transubstantiationem seu conversionem totalem unius substantiæ in aliam, quę est ex aliquo præcedenti termino positivo à quo: quod tamen ad quæstionem de voce spectat, & arbitrarium videtur. 27. *Creatio propriè sumpta explicatur.*

Dico I. Creatio propriè dicta quoad varias res Deo competit. Patet ex *Gen. 1. In principio creavit Deus cælum & terram*, scilicet ex nihilo, ut Patres intelligunt & circumstantiæ cogunt, ipsaque Scriptura explicat *2. Machab. 7.* ubi dicitur: *Peto, nate, ut aspicias ad cælum & terram, & ad omnia quæ in illo sunt, & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus & hominum genus.* Idem apertè definitur *c. firmiter, de summa Trinit.* Ratio conclusionis est evidens: quia si à Deo nihil sit factum per creationem, sed ex præsuppo- 28. *Competit Deo.*

 sita

sita materia, sequitur illam esse à se & increatam, Deoque necessariò coæternam. Unde aliquid propriè ex nihilo posse à Deo fieri tam certum est, quàm unicum tantùm esse ens à se increatum & necessarium, cetera autem esse ab alio & contingenter.

Porrò juxta *Aug. l. 1. de Gen. contra Manichaeos c. 6. Ideo Deus rectissimè creditur omnia de nihilo fecisse, quia etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, hæc tamen ipsa materia de omnino nihilo facta est.* Unde Deus propriè creavit in primis ipsam materiam primam, Angelos, & quotidiè creat animas rationales: quæ etsi producantur in corporibus sive in materia, non tamen ex materia, sed ex nihilo, sive independenter à materia. Similiter accidentia, quæ in Eucharistia conservantur, aut de novo producuntur extra subjectum, verè creantur.

29. *An etiam quoad substantias corporeas materia & mundo coævas.* De substantiis autem materialibus sub initium mundi productis, dubitari potest, an sint propriè creatæ, non solùm ratione materiæ, sed etiam ratione formæ. Et quidem de iis, quæ primo die in ipso principio mundi sunt productæ, scilicet formâ cæli & terræ, docent plures Doctores, quòd sint concreatæ ipsi materiæ, non autem eductæ è potentia materiæ, eò quòd ad hoc requiri videatur, ut ipsa materia tempore præexistat. Verùm non apparet hoc adeò fundatum: eò quòd ejusmodi præexistentia materiæ non sit necessaria, ut forma producatur dependenter à materia, adeòque nec sit necessaria, ut forma educatur è potentia materiæ: quæ sunt unum & idem. Deinde ut res creata educatur seu producatur ex nihilo, non requiritur per se, quòd ordine durationis nihilum antecesserit ipsam rem creatam; ergo nec requiritur ejusmodi antecessio materiæ, ut forma educatur ex materia. Requiritur tamen talis antecessio ad propriè dictam mutationem, in qua, si sit generatio, debet subjectum commune transire à privatione formæ ad ipsam formam, vel è contrà in corruptione. Quare prædicta corpora non sunt producta per generationem mutationem, sed per generationem actionē.

30. *Vel circa initium mundi à solo Deo productas.* Alii itaque dixerunt non solùm formas in principio mundi simul cum materia productas fuisse creatas, sed etiam omnia alia mixta seu formas illorum, quæ postea sub initium mundi Deus se solo produxit: eò quòd actio pendens effectivè à solo Deo, non sit dependens à subjecto (aliàs Deus in agendo dependeret à subjecto: cùm tamen omnem formam absolutam possit producere & conservare extra subjectum) adeòque etiam ipse effectus per illam productus non dependeat à subjecto, cùm actio sit ipsa dependentia effectûs. Idem confirmatur ex eo, quòd materia seu subjectum non sit vera causa influens, nec conditio physicè ad causandum requisita, sed solùm ex ordinatione seu limitatione extrinsecâ Dei: Deus autem in agendo non limitatur ordinatione suâ. Ex quo consequens est, quidquid Deus se solo producit, præsertim si sit absolutum, propriè & strictè loquendo creari.

Verùm modus iste loquendi minùs placet: eò quòd plantæ, pisces & similia mixta videantur producta per eductionem formarum è potentia materiæ, non minùs quàm ea quæ quotidiè generantur: etsi enim Deus velut in actu primo non dependeat à materia, quin agere possit independenter ab illa, potest tamen in actu secundo se alligare materiæ juxta naturalem conditionem effectûs in ea producendi; nec aliquid urget, ut in prædictarum rerum productione dicamus Deum se gessisse præter naturalem rerum exigentiam, secundùm quam formæ materiales postulant fieri dependenter à materia. Quemadmodum formæ mixtorum, quæ quotidiè producuntur etiam à solo Deo supplente defectum causæ secundæ (ut loquuntur & fatentur plerumq; Philosophi) non dicuntur idcirco magis creari, quàm quæ producuntur pariter à Deo & causâ secundâ. Quemadmodum etiam substantiæ, quæ sive à causa creata univoca, sive ab æquivoca producuntur, & à solo Deo conservantur, non censentur conservari per actionem creativam. Quare actio pendens effectivè à solo Deo potest esse dependens à materia. Neque ullatenus admittendum est, materiam neque esse causam neque conditionem physicè requisitam, sed solùm ex ordinatione extrinseca Dei: aliàs enim non magìs anima bruti, quàm hominis, ex natura sua dependeret à materia. Aliàs quoque non superaret virtutem intrinsecam & naturalem substantiæ creatæ, immo accidentis, creare; cùm absque ullius virtutis additamento id posset, si extrinsecum Dei decretum secluderetur: quod omniū Doctorum sensui & infrà dicendis repugnat. Aliàs denique tam facilè, immo eâdem actione poterit accidens produci & conservari intrà & extra subjectum, nul ofulcimento per omnipotentiam Dei addito, quo accidens ipsum sustentetur.

Dico II. Nulla creatura potest creare De potentia Dei ordinata. Colligitur ex Scriptura, *Eccli. 1. Unus est altissimus Creator omnipotens.* Et aliis locis, quæ etsi conclusionem non tam evidenter exprimant, ut faciant eam de fide, certam tamen 31. *Non potest creatura creare de potentia ordinata.*

reddit indubitatus omnium Theologorum consensus, & Patrum Auctoritas. Hi enim probant Spiritum sanctum esse Deum, eò quòd creet: ut patet apud *Cyrillum l. 14. Thesauri c. 6.* quæ ratiocinatio nulla esset, si vis creandi de facto alicui creaturæ competeret. Aliæ Auctoritates Patrum allegandæ seq. conclusione, à fortiori probant præsentem. Ratio est: quia discurrenti per singula causarum genera patebit, nullam earum quidpiam operari, nisi ex præjacente subiecto. De quo vide *Scotum* 4. *d.* 1. *q.* 1. *n.* 28. & deinceps. ubi hanc conclusionem longo discursu probat ab enumeratione. Confirmatur: quia *Angeli nullam omnino possunt creare naturam*, ut ait *Aug. 9. de Gen. ad litt. c. 15.* qui similiter 3. *de Trinit. c. 8.* docet, nec bonos nec malos Angelos posse esse creatores alicujus rei: ergo multò minùs creare possunt aliæ creaturæ, longè imperfectiores.

32. *Immo nec de potentia absoluta, tamquam causa principalis.*

Dico III. Ne quidem de absoluta potentia potest creatura creare tamquam causa principalis aut virtute sibi connaturali, etiam loquendo de creatura dabili. Est communissima Theologorum sententia contra *Durandum* existimantem oppositum, eò quòd rationes naturales adferri solitæ ad probandum conclusionem non sufficienter ostendant intentum. Quod etsi de plerisque saltem verum sit, plus equidem movere debet communis Doctorum consensus subnixus Auctoritati Patrum, qui dum negant creaturam posse creare, loquuntur etiam de absoluta potentia, docentes id esse vero Deo proprium, nec posse competere creaturæ ex hoc ipso quòd creatura est.

Vt probat auctoritas.

Athanas. serm. 3. contra Arianos ait: *Quomodo si secundùm vos ex non entibus extitit*, Verbum, *potis est non entia ut entia sint condere?* Et infrà: *Neque enim vel Angeli quidquam creare possunt, cùm & ipsi sint creaturæ; quàmvis in diversam sententiam Valentinus, Marcion & Basilides eant, & vos unà cum eis, ut asseclas decet & æmulatores: quia immo ne Sol quidem, cùm sit res creatitia, umquam effecerit, ut quod nihil est aliquid fiat.* Et infrà: *Cùm tamen extra controversiam sit, creatitiam naturam à solo Deo creari posse. Cyrillus l. 2. contra Julian. versùs finem* ait: *Et hoc maximè contra Divinam gloriam militat, etiam alios putare posse creare, & ex nihilo producere &c. nam inaccessa natura sunt ea quæ propriè sunt solius & omnium summa substantia &c.* Et *l. 6. Thesauri cap. 2. Nulla creatura umquam substantiam à nihilo producere poterit: finita namq; id virtutis esse non potest.* Et *l. 14. c. 6. Potestas creandi divina solummodo inest naturæ: & hæc est inter alias Deo convenientes dignitates præcipua.* Similia habent alii Patres. Neque possunt explicari de potestate creandi universam creaturam, quia videlicet non sit potestas creandi se ipsam: ut textum inspicienti manifestè patebit, & proprietas verborum generalisque loquendi modus, etiam cujusvis particularis rei creationem excludens, ostendit.

33. *Et ratio auctoritate innixa.*

Fundatur conclusio in eo quòd productio rei ex nihilo requirat virtutem seu potentiam infinitam in producente, ut patet ex *Cyrillo l. 6. Thesauri c. 2.* & tamquam certum supponit *D. Bonav. 1. d. 3. p. 1. in Expos. textus dub. 4.* Hoc ipsum tamen difficulter ostenditur ratione naturali. Multiplex quidem ratio à diversis assignari solet: sed singulæ non difficulter solvuntur.

Difficulter id sola vincit ratio.

Vulgata siquidem probatio hæc est: inter ens & nihil seu non ens est infinita distantia: ergo potentia finita, quæ nequit pertransire infinitam distantiam, nequit aliquid ex nihilo producere. Sed facilè respondetur inter ens & nihil propriè quidem loquendo non esse distantiam, uti nec distinctionem, sed solùm inter ea quæ stant seu habent esse.

Quæ sumitur ex distantia infinita entis & non entis.

Latè autem loquendo non est necessariò distantia infinita: ens enim à nihilo solùm potest distare totâ essendi seu perfectionis suæ latitudine: unde si finitum sit, solùm distat finitè. Quare major distantia est inter Deum & non Deum, quàm inter Angelum & non Angelum, & sic de ceteris cum proportione. Unde vulgatum illud, *inter contradictoria est distantia infinita*, in rigore est falsum, ut inquit *Scotus 4. d. 1. q. 1. n. 12.* Potest tamen admitti hoc sensu, quòd infinita sit & indeterminata latitudo distantiæ unius contradictorii ab altero: nulla quippe distantia est adeò modica, quin sufficiat ad contradictionem: quantumcumque enim vel modicum quidpiam recedit ab uno contradictoriorum, mox est sub altero: nulla quoque est distantia tam magna, quin ad illam ejusque extrema se extendat contradictio. Vide *Scotum sup.* Addo, etiam per generationem produci ens ex non ente, scilicet ex nihilo sui: ubi tamen simili quodam modo distantia ejusmodi urgeri posse videretur, sed frustrà.

34. *Aut ex maxima universalitate effectûs creationis.*

Altera probatio sumitur ex maxima universalitate effectûs seu termini creationis, qui est ipsum esse: inde enim sequi videtur, necessariam esse causam universalissimam, scilicet Deum, qui consequenter producere possit, quidquid communem illam rationem esse seu entis creabilis participat. Sed facilè eludi potest, dicendo effectum creationis, quem respiceret potentia creativa creata seu finita non fore

universalem rationem ipsius esse seu entis factibilis, sed certam & determinatam rationem esse seu entis factibilis, scilicet certi generis aut speciei: adeòque ad entia istius generis seu speciei solùm debebit extendi potentia creata creativa: quamquam potentia divina, quæ est infinita, se extendat ad omne contentū sub universalissimo esse, subintellige factibili.

35. *Aut ex infinita multitudine effectuum aliàs secuturâ.*

Tertia probatio sumitur ex *Derkennis de Deo Creatore c. 1. §. 2.* Si creatura posset creare, posset simul & semel omnes effectus, quos continet, producere; utpote quæ in creando nullum extra se determinativum haberet, nullasque ex parte effectûs dispositiones requireret: atqui talis creatura contineret effectus individuos infinitos, uti continet quælibet causa quantumvis imperfecta: ergo produceret simul omnes; necessariò quidem, si foret causa necessaria, liberè verò & ad placitum, si foret libera. Sed responderi posset Neg. Seq. Majoris, suppositâ veritate Minoris: nam solùm producere posset effectus numero finitos à Deo determinandos, partim ob finitatem potentiæ, partim ob suppositam in argumento, etsi controversam, impossibilitatem infinitæ multitudinis effectuum, ut taceam nonnullorum effectuum creationi operosam prærequiri dispositionē, ut patet in animabus respectu hominis.

Similiter solvi posset altera prædicti Auctoris probatio præcedenti affinis, quâ infertur actu infinita effectuum multitudo ex hoc, quòd suppositâ creaturâ potente creare vel unicum effectum determinatum, qui similiter sit creativus similis effectus determinati, & hic rursum alterius, & sic consequenter, de facto sequeretur infinita actu creantium & creatorum multitudo, sive necessariò, si causæ sint necessariæ, sive ad libitum, si liberæ: cùm tota ista creantium & creatorum successio sit instantaneè absolvenda. Responderi enim potest, suppositâ (quæ controvertitur) infiniti implicantiâ, sistendum fore in numero finito summo possibili; aut si non detur status, in determinando per Deum.

36. *Aut denique ex virtuali translatione rei quantumvis distantis in instanti.*

Postrema probatio ex eodem Auctore desumpta est talis. Rem aliquam absque subsidio subjecti conservare pro eo instanti, quo esset aliàs in nihilum abitura, æqualis virtutis est, ac rem illam eo instanti è nihilo educere seu creare: atqui per creationem posset res sisti præsens creanti: ergo etiam per ejusmodi conservationem res sisti præsens posset, quantumvis antè distaret; sed creatura, quæ creare posset, etiam posset rem illam quantumvis distantem subtractione influxus divini aliàs in nihilum redituram pro eo instanti conservare, ut jam dictum: ergo creatura, quæ posset creare etiam posset rem illam quantumvis distantem dicto modo conservando sibi sistere præsentem, & quidem instantaneè, cùm tam creatio, quàm dicta conservatio instantaneè fiant. Atqui rem aliquam quantumcumque distantem, sibi instantaneè præsentem sistere arguit virtutem infinitam; non enim æquivalet tantùm, sed & prævalet translationi, quæ fieret per medium aut instantaneè, aut tempore quocumque dato, quod haud dubiè nisi à virtute infinita fieri nequit: ergo creatura quæ creare posset, esset virtutis infinitæ, quæ creaturæ competere nequit. Accersere igitur rem ex nihilo prævalet cuiumque translationi sive transito, sive non transito medio quocumque, quorum utrumlibet virtutē infinitam arguit. Ipsum proinde non esse rei prævalet cuicumque distantiæ ejusdem, quo ad illum effectum, ut sistatur præsens creanti.

Nihilominus hæc probatio (quæ uti ingeniosa, sic satis plausibilis primâ fronte apparet) non clarè conficit intentum: nam in primis non satis constat, quòd ita sistere instantaneè rem distantem arguat virtutem infinitam; uti & translationem etiam instantaneam & sine transito medio: cùm juxta *Smising de Deo Uno To. 1. Tr. 2. d. 5. n. 44.* non superet ejusmodi transitus virtutem intrinsecam agentis de facto creati, secluso decreto extrinseco seu limitatione causæ primæ: sicut nec superat actio immediata in quantumcumque distans. Deinde dato quòd instantaneè sistere rem sibi præsentem, quantumvis distat, arguat virtutem infinitam, uti & similis translatio præsentialis, responderi posset id non sequi ex facultate creativa creaturæ, adeòque hanc posse quidem sibi sistere effectum præsentem, qui primò creatur, adeòque alibi non supponitur præsens; non posse tamen, si alibi præsens esse supponatur: idque ob hoc ipsum inconveniens. Quare in ista hypothesi, vel non poterit conservare effectum qui adeò distans supponitur, vel certè conservabit immediatè agendo in adeò distantem. Absolutè tamen dico nullam inde argui virtutem infinitam: nam alioquin similis virtus infinita conveniret potentiæ generativæ vel alterativæ, si vim habeat modus arguendi allegatus. Potest namque per hujusmodi virtutem creatam, saltem divinitùs idem numero effectus reproduci, immo & naturaliter, si Deus determinaret causam novam ad individuum effectum semel destructum. Posset igitur effectus hoc instanti in India v. g. corpus sequenti instanti Lovanii à proportionata causa reproduci, sicut posset

ibi

ibi primò produci: quidni ergo similiter posset divinitùs sine media destructione hoc instanti conservare effectum Lovanii, quo equidem in India non fuisset, sed periisset: cùm enim supponatur alibi non conservandus, tantumdem fit ac si nullibi existens hic primò educatur è potentia subjecti.

Quæ obiter discutere placuit, non studio contradicendi, sed ut appareat quàm difficulter sæpè ex ratione probentur receptissimæ Theologorum Sententiæ: à quibus ob id nullatenus recedendum est, præsertim dum adeò clarè Patrum auctoritas suffragatur.

37. *Vis equidem finita hic non sufficit ad supplendum concursum finitum.* Dices: Ad creandum requiritur tantùm virtus, quæ æquivalenter suppleatur concursus materiæ: ergo sicut concursus materiæ est tantùm finitus, sic sufficit finita vis ad concursum materiæ supplendum, adeòque ad creandum. Resp. Neg. Con. nam rectè consistit, quòd modus finitus alicujus causæ suppleri non possit, nisi per potentiam infinitam tamquam causam principalem. Sic enim concursus Dei ad habitus infusos est finitus, & tamen à nulla causa creata suppleri potest, tamquam à causa principali. Ipsa quoque causalitas Dei tamquam causæ primæ est finita, & tamen suppleri nequit ab ulla alia causa.

38. *An creatura possit divinitùs esse instrumentum creationis?* Majus dubium est, an creatura possit à Deo assumi ad creandum tamquam instrumentum? Negant Doctores communiùs. Sed terminis explicatis patebit resolutio. Si enim sensus dubii sit, an possit à Deo imprimi virtus aliqua intrinseca creaturæ, per quam possit creare, sicut intellectus per lumen gloriæ videt Deum, atque ita possit creatura esse instrumentum creationis; dicendum est id non posse fieri: nam sic qualitas aut virtus illa impressa, quæ esset quædam creatura, verè crearet virtute sibi connaturali, idque tamquam causa principalis. Si autem sensus sit, an omnipotentia Dei possit extrinsecè assistere creaturæ, & hâc nil intrinsecum recipiente creare, Deo ipsâ utente velut instrumento; dicendum est id fieri posse, si sermo sit de instrumento morali: prout Deus utitur Sacramentis tamquam instrumentis moralibus gratiæ sanctificantis. Si verò sermo sit de instrumento physico, dicendum est quòd non: nisi admittatur potentia obedientialis cujuslibet ad quodlibet, quæ in Physica refutatur.

DISPUTATIO II.

De Creatione, Substantia, Distinctione, Numero, & Ordinibus Angelorum.

QUÆSTIO I.

An dentur Angeli, quando & ubi creati?

ANGELUS, si Etymologiam spectes, nomen est officii, non naturæ, significans Græcè idem, quod Latinè nuntius. In qua significatione usurpatur ab ipsa quandoque Scriptura sacra, quæ Prophetas & Sacerdotes, tamquam divinæ voluntatis præcones & nuntios, Angelos appellat. Ita Sacerdos appellatur Angelus, *Malach.* 2. Item præcursor Christi dicitur Angelus, *Malach.* 3. Ipse denique Christus *Isaia* 9. vocatur (secundùm *Septuaginta*) magni consilii Angelus. Unde *Ps.* 103. dicitur: *Qui facis Angelos tuos spiritus*, id est, qui eos quos semper habes spiritus, facis Angelos seu nuntios, cùm placuerit, ut explicat *Greg. hom.* 34. *in Evangel.* Frequentiori tamen usu Scripturæ, & communi Patrum & Theologorum hoc nomen translatum est ad significandam substantiam creatam intellectualem naturâ digniorem homine, nobisque invisibilem: quæ definiri potest, ex iis quæ verè ei competere constat, ut infrà ostendetur, Substantia completa, intellectualis, libera, spiritualis, finita. 1. *Etymologia vocis, Angelus.* *Definitio Angeli.*

DICO I. Dantur Angeli. Est de fide contra *Saduceos*, qui (ut habetur *Act.* 23.) *dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum*, scilicet alium. Quod etiam avidè amplectuntur *Athei*. Cõclusio patet ex c. *firmiter de summa Trinitate*; & Scripturâ, quæ frequentissimè meminit Angelorum, eisque tribuit, quòd videant & benedicant Deum, custodiant homines, quòd aliqui peccaverint, quòd sint homine majores in fortitudine & virtute; ut patet *Tobiæ* 12. *Danielis* 14. *Matth.* 1. *Lucæ* 1. Et 2. *Petri* 2. & aliis locis. Eamdem veritatem agnoverunt varii gentiles Philosophi, ut *Plato*, *Aristoteles*, & alii, qui Angelos vel nomine Deorum, vel intelligentiarum, vel nomine dæmonum (quorum alii endæmones, alii cacodæmones, sive alii boni alii mali: quamquam omnes Dii gentium verè cacodæmones essent, & nomen *dæmon* Latinè idem quod sciens, à nostris Scriptoribus non nisi in malum seu pro cacodæmone accipi soleat) vel nomine genio- 2. *Dari Angelos fides docet.*

 rum

rum, heroum, satyrorum, aut similibus nominibus indigitarunt.

3. *Suadet, non evincit ratio, quæ assignatur multiplex.* Ratio naturalis hanc veritatem suadet quidem, sed non convincit. Quod patet in primis de illa quæ sumitur à motu cælorum, qui adscribendus videtur Intelligentiis sive Angelis. Nam non est hoc evidens: cùm si alia causa creata aliundè non appareret, posset adscribi ipsi Deo. Immo non evidens, quòd adscribi nequeat ipsi naturæ cælorum: cui velut causæ nonnulli de facto motum adscribunt. Altera ratio supponit Angelorum seu substantiarum spiritualium completarum possibilitatem, tum exemplo animæ rationalis, quæ est ejusmodi substantia incompleta, tum ex eo quòd Deus ipse sit substantia spiritualis completa, sed infinita, adeòque creabilis sit ab illo talis substantia finita; in quo aliundè non apparet vestigium aliquod contradictionis. Supposita autem possibilitate, infert hæc ratio factum, ex perfectione universi. Verùm hæc illatio nititur merà congruentià. Tertia denique ratio sumitur ex miris effectibus, qui vim naturę corporeę omnino superant; nam arreptitii seu possessi à dæmone, etsi alioquin idiotæ, latino vel alio subinde peregrino idiomate loquuntur, de rebus scientificis disserunt, res absentes & occultas patefaciunt, volant, seu per aëra celerrimè transferuntur, resistunt pluribus etiam robustissimis, etsi ipsi alioquin debiles. Neque possunt hi effectus in Deum referri, utpote sæpè improbi, divinæque voluntati repugnantes. Unde etiam Dei auctoritate Sacerdotes per imperium & jussionem dæmones coërcent, atque è corporibus ejiciunt. Idem est de effectibus, qui fiunt per Magos sive veneficos, augures &c. Ac denique de responsis, quæ fiebant per idola: quæ utique in Deum tamquam auctorem referri nequeunt. Nihilominus hæc quoque ratio non convincit: nam lumine naturæ non est evidens, effectus istos causari non posse ab animabus separatis malorum hominum.

4. *Equidem potuerunt innotuisse Philosophis, & unde.* Quibus non obstantibus potuerunt Philosophi opinionem suam hausisse, partim ex rationibus sive conjecturis valde probabilibus, & ad prudenter persuadendum sufficientibus, partim ex divinæ Scripturæ libris, in quibus frequens fit mentio Angelorum, quique antiquiores sunt omnibus scriptis Philosophorum & Poëtarum, teste *Iosepho*, *Augustino* & aliis Patribus: prout ex iisdem libris multa alia ad sua dogmata transtulerunt, ut existimant, *Iustinus*, *Tertullianus*, *Clemens Alexandrinus*, *Augustinus* & alii.

5. Quia verò Moyses genesim mundi describens, non fecit saltem explicitam de creatione Angelorum mentionem; eò quòd rudi & carnali populo, cui scribebat, expediens erat instructio de rebus magis obviis & sensibilibus, ut censent *Chrysostomus*, *Augustinus* & alii: & quia alibi Scriptura clarè non expressit quidquam de tempore creationis Angelorum; idcirco differentes de hoc fuerunt Veterum opiniones. *De tempore creationis varia olim sententia.* Nam primò *Eucherius in c. 1. Gen.* existimat fuisse Angelos creatos post cælum & terram. Quod etiam adscribi solet *Gennadio* præsbytero Massiliensi *l. de Dogmatibus Ecclesiast. c. 10.* ubi dicit non satis cohærentia, scilicet in principio Deum creasse cælum & terram, Angelos autem esse factos cùm adhuc tenebræ aquam, & aqua terram absconderet; idque *ut non esset otiosa Dei bonitas, sed haberet in quibus per multa ante spatia bonitatem suam ostenderet.* Ubi videtur indicare oppositum illius quod jam statim dixerat: scilicet, Angelos non post, sed diu ante mundum creatos. Nisi fortè voluerit cælum, & terram, & aquam per multa spatia temporum mansisse invisa sine luce & ornatu (quod Scripturæ repugnat) ac interim conditos fuisse Angelos, diu ante distinctionem & ornatum mundi corporalis. Sed non adeò curandum, quid iste senserit.

Secundò *Origenes*, *Basilius*, *Nazianzenus*, *Chrysostomus*, & alii Patres, præsertim Græci, senserunt Angelos esse conditos, non quidem ab æterno (ut fide certissimum est) sed tamen ante mundum corporalem. Immo de hoc neminem fidelium dubitare, ait *Cassianus Collat. 8. c. 7.* In quo tamen vehementer fallitur. Ad horum Sententiam accessit etiam *Hieronymus in c. 1. ad Titum*, cujus verba recitat *Magister d. 2.* qui arbitratur *Hieronymum* illa dixisse, non ita sentiendo, sed aliorum (scilicet *Origenis*) opiniones referendo; qui mos ei consuetus in commentariis super Epistolas Pauli. Allegatur etiam *Isidorus l. 1. de summo bono c. 12.* Sed loquitur de prioritate dignitatis, *primus* (inquiens) *creatus extitit* diabolus, *ordinis prælatione, non temporis quantitate.* Restat tertia Sententia seq. Conclusione statuenda. Quare

6. *Nunc satis constat simul cum mundo Angelos creatos.* DICO II. Angeli sunt creati simul cum cælo & terra seu mundo corporeo. Ita *Magister d. 2.* ubi *D. Bonav. p. 1. a. 2. q. 3. D. Thomas 1. Parte. q. 61. a. 3.* & omnes Scholastici post *Epiphanium*, *Theodoretum*, *Augustinum*, *Gregorium* & plerosque Patres Latinos. Conclusio satis efficaciter probatur ex Magno *Concilio Lateranensi*, in quo (ut refertur c. *firmiter, de summa Trinit.*) de Deo asseritur: *Ex Concilio Lateranensi.* *Simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, angelicam & mundanam,*

nam, ac deinde humanam. Ubi satis manifestè *Concilium* significat esse unum atque idem initium temporis, quo simul condidit Deus Angelos & mundum; non autem simul, sed deinde condidisse Deum creaturam humanam, scilicet sextâ die.

Et Scripturâ. Colligitur II. ex Scriptura *Gen. 1. In principio* (temporis videlicet, antequam quidquam conderet, ut habet vera Patrum expositio: etsi nonnulli paulò aliter explicent) *creavit Deus cælum & terram.* Et *Ps. 101. Initio tu Domine terram fundasti*; adeòque nil ante ipsam creatum est. Et *Exodi 20.* dicitur: *Sex diebus fecit Dominus cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt*; adeòque & Angelos, qui *Ps. 103.* annumerantur operibus sex dierum, & *Ps. 148.* annumerantur ijs quæ sunt in cælis, ubi quoque generatim de opere creationis subditur: *Ipse dixit & facta sunt.* Allegari quoque solet illud *Eccli. 18. Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Verùm hoc non debet intelligi de simultate temporis (alioquin in rigore falsum esset) sed de simultate seu identitate causæ creantis omnia, ut sensus sit, Deum omnia pariter, nullo excepto, creasse. Sufficiant igitur aliæ Scripturæ ad probandum quòd Angeli non sint creati ante mundum.

Quòd verò nec sint creati postea, colligi specialiter potest ex *Iob 38. Ubi eras quãdo ponebam fundamenta terræ? ..... cùm me laudarent astra matutina, & jubilarent omnes Filii Dei*, id est, Angeli mei, ut vertunt *Septuaginta Interpretes.* Ubi supponitur ipsos saltem simul cum terra creatos, qui nimirum (ut tradit *Beda in principio Hexameron*) mox in laudem Conditoris suam totiusque creaturæ primordialis conditionem retulerunt. Huc etiam spectat juxta *Estium d. 2. §. 3.* quòd Ecclesia ex institutione Damasi Papæ canit gloriam Patri, & Filio, & Spiritui sancto, addens: *Sicut erat in principio*, scilicet creaturæ; quando tamen non alia quàm angelica esse poterat, quæ glorificaret Deum Trinum. Adde, nullum omnino esse fundamentum suspicandi creationem Angelorum esse posteriorem creatione mundi.

7. *Neque ulla Scriptura contrarium indicat.* Objicitur I. illud Apostoli *ad Titum 1. Quam promisit Deus ante tempora sæcularia*, seu ante mundum conditum: ergo tunc erant Angeli, cùm non essent, quibus alioquin promissio fieri potuisset. Resp. *promisit* idem esse, quod destinavit seu decrevit. Porrò decretum istud fuit ante mundi sensibilis constitutionem, immo ab æterno; nec requirebat existentiam creaturæ. Si verò sermo foret de promissione propriè dicta, intelligi posset de ea quæ facta est Abrahæ aliisque antiquis Patribus & Prophetis, non quidem ante mundum conditum, sed ante tempora sæcularia, id est, ante plurima sæcula elapsa.

Objicitur II. illud *Iob 40. Ipse* (Behemoth, id est, Lucifer) *est principium viarum Dei.* Resp. si intelligatur de Lucifero, ipsum esse principium viarum, partim negativè, quia nihil fuit antea creatum, partim dignitate. Alioquin ad literam sermo est de elephante, aut grandi aliquo dracone, qui ob excellentiam roboris aut fortitudinis dicitur principium viarum Dei; ut videre est apud *Titelmannum* in dictum caput Iob.

Objicitur III. Angeli juxta *Augustinum* & alios significantur nomine lucis *Gen. 1.* lux autem fuit creata post cælum, terram & abyssum: nam à principio *tenebræ erant super faciem abyssi*; ergo Angeli sunt creati post mundum corporeum. Resp. *Augustinum* consequenter censere lucem & cetera opera sex dierum esse creata simul tempore; de quo postea. Est equidem ista significatio vocis *lux* nimis metaphorica in narratione historiali, ad litteram intelligendâ, adeòque de luce corporali. Potiùs dicendum esset (quod confirmat Conclusionem) Angelos tacitè esse comprehensos nomine cæli, quo significaverat Moyses tam continens, quàm contentum; seu tam locum, quàm locatum: sicut nomine terræ etiam significavit aquas primo die creatas.

Petes, An conclusio sit adeò certa, ut oppositum sit erroneum in fide? Affirmant *Ferrariensis, Melchior Cano, Molina* & quidam alii, potissimùm ob auctoritatem *Concilii Lateranensis*, quod videtur definitivè procedere, cùm in Confessione fidei, quæ incipit: *Firmiter credimus & simpliciter confitemur*, uno contextu subjũgat verba suprà relata. Nec refert, quòd *D. Thom. sup. in corp.* expressè neget oppositum esse erroneum, *præcipuè* (ut ait) *propter sententiam Gregorii Nazianzeni* (addere potuisset, & aliorum tam excellentium Patrum) *cujus tanta est in Doctrina Christiana auctoritas, ut nullus unquam dictis ejus calumniam inferre præsumpserit.* Nam omnino apparet *D. Thomam* tunc cùm ista scriberet non meminisse præfati decreti: cujus alioquin saltem fecisset mentionem. Nisi quis dicere malit ipsum ignorasse Decretum celeberrimi Concilii tunc adhuc satis tecenter celebrati, & quidem per Gregorium IX. jam tum redactum in corpus juris Canonici. Quod sanè difficilè credi potest: accedente eo, quòd *S. Doctor Opusculo 23.* (si tamen sit ipsius: quod negat *Ferrariensis* & alii) scientiam decreti satis 8. *Oppositum Conclusionis aliqui putant erroneum.*

osten-

ostendat. Non mirum ptæterea, neque novum, quòd quæstio aliqua superioribus sæculis dubia tandem examinatis diligentiùs Scripturis declaretur ab Ecclesia, quæ in Scripturarum intelligentia seu mysteriorum fidei notitia clariori iugiter proficit.

Plerique negant, consentes saltem temerarium. Nihilominus etsi conclusio ob fundamenta sua, & communissimum omnium consensum sit indubiè præferenda, nec videatur ampliùs posse sine temeritate negari: oppositum tamen ab erroris nota vendicant Doctores passim: sive quia *Concilium Lateranense* id solùm dixerit ex communi Doctrina incidenter, non definiendo; cùm hoc ad scopum illius non spectaret: sive quia explicari aliqualiter posset, quòd scilicet Deus angelicam & mundanam creaturam condiderit simul, id est, pariter; idque non ab æterno, sed ab initio temporis, angelicam scilicet in quodam sui temporis initio, similiter & mundanam, esto non unico & eodem utramque; ac deinde, id est, præterea, humanam: sive quia significari etiam posset idem tempus & initium, etsi admittens aliquam latitudinem, prout interdum simul nata vel facta dicuntur, quæ eodem die aut anno contigerunt; quasi non fuerit Patribus Concilii curæ asserere identitatem instantis physici creationis Angelorum & mundi corporalis, sed excludere errorem *Origenis*, qui creationem Angelorum & animarum putavit multis sæculis præcessisse mundum corporeum, & hunc iis peccantibus solùm ex occasione factum esse. De Scripturis minor est difficultas. Nam illa *Gen.* 1. paritur varias Expositiones, salvâ fide. Altera ex *Ps.* 101. explicari posset de initio mundi corporalis, quo terra est fundata. De corporalibus similiter (quorum genesim dumtaxat narrandam Moyses susceperat, si *Hieronymo* credimus) exponi posset locus *Exodi* 20.

9. *Angeli sunt creati in cælo empyreo.* Dico III. Angeli probabiliùs sunt creati in cælo Empyreo. Tum quia est communior opinio Theologorum cum *Magistro sup.* & *Alexandro Alensi p. 2. q. 19. m. 3 a. 2.* & *D. Thoma sup. a. 4.* Et supponit *D. Bonav. d. 2. p. 1. a. 2. q. 3. in corp.* tum quia sic videntur docere varii Patres: neque in oppositum extat similis aliorum Patrum auctoritas. Itaque conclusionem nostram significat *Greg. 27. moral. c. 25.* in illud *Iob 37. Tu forsitan cum eo fabricatus es calos*: dicens: *Possunt per calos hi, qui in calestibus sunt conditi, angelici spiritus designari.* Et *l. 32. c. 26. Consideret homo quid elatus in terra mereatur, si & pralatus Angelus. Angelus in calo prosternitur.* Et post pauca de iisdem subdit: *Quos in calo juxta me condidi.* Idem clarè docet *Beda in Hexameron circa initium* ubi considerans, quòd Moyses, cùm dixisset: *In principio creavit Deus calum & terram*, de sola terra subdat: *Terra autem erat inanis & vacua*; ait: *Ut quid enim hac de terra pratermisso calo intulit, nisi quia nil tale de calo intelligi voluit? Ipsum est enim calum superius quod ab omne hujus mundi volubili statu secreeum divina gloria prascientia* (fortè legendum *prasentia*) *manet semper quietum.* Et post pauca: *Non ergo superius illud calum, quod mortalium omnium est inaccessibile conspectibus, inane creatum est & vacuum, ut terra, qua nil in prima sua creatione virentium germinum vel viventium produxit animantium: quia nimirum fuit incolis mox creatum, hoc est beatissimis Angelorum agminibus impletum est &c.* Ad idem facit *Glossa ordinaria* in principium Genesis. Et *Glossa interlin.* in illud *Psalmi* 103. *Draco iste, quem formasti &c.* dicens *secundùm substantiam* (scilicet formasti) *in qua bonus erat, & in empyreo locatus.* Eademque *Glossa interlin.* in illud *Ezech.* 28. *Posui te in monte sancto Dei*, intelligit paradisum, tertium scilicet cælum, ad quod Paulus raptus est; quod fuit empyreum.

Consonat denique Scriptura, præsertim subnixa interpretationi Patrum, significans variis locis Angelum è cælo cecidisse, sive inde esse expulsum; ut *Isaia* 14. *Quomodo cecidisti de calo Lucifer, qui mane oriebaris? Luca* 10. *Videbam Satanam cadentem sicut fulgur de calo. Apoc.* 12. ubi describitur prælium magnum factum in cælo, & in eo prævaluisse Michaëlem, locumque draconis & Angelorum ejus non esse inventum ampliùs in cælo. 10. *Consonat Scriptura.*

Patiuntur quidem hæ Scripturæ aliam explicationem. Nam locus Isaiæ videtur ad litteram intelligi de Rege Babylonis. Deinde intellectus de diabolo posset explicari de casu è cælo quoad jus & spem; vel cum *Ruperto*, diabolum cecidisse quidem realiter è cælo, tamen extra illud fuisse primò creatum, deinde in illud translatum. Nihilominus quia postremum gratìs fingitur; alterum autem minùs propriè dicitur, cùm cadere de cælo propriè præsupponat ibi fuisse, & quia multi Patres locum de diabolo intelligunt, satìs inde suadetur conclusio. Locus Lucæ explicari posset cum *Iansenio c. 80. concordia* (ut alias adhuc explicationes prætermittam) ita ut ly *de calo* non afficiat Satanam, sed fulgur, q.d. videbam Satanam ex obsessis corporibus decidisse, uti solet fulgur de cælo cadere. Cùm equidem verba patiantur sensum conclusionis, eumque varii Patres & Interptetes assignent, non incongruè ex *Qua tamen alias patitur explicationes.*

co-

eo etiam conclusio confirmatur. Prout etiam satis confirmatur ex loco Apocalypsis, prout illum multi explicant: quàmvis alioquin cum variis Patribus intelligi posset prælium initum inter Michaëlem & draconem in Ecclesia (quæ nomine cæli designatur) pro animabus justis.

11. Dices cum *Suarez l. 1. de Angelis c. 4.* & nõnullis aliis existimãtibus Angelos fuisse creatos in cælo sidereo seu quod empyreo proximum est: Auctoritates allegatę intelligi possunt de hoc cælo sidereo. Et specialiter de hoc intelligi debet, locus Isaiæ, eò quòd Lucifer peccando dixerit: *in cælum conscendam*; utique in aliud altius, scilicet empyreum, in quo proinde non est creatus. Resp. id non posse dici: tum quia tunc adhuc solum cælum empyreum erat conditum; cùm firmamentum sive stellatum cælum verosimiliùs sit conditum secundo die mundi, ut infrà patebit. Tum quia non consonat ista evasio dictis Sanctorum allegatis. Per cælum autem, in quod Lucifer nitebatur conscendere figuratè intelligitur cælum Trinitatis sive æqualitatis Dei Altissimi, cui (ut additur) similis esse cupiebat; ut explicãt Principes Theologorum, *Magister d. 2. D. Bonav. ibid. p. 2. in Expos. textûs dub. 2. Alens. sup. D. Th. sup. ad* 3. Nec id mirum: cùm & ipse Lucifer ibi figuratè intelligatur; uti & illud, quod de eo ibidem dicitur: *Super astra Dei exaltabo solium meum*; cùm astra seu stellæ tunc necdum essent creatæ. Item quod dicitur: *Ascendam super altitudinem nubium, sedebo in monte in lateribus Aquilonis*; ut patet.

Non obstat, quòd dixerit Lucifer: in cælum conscendam.

Dices II. Angeli reprobi verosimiliter ibi peccarunt, ubi sunt creati: sed non peccarunt in cælo empyreo: cùm non videatur conveniens locum istum aliquando labe peccati infectum fuisse. Resp. Neg. Subsump. Ad probationem dico, etiam non fuisse conveniens, quòd paradisus inficeretur labe peccati, & tamen fuit infectus: non esse conveniens, quòd loca sacra inficiantur peccatis, & tamen inficiuntur frequenter. Conveniens equidem fuit ex parte Dei permittere: tunc enim non erat locus gloriæ, sed viæ, uti paradisus terrestris.

QUÆSTIO II.

An Angeli sint substantiæ spirituales, & naturâ suâ incorruptibiles seu immortales?

12. DIco I. Angeli sunt substantiæ merè spirituales, nullam partem corpoream includentes. Ita *Magister 2. d. 3. & 8. D. Th. q. 50. a. 1. & 2.* Et reliqui Scholastici. Immo *D. Bonav. 2. d. 3. p. 1. a. 1. q. 1. in corp.* ait: *Certum esse removeri à substantia Angeli compositionem ex partibus quantitativis, & compositionem ex natura corporali & spirituali, qualis est in homine.* Et *d. 8. p. 1. a. 1. q. 1. in corp.* ait: *Nunc satis certitudinaliter tenetur, quòd Angeli sint naturaliter incorporei, nec habent corpora naturaliter sibi unita.* Quod etiam docet alibi sæpè. Idem docet *Dionysius, Nazianzenus, Chrysostomus, Cyrillus*, & plurimi alii Patres, quos recensent *Vasquez, Suarez* & *Valentia*.

Angeli sunt merè spiritus.

Conclusio colligitur ex Scriptura, quæ Angelos, sive bonos sive malos appellat Spiritus, ut *Matth. 8. & 12. Marci 1. 3. 5. 6. 7. 9. Lucæ* 4. 6. 8. 9. 10. *Ad Ephes. 6. Apoc. 1. & 5.* Et alibi. Quod propriè debet intelligi: cùm circumstantiæ aliud non requirant. Spiritus autem propriè sonat quid incorporeum, etiam phrasi Scripturæ, *Eccle. 12. Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Ioan. 19. Inclinato capite tradidit Spiritum. Ioan.* 4. Ubi per oppositionem similiter ad corpus dicitur *Spiritus est Deus*. Et alibi.

Probatur ex Scriptura.

Deinde corpus modicæ quantitatis à maxima multitudine dæmonum aliquando obsidetur, sicut legitur in *Marco c. 5.* de illo qui dicit, *Legio mihi nomen est*: legio enim ut *Richardus* dicit apud *D. Bonav. d. 8. loco cit.* continet 6666. Si autem dæmones corpora haberent, nullo modo possent cum suis corporibus subintrare corpus ita modicum, inquit *D. Bonav. sup.* probans ne quidem ipsos habere corpora sibi inseparabiliter alligata: nisi quis fingere velit corpuscula instar atomorum, quæ essent valdè imperfecta.

His accedit auctoritas *Concilii Lateranensis*, quod (ut refertur *c. firmiter, de summa Trinit.*) declarat *Deum ab initio condidisse utramque substantiam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex corpore & spiritu constitutam.* Quo nil clarius dici potuisset, ut verba consideranti liquet: adeò ut *Smising. in M. S. de Angelis* fusè contendat conclusionem ex hoc capite esse de fide. Plerique tamen alii censent verba ista non esse definitivè dicta à Concilio. Equidem magnam certitudinem faciunt: præsertim cum adeò assertivè ponantur in ipsa fidei professione, in qua omnia antecedentia & consequentia ponuntur definitivè, ut patet: cùmque verba sint adeò clara, ut clarioribus Concilium uti non potuisset, si ex- 13.

Concilio Lateranensi.

si expressè definire intendisset. Quare mirum est, adhuc repertos esse qui post Concilium ausi fuerint oppositum docere, ut *Eugubinus* & *Caietanus*.

Et ratione. Ratio conclusionis est, quia Angelus est substantia perfectior animâ humanâ; hæc autem est merè spiritualis, ergo multò magis Angelus. Idem colligitur ex motu celerrimo, quo dæmon brevissimo tempore orbem terræ peragrat, ut significatur *Iob* 1. Quod etiam Angeli beati ab Empyreo ad nos in ministerium missi faciunt sine divisione medii corporalis. Ad quod tamen responderi posset, in iis id fieri per dotem agilitatis & subtilitatis, qualis etiam erit in corporibus hominum beatorum.

14. Dices I. *Gen. 6.* referuntur filii Dei (*Septuaginta* vertunt Angeli Dei, juxta antiqua exemplaria, etsi in textu eorumdem, quo usus est *Chrysostomus*, habeatur, uti in vulgata Editione) genuisse ex filiabus hominum gigantes. Resp. cum *Augustino* aliisque Patribus & Scholasticis communiter contra quosdam Veteres perperàm hunc locum interpretantes; per filios Dei intelligi posteros Seth per Enos, qui cœpit invocare nomen Domini: sicut stylo Scripturæ mali vocantur filii Belial. Hi itaque posteri pristinam stirpis suæ pietatem carnali concupiscentiâ corrumpentes, commixti sunt cum filiabus hominum, seu posteris Cain, apparenter etiam per illicita contubernia, & genuerunt gigantes, monstrosa scilicet corpora humana in pœnam. Sanè stultum est credere sanctos Angelos tale quid fecisse: mali autem Angeli non dicuntur filii Dei. Præterea etsi Angeli forent corporei, essent tamen adhuc diversissimæ naturæ, adeòque improportionati ad generationem humanam sine extrinseco adminiculo: & consequenter ex actu gignendi necdum rectè probaretur, ipsos habere corpora sibi intrinseca. Denique ipsos *homines procul dubio fuisse, Scriptura ipsa sine ulla ambiguitate declarat*; inquit *Aug. 15. de Civit. c. 23.* ex eo quod ibidem dicitur: *Non permanebit spiritus meus cum homine, quia caro est.* Et infrà: *Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum esset in terra.*

Per filios Dei Gen. 6. non Angeli, sed posteri Seth.

Plura alia, quæ in Scriptura de Angelis referuntur, exercuerunt in corporibus assumptis: de quibus infrà. Quomodo autem Angeli mali, etsi spiritus sint, possint secundùm ordinem divinæ justitiæ ab igne corporali puniri, habet difficultatem communem cum anima rationali separata, quæ tractabitur *Disp. 5. quæst. 5.*

15. Dices II. *Ps. 103.* dicitur: *Qui facis Angelos tuos, spiritus; & ministros tuos, ignem urentem*, sive (ut vertit Apostolus *ad Hebr. 1.*) *flammam ignis*; igitur Angeli sunt substantiæ aëreæ vel igneæ. Resp. Angelos ibi dici spiritus propter naturam incorpoream, ut plures Veteres exponunt. Aut certè designatur solùm proprietas Angelorum, quòd instar venti sint veloces in exequendis Dei mandatis. Dicuntur autem ignis, sive ob ignem spiritalem ardentis charitatis, ut *Augustinus*, sive ob vim purgandi animos instar ignis, ut *Nazianzenus*, sive ob efficaciam in consumendis & puniendis Dei inimicis, ut alii.

Quo sensu Angeli vocentur, ignis urens.

Dices III. in *Synodo VII.* (quæ est *Nicæna II.*) *Act. 5.* recitatus fuit sermo cujusdam *Ioannis* Episcopi Thessalonicensis, in quo asseritur, nil nisi corporeum posse pingi, sanctosque Angelos utpote corporeos posse pingi; immo additur Ecclesiam Catholicam sic sentire, Angelos scilicet intellectuales quidem esse, non tamen omnino corporis expertes, verùm tenui corpore præditos aëreo vel igneo. Quibus lectis, *Tharasius* Patriarcha dixit: *Ostendit autem Pater, quòd & Angelos pingere oporteat, quando circumscribi possunt, & ut homines apparuerunt.* Deinde sancta Synodus dixit: *Etiam Domine.* Resp. vel solùm approbasse Synodum, quòd *Tharasius* rectè intellexerit mentem istius Episcopi; ut nonnulli respondent: vel potiùs approbasse conclusionem, scilicet Angelos posse depingi, dissimulatâ probatione; ut plerique alii respondent: nō enim omnia quæ in Conciliis aut Epistolis decretalibus Pontificum adducuntur ad probandum, eo ipso definiuntur, cùm aliquando adducantur etiam probabilia. 16.

In VII. Synodo refertur, non determinatur, Angelos esse corporeos.

Dices IV. Plures veteres Patres attribuunt Angelis corpora. Referri solent *Iustinus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Basilius*, ipseque *Augustinus* pluribus locis, & *Greg. hom. 10.* quæ est *de Epiphania* dicens Angelum esse *rationale animal*. Quo modo ipsum etiam definit *Athanas. l. de commune essentia Patris & Filii & Spiritus sancti*, dicens: *Angelus est animal rationale, expers materia, hymnis dicendis aptum, immortale.* Resp. non esse mirum, aut dedecorosum, quòd varii veteres Philosophiâ Platonicâ imbuti ita senserint, dum res ista necdum esset per Ecclesiam satis declarata, prout declarari deinceps cœpit in Concilio Lateranensi, accedente consensu omnium Doctorum. Possent tamen plerique ipsorum explicari, sive quòd loquantur (prout interdum loqui videtur *Augustinus*) de corporibus adhærentibus, non autem intrinsecis: vel certè secundùm sententiam aliorum, prout *Augustinum* exponit *D. Bonav. d. 8. p. 1. a. 1. q. 1. ad 1.* Et satis indicat ipse *Aug. 11. de civ. c. 10.* 17.

Veteres non pauci cum Platonicis tribuerunt Angelis corpora.

Plerique tamen benignè explicari possunt.

Qui

Qui Concione 1. in Psal. 103. ad illa verba: *qui facit angelos tuos spiritus*, ex propria procedens sententiâ, ait: *Spiritus autem angeli sunt; & cùm sunt spiritus, non sunt angeli; cùm verò mittūtur, fiunt angeli. Angelus enim officii nomē est, non natura. Quæris nomen hujus natura, Spiritus est; quæris officium, Angelus est. Ex eo quod est, Spiritus est; ex eo quod agit, Angelus est &c.* Possunt præterea nonnulli explicari, quòd corpus sumāt latè pro vera & solida substantia: quo pacto *August. Epist.* 28. animam humanam vocat corpus; & consonat illud Apostoli *ad Coloss.* 2. *In Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, id est, verè & substantialiter. Sive quòd loquantur comparativè, non absolutè, quia nimirum *id omne quod cum Deo confertur, qui solus præstantior est, quàm ut in cōparationem cadat, crassum ac materiâ constans reperitur*, ut ait *Damasc. lib. 2. de fide c.* 3. Qui tamen patenter asserit *eodem cap.* Angelum esse corporis expertem. Quod etiam docet *lib. de decretis & placitis primæ instit. c.* 7. Ad *Gregorium* quòd attinet, satìs de mente illius constat ex aliis locis, signanter 4. *Moral. c.* 9. ubi dicit *Angelum esse solummodo Spiritum.* Dum itaque ipse (uti & *Athanasius*) Angelum *animal rationale* appellat, id facit, non quia habet animam aut formam animalis (quod debet esse animatū sensitivum), sed ratione operationis propriæ animalis rationalis, scilicet operationis vitalis intellectivæ, ut exponit *D. Bonav. sup. ad* 2. vel vocat animal secundùm ostensionem, quia scilicet apparet esse animal in corpore assumpto, ut *ibid. D. Bonav.* vel denique utitur definitione istâ ex sententia *Platonicorum*, qui hominem sic definiebāt. Quod etiam dici potest de *Athanasio*, qui addendo *expers materiæ* potiùs tradit communem doctrinam.

18. *Angeli carent partibus integrantibus.* Ex dictis colligitur Angelos non constare partibus integrantibus, ut apud omnes indubitatum est, & patet exemplo animæ rationalis: nam cōpositio integralis in substantiis est comes individua, & signum quantitativæ extensionis. Deinde partes istæ essent essentialiter superfluæ: cùm sine illis aut organorum extensione sufficienter reperiatur in entitate indivisibili substantiæ spiritualis tota vis intelligendi, volendi, & movendi: sicut etiam patet in anima rationali separata.

19. *Item materiâ & formâ physicâ, etsi spirituali.* Dico II. Angeli non sunt physicè cōpositi ex materia & forma. Ita communiter Doctores cōtra *Aureolum, Richardum* & nonnullos alios: quorum Sententiam probabilem censent *Bubalus* & *Arriaga*: in quam etiam magis propendet *D. Bonav. 2. d. 3. p. 1. art. 1. q. 1. in corp.* Nonnulli autem adscribunt Angelis materiam spiritualem sive diversæ rationis à nostra: alii verò materiam ejusdem rationis, incapacem tamen proprietatū corporis ratione formæ angelicæ, ut *D. Bonav. sup. q.* 3. Ipsum tamen excusat *Franciscus Herrera 2. disp.* 5. apud *Malderum q. 50. art.* 2. qui addit: Et revera non videtur reipsa dissensisse à cōmuni opinione, sed modo loquendi: ideo enim solùm admittit in illis compositionem ex materia & forma, quòd sint cōpositi ex actu & potentia, sicut & omnis creatura necessariò cōponitur, quæcumque per se existit; actus autem & potentia habeant se per modum formæ & materiæ. Hactenus *Malderus*. Quidquid verò sit de hoc,

Conclusio consonat Patribus, qui Angelum expressè etiam materiæ expertem tradūt, ut *Dionys. de divin. nom. c.* 7. & alibi. Respondere tamen posset Patres loqui de materia corporali seu repugnāte spiritualitati. Eadē conclusio probatur tum à fortiori, exemplo animæ rationalis, quæ non est composita ex materia & forma: tum quia nullum est fundamētum, aut utilitas materiæ angelicæ, sive statuatur spiritualis (contra cujus possibilitatem etiam plures acriter disputant; eam tamen propugnante *Arriaga* & aliis; nec sine causa) sive ejusdem rationis cum materia corporalium; quæ specialibus rationibus facilè quoque posset ab Angelis excludi. Neque metuēdum est, Angelum alioquin fore actū purum, & tam simplicem quàm sit Deus: nā (ut taceam compositionē ex genere & differentia, & à pluribus extra Scholam *Scoti* assertam cōpositionem ex natura & subsistentia) Angelus equidē capax est accidētiū, quod repugnat simplicitati perfectæ.

Dico III. Angeli sunt absolutè loquēdo incorruptibiles, quatenus corrūpi nequeūt per dissolutionem partium, aut destructionē formæ. Prima pars patet: quia carent partibus realiter distinctis. Secūda patet: quia carent materiâ; quæ est principium corruptionis. Ipsa quoque materia substantiarum corporalium est incorruptibilis; quantò magis Angelus? Denique patet exemplo animæ rationalis. 20. *Sunt absolutè incorruptibiles.*

Dico IV. Angeli sunt immortales, nō solùm de facto, quia videlicet semper vivent, juxta fidem (quod ex bonorū æterna beatitudine, & malorū æternis suppliciis patet) verùm etiam naturâ suâ. Conclusio est communior Doctorum, contra Nonnullos, adeòque in quæstione de modo loquendi præferēda. Probatur: quia ratione physicæ simplicitatis neque ex se petunt aliquando desinere, uti corporalia: neque possunt à causis secundis recipere aliquid, ob quod connaturaliter deberent à Deo destrui: exigit autem res semel producta connaturaliter conservari à Deo, quousq; 21. *Et naturâ suâ immortales.*

nec intrinseca nec extrinseca rei dispositio exigit destructionem: seu exigit res connaturaliter permanentiam in esse, quamdiu non habet causam desitionis.

Neque obstat, quòd habeant Angeli non repugnantiam ut destruantur: cum hoc enim cõsistit, destructionem non esse ipsis connaturalem: sicut ignis applicatus combustibili habet respectu Dei non repugnantiam ad non calefaciendum, & tamen non calefacere haud est ei naturale. Sic igitur habent angeli non repugnantiam ut destruantur, & tamen non sunt connaturaliter destruibiles.

Confirmatur Conclusio ex *Concil. Lateranensi sub Leone X. sess.* 8. ubi declaratur natura animæ rationalis esse immortalis; ergo idem dicendum de natura Angeli.

Nihilominus constat Angelos non esse naturâ suâ immortales hoc sensu, quasi natura illorum non possit destrui etiam à Deo, seu quasi immortalitas eis competat ex naturæ necessitate & à se: cùm in esse & conservari dependeant à libera Dei voluntate. Et hoc sensu *1. ad Tim.* 6. dicitur de Deo: *Qui solus habet immortalitatem.* Et in *VI. Synodo Act. XI.* dicuntur *Angeli esse immortales, non quidem per naturã sed per gratiam*; gratiam (inquam) seu gratuitum beneficium conditoris liberè eos conservantis.

Quodam tamen sensu immortales per gratiam.

QUÆSTIO III.

Qualis sit differentia, quantusque numerus Angelorum?

22. DICO I. Possunt dari plures Angeli solo numero differentes sive ejusdem speciei; & de facto dantur. Prima pars est *Scoti d 3. q. 7. D. Bonav. ibid. p. 1. art.* 2. *q.* 1. & aliorum communiter, cõtra *Caietanum* & alios *Thomistas*, etsi non omnes; quorum sententiam damnarunt olim Parisienses his verbis: *Quòd, quia Intelligentiæ non habent materiam, Deus non posset ejusdem speciei facere plures, error.*

Possunt dari plures Angeli ejusdem speciei.

Probatur Conclusio: quia si quid obstaret, esset defectus materiæ seu materialitatis: quem tamen non obstare, patet, non solùm in anima rationali (quam *Thomistæ* fortassis dicerent quodammodo & sufficienter materialem, quatenus dicit ordinem ad materiam tamquam cõpartem) sed etiam in accidentibus merè immaterialibus, v. g. intellectione & volitione Angeli, præsentiâ ejusdem, gratiâ sanctificante &c. quidni ergo similiter possint Angeli solo numero multiplicari sub eadẽ specie? Deinde materiam, præsertim quantitate signatam, esse unicum individuationis principium (in quo pars adversa se fundat) prorsus caret fundamento, ut in Philosophia ostenditur, ubi cum Doctoribus communiter post *Scotum* metaphysicum individuationis principium statuitur differentia individualis seu hæcceitas. Confirmatur ex dicendis pro secunda parte Conclusionis. Itaque

Secunda pars est *Scoti, D. Bonav. sup.* & aliorum communiter contra *Thomistas* & nonnullos alios. Est quoque consona Patribus, signanter *Damasceno lib. de duabus Christi voluntatibus* in initio. Probatur ex *D. Bonav. sup.* quia nec per Scripturam, nec per dicta Sanctorum, nec per officia, nec per aliquam rationem cogentem, apparet tanta diversitas, ut singuli Angeli specie differant: quin potiùs, sicut per Scripturam innotescit, multi Angeli ad idem officium sive ministerium ordinantur, & eandem videntur habere operationem communem. Deinde alioquin plurimæ Angelorum species totaliter & irreparabiliter periissent; quod est inconveniens. Præterea congruit modo loquendi Scripturæ, quæ partim nomina propria Angelis tribuit, cùm alioquin sufficerent appellativa, ut patet in reliquis entium speciebus: partim Angelos vocat milites, exercitus, ministros Dei tamquam supremi Principis: decet autem Principem in suo exercitu habere multos milites, & in suo ministerio multos ministros conditione pares. Denique ad felicitatem Angelorum facit societas sibi similium, indeq; oriunda voluptas, adeòque multitudo individuorum ejusdem speciei. Quâ ratione utitur *Damascenus sup.* 23.

Et de facto dantur.

DICO II. Incertum planè est, an dentur plures species sub natura angelica: quamquam valde verosimile sit, esse distinctionem specificam, saltem inter illos, qui sunt diversæ Hierarchiæ vel ordinis. Prior pars colligitur ex *Damasc. lib. 2. de fide c. 3.* ubi generatim dicit: *Æquales ne inter se, an dispares sint, haud quaquam compertum habemus: solus ille scit, qui illos creavit.* Similia habet *August. Enchiridii c. 58. & lib. contra Priscillianistas c. 11.* Et consonat *Bernardus lib. 5. de Consid. c. 4. & 5.* Immo varii Patres indicant, omnes esse ejusdem naturæ & speciei, uti sunt omnes homines sive animæ rationales. Ita indicat *Basil. l. 3. contra Eunom. in principio. Athanasius* (vel quisquis est auctor) *in qq ad Antiochum q. 4. Anselmus lib. 2. Cur Deus homo c. 21. Damasc. l. Primarum Institutionum c. 7.* qui Angelum vocat speciem infimam, quæ sola individua continet, uti est homo. Denique nulla efficax ratio allegatur pro distinctione specifica, ut eas intuenti satis constabit. 24.

Incertum an aliqui specie differant.

Posterior pars nihilominus suadetur: 25.

tum

Valdè tamen verosimile est, quòd sit.

tum quia specierum diversitas uti mirabiliter exornat mũdum visibilem & corporalem, sic æquè aut potiùs mundum invisibilem & spiritualem. Tum quia distinctionem specificam indicat Hierarchiarum & Chororum diversitas, qui sicut dignitate & officio, sic etiam naturâ differre videntur: cùm functiones istæ & dignitates videantur distributæ juxta naturalem Angelorum cõditionem. Tum quia Theologi passim post *Basil. lib. de Spiritu sancto ad Amphilochium c.16. Gregor. Homil.34. in Evang.* & alibi. *Damasc. lib.2. de fide c.3.* docent Angelos accepisse gratiam proportionatè ad sua naturalia, quatenus videlicet gratuito suo beneplacito juxta naturarum differentiam (non tamen naturarum meritum; quod foret Pelagianum) differenter gratias distribuit: supponunt ergo inter illos esse inæqualitatem naturæ, uti gratiæ.

Patres autem in oppositum citati explicari possunt de unitate generica naturæ purè intellectualis: vel si nonnulli hanc explicationem non patiantur, ut *Basilius & Damascenus*, patet equidem eos non adeò constanter adhæsisse isti opinioni; cùm alibi faveant oppositæ, ut ex dictis constat. Et quoad *Damascenum* confirmari potest inde, quòd *lib.2. de fide cap.3.* de Angelorum essentia, an quoad illam dispares sint, haud quidquam cõpertum haberi dicat; quòdque alibi non adeò accuratè de specie infima differat, cùm dæmonem velut speciem ab Angelo distinctam enumeret. Nostræ quoque opinioni favent præterea alii Patres, qui inter Angelos admittunt ordinem inæqualitatis, ut *Dionysius, Isidorus, Nazianzenus Orat.2. de Theologia* in fine illum vocans *natura proportionem*, & *Chrysost. Homil.2. de incomprehensibili Dei natura*, dicens esse *genera cælestia innumerabilia.*

26\. Nota secundùm *Malderum quæst. 50. art. 4.* & plures alios probabiliter inter Angelos diversæ Hierarchiæ intercedere majorem distinctionem, quàm specificam, utpote majorem quàm inter eos qui sunt ejusdem Hierarchiæ. Immo non desunt qui considerantes universitatem Angelorum instar invisibilis mundi, plurimis specierum differentiis ornati, etiam in eodem Ordine plures Angelorum species admittunt, adeòque eos qui diversorum sunt ordinum etiam genere differre censent. Cui congruit, quòd Lucifer, etsi esset de supremo Angelorum ordine, tamen ceteris ejusdem ordinis antecelluit, uti in gratia, sic in natura. Verumtamen de his non habemus certitudinem.

Immo fortè aliqui plùs quàm specie differunt.

Dico III. Maxima est multitudo Angelorum. Est de fide ex *Dan. 7. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Apoc.5. Erat numerus eorum millia millium.* Job 25. *Numquid est numerus militum ejus?* id est, Angelorum, ut solet exponi, & docet contextus. Similibus autem loquendi formulis denotatur multitudo maxima & quasi innumerabilis Angelorum indefinitè, numero certo expresso pro incerto, ut docet *Gregor.17. Moral. cap.7.* & alii: sic videlicet, ut quàmvis non sint præcisè tot quot in Scriptura exprimuntur, non sint tamen pauciores, ut notavit *Cyrillus Hierosol. Catech.15.* Unde *Nyssenus lib. de opificio hominis cap.17.* dicit Angelorum copias esse *numero infinitas.* Et infrà dicit, *ad infinita propè millia esse diffusos.* 27.

Multitudo Angelorum maxima.

Ad particularia tamen descendendo non eodem modo censent Patres & Doctores de numero Angelorum. Quidam enim dicunt tot homines esse salvandos, quot Angeli perstiterunt: cùm autem minima pars hominum salvetur, & maxima pars Angelorum perstiterit, cõsequens foret longè plures esse homines computando simul quotquot sunt in quavis temporis differentia, quàm Angelos. Quidam verò attendentes dicta Patrum, de reparatione ruinæ Angelorum per electos homines, dixerunt, solos electos æquivalere tertiæ parti Angelorum, quæ scilicet cecidit, adeòque adhuc numerum hominum (quorum ne quidem decima pars est electa) prævalere numero Angelorum. E contrà plerique docent numerum Angelorum esse longè majorem numero hominum, etiam successivè existentium; & quidem excedere illum decuplo, ferunt revelatum S. Birgittæ. Estque id valde credibile: præsertim si verum sit, Angelum qui semel functus est custodiâ unius hominis, deinceps ad hoc munus non assumi: inde enim sequitur solum infimum chorum Angelorum (ex quo solo ordinariè mittuntur Angeli custodes) adæquare numerum hominum, si non longè superet. Præter quos sunt tanto numero mali Angeli. Immo *D. Thom. q. 50. art. 3.* & alii existimare videntur numerum Angelorum excedere numerum omnium individuorum corporalium simul existentium, vel arenarum maris: *Nam pro locorum magnitudine* (inquit *Cyrillus Hierosolym. Catech. 15.*) *cogitandum est, si hæc nostra terra est tamquam centrum in medio cæli, & tantam habet multitudinem, quantam habebit multitudinem cælum quod terram ambit? Et cæli cælorum immensam certè habent multitudi-* 28.

Varia, & mera de ea conjectura.

titudinem; scriptum est enim: millia millium ministrabant ei &c. Quod credibilius erit, si cum Quibusdam electorum habitationem non ad determinatam partem cæli Empyrei restringamus, sed ad totam ejus amplitudinem, quæ immensa est, extendamus: immensa siquidem habitatorum copia tanto spatio congruit; quod utique creatum ad inhabitandum fuit.

QUÆSTIO IV.

De Distributione Angelorum in Hierarchias & Choros sive Ordines.

29. *Hierarchia quid & quotuplex?* HIERARCHIA Græcè, Latinè est sacer principatus sive sacrorum principum senatus, id est, cœtus variarum personarum, quæ sacrâ potestate & functione cum quadã subordinatione prædita inter se unum corpus efficiunt. Alia est Ecclesiastica, quæ constat Episcopis, Sacerdotibus & Ministris, Prælatis & Subditis. Alia Cælestis sive Angelica. Quibus addit *D. Bonav. d. 9. in Expos. textûs* Supercælestem seu increatam in ipsa SS. Trinitate.

30. *Cælestis sive Angelica est triplex.* Multitudo cælestium spirituum in triplicem Hierarchiam distribuitur ab omnibus Theologis post *Dionysium Areopagitam c. 6. cælestis Hierarchia*, & alios Patres. Iidem singulas Hierarchias subdividunt in tres Ordines seu Choros, qui sunt quædam pars alicujus Hierarchiæ in eadẽ aliquod speciale munus habẽs. Quemadmodum in Ecclesiastica Hierarchia sunt varii Ordines speciale quoddam munus in eadem Hierarchia habentes.

Singula complectuntur tres Choros seu Ordines. In prima seu suprema Hierarchia constituit *Dionysius* Seraphim, Cherubim & Thronos: in secunda seu media, Dominationes, Potestates & Virtutes: in tertia seu infima, Principatus, Archangelos & Angelos. At *Gregorius* & *Bernardus* in media Hierarchia statuunt Dominationes, Principatus & Potestates: in infima verò, Virtutes, Archangelos & Angelos. De qua distributione, & quoad modum distribuendi differentiâ, succinctè agit *D. Bonav. sup.* meritò dicens magis innitendum esse dictis *Dionysii* qui Paulum Magistrum habuit. Vide de iisdem *D. Bonav.* seu *Auctorem Compendii Theol. verit. lib. 2. c. 12. & 14.*

31. *Ratio cujusq; Hierarchia explicatur.* Prima Hierarchia desumitur ex habitudine ad Deum, cujus veluti principes honorarii & assessores, & quasi cubicularii sunt, qui in illa Hierarchia sunt constituti: ideoque proximiùs Deo vacant, & ab eo ordinariè divina consilia immediatè participant, inferioribusque patefaciunt. Supremus hujus Hierarchiæ Ordo est Seraphinorum, qui dicuntur velut incendentes seu calefacientes, scilicet ab ardore charitatis quâ flagrant, quamque aliis communicare student. Medius est Cherubinorum, sic dictorum ab eminenti scientia divinorum mysteriorum. Infimus est Thronorum veluti quietissimarum sedium ad recipiendos in se divinos fulgores (ut ait *Dionysius sup. cap. 7.* juxta versionem *Ambrosii Camaldulensis*) in quibus proinde quasi in Throno divina Majestas specialiter quiescit. Vel (ut loquitur *D. Bonav. Eccles. Hierarch. p. 1. c. 4.*) *in quibus divina justitia potissimè requiescit, per quorum ministerium divina æquitatis excellentia benignè & sapienter judicans universa, hominibus innotescit; sicut dicit psalmus: sedes super thronum qui judicas justitiam &c.*

His tribus Ordinibus rectè adaptat *D. Bonav. d. 9. in Expos. textûs* tres animæ beatæ dotes, fruitionem quidem seu amorem beatificum Seraphinis, visionem Cherubinis, tentionem (quæ respondet spei) Thronis. Et quamquam significatum istorum nominum quodammodo singulis competat: appropriantur tamen præfatis Ordinibus, sive ob defectum aliorum nominum, sive quia propria ratio singulorum distinctiva nos latet. Sic autem subordinantur hi inter se, ut perfectio inferiorum in superioribus quoque inveniatur juxta *D. Thom. q. 108. art. 5.* Ipsumque *Dionysium cælestis Hierarch. c. 12.* ubi juxta *Joachimi Perionii* translationem habet: *Ut enim prima mentes angelicæ cum fœnere habent sanctas inferiorum proprietates; sic etiam illas superiorum habent ultimæ, non tamen eodem sed inferiore modo.*

Secunda Hierarchia respicit statum prælationis sive præfecturæ generalis, ac universale regimen agendorum: Dominationes quidem præsidendo, agendaque per inferiores Angelos disponendo & ordinando velut dominatum in gubernatione hominum ac Ecclesiæ tenẽtes. Virtutes exequendo opera quædam majora & miraculosa. Potestates resistendo, aëreis scilicet potestatibus, easque compescendo, atque etiam in ordines inferiores potestatem exercendo. Tenendo autem distributionem *Gregorii* & *Bernardi* addit *D. Bonav. sup.* Dominationes præesse Angelicis spiritibus; Principatus, bonis hominibus: Potestates dæmonibus.

Tertia Hierarchia subditur secundæ, ab eaque illuminationes suscipit, & ab eadem ordinata immediatè exequitur, rerumque particularium ministerio intendit,

tendit. Principatus quidem ordinati sunt ad regimen Principum, Episcoporum & similium: Archangeli, sic dicti quasi principes Angeli, ordinantur ad regimen multitudinis seu regnorum: Angeli (quod nomen infimus Ordo appropriatum habet, dum ceteris conditinctè recensetur) ad custodiam personæ singularis seu privatæ. Ita *D. Bonav. sup.* Alii autem Archangelis tribuunt, quod nos Principatibus, & contrà. Dicuntur etiam Archangeli juxta Patres & *D. Bonav. sup.* qui majora revelant seu nuntiant, Angeli, qui minora. Virtutes quoque, quæ secundùm *Gregorium* & *Bernardum* primum locum in tertia Hierarchia obtinent, à ministerio, quod in operando consistit, dicuntur.

32. *Novem sunt Ordines Angelorum.* Hinc patet esse novem Choros sive Ordines Angelorum. Quos omnes enumerat Ecclesia in Officio omnium Sanctorum. Eosdem quoque enumeravit *Ignatius Martyr*, discipulus S. Joannis Evangelistæ *Epist. 5. ad Trallianos*: & alii Patres passim. Immo *Dionysius* testatur se id accepisse à suo Magistro, scilicet Apostolo Paulo, vel (ut quibusdam placet) Hierotheo. Idem tradunt omnes Theologi. Quare non potest hic Ordinum numerus (abstrahendo à modo ordinandi & distinguendi) sine temeritate negari: Immo *Suarez lib. 1. c. 13. n. 2.* censet esse de fide.

Eorumdem ordinum meminit quoque Scriptura. Nam *Isaiæ 6.* fit mentio Seraphinorum. *Ezech. 10.* & alibi Cherubinorum. *Ad Ephes. 1.* Dominationum, Principatuum, Potestatum & Virtutum. Ad *Coloss. 1.* Thronorum. *1. ad Thess. 4.* Archãgeli qui tubâ canit. Sed quia ibi videri potest esse sermo de S. Michaële (qui tamen non est de Ordine Archangelorum) de quo etiam expressè agitur in *Canonica Judæ*, ubi fit mentio Michaëlis Archangeli, id est, *principis Angelorum*, ut vertit *Arabicus*; & nusquam alibi fit mentio Archangelorum: Hinc censet *Estius d. 10. §. 6.* rectiùs hunc ordinem probari ex *Dan. 10.* ubi quidam Angeli dicuntur custodire regna & populos; quod est munus Archangelorum. Angelos denique exprimit Apostolus *ad Rom. 8.* Immo *Angelos penè omnes sacri eloquii pagina testatur*, ut ait *Greg. Homil. 34. in Evang.* Quod etiam ad Archangelos ab ipso extendi miratur *Estius* ob prædicta. Quàmvis autem dubitare quis posset, an Scriptura de singulis loquatur tamquam de Ordinibus distinctis, præsertim de Angelis, quod nomen est genericum, & infimo Ordini solùm accommodatum: firmiter equidem adhærendum est numero assignato ob Auctoritatem Ecclesiæ, Doctorum & Patrum, præsertim *Ignatii* & *Dionysii*, qui illud meritò existimantur hausisse ex ore Apostolorum.

Ex quibus patet, immeritò *Calvinum lib. 1. Instit. c. 14. §. 4.* & alios Recentiores hæreticos, invehi in studium Scholasticorum, novem Ordines Angelorum ex Scripturis & Veterum scriptis deducere satagentium: & (quod intolerabilius est) etiam ipsius *Dionysii* de hoc ordinum numero doctrinam tamquam meram garrulitatem à *Calvino* traduci.

Nec refert, quòd *Leo IX.* dicat decimum Ordinem Angelorum cecidisse, ut habetur c. *His duo, de Consecr. d. 1.* quem proinde ex hominibus restaurandum dicit *Magister 2. d. 9.* Nam decimus vocatur, non gradu, sed numero; eò quòd numerus lapsorum Angelorum, & consequenter hominum qui ruinas restaurant, sit tantus, ut sufficeret ad unum Ordinem inter angelicos constituendum, ut rectè *D. Bonav.* (sive alius Auctor) *Compendii Theol. verit. l. 2. c. 23.* 33. *Quo sensu decimus Ordo ceciderit & restaurari dicatur.*

Nota I. Quòd etsi pleræque ex supradictis functionibus (à quibus plerique Angelorum Ordines nomen accepisse videntur) Angelis ab initio non competierint, nullo videlicet adhuc existente peccato, genereque humano necdum condito: prædicta tamen distributio in Hierarchias & Ordines facta est ab initio creationis juxta *Estium d. 9. §. 3.* qui testatur esse communem Theologorum. Nam ab initio inerat sufficiens ratio ejusmodi distributionis, scilicet inæqualitas in donis naturæ & gratiæ. Siquidem ut monet *D. Bonav. d. 9. q. 5. in corp.* & alibi, ad perfectionem Ordinis duo concurrunt, scilicet natura & gratia; natura tamquam fundamentum, gratia tamquam complementum: etsi plenissima consummatio fit per gratiam patriæ sive gloriam. Unde Patres docent Luciferum fuisse aliquem Angelũ principem, & ex singulis Ordinibus aliquos cecidisse: quod supponit distributionem istam factam fuisse ab initio ante illorum peccatum. Quare etiam Scriptura dæmonibus tribuit nomina diversorum Ordinum, scilicet Angelorum, Principatuum, Virtutum *ad Rom. 8.* quibus *ad Ephes. 6.* & alibi addit Potestates. Immo *Bernardus 5. de Consider. c. 4.* inter fide tenenda de Angelis ponit, quòd sint distincti in personas, dispositi in dignitates, stantes ab initio in Ordine suo. Nihilominus illi Auctores, qui existimant gratiam non esse Angelis omnibus concreatam, consequenter dicunt ab initio non fuisse plenè ordines constitutos, sed imperfectè & inchoatè ratione inæqualitatis in naturalibus donis. 34. *Distinctio in Hierarchias & Ordines fuit ab initio creationis.*

35. *Cessabit post judicium quoad ministeria erga homines.* Nota II. Post diem judicii inæqualitatem donorum naturæ & gratiæ ac gloriæ quidem permansuram in Angelis, similiter functiones eorumdem quatenus respiciunt Deum: Evacuandam tamen esse Hierarchiam quantùm ad ministeria concernentia homines salvandos. Huc applicant nonnulli cum *D. Bonav. d.9. q.6.* illud Apostoli 1. *ad Corinth.* 15. (quod tamen *Chrysostomus* & alii explicant de dæmonibus) *cùm evacuaverit* (Christus scilicet in fine mundi) *omnem Principatum, & Potestatem & Virtutem.*

36. *Etiam inter dæmones sunt quidã ordines seu prælationes.* Nota III. Inter dæmones quoque esse quosdam Ordines seu prælationes, juxta *Magistrum, Alensem, D. Thom. D. Bonav.* & alios Theologos communiter. Filii namque tenebrarum imitari conantur, etsi falsò & imperfectè filios lucis: ac velut prudentissimi in generatione sua cōspirant sub ducibus suis, ut homines impugnent & à Deo avertant, ut pulchrè *D. Bonav. d.6. art.3. q.2. in corp.* Idemque colligitur ex Scriptura. Nam *Matth.* 25. quidam principalis dæmon præ ceteris vocatur Diabolus, & reliqui dicuntur angeli ejus. Et *Apoc.* 12. vocatur Draco, alii autem dicuntur ejus angeli. Et *Luca* 11. Judæi de Christo dicebant: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Idem tradunt Patres *Athanasius, Theodoretus, Cassianus* apud Wiggert *q.* 108. *n.* 9. Nihilominus hæc coordinatio non est *Ex divina permissione.* ex divina institutione positiva, sed solùm permissivâ: utpote maximè instituta ad noxam animarum & infestationem Ecclesiæ. Quare *D. Bonav. sup. ad* 3. *Nulla* (inquit) *ibi manet juris obligatio, sed solùm malevolens confœderatio.* Dum autem *ad* 2. refert prælationem in naturam & institutionem divinam (quod etiam videtur facere *Alensis, D. Thom.* & alii) id facit eatenus, & rectè, quatenus Deus instituit naturas dæmonum cum potentia & vi ministrativa in diversis inæquali, quam quidem ex conditione naturæ & institutione divinâ acceperunt perficiendam in bonum, sed ipsi ex pravitate sua in malum ministerium abutuntur, præsidentes invicem eo ordine, quo si essent boni invicem præessent. Quare in- *Ac ipsorum impiâ conspiratione.* choativè sumitur ex inæqualitate donorum naturæ, & completur impiâ conspiratione mutuâ, ad efficaciùs honori Dei & saluti animarum obsistendum. Evacuabitur autem juxta *D. Bonav. sup. ad* 2. & alios Doctores hic ordo prælationis & obedientiæ post diem judicii, uti & finis ob quem à Deo permittitur, itemque finis ad quem dæmones inter se cōspirant. Quare tunc summa erit rebellio, & confusa perturbatio, nullusque ordo, sed sempiternus horror inhabitabit.

Petes I. Ex quo ordine sit S. Michaël? Resp. esse de ordine Seraphinorum, immo supremum omnium cælestium spirituum. Ita passim Doctores, contra nõnullos existimantes esse de ordine Archangelorum, vel de ordine principatuum. 37. *S. Michaël est supremus inter Seraphinos.*

Colligitur ex *Apocal.* 12. *Michaël & Angeli ejus præliabantur &c.* ubi reliqui dicuntur Angeli Michaëlis velut principis; sicut *ibidem* inferiores dæmones dicuntur angeli Draconis sive diaboli principalis. Deinde Ecclesia celebrat festum Angelorum nomine Michaëlis, velut omnium Principis, eumque appellat primatem cælestis exercitûs, principem militiæ angelorum & præpositum paradisi. Quare singulari privilegio constitutus est custos & patronus Ecclesiæ Catholicæ, sicut olim erat Synagogæ: quàmvis ordinariè ex inferioribus ordinibus & Hierarchiis ad similia ministeria soleant Angeli deputari.

Nec refert, quòd in *Canonica Juda* vocetur *Archangelus.* Nam id ibi non est aliud, quàm princeps Angelus, per quamdam Antonomasiam: non significat autem ibi angelum de penultimo ordine. Similiter *Dan.* 12. dicitur *Princeps magnus*; quia scilicet supremus cælestium spirituum. Quo etiam sensu accipiendum est illud *Dan.* 10. *Et ecce Michaël unus de principibus primis*; unus scilicet, & is quidem maximus, q.d. primus inter principes primos. Quemadmodum *Gen.* 1. dicitur: *Et factum est vespere & manè dies unus*, id est, primus. Et in Evangelio quod legitur: *una Sabbati*, idem valet quod *prima Sabbati*, ut habet *Marcus*; id est, primâ die hebdomadæ, juxta nostrum *Felsium Instit. Christian. d.*10. *c.*3. qui præsens dubium optimè tractat.

De S. Gabriële Archangelo incertum est, an sit de ordine Archangelorum ut existimat *D. Thom.* 3. *p. q.*30. *art.*2. *ad* 4. putans satis credibile, quòd sit supremus in isto ordine: an verò sit Seraphinus, eò quòd *Luca* 1. de se ipso dicat: *Ego sum Gabriël, qui adsto ante Deum.* *Minùs constat, de quo ordine, sit S. Gabriël.*

De S. Raphaële minùs esse laborandum censet *Estius d.*10. §.6. eò quòd cùm constet eum fuisse custodem privati hominis, absque inconvenienti dicatur esse de infimo ordine. Sed obstat, quòd omnino videatur fuisse alius custos Angelus Tobiæ, & præter hunc fuisse missus extraordinariè Raphaël ad opera miraculosa per eum exercita & ligandum Asmodeum. Deinde generalius esse illius officium & potestatem, colligitur ex sensu Ecclesiæ in Itinerario, in quo quilibet rogat, ut *Angelus Raphaël comitetur in via*, scilicet saltem virtute & patrocinio suo, *Vel S. Raphaël.*

suo,

suo. Quare ad altiorem aliquem ordinem aut etiam Hierarchiam, fortè ad ordinem Virtutum aut Potestatum, spectare videtur. Immo nonnulli eum inter Seraphinos locant, eò quòd *Tobiæ* 12. dicat se esse unum ex septem qui adstant ante Deum.

Denique Angelus qui labia Isaiæ Prophetæ calculo mundavit ignito, verisimiliùs videtur fuisse unus de Seraphim: eò quòd *Isaiæ* 6. ita simpliciter appelletur, nec sit ratio impropriè explicandi. *Dionys.c.13.cælestis Hierarchiæ* (ob cujus auctoritatem Nonnulli putant fuisse ex infima Hierarchia) tantùm dubitativè loquitur, & relatis variis explicandi modis tribuit libertatem eligendi aut meliorem inveniendi, ut ex fine capitis patet.

38. *Quâ ratione homines assumi dicantur ad ordines Angelorum.* Petes II. Quâ ratione homines dicantur assumi ad ordines Angelorum? Resp. certum esse, quòd non applicentur ad functiones Angelorum, nec induantur eorum donis naturalibus; quæ tamè cum donis gratiæ constituunt ordines angelicos. Quod autem concernit dona gratiæ & gloriæ, satis constat quosdam homines æquari Angelis, etiam summis; & hoc sensu quosdam pertinere ad Seraphinos, alios ad Cherubinos &c. Immo Christus & B. Virgo omnes Angelorum choros longo superant intervallo. Illi autem, qui moriuntur cum solo baptismo absque proprio merito, omnino superantur ab Angelis, etiam infimi ordinis, qui in gratia creati per varios actus meritorios indubiè ampliorem gratiam & gloriam sibi compararunt. Quare pro his, & similibus, qui in vita hac non pervenerunt ad tantam meritorum excellentiam, ut exaltentur ad ordines Angelorum per æqualitatem gratiæ aut gloriæ, statuunt Nonnulli cum *D.Bonav.d.9.q.7.* decimum gradum seu ordinem salvandorum, junctum novem Angelorum & iis coæqualium ordinibus. Quod ad modum loquendi, qui arbitrarius est, dumtaxat pertinet.

DISPUTATIO III.

De Intellectu & Voluntate Angelorum.

QUÆSTIO I.

An in Angelo sit intellectus specie distinctus ab humano?

1. *Angeli sunt præditi intellectu.* DICO I. Datur in Angelis intellectus. Est de fide ex intellectualibus operationibus, quas Scriptura passim eis adscribit: & ex eorum merito ac demerito, quod soli competit creaturæ intellectuali.

De distinctione autem intellectus angelici à substantia seu essentia ipsius Angeli discurrendum est, sicut de distinctione intellectus humani ab anima rationali: à qua ipsum non distingui realiter (cùm nullum sit distinctionis, sed potiùs identitatis indicium) sed solùm formaliter ex natura rei, ut loquuntur *Scotistæ*, vel ratione habente fundamentum in re, ut loquuntur alii, est vetior opinio, hodieque extra Scholam *D. Thomæ* receptior: de qua in Philosophia actum est. *Realiter indistinctus ab ipsorū substantia.*

Porrò sicut substantia angelica specie distinguitur ab humana, sic indubiè intellectus utriusque specie distinguitur, utrumque materialiter & identicè considerando quatenus identificatur respectivè suæ substantiæ. Nihilominus considerando utrumque, quatenus distinguitur formaliter aut ratione ratiocinatâ à sua substantia, dubitari potest, an eatenus sit inter utrumque dissimilitudo seu distinctio specifica. Sicut potentiæ sensitivæ hominis & bruti, etsi inadæquatè spectatæ identificentur animæ hominis, & animæ bruti specie inter se distinctis, tamen secundùm multos sunt ejusdem rationis formalis, sive ejusdem speciei in quantùm sunt potentiæ tendentes in certa objecta. Quare intellectum angelicum & humanum esse similiter ejusdem speciei, censent nonnulli Scotistæ, signanter *Smising Tract. 2. de Deo Uno d. 6.n.160.*& fusè *in M.S de Angelis.* Et inclinatur *Scotus 2.d.1. q.5.n.5.* Nihilominus

2. *Sed specie distinctus ab intellectu humano.* DICO II. Intellectus angelicus specie distinguitur ab humano. Ita communiter Doctores. Et satis colligitur ex doctrina *Scoti 3.d.14. q.4. n.1.* ubi agit de intellectu humanitatis Christi, & *d.13. q.4.n.18.* ubi agit de voluntate ejusdem, illam asserens activitate inferiorem voluntate Angelorum. Alio autem loco (ut ex contextu patet) solùm dubitat. Ratio est: quia intellectus angelicus ex natura sua nequit intelligere dependenter à phantasmate aut sensuum operatione; secùs est de humano. Deinde Angelus essentialiter est perfectior animâ rationali; perfectio autem ista potissimùm est spectanda secundùm intellectum & voluntatem, quæ sunt primæ & præcipuæ perfectiones creaturæ intellectualis. Confirmatur: quia non repugnat intellectus creatus perfectior & specie distinctus ab humano; is autem non posset esse aut congruentiùs statui alius, quàm angelicus.

Nec obstat identitas objecti utriusque intellectûs; quia potest diversitas peti aliundè, nempe ex facultate perfectiori intelligendi, v.g. plura simul, aut ex modo intelligendi, v.g. distinctiùs, simpliciùs, clariùs, faciliùs &c.

Non obstat etiam, quòd inde sequi videatur distinctio specifica ipsarum intellectionum, adeòque major perfectio visionis beatificæ Angeli, quàm Humanitatis Christi. Nam omissâ responsione illorum, qui totum admittunt loquendo de majori perfectione specifica, secùs de majori intensione vel claritate: facilè negatur prior sequela; à distinctis enim speciè causis physicis potest oriri effectus ejusdē speciei, præsertim supernaturalis, dum idem est speciè principium supernaturale, v.g. idem lumen gloriæ, idem habitus charitatis infusus &c. Deinde admissâ priori sequelâ, potest negari posterior: defectus enim perfectionis, qui in visione beata peti posset ex parte imperfectioris potentiæ, scilicet intellectûs humanitatis Christi, potest per divinam omnipotentiam suppleri, sive speciali aliquo concursu, sive perfectiori & dissimili lumine gloriæ.

QUÆSTIO II.

Quodnam sit objectum intellectus Angelici?

3. *Objectum intellectus angelici est ens in tota sua latitudine.* DICO I. Objectum adæquatum intellectus angelici est ens in tota sua latitudine: omne enim illud & solum potest movere intellectum angelicum; etiam ipse Deus. Quàmvis ad claram Dei visionem, immo etiam ad actum fidei salutarem necessariū sit etiam ipsi Angelo auxilium supernaturale. Quare viribus suis non potuit Angelus Deum cognoscere, etiam abstractivè distinctè, sed tantùm confusè, sicut nos. Quare species abstractiva distinctè Deum repræsentans esset supernaturalis, ut etiam fatetur *Scotus 2.d.3.q.9. n.16.* Inclinat autem *Scotus ibid. n.10.* ad adstruendam in Angelis ab initio creationis ejusmodi speciem; utpote possibilem, & ad dignificationem naturæ angelicæ spectantem. Meritò tamen id non firmiter asserit; quia ex possibilitate non sequitur eo ipso fuisse de facto concessam.

Circa objectum autem intellectus angelici moventur nonnullæ difficultates, utrùm scilicet intellectus angelicus viribus suis possit certò cognoscere quædam objecta, nimirum mysteria gratiæ, secreta cordium, & futura contingentia. Pro quarum resolutione

4. *Cognoscit naturaliter mysteria gratiæ, etiā in substantiā.* DICO II. Intellectus angelicus potest virtute suâ naturali, divinitùs non impeditâ, evidenter cognoscere mysteria gratiæ, etiam in substantia supernaturalia, quatenus creatis entibus constat. Dixi *etiam in substantia supernaturalia*: de naturalibus enim in substantia, solùmque supernaturalibus in modo, v.g. resuscitatione mortui &c. manifestum est posse ab Angelo cognosci. Si tamen modus ipse, quo entitas aliqua afficitur sit quoque in se supernaturalis, de eo est eadem quæstio quæ de supernaturali in substantia. Dixi *quatenus creatis entibus constant*: nam Deum Unum & Trinum, decreta Dei libera, Incarnationem ex parte termini seu Verbi divini &c. nequit Angelus distinctè cognoscere, aut evidenter intueri viribus suis. Dixi *divinitùs non impeditâ*: potest enim Deus quædam mysteria occultare, subtrahendo suum concursum, tum objecto, tum ipsi intellectui angelico. Prout dæmonibus interdum occultantur mysteria gratiæ; & de Incarnationis mysterio Doctores communiter cum Patribus censent illud, in principio præsertim, dæmonem latuisse.

Dixi denique *evidenter cognoscere*, scilicet intuendo aut cognoscendo mysteria immediatè in se ipsis; arguitivè enim constat Angelum ex quibusdam mediis posse devenire in notitiā multorum supernaturalium, v.g. ex Prophetiis, miraculis &c. Ex quo medio possunt etiam ipsi dæmones cognoscere mysteria gratiæ. Præterea ex eo quòd advertant se sub speciebus Eucharisticis non videre substantiam panis & vini, possunt concludere accidentia illa esse sine subjecto. Quæ tamen collectio hoc habet incertitudinis, quòd suspicari possint adesse quidem, sed divinitùs occultari.

Conclusio est *Scoti 4.d.10.q.8.n.7. & seqq.* agentis de præsentia Eucharistica. Et *nu.9.* etiam meminit virtutum Theologicarum, & *n.12. in fine*, idem supponit de mysterio Incarnationis, & planè generalem *eādem quæst.* doctrinam tradit. Quam novissimè sequitur *Derkennis de intellectu Angelico n.66. & seqq.* excipiens tamen lumen gloriæ, visionem beatam alieni suppositi, & unionem hypostaticam. Est autem contra *Thomistas* passim, *Suarez, Malderum* & multos alios.

Probatur Conclusio: quia nulla est ratio sic restringendi limites intellectus angelici. Non enim major perfectio entis supernaturalis; nam illud est imperfectius ipsâmet substantiâ Angeli, & tamen hanc naturaliter intuetur Angelus, etiam inferior substantiam superioris. Non etiam diversitas ordinis; objectum enim & potentia

tentia cognitiva non debent esse in eodem ordine: cùm potentia sit spiritualis, substantialis, creata; objectum sæpè sit materiale, accidentale, increatum. Non obstat etiam supernaturalitas; quasi propter hanc Deus ipse naturaliter nequeat videri: non enim propterea, sed propter infinitatem, & quia tantùm videtur voluntariè quantùm & quomodo vult, nequit Deus naturaliter videri.

5. Dices I. Qualis est entitas, talis & cognoscibilitas, utpote proprietas identificata ipsi entitati: ergo si entitas est supernaturalis, etiam cognoscibilitas est supernaturalis; & consequenter non nisi per actum supernaturalem sive supernaturaliter potest cognosci. Resp. I. Disting. primum consequens: etiam cognoscibilitas est supernaturalis eâdem supernaturalitate, quâ ipsa entitas, scilicet in esse, & respectu potentiæ producentis Conc. primam Seq. & Neg. secundam. Est supernaturalis aliâ supernaturalitate, scilicet in cognosci & respectu potentiæ cognoscentis, Neg. Seq. nam hoc ipsum est quod quæritur, an scilicet hæc supernaturalitas sequatur ex priori. Secundò paulò aliter Responderi potest Neg. secundam sequelam: nam prædicata objecti non debent transfundi in actum vel potentiam. Similis, sed mala collectio est hæc: qualis est entitas, talis & cognoscibilitas; ergo si entitas sit increata, substantialis, relativa &c. etiam cognoscibilitas est talis: & consequenter non potest cognosci nisi per actum increatum, substantialem, relativum &c.

Supernaturale quoad esse potest non esse tale quoad cognosci.

6. Dices II. Notitia intuitiva vel distincta entis supernaturalis connaturaliter exigit existentiam ejusdem entis supernaturalis: ergo ipsa quoque supernaturalis est; aliàs ens supernaturale non excederet exigentiam naturæ seu rei naturalis. Resp. Neg. Seq. nam ipsa solùm exigit ens supernaturale tamquam objectum vel terminum suum extrinsecum; talis autem exigentia potest competere enti naturali respectu entis supernaturalis. Supernaturalitas namque attendi debet per ordinem ad causam efficientem, quòd scilicet res produci nequeat ab agente naturali, aut certè insuper quòd nulla res naturalis exigat connaturaliter illam sibi inexistere. Alioquin videns Deum aut credens Deo, advertit se videre aut credere; quæ quidem reflexa notitia est naturalis, & tamen exigit existentiam actus cogniti, qui est supernaturalis. Similiter assensus Theologicus de objecto supernaturali est naturalis, & tamen postulat existentiam objecti supernaturalis, uti & principiorum, aut saltem unius principii supernaturaliter crediti. Præterea scientia naturalis de Deo exigit existentiam Dei, qui tamen ens est maximè supernaturale. Denique fides naturalis (qualis esse potest defectu principii supernaturalis absolutè loquendo) de objecto supernaturali cum evidentia revelationis, exigit existentiam objecti supernaturalis. Ex quibus patet quàm infirma sint fundamenta oppositæ doctrinæ, ut meritò miretur *Derkennis n.63.* quòd tam firmum à multis assensum extorqueant.

Notitia naturalis potest exigere existentiam entis supernaturalis.

DICO III. Nequit Angelus evidenter cognoscere secreta cordium in se immediatè citra consensum alterius elicientis, Angeli sive hominis. Ita cōmuniter Doctores. Consonat Scriptura soli Deo adscribens notitiam cordium. *3. Reg. 8. 2. Paralip. 6. Psal. 7. Jerem. 17.* Similiter Patres cognitionem cogitationum cordium statuunt velut certum indicium divinitatis Christi; ut *Ambrosius lib. 5. in Lucam c. 5. Hieron. in c. 9. Matthæi. Cyrillus l. 2. in Joan. c. 19.* & alii. Nec tantùm agunt de universali notitia cogitationum cordis, sed etiam de notitia speciali aliquarum cogitationum præsentium, inde colligentes divinitatem. 7.

Nequit Angelus intueri secreta cordium.

Ratio naturalis difficulter redditur: nã cùm secreta cordis, scilicet affectiones liberæ voluntatis, & cogitationes earum directivæ (de actibus intellectûs nullum ordinem ad libertatem dicentibus est cōtroversia, utrùm naturaliter cognoscātur) sint in entitate sua naturales, sicut ipsa Angeli substātia; non apparet cur intellectus Angeli nequeat illas penetrare: præsertim cùm naturaliter Angelus penetret ipsam substantiã & accidentia, ipsos quoque habitus intellectûs & voluntatis, & species intelligibiles alterius Angeli vel hominis. Accedit, quòd Angelus naturaliter intueatur cogitationes proprii cordis, immo juxta receptam sententiam etiam alieni, cum consensu elicientis: at neque identitas subjecti, neque consensus alterius tribuit majorem facultatem, aut facit proportionem inter potentiam cognoscitivam & objectum.

Ratione naturali id difficulter probatur.

Non potest etiam id fundari in libertate actûs: tum quia difficultates allegatæ adhuc militant: tum quia cognito actu, videbit Angelus voluntatem ex nullo capite ad actum necessitari (uti videt circa actum proprium) adeòque esse liberum. Gratis autem dicitur naturam actus liberi esse talem, ut sicut subditur dominio solius Dei & elicientis, sic quoque subsit illorum tantùm notitiæ: nam ex eo quòd illis subdatur quantùm ad esse, non sequitur quòd iis solis subsit quantùm ad cognosci. Sicut Angelus in creatione subditur soli Deo, creatus tamen cognoscitur naturaliter etiam ab aliis.

Denique

Denique non rectè dixeris cum *Vasquez* & aliis id debere refundi in naturam actuum liberorum, quasi hæc talis sit, ut nequeant objectivè concurrere ad cognitionem sui in intellectu alterius, nisi dependenter à propria voluntate elicientis: Exemplo Dei, qui non nisi pro libertate seu voluntate suâ videtur. Unde secretum conscientiæ *D. Bonav. d.* 8. *p.2.art.1.q.6.ad* 5. vocat speculum voluntarium, quod non manifestat actu, nisi quod voluntas vult. Equidem id non satisfacit: cùm nulla sit distinctio inter naturam actus liberi & non liberi, immo idem possit successivè esse liber & non liber; & tamen actus non liber concurrit naturaliter ad notitiam sui etiam in intellectu alterius Angeli, adeòque quantùm ex ratione apparet, idem dicendum videretur de actu libero. Exemplum autem de Deo non est simile: ipse enim naturaliter videri nequit, eò quòd naturâ suâ infinitus sit, & quia quidquid operatur ad extrà, essentialiter operatur liberè & per voluntatem.

Quare vel fatendum est nos ignorare fundamentum, ob quod secreta cordis ex natura sua sint inscrutabilia: vel certè & rectiùs cum *Scotistis, Nominalibus* passim & multis aliis id referendum est, non in naturam ejusmodi secretorum, sed in subtractionem divini concursus, satis conformem naturæ & inclinationi creaturæ intellectualis, quam ipsa habet ad occultanda & aperienda pro libitu interiora cordis: etsi oppositum ex nullo capite appareat superare vires intrinsecas Angeli, posito concursu proportionato.

Notandum ex *D. Bonav. sup. in corp.* pauca esse ita secreta, quin prodeant in opera exteriora, vel appareant per signa aliqua exteriora; & hinc esse, quòd multæ cogitationes & affectiones nostræ deprehendi possint à malignis spiritibus, nisi arceantur Dei virtute: quamquam hæc cognitio potiùs sit conjectura, quàm certa scientia.

8. *Præscire potest futura necessaria.* DICO IV. Futura quæ dependent à causis necessariis naturaliter non impedibilibus, potest Angelus certò præscire, sub conditione tamen, si Deus naturalem causarum concursum non impediat, v.g. eclipses solis & lunæ &c. sunt enim hæc satis determinata in suis causis ut sciantur: adeòque hoc non est tam futura nosse, quàm præsentia in causis quodammodo aspicere. Unde & homines frequenter ea scire possunt. Plurima tamen prospicit Angelus, quæ angustia nostræ mentis non capit, v.g. futuram messem fertilem, tali loco & tempore futuram talem & tantam pluviam; etsi hæc dependeant à complexione multarum causarum merè necessariarum: quamquam nimia varietas superare quoque posset perspicaciam Angelorum. Si quoque complexio causarum naturalium ex parte dependeat à libero arbitrio, quatenus ab eo potest impedimentum aliquod poni, eatenus deficit similiter perspicacia angelica, juxta sequentem cōclusionem. Unde certitudinaliter prædicere nequit Angelus fertilem in hoc loco messem, nisi ex suppositione, quòd ager bene cultus malitiâ hominum non inundabitur, semen non dissipabitur &c.

DICO V. Futura contingentia, quæ scilicet dependent à causa creata libera, ipsósque actus liberos, nequit Angelus virtute naturali certitudinaliter præscire aut prædicere. Constat ex Scriptura, quæ ejusmodi præscientiam & prædictionem statuit tamquam notam divinitatis, *Isaiæ* 41. & 46. & alibi. *Et ideo* (inquit *D. Bonav. d.7.p.2. art.1.q.3. in corp.*) *cùm talia prædicuntur, prædictio dicitur divinatio, quia talis est actus divinus.* Unde *Tertullianus Apologet. c.*20. *Testimonium* (inquit) *divinitatis, veritas divinationis.* Et *Justinus Martyr*, vel alius Auctor *q.* 146. *ad Christianos*, de dæmonibus ait: *Ut procul absunt à vera divinitate, sic etiam à prænotione rerum futurarum.* Et consonant alii Patres. Hinc, ut rectè *D. Bonav. sup.* quia dæmones superbi, maximè desiderant honorari ut Deus, maximè conantur ostendere hanc vim se habere; ut patet ex ariolis & aruspicibus, responsis per idola &c. 9. *Non autem futura contingentia.*

Ratio Conclusionis est: quia ejusmodi futura non possunt ab Angelo præsciri in se ipsis: cùm in se ipsis non sint determinata, neque in se existant. Non etiam in causa: cùm ipsa quoque sit indifferens & indeterminata. Determinatum quidem est decretum Dei per quod futura sunt ad futuritionem determinata: sed illud ipsum est Angelo naturaliter incognitum. Ipse denique intellectus Angeli, veluti finitus & limitatus, non est ex se determinatus ad ista futura scienda, aut ea scire postulat.

Confirmatur: quia Angelus non scit, quid ipsemet sit acturus, antequam aliquid facere proponat; quare juxta *Anselmum lib. de casu diaboli c.*21. *D. Bonav. d.4.art.2.q.2.* & alios Doctores, diabolus non præscivit suum casum: ergo multò minùs de alio Angelo vel homine similia præscire potest.

Constat nihilominus Angelos multa prædicere, illuminatos à Deo, aut inferiores illuminatos à superioribus. Quin & ipsi dæmones quandoque nonnulla dicunt judicio & permissione Dei ab Angelis bonis, ut post *August. lib.2. ad Simplician,* 10. *Quâ ratione Angeli multa prædicant.*

cian.q.3. circa med. tradit *D. Bonav. ſup.* aſſignans quadruplicem modum, quo dæmones poſſunt præſentire futura; videlicet ſenſus aut ingenii acrimoniâ, conſiderando inclinationes noſtras, alioſque effectus & ſigna, indeque conjectando: longâ experiêtiâ, videndo ex talibus plerumque talia ſequi ſolita: dolosâ cautelâ, prędicendo illa, quæ ipſi poſtea Deo permittente efficere proponunt: alienâ doctrinâ, prædicendo quæ ab Angelis didicerunt. His adde, frequenter ipſos rem Amphibologiis involvere, ut ignorantiam ſuam occultent. Sed quidquid agăt, ſæpè falſa prænuntiant: adeòque aliàs potiùs dicunt verum caſualiter quàm certitudinaliter, conjecturâ potiùs quàm ſciêtiâ: qui enim ſemel dicit futurum in verbo Domini, & non evenit, ſicut in legé dicitur *Deuter.* 13. Somniator eſt, non Propheta Domini, ut rectè *D. Bonav. ſup. ad* 1.

11. *Præterita qualiter ſcire poſſint.* Dixi in Concluſione: *Futura contingentia*: Nam aliud eſt de præteritis, quæ ſicut potuerunt ſciri præſentia, ſic poſſunt ſciri poſtea vi memoriæ, aut ex effectibus: alioquin ſpectando præcisè præteritionem, præterita ſunt tam ignota Angelo, quàm futura: neutra enim poſſunt ut ſic movere intellectum angelicum; cùm motio iſta præſupponat objecti exiſtentiam. Æqualiter porrò pro præſenti utraque ſunt non ens; adeòque in præſenti, in quo præteritum nihil eſt, non poteſt magìs cauſare aliquem effectum, quàm id quod futurum eſt.

Dixi etiam, *certò præſcire*: nam conjecturaliter & veroſimiliter poſſunt multa prædicere ex complexione hominis, aliiſque effectibus & ſignis externis. Quod etiam in dæmonibus locum habet; ut paulò antè diximus.

12. Pro fine quæſtionis nota dæmones interdum divinitùs ad bonū noſtrum impediri, ne deprehendant ſive noſcant etiam illa, quæ manifeſtè non excedunt naturalem eorum induſtriam. Hoc modo ignorarunt, an Deipara fuiſſet Sponſo Joſeph commixta, nec ne, & an Chriſtus eſſet filius Joſeph, an non eſſet, quia videlicet non permittebantur accedere vel attendere. Hinc *Ignatius Martyr*, & alii Patres tradunt Mariam fuiſſe deſponſatam, ut cæleſtis ex Virgine partus celaretur diabolo, qui alioquin inde mox concluſiſſet ortum Meſſchiæ.

QUÆSTIO III.

De Medio cognitionis Angelicæ.

13. *Medium cognitionis quid?* AGITUR hîc de medio, ſive re illâ quâ mediante ſeu accedente completur efficacia intellectûs angelici ad eliciendam cognitionem: quod vocari ſolet medium quo. Conſiderari autem poteſt aliquod tenens ſe ex parte potentiæ, aliud ex parte objecti. *Ex parte potentiæ eſt habitus.* Medium prioris generis cenſetur habitus. Et quidem in ordine ad claram Dei viſionem indiget intellectus Angeli ejuſmodi medio, ſcilicet habitu luminis gloriæ, pari modo, quo animæ beatorum: de quo in *Tract. de Deo Uno.* Ad cognitionem fidei indiget ſimiliter habitu infuſo fidei, vel auxilio actuali ſupplente defectum habitûs. De quo *diſp.* 5. *q.* 1. Habitus autem naturales ſciêtifici à ſpeciebus impreſſis diſtincti velut ſuperflui non dantur in intellectu angelico, utpote ex ſe ſatìs expedito, & ad objecta cognoſcenda ſatìs inclinato, inſtar lapidis ad motum deorſum. Ob aliqualem autem illius indeterminationem in probabilibus ad utramque partem, varii (inter quos *Suarez & Prapoſitus*) probabiliter ſtatuunt in illo habitus opinativos, ſuppoſitâ doctrinâ (de cujus veritare in Philoſophia agitur) admittente aliquos habitus intellectivos à ſpeciebus diſtinctos. Quamquã ſi nõ de abſoluto aſſenſu alterutrius partis, ſed potiùs ipſius probabilitatis agatur, non videatur ponendus habitus ad judicandum de ipſa probabilitate utriuſque vel alterutrius partis, cùm ipſam certò & adæquatè penetrent Angeli. De quibus nil ſupereſt, quod longiorem tractatum poſtulet.

Ex parte objecti ſpecies impreſſa. Reſtat proinde quæſtio de medio cognitionis angelicæ ex parte objecti, quod dicitur ſpecies impreſſa, an videlicet vel qualiter indigeat ſpeciebus. In qua eſt mira ſententiatum varietas. Pro reſolutione

DICO I. Angelus non indiget ſpeciebus impreſſis ad intuendum ſe ipſum. Ita *Scotus 2.d.3 q 8.n.8. D. Thom. q.56. art.1.* & plerique alii. Ratio eſt: quia ſpecies tantùm datur tamquam vicaria objecti, ſupplens ejus abſentiam aut defectum: cùm igitur ipſum principale, ſcilicet ſubſtãtia ſeu eſſentia Angeli, quæ eſt objectũ, adſit & ſufficiat, fruſtrà recurreretur ad ſpeciẽ: adeòque Angelus intuetur ſe per ſuam eſſentiam tamquam objectum coefficiens iſtam intuitionem ſeu viſionem. Quemadmodum idcirco ad viſionem Dei non requiritur ſpecies, eò quòd cõgruat concurrere ipſum objectum, ſcilicet Deum, qui eſt ſumma lux & maximè intelligibilis, atque intimè præſens. 14. *Eâ non indiget Angelus ad intuendum ſe.*

Nec obſtat, quòd anima non intelligat ſe niſi per ſpeciem: nam anima ſeparata etiam intelligit ſeu intuetur ſe ſine ſpecie ſicut Angelus; alligata autem corpori, adeòque Phantaſiæ, non intuetur ſe, ſed per ſpecies alienas ex ſen-

ſibilibus

sibilibus haustas se ipsam cognoscit; quod non facit ad propositum.

15\. *An alias res spirituales satis approximatas.*

DICO II. Angelus non indiget speciebus impressis ad intuēdum alias res spirituales existentes, satisque approximatas. Est etiam communior Doctorum, & *Scoti d.3.q.10.n.16.* in fine. Ratio est eadem quæ præcedentis conclusionis: nam ejusmodi objecta adsunt, & sufficiunt, ut munus suum per se exequantur concurrēdo cum intellectu ad visionem seu notitiam intuitivam. Confirmatur: quia ipsas species intelligibiles seu impressas intuetur Angelus sine alia specie, ne detur processus in infinitum: ergo similiter possunt sine specie intelligi aliæ res spirituales satis applicatæ.

16\. *Quantumvis speciebus sensus, saltem nonnulli indigeant.*

Non obstat I. quòd potentiæ sensitivæ indigeant speciebus ad cognoscēda objecta sua: nam in primis id negant *Nominales.* Saltem non de omnibus id satis cōstat: non enim de tactu & gustu (de quibus id Auctores passim negant) quibus (fortè & olfactui) objecta sunt immediatè applicata. Visus & auditus habent objecta extrinseca, à quibus (docente experientiâ) immutari seu impressiones aliquas recipere debent, quibus mediantibus objecta percipiūt, suam mox perceptionem annuntiantes sensui interno, & per hunc intellectui. Ex eo autem, quòd in corpus seu sensum animalis aliqua ab objecto emanare debeant (sive species, sive quid aliud, non disputo) à quo ipsum corpus vel sensus corporeus patiatur, nulla ratio aut experientia id necessarium dictat in natura merè spirituali. Immo specierum multitudo videri posset obesse potiùs notitiæ intuitivæ objectorum distantium intrà sphæram intellectus angelici, dum sui inspectione occuparet potentiam intellectivam, adeòque minùs virium huic relinqueret ad inspicienda ipsa objecta; quæ insuper tamquam minùs intima, minùs traherent ad se potentiam, quàm ipsæ species: ut observat *Derkennis de Intellectu angelico c.2.§.2.*

17\. *Non omnis objecti distantia obstat immediata coefficientia.*

Non obstat II. quòd objectum distās ab Angelo, si per se concurreret, deberet agere in distans, scilicet in intellectionem Angeli, nil producendo in medio; quod cùm corporeum sit, nō est capax effectus spiritualis. Nam in hoc nihil est absurdi, præsertim quando concausa principalis est præsens & intima effectui producendo, prout intellectus Angeli est intimè præsens suæ cognitioni. Immo etiam in corporeis causa producit effectum immediatè in distanti, sive quia medium est incapax, sive quia est actuatum seu præditum antecedenter effectu simili. De quo in Philosophia.

18\. Non obstat III. quòd objectum simul intelligi possit à variis intellectibus, non tot, quin pluribus; adeòque si objectum physicè influat in ipsam intellectionem, simul posset causare intellectiones, non tot, quin semper plures: hoc autem arguere videtur quamdam infinitatem in ipso objecto. Nam hæc infinitas non est completa aut simpliciter, sed secundùm quid: pluralitas namque infinita non arguit infinitam simpliciter perfectionem aut virtutem, nisi dum quo major est pluralitas finita in infinitâ contenta, eò majorem virtutem requirit; prout requirit intellectus eò majorem virtutem seu perfectiorem, quò plura simul distinctè concipiuntur, ideoque dum nimia est intelligibilium multitudo, imperfectiùs considerantur singula: secùs est in concursu objectivo ipsius objecti, qui est ejusdem rationis, & æquè perfectus, sive objectum à multis intelligatur, sive à paucis. Estque id commune omni objecto etiam imperfectissimo, adeòque nequit inde elici perfectio unius præ altero, minùs perfectio infinita, quæ exigit ut objectum infinitè perfectum contineat eminenter alia objecta, plura semper & plura secundùm excessus determinatos. Unde non potest ita ex pluralitate intellectionum, in quas simul potest objectum influere, major aut infinita objecti perfectio colligi; sicut colligi inde posset major aut infinita perfectio ipsius intellectus. Adde idem argumentum militare contra ipsas species impressas: nam posset idem objectum simul efficere in singulis intellectibus, non tot quin pluribus, singulas species impressas; adeòque solvendum est ab ipsis objicientibus.

Neque inde sequitur vera in objecto infinitas.

19\. *An sphærā intelligibilitatis habeat Angelus perfectioni proportionatam?*

Dixi in Conclusione *satis approximatas*: eò quòd non satis constet, an Angeli proportionatè ad perfectionem suam habeant sphæram intelligibilem, intrà quam solùm possint intueri objecta distantia, & eò perfectiùs ceteris paribus, quò minùs distant: quamquam determinari nequeat, quanta sit singulorū sphæra cognoscibilitatis. Dico, *ceteris paribus*: nam fieri posset magis distantia esse magis intelligibilia, quàm aliqua propinquiora, adeòque perfectiùs videri intellectualiter instar visibilis magis lucidi. Dico etiam, *proportionatè ad suam perfectionem*: intellectus enim perfectior est instar visus magis acuti, qui perfectiùs etiam magis remota penetrat. Et planè apparet hoc consonum communi cōceptui, & naturis rerum: immo etiam doctrinæ Sanctorum, ex qua desumitur animas in lymbo, purgatorio aut inferno naturaliter ignorare quæ hîc geruntur, ideoque necessarium fuisse aut esse,

Id quidem consonum communi conceptui.

cas

eas instrui, sive à noviter adventantibus, sive à spiritibus bonis vel malis: cùm tamen nil nisi distantia id impedire posse videatur. Sic etiam, quòd beati in cælo intelligant preces nostras, refertur in revelationem divinam in Verbo aut extra Verbum. Historiæ denique referunt dæmones invicem nuntiare, quæ in diversis orbis partibus contingunt, Lucisero præsertim nunc juxta multorum sententiam in inferno ligato.

Nil tamen determinatè potest de hoc statui.

Quibus non obstantibus *Malderus q.* 55. *a.* 2. referens *D. Thomam* censet Angelos etiam malos posse intueri rem quantumcumque distantem, adeòque eos dum volunt advertere, posse videre quid per totum mundum fiat, etiamsi loco se non moveant, nisi divinitùs impediantur. animarum autem defunctarum nescientiam docet cum *Ferrariensi*, quem refert, provenire non ex locorum distantia, sed ex divina ordinatione; quod etiam de dæmonibus dici posset. Hâcque viâ facile esset apprehendere, qualiter animæ Sanctorum etiam naturaliter intelligant preces ad se fusas. Et planè mirum foret, oculum intellectualem (qui utique per opacitatem interjectam non impeditur) naturaliter videre non posse in locis subterraneis, quæ aguntur super terram; cùm oculus corporeus videre possit sidera tam immenso spatio distantia. Hoc saltem certum apparet, in aliqua saltem distantia posse spiritus intueri objecta: ne subtilissima intelligendi vis magis arctetur, quàm videndi. Aliàs etiam non possent invicem colloqui, nisi per fortuitum illapsum in mutuam substantiam; neque homines loquentes audire, nec corpora percipere, nisi sibi intimè præsentia: quæ sunt absurda.

20. *Corporalia satìs approximata intuetur Angelus sine specie.*

Dico III. etiam objecta corporalia satìs approximata intuetur Angelus sine specie. Est multorum Doctorum, & satis apertè *Scoti d.* 3. *q.* 10. *n.* 16. *in fine & n.* 17. *in fine*, ubi docet Angelum posse se & quæcumque alia cognoscere intuitivè sine specie, posse etiam cum specie, scilicet abstractivè. Quare dum *q.* 11. *n.* 4. in Angelis statuit intellectum agentem, ad efformandum scilicet cum objecto species impressas, id facit arguendo, potestque salvari in speciebus abstractivis. Unde sic docet *Lychetus* & varii *Scotistæ*. Ratio est: quia non est recurrendum ad species, dum objectum principale adest & sufficit. Nec obstat, quòd res corporalis videatur non posse influere in actus spirituales: nam id gratìs assumitur, dum adest principalis concausa spiritualis, scilicet intellectus. Deinde ipsa species impressa est spiritualis; & tamen potest objectum in illam influere, præsertim secundùm *Scotistas*: quidni ergo similiter in speciem expressam, sive in ipsam cognitionem? Et planè rationabile apparet, ut sicut quævis res intelligibilis est, sic vices objecto proprias præstare possit; adeòque objectivè influere, quod objecto propriũ est: *Ab utroque enim* (inquit *Aug.* 9. *de Trin. c. ult.*) *notitia paritur, à cognoscẽte & cognito.*

Dico IV. Angelus indiget speciebus impressis ad cognitiones abstractivas, scilicet ad præteritorum recordationem, aliorumque non existentium aut non sufficienter præsentium seu applicatorum perceptionem. Est communis Doctorum. Ratio est: quia cùm objectum istis casibus nequeat influere aut determinare ad cognitionem per se, debet id facere per aliquid supplens vices, quod, loquendo de potentia ordinata, est species impressa. Similiter specie intelligibili (quam possibilem censet *Scotus* 2. *d.* 3. *q.* 9. *n.* 16. nec improbabile putat *Malderus q.* 55. *a.* 1.) indiget ad distinctè abstractivè cognoscendum Deum. Quæ tamen notitia superat vires naturæ juxta *Scotum sup.* naturaliter autem non cognoscit Angelus Deum per propriam speciem, sed solùm abstractivè confusè, idque ex creaturis, sive abstractivè sive intuitivè cognitis. Neque aliter cognoscit Deum ex sua essentia, seu per propriam (ut loquuntur) essentiam cognitam, quàm per ceteras creaturas cognitas. Quemadmodum ex notitia creaturæ, præsertim rationalis, ascendimus in notitiam Creatoris. 21. *Speciebus indiget pro notitiis abstractivis.*

Dico V. Species intelligibiles Angelorum non dimanãt ab ipsorum essentia: sed partim sunt ab exordio creationis ipsis à Deo infusę; partim ab objectis generantur. Prima pars est cõmunis Doctorũ contra *Fonseca* & paucos alios. Ratio: quia species sunt velut semen objecti, adeòque ab ipso objecto, vel eo deficiente à Deo produci debent. Deinde quâ ratione ab essentia Angeli emanarent aliquarum rerum species, emanarent quoque species ceterarum, etiam possibilium, adeòque infinitarum. Denique pari ratione dici posset, quòd ab essentia Angeli emanarent ipsæmet rerum cognitiones. 22. *Species non dimanant ab Angelorum essentia,*

Secunda pars est *D. Th. D. Bonav. Scoti* & communis aliorum Doctorum: quam tamen incertam putat *Poncius d.* 12. *n.* 16. Colligitur ex *Ezech.* 28. ubì in persona regis Tyri juxta Patrum expositionem Angelo reprobo dicitur: *Tu signaculũ similitudinis, plenus sapientiâ, & perfectus decore.* Et infrà: *Perfectus in viis tuis à die conditionis tua.* Plenitudo autẽ sapientiæ postulare videtur multitudinẽ specierum, per quas promptè & pro libitu Angelus ab initio originis suæ noscere objecta posset. 23. *Sed partim infusa sunt à Deo,*

Colligitur etiam ex *Aug. l. 2. de Gen. ad litt. c.* 8. docente, creaturas Angelo inferiores priùs esse factas in mentibus angelicis, quàm in se ipsis, utique ratione cognitionis angelicæ, quæ præsupponebat species, non quidem acquisitas à rebus ipsis, utpote necdum existentibus, sed à Deo infusas. Denique id congruit perfectioni status, in quo natura angelica est condita, & conceditur primo homini, quòd scilicet sit conditus cum perfecta rerum naturalium scientia.

Unde secundùm *Scotum d.* 3. *q.* 11. *n.* 13. & reliquos Doctores fuerunt Angelis concreatæ species quidditatum universalium. Idem est de speciebus multorum singularium, quæ congruebat ab initio sciri, & ob absentiam aut non existentiam in seipsis videri non poterant, v. g. multa mysteria gratiæ, ea quæ primis sex diebus creanda erant &c.

24. *Naturales in substantia, neque Angelis debita:* Petes, An hæc infusio specierum sit Angelis connaturalis? Resp. non esse hoc sensu, quasi natura Angelorū illā exigat: etsi enim species ipsæ rerum naturalium sint in substantia naturales, Angelisque utiles, nec non eorum perfectivæ: natura tamen eorum contenta erat facultate illas sibi comparandi. Quare infusio ista est potiùs gratuita, fundata in liberalitate Dei, & congruentiâ desumptâ ex statu perfecto, etiam supernaturali, in quo Angeli sunt creati.

25. *Partim sunt genita ab objectis,* Tertia pars est *Scoti* & aliorum contra *D. Th. D. Bonav.* & plures alios. Probatur: quia saltem species rememorativæ, per quas Angeli recordantur præteritorum, non sunt eis ab initio infusæ, sed solùm insunt mediante actu cognitionis præterito, quem ut talem recordatio proximè respicit. Deinde gratis adeò extenditur perfectio Angeli merè dependens à voluntate Dei, sublatâ facultate comparandi sibi novas species, quæ ei connaturaliter competit. Denique non exiguæ latent difficultates in opposita sententia, qualitercumque defendatur. Nam in primis ad objecta existentia & præsentia cognoscenda Angeli non indigent speciebus; & quàmvis indigerent, species ab initio infusæ non possent deservire, nisi pro notitia abstractiva, adeòque species ab objectis pro intuitiva cognitione deberent hauriri. Deinde difficulter credi potest, Angelis esse congenitas species omnium rerum possibilium, adeòque infinitarum; aut etiam omnium rerum, quæ aliquando existent vel ab Angelo cognoscentur per totam æternitatē, quarum multitudo similiter nimia, aut etiam infinita est. Nec difficultas solvitur, recurrendo ad species numero finitas, sed universales in repræsentando: nam hæ quoque difficultatem patiuntur, & à nobis negantur sequenti Conclusione. Neque etiam recurrendo cum aliis ad species quidditatum universalium; utpote insufficientes ad cognoscenda determinatè & distinctè, nunc hæc, nunc illa singularia. Difficultas denique est, cur si singularium futurorum species sint in Angelis, hi nequeant futura scire antequam sint. A quibus omnibus facilè expedimur, dicendo quòd Angeli paulatim ab objectis acquirere possint species, si quibus indigeant. Immo incertum putat *Poncius d.* 12. *n.* 16. an ulla species fuerit Angelis infusa. Nolo equidem commune Theologorum assertum in litem vocare.

DICO VI. Angeli non habent species universales, sed unamquamque rem cognoscunt abstractivè per proportionatam speciem. Ita *Scotus q.* 10. *cit. n.* 15. contra *D. Thomam q.* 55. *a.* 3. *Suarez* & plures alios, existimantes, quòd Angeli quò sunt superiores, eò habeant species universaliores & repræsentativas plurium quidditatum. Probatur Conclusio: quia species est velut semen & vicaria objecti supplens ejus defectum; ergo sicut ipsum objectum causaret præcisè sui cognitionem, sic facit & species. Quod clarum videtur, si dicantur species genitæ ab ipsis objectis: si autem infundantur Angelis à Deo, adhuc quoad illas verificatur Conclusio: quia Deus in illa infusione censetur tantùm supplere defectum causæ secundæ, faciendo quod ipsum objectum fecisset, aut facere potuisset. Deinde non alias species infunderet Deus, quàm quas habere exigit Angelus: hic autem non exigit alias habere, quàm quales ipsa objecta essent nata causare. 26. *Nulla verò universales.*

An autem species universales in repræsentando sint possibiles, majus dubiū est. Conclusio nostra ab hoc abstrahit: nam etiam datâ possibilitate, non sequitur de facto illas esse infusas. Difficulter quidem reperitur implicantia; è contrà tamen etiam difficulter positivè ostenditur possibilitas: cùm quâ ratione dari posset species repræsentans plura disparata, dari quoque posset repræsentans quantumcumque disparata quovis numero. Deinde difficulter apparet, quomodo species universalis non determinet necessariò intellectum ad notitiam universalem, seu tendentem in omnia objecta quorum est species (quod tamen alii putant non necessarium) cùm species sit ultimum & naturale determinativum ipsius cognitionis; quale isto supposito non esset: nam adhuc requireretur aliud determinans ad hujus potiùs quàm alte- 27. *Esse possibiles. Earum possibilitas difficulter improbatur aut positivè efficaciter probatur.*

rius

rus objecti cognitionem, etsi species sit utriusque objecti. Verumtamen sicut datur idem actus seu species expressa tendens in multa subordinata, v. g. in materiale & formale, in conclusionem & præmissas; sic dari potest species impressa eadem repræsentans: immo de facto datur ejusmodi species memorativa, quæ scilicet ex tali actu relinquitur.

QUÆSTIO IV.

De Cognitione Angelica.

28. *Cognitio angelica ab intellectu & substantia Angeli realiter distinguitur.* DIco I. Cognitio angelica est realiter distincta ab intellectu & substantia Angeli. Ita *D. Tho. Scotus*, & reliqui Theologi. Patet tum exemplo cognitionis nostræ: tum quia cognitio angelica frequenter variatur (Angelus enim nunc hæc, nunc illa cognoscit) invariatâ manente ipsâ Angeli substantiâ: tum quia alioquin totam intellectionem sibi possibilem, uti totam suam substantiam, Angelus simul haberet. Confirmatur: quia alioquin sicut Angelus naturaliter & necessariò est sua substantia: sic quoque naturaliter & necessariò intelligeret quidlibet, immo videret Deum; adeòque esset necessariò beatus.

Nec obstat exemplum cognitionis & volitionis divinæ, quæ identificatur substantiæ divinæ, & tamen contingenter terminatur ad contingentia, sicut absque intrinseca sua variatione potuisset ab æterno juxta beneplacitum divinum ad illa non terminari. Non obstat (inquam) quia stultum est velle mysterium istud inscrutabile transferre ad res creatas, in quibus plana est explicandi via per distinctionem realem, quæ divinis perfectionibus absolutis non convenit. Deinde actus divinus istam perfectionem sibi vendicat ob suam infinitatem, ac equidem necessariò & invariabiliter terminatur ad objectum suum specificativum, scilicet divinam essentiam: at actus angelicus est limitatus, & specificatur à mutabilibus & particularibus objectis, quæ intellectus angelicus nec necessariò nec semper respicit.

29. *Non potest naturaliter Angelus ab omni cognitione cessare.* Dico II. Angelus non potest naturaliter cessare ab omni cognitione: posset tamen cessare à sui ipsius cognitione, aut etiam Dei. Prima pars patet: quia intellectus Angeli est causa necessaria, adeòque necessariò agit positis prærequisitis: semper autem ista sunt posita quoad cognitionem vel sui vel aliorum entium. Immo inde sequitur intellectum Angeli semper actu intelligere, quantùm simul intelligere potest, positis sufficientibus objectis sufficienter applicatis, prout semper applicata sunt. Neque subditur intellectus directè imperio voluntatis, saltem quoad evidentia (ut apud omnes est in confesso, & experientia docet) non magis, quàm ut oculus corporis apertis palpebris & omnibus requisitis positis non videat. Solùm itaque subjacet indirectè, quatenus voluntas vel divertit intellectum ad alia consideranda (tunc autem aliquid intelligitur) vel objectum amovet; quod saltem omne amovere nequit, quia si amoveret cetera, saltem non se ipsum.

Ex quo colligitur, quàm immensa copia rerum cognitarum sit jugiter in intellectu Angeli, præsertim perfectissimi, citra omnem defatigationem, cujus est incapax ob spiritualitatem suam. Si enim oculus corporalis infinita propemodum objecta, & simul intuetur: quantò ampliùs id potest oculus spiritualis acutissimus Angeli, adeòque de facto facit, cùm nec per somnum, nec per aliud medium possit impedire actualem operationem intellectus sui.

Secunda pars (quæ est contra *D. Th. q.* 8. *de veritate a.* 6. *ad* 7. & *a.* 14. *ad* 6. quantùm ad cognitionem sui ipsius; & à nonnullis *Thomistis* extenditur ad cognitionem Dei) probatur: quia etsi substantia Angeli sit ipsius intellectui objectum maximè proportionatum & intimè conjunctum, ad quod proinde jugiter speculandum, pendere quodam naturali trahitur, simpliciter tamen posset velle tot aliis per intellectum intendere, ut vis naturalis exhausta simul se extendere non posset ad ipsummet Angelum. Idem est de cognitione Dei à fortiori: sicut idcirco Angelus non necessariò intelligit semper actu proprias species intelligibiles & alia intimè sibi præsentia; quæ alioquin deberet jugiter cognoscere æquè ac suam substantiam. Si tamen Angelus esset solus, & nudatus omni specie, necessariò se intelligeret; cùm nullum aliud objectum tunc ipsum avocaret. 30. *Potest tamen simpliciter cessare à cognitione sui,* *Vel Dei.*

Petes, an Angelus possit se ipsum cognoscere abstractivè? Resp. Aff. potest enim recordari se adhuc antea fuisse à se ipso intuitivè cognitum: sicut imaginem, quam actu video, possum simul cognoscere abstractivè per speciem memorativam recordando adhuc aliàs à me visam esse. Cognitio tamen merè abstractiva, sine adjuncta intuitiva, connaturaliter loquendo non est nata inesse: tum quia credibile est, quòd continuò se intuitivè cognoscat, etsi non absolutè necessariò; tum quia clarè relucet, 31. *Potest etiam se abstractivè cognoscere.* *Et simul intueri.*

lucet, & experimentaliter palpatur existentia Angeli cognoscentis, etiam dum alia quælibet cognoscit, adeòque magis, dum ad se abstractivè cognoscendum converteretur. Simpliciter tamen non repugnat, angelicâ attentione aliorum objectorum multitudine quasi exhaustâ, Deo disponente excitari speciem memorativam sui, quâ se ipsum proinde abstractivè tantùm cognoscat, capacitate potentiæ ad ulteriorem actum simul eliciendum insufficiente.

32. *Potest cognitio angelica esse complexa formaliter.* Dico III. Cognitio angelica potest esse formaliter complexa per compositionem & divisionem, similiter per discursum. Ita *Scotistæ* & passim alii Doctores contra *Thomistas*. Prima pars probatur: quia etsi cognitio complexa per compositionem aut divisionem non competeret Angelis quoad illa objecta, quæ adæquatè & quidditativè cognoscit per proprias species: secùs tamen loquendum est, de illis, quæ inadæquatè cognoscit per species alienas; idque ex eodem fundamento, quo nos solemus componere & dividere affirmando vel negando esse idem, quod per distinctos conceptus inadæquate exprimitur. Idem est de subjectis quidditativè cognitis, quantùm ad prædicata contingentia, de quibus potest Angelus dubitare, an insint vel inerunt, nec ne; adeòque priùs apprehendit prædicatum istud quoad convenientiam cum subjecto, & consequenter si discat illud subjecto convenire vel non convenire, potest idem cum subjecto componere affirmando, vel ab eo dividere negando.

33. *Aut etiam discursiva.* Secunda pars probatur: quia etsi circa illa quæ simplici intuitu Angelus adæquatè penetrat, non habeat locum discursus; cùm eatenus nihil sit ratiocinatione investigandum: capax tamen est discursus circa multa, v. g. quæ cognoscit inadæquatè per species alienas: in illis enim varia prædicata latere possunt, quæ restant ulteriùs per ratiocinationem indaganda, v. g. circa Deum naturaliter cognitum, possibilia, secreta cordis, futura contingentia, aut illa quæ Angeli discunt ex testimonio alieno. Sic ex modo vivendi simul cum rebellione naturæ potest per discursum inferre hominis peccatum, damnationem &c. Sic ex variis conjecturis & miraculis dæmon collegit Christum esse Messiam. Sic etiam ex plurimarum causarum combinatione, quam vident, aut discunt Angeli subesse, colligere possunt effectus secuturos. Denique non videtur Angelus omnes veritates in scientiis contentas, quas homines longâ discursuum serie vix possunt eruere, sine discursu posse assequi, quasi ex ipsis terminis notæ sint, v. g. tali motu astrorum posito post centum aut mille annorum millia talem fore inter se astrorum omnium situm, conjunctionem, oppositionem &c. Igitur Angelis deneganda non est facultas, seu potiùs necessitas, discurrendi circa plurima objecta: quàmvis fatendum sit eos non egere tam frequentibus discursibus, & circa tam multa objecta quàm homines. Ob quod Angeli dicuntur naturæ intellectuales, homines verò naturæ rationales: quamquam & hi quandoque purè intellectualiter, & isti interdum ratiocinando intelligant.

Dico IV. Cognitio angelica potest esse non tantùm vera, sed etiam quandoque falsa: potest enim Angelus naturaliter ex signis inevidentibus aut testimonio alterius fallibili aliquid cognoscere. Hac ratione Angeli mali frequenter decipiuntur, dum inordinati amoris aut odii affectu perciti, absolutè præbent assensum vel dissensum iis, quæ incerta sunt, & tantùm verosimilia. Attamen Angeli boni, omnis inordinati affectus expertes, ne in verosimilibus decipiantur, non judicant absolutè ea esse aut non esse, fore aut non fore, sed tantùm juxta verosimilitudinis gradum ea esse verosimiliter aut non esse, fore verosimiliter vel non fore. Accedit insuper divina providentia, eos ratione status beatifici præservans ab omni errore, dirigendo eos in actus veros, aut divertendo à falsis, vel subtrahendo concursum. 34. *Item potest esse falsa.* *Et sæpè est in dæmonibus.* *Non tamen in bonis Angelis.*

QUÆSTIO V.

De Locutione & Illuminatione Angelorum.

ANGELOS sibi invicem loqui manifestando mutuos conceptus & interiora cordis, indubitatum est apud omnes. Et patet ex Scriptura *Isaiæ 6. Clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum &c.* Idem patet ex *Zachar. 2. Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occursum ejus, & dixit ad eum: curre, loquere ad puerum istum &c.* Et ex *Epist. Canonica Judæ Apostoli.* Denique 1. *ad Cor.* 13. de linguis Angelorum Apostolus mentionem facit. Ratio est: quia hoc requiritur ad communicationem & societatem moralem, quæ debet intercedere inter partes ejusdem reipublicæ, quam Angeli inter se constant: 35. *Angeli invicem loqui possunt.*

Quàm-

36. *Absque signis corporalibus.* Quàmvis autem quandoque loquantur hominibus per voces & signa sensibilia: ista tamen non est locutio, quæ Angelis propriè convenit: nam etsi etiam inter se signis corporalibus uti possent, aliter tamen invicem posse loqui indubitatum apparet contra *Durandum* (uti refertur) incredibile enim est spirituales istas substantias ab illis signis in locutione dependere. Deinde aliàs, si solæ essent creatæ sine corporibus aut sensibilibus rebus, loqui non possent; quod est absurdum. Unde meritò *Damascenus l. 2. de fide c. 3.* de Angelis ait: *Non linguâ atque auribus opus habentes; verùm citra sermonis adminiculum cogitationes suas atque consilia inter se communicantes.*

37. *Immo & spiritualibus.* Magis toleranda est opinio *Gregorii*, *Marsilii* & aliorum, quos sequitur *Molina*, Angelos indigere signis, saltem spiritualibus, quibus invicem loquantur. Nihilominus hæc etiam opinio improbatur: quia illa signa vel essent naturalia; & hoc dici non potest: tum quia non apparet, quæ signa naturalia ista esse possent: tum quia deberent esse publica & communia omnibus; adeòque non posset Angelus alteri loqui, nisi aliis audientibus. Vel essent signa ex instituto; & sic essent publica, saltem illis, pro quibus sunt instituta. Deinde institui non possent sine prævia locutione, quâ possent invicem intimare institutionem: nisi quis sine fundamento confingat, esse ab initio creationis instituta à Deo, vimque significativam Angelis divinitùs patefactam. Quod insuper absurdè asseritur velut necessarium: sic enim non possent invicem loqui, nisi Deus signa aliqua instituisset.

Ut autem in hac quæstione (in qua solùm per conjecturas proceditur; adeò ut meritò concludat *Malderus q. 107.* ignotum nobis esse, quomodo Angeli inter se loquantur) verior doctrina statuatur; sciendum perfectam locutionem exigere, ut fiat pro libitu loquentis: deinde, ut pro ejusdem libitu patefiat illis ad quos dirigitur, ceteros autem lateat: tertiò, ut possit ad audiendum excitare illum, ad quem dirigitur: denique ut audiens possit scire, quis illi loquatur. Hoc notato

38. *Per hoc quod loquens velit audienti patere suum conceptum.* Sententia valde probabilis & facilis multorum Recentiorum est: Angelos invicem loqui per hoc, quod loquens velit alterum scire actum seu conceptum suum. Hoc namque fit pro loquentis arbitrio; idque respectu istius vel istorum tantùm, cui vel quibus loquens vult conceptum suum patere. Excitatur etiam alter audiens ad intelligendum, quatenus de novo ei manifestatur objectum antè non cognitum: immo quod non nisi pro arbitrio loquentis cognoscitur, cujusmodi sunt interiora cordis; idque magis apparet, si Angelus loquens alterum veluti compellet per cognitionem de ipso audiente, prout nos voce solemus compellare & compellando excitare alterum, cum quo loqui volumus.

Concurrit autem loquens ad auditionem alterius Angeli, quatenus conceptus loquentis pro ejus libitu applicatus intellectui audientis, gignit in eo speciem, mediante quâ audiens intelligit conceptum loquentis, ut vult *Suarez*, vel potiùs ob superfluitatem istius speciei dicendum est cum *Occamo*, *Gabriele* & multis aliis ipsummet conceptum loquentis objectivè coefficere cognitionem sui in audiente. Unde sicut potest Angelus alterum distantem, sic & conceptum ejusdem cognoscere, & consequenter potest distanti loqui: ne quoque hac in re pejoris sint conditionis Angeli, quàm homines. An verò ad quamlibet distantiam, dubium est, pendens à vi intellectiva Angeli quoad cognitionem distantium, de qua *sup. n. 19.* Quòd si determinata distantiæ sphæra statuatur, consequens videtur, in distantia saltem paulò majori posse Angelos videre mutuas substantias, quàm mutuos conceptus, seu quàm possint sibi invicem loqui: substantia enim angelica velut major lux spiritualis consequenter dicenda est visibilis in majori distantia, quàm conceptus, qui est tantùm qualitas: prout in sensibilibus usuvenit. Potest etiam unus simul loqui multis, ad singulos dirigendo suos actus, & volendo ut eisdem pateant: potest insuper audiens discernere, quis sibi loquatur, inspiciendo actum loquentis, in quo subjecto sit: potest præterea fieri, ut alter non audiat loquentem, dum scilicet ita est aliis intentus, quibus vult inhærere, ut non supersit vis simul aliis intendendi, vel adsit voluntas nolendi intendere, sed mentem à confusè auditis avocare. Denique etsi Angelus posset alteri mentiri loquendo per signa sensibilia, non tamen loquendo mentaliter modo explicato: cùm audienti non possit patere conceptus, nisi qui verè in loquente est; posset tamen alterum loquendo fallere, supponendo videlicet conceptum sive judicium suum, quod loquens alteri patefacit, esse falsum.

Causando in intellectu audientis speciem.

Vel potiùs cognitionem sui conceptus, hac illam objectivè causante.

Itaque paucis totum complectendo, se- 39.

secundùm hanc doctrinam Angelus hoc modo loquitur. Primò concipit rem, dein vult suum conceptum uni vel pluribus notum esse, tum suo conceptu instar objecti coefficit cum intellectu Angeli audientis notitiam ejusdem conceptus. Formaliter autem consistit ipsa locutio juxta *Poncium d. 12. n. 38.* in volitione manifestandi suum conceptum. Sed quia hæc potiùs apparet volitio loquendi, quàm locutio: ideò hanc alii statuunt in ipsa productione conceptûs, qui alteri patefit, prout subſtat directioni seu imperio voluntatis loquentis: conceptus enim iste objectivè excitat audientem; quod est proprium termino, qui per locutionem producitur. Et quidem hactenus dicta sunt inhærendo sententiæ hodie communiori.

40. *An intellectus loquentis illam intellectui audientis imprimente.* Nihilominus non est improbabilis doctrina *Scoti d. 9. q. 2. n. 15.* putantis quòd Angelus Angelo loquatur, per hoc quòd intellectus loquentis imprimat intellectui audientis passivè se habenti notitiam objecti de quo fit locutio. Non enim apparet efficax ratio, cur intellectus unius, sepositis impedimentis, agere nequeat immediatè in intellectum alterius. Hoc autem supposito (quod suas patitur difficultates) aptissimè in hac doctrina apparet proprietas locutionis: qualiter nimirum loquens pro libitu suo excitet audientem, imprimendo ex voluntatis imperio intellectui audientis conceptum objecti de quo fit sermo. Item qualiter pro libitu loquatur uni & non aliis præsentibus: qualiter audiens sciat, quis sibi loquatur seu imprimat conceptum: qualiter denique loquens notificet directè audienti rem, de qua fit sermo; cùm juxta aliorum doctrinam directè tantùm notificet suum cooceptum, eoque mediante indirectè aliqualiter ipsam rem seu objectum.

41. *Illuminatio quid sit.* Illuminatio est species quædam locutionis, ei superaddens doctrinam & quasi magisterium. Estque locutio, quâ unus Angelus manifestat alteri veritates ignotas, excellentes, à Deo acceptas. Porrò Angelos ab Angelis illuminari, constans est Theologorum Sententia, desumpta ex Patribus, signanter *Dionysio l. de cælesti Hierarch. c. 3. & 4.* ubi superiores vocat inferiorum præceptores & duces; & *Damasceno lib. 2. de fide cap. 3.* dicente: *Illud perspicuum est, eos Angelos, qui præstantiores sublimioresq́ sunt, splendorem & cognitionem inferioribus impertire.* Idem insinuat Scriptura *Ps. 23. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens &c.* Ubi juxta *Hieron. Epist. 142. ad Damasum, de Visione Isaiæ*, Angeli ab Angelis edocti asseruntur de Incarnationis mysterio.

Quamvis autem ordinarium sit, & recto ordini consonum, ut Angeli inferiores illuminentur à superioribus, juxta *Damascenum lib. 2. de fide cap. 3.* & Doctores communiter: hoc tamen non est ita necessarium ex natura rei, ut interdum extraordinariè oppositum contingere nequeat, ut docet *Scotus d. 9. quæst. 2. num. 23.* Quid enim obstat, inferiori Angelo mysterium aliquod à Deo revelari, quod ipse postmodum manifestet aliis Angelis superioribus? Sicut *Bernardus Hom. 1. super missus est* dicit, Deum nemini Angelorum suum revelasse consilium priusquam Deiparæ revelaret, excepto duntaxat Archangelo Gabriele; quem tamen constat non fuisse supremum Angelum: potuit ergo Gabriel, uti Virginem, sic & Michaëlem de hoc Consilio illuminare. Nisi quis ad illuminationem requirat directionem quamdam moralem cum potestate illuminantis & subordinatione illuminati in iis quæ ad officium suum pertinent: quod spectat ad quæstionem de nomine merè arbitrariã. 42. *Competit ordinariè Angelis superioribus respectu inferiorum. Extraordinariè etiam inferioribus respectu superiorum.*

Similiter credendum est non tantùm Angelos invicem illuminare, sed etiam ipsos frequenter illuminare homines beatos, & suo modo etiam viatores, eis aliqua suggerendo. E contrà credendum quoque est Angelos illuminari à Christo homine, qui ipsorum ministerio in hominum salute frequenter utitur. Fortasse etiam B. Virgo multa à Deo immediatè edocetur ad hominum salutem & gubernationem Ecclesiæ, de quibus ipsa vicissim Angelos illuminet. 43. *Vel Angelis respectu hominum. Imme & è converso.*

Denique veritas alteri per illuminationem manifestanda debet esse excellens, adeòque alteri naturaliter ignota; ideoque *Scotus, Divus Thomas* & plures alii illuminationem constituunt circa mysteria supernaturalia: quàmvis nonnulli (& pendet à quæstione de Nomine) illuminationem etiam circa res naturales statuant.

Pro fine nota *Dionysium cap. 3. cælestis Hierarch.* enumerare tres actus Hierarchicos, scilicet purgationem, illuminationem & perfectionem. Verùm hi coincidunt cum illuminatione à nobis explicatâ: quæ dicitur purgatio, quatenus expellit ignorantiam seu negationem scientiæ: illuminatio, quatenus per illam occulta manifestantur, sicut per lumen corporale colores: perfectio denique, quatenus perficit intellectum Angeli veluti scien- 44. *Purgatio & perfectio coincidunt cum illuminatione.*

tia

tia quædam eminentior. Ita Doctores communiter. Vide *Gabrielem 2. d. 9. quæst. 2. art. 1.* qui id rectè probat ex doctrina ipsius *Dionysii*.

QUÆSTIO VI.

De Voluntate Angelica.

45. *Angeli sunt præditi voluntate.* VOLUNTATEM dari in Angelis, certissimum est ex eorum merito & demerito, & Scripturâ quæ frequenter eis tribuit voluntatis operationes. Constat ex eo quoque, quòd detur in nobis. Denique ex eo, quòd sint naturæ intellectualis: intellectualitas siquidem rectè infert potentiam volitivam, saltem de ordinata potentia: omni enim rei naturaliter sua inest inclinatio, seu appetitus ad bonum proportionatum, inanimatæ quidem appetitus innatus, sensitivæ sensitivus, & consequenter rationali debet inesse suus appetitus rationalis. Et planè inconveniens primâ fronte apparet, quòd natura intellectualis posset bonum, pulchrum, conveniens intellectu percipere, nec tamen illud amare, in eove quiescere, aut de eo gaudere; vel quòd posset malum noscere & pati, nec tamen illud fugere aversando.

De voluntate autem angelica pauca restant dicenda. Nam pleraque dicta de intellectu cum proportione applicanda sunt voluntati, videlicet quòd identificetur substantiæ angelicæ, formaliter tamen ab ea & ab intellectu distinguatur, specie autem distinguatur à voluntate humana, habeatque pro objecto ens; quàmquam ad Deum condignè attingendum & salutariter in eum tendendum requirat voluntas etiam angelica divinam gratiam seu auxilium. Specialia igitur voluntati sunt hîc breviter disputanda.

46. *Estque libera.* DICO I. Voluntas angelica est libera. Est de fide ex merito & demerito Angelorum; quod utique exigit libertatem. Patet etiam ex libertate hominis, qui tamen est inferior perfectione. Ratio est: quia appetitus proportionatur potentiæ cognoscitivæ; ergo sicut hæc in Angelis proponit objectum sub indifferentia, sic appetitus illud sub indifferentia appetit. Excellit autem libertas angelica humanam: tum quatenus in Angelo non est rebellio appetitus sensitivi: tam quatenus ob majorem perspicaciam & facultatem intellectivam Angeli, non ita locum in eo habere potest inconsideratio vel subreptio, quæ in nobis frequenter minuit libertatem. Quàmvis simpliciter loquendo possint Angeli peccare ex imperfecta deliberatione; cùm possint falli, & imperfectè attendere ad aliqua objecta; adeoque defectu attentionis putare, quòd aliquid tantùm sit venialiter malum, cùm revera sit grave.

DICO II. Voluntas angelica ex natura sua non est determinata ad eliciendum semper aliquem actum, etiam in communi seu disjunctivè, sed potest liberè ab omni actu cessare. Ita passim Doctores contra Varios. Probatur: quia nihil assignari potest, sive objectum, sive cognitio, sive aliquid aliud quod ipsam, utpote indifferentem, determinet ab habendam semper aliquam actionem. Confirmatur: quia hoc est conformius naturæ libertatis, & perfecto voluntatis dominio super suos actus. Dupliciter autem potest Angelus ab omni actu voluntatis cessare. Primò per puram omissionem. Secundò positivè volendo & imperando sibi cessationem ab omni actu: inde enim fiet, ut ceteri actus cessent, adeòque transacto similiter isto actu imperante cessent omnes. Neque in volnntate ista deest sufficiens bonitas motiva, videlicet exercitium libertatis, aliusve finis Angelo notus. 47. *Et simpliciter potentem cessare ab omni actu.*

Hinc à fortiori sequitur contra Nonnullos, Angelos non necessariò diligere se ipsos, aut Deum ut finem naturalem. Immo id verum est, etiamsi necessariò deberent semper habere aliquem actum sub distinctione: tum quia non semper actu necessariò cogitant de se ipsis, vel de Deo: tum quia etsi necessariò cogitarent; non apparet tamen, unde determinarentur ad actum dilectionis: cùm ipse Angelus habeat bonitatem limitatam; Deus autem habeat quidem infinitam, sed ab Angelis viatoribus non clarè visam. *Et magis ab amore sui vel Dei.*

DICO III. Voluntas angelica non est immutabilis, sed potest actum semel electum non ponere, aut positum retractare. Ita *Scotus d. 7. q. 1. n. 20.* & 4. *d. 46. q. 4. n. 6.* & alii communiter contra varios *Thomistas*. Et favent aperta testimonia Patrum *Nazianzeni, Gregorii, Hieronymi, Isidori, Fulgentii, Damasceni*. Nobis sufficiant verba *Fulgentii de fide ad Petrum cap. 3. Si possibile esset, ut humana natura postquam à Deo aversa bonitatem perdidit voluntatis, ex se ipsa rursus eam habere potuisset, multò possibilius hoc natura haberet angelica: quæ quantò minùs gravatur terreni corporis pondere, tantò magis hâc esset prædita facultate. Sed ostendit Deus, unde bona voluntas hominibus detur,* 48. *Voluntas eorum non est immutabilis propositi tenax.*

detur, quam sic amiserunt Angeli cùm haberent ut amissam deinceps habere non possint.

Probatur Conclusio ratione: quia sicur voluntas angelica initio liberè amplectitur objectum, potens non amplecti illud, aut amplecti oppositum; sic non apparet cur similis indifferentia deinceps non maneret in Angelis, uti in nobis, cùm nihil accedat quod voluntarem angelicam potiùs determinet ad non mutandum propositum, quàm nostram. Deinde Angeli de facto mutarunt voluntarem, mali videlicet, qui cum ceteris aliquo tempore fuerunt boni & Deum amarunt. Immo quotidiè tam boni, quàm mali Angeli mutant suas voluntates: hi dum desistunt tentare, videntes tentationes potiùs prodesse, quàm obesse; isti dum tandem deserunt, quos à vitiis frustrà avocare studuerunt. Adde quòd ista immutabilitas quantùm ad actus malos esset magna imperfectio voluntatis angelicæ præ nostra. Quare obstinatio dæmonum (loquendo de negativa, seu de non pœnitentia salutari) non est referenda in immutabilitatem voluntatis diabolicæ, sed in defectum gratiæ cum *Fulgentio sup.* De quo pleniùs infrà agetur.

49. *Est peccabilis primo instanti creationis.* Dico IV. Voluntas angelica posset peccare primo instanti creationis, sive mortaliter sive venialiter. Est contra Nonnullos. Probatur: quia initio creationis potuit voluntati angelicæ sufficienter proponi objectum peccaminosum, sive grave, sive leve; ergo potuisset libera voluntas Angeli in illud ex tunc ferri. Nec difficultatem habet, quod *Thomistæ* urgent, opus liberum primo instanti creationis elicitum abscribendum esse Deo tamquam auctori, & consequenter etiam si sit peccaminosum: nam non est potior ratio de opere tunc, quàm sequentibus instantibus liberè eliciendo. Aliud est de operibus agentis naturalis: cujus non tantùm primum opus, sed etiam omnia sequentia Deo adscribuntur tamquam auctori.

Probabiliter in ea sunt habitus naturales. Petes, an in voluntate angelica dentur habitus naturales? Resp. probabiliter Affirmativè, supposito quòd admittantur in nobis; cùm eadem principia ponendi habitus utrobique reperiantur: scilicet facilitatio ad actus naturaliter difficiles, (quales v. g. sunt subjici alteri, præsertim inferiori, offensas remittere &c.) & major propensio in quoslibet actus.

DISPUTATIO IV.

De Potentia locomotiva, Apparitionibus, & Ministeriis Angelorum.

QUÆSTIO I.

An Angeli sint præditi potentiâ locomotivâ?

RESP. Affirmativè. Ita unanimiter Theologi. Patet ex Scriptura, quæ 1. *Angeli sunt præditi potentiâ locomotivâ.* Angelis adscribit motum, tum sui, tum corporum, tum alterius Angeli. Sic *Gen.* 18. *&* 19. Angeli ab Abraham sunt convivio excepti, ab eo versùs Sodomam deducti, qui ibidem à Loth recepti eumdem è civitate eduxerunt. Similiter Angelus apprehendit Habacuc in vertice ejus, & portavit in Babylonem. Item Angelus secundùm tempus dicitur descendisse in piscinam, & motam esse aquam *Ioan.* 5. Et immundus spiritus cùm exierit ab homine, dicitur ambulare per loca arida &c. *Matth.* 12. Item dicitur circuire quærens quem devoret 1. *Petr.* 5. Et Gabriel Angelus dicitur discessisse à Deipara *Luca* 1. Et Raphaël dicitur apprehendisse dæmonium, & religasse in deserto superioris Ægypti *Tob.* 8. Et anima Lazari dicitur portata ab Angelis in sinum Abrahæ *Luca* 16. Movent denique cælos juxta vulgatam doctrinam, ipsaque corpora in quibus apparent. Quæ omnia manifestè ostendunt in Angelis potentiam, quâ movere possint se ipsos, & corpora assumpta, vel alia, atque etiam alios spiritus. Idem docent Patres passim apud *Vasquez d.* 194. *c.* 2. Ratio est: quia cùm Angelus non sit necessariò ubique, uti Deus, ineptè negaretur ei facultas se transferendi de loco in locum, & consequenter etiam alios spiritus & corpora: cùm etiam hominibus & brutis competat potentia movendi se & alia.

Quare temeraria est Sententia *Durandi* docentis Angelum secundùm se non moveri localiter, sed tantùm metaphoricè, ratione scilicet novæ operationis in aliquo; quo sensu Filius Dei dicitur descendisse in uterum virginis. Qui consequenter docet, animam Christi, utpote spiritualem, descendisse ad inferos solùm ratione novæ operationis, quatenus Patres in lymbo perfudit novo gaudio de reparatione generis humani completâ. Ex quo consequens esset, nec animas 2. *Quà moventur secundùm se, & non tantùm ratione novæ operationis.*

mas defunctorum realiter deferri in cælum, infernum, aut purgatorium, sed tantùm ratione cujusdam effectus; quod repugnat fidei. Repugnat quoque ista expositio textui Scripturæ propriè intellectæ, prout ab omnibus intelligitur, & intelligi debet; cùm non sit fundamentum detorquendi eam ad metaphoras. Aliud est de Filio Dei, qui ob immensitatem & ubiquitatem nequit moveri localiter; adeòque patet motum ei tantùm adscribi metaphoricè, utì membra, passiones &c.

3. Porrò Angelus producit in corpore ubi corporeum seu materiale, sicut produceret unum corpus movens aliud. In alio autem Angelo vel spiritu producit ubi incorporeum, ut patet. Potest verò Angelus imperfectior producere motum etiam in perfectiore, sive consentiente, sive saltem non renitente: si tamen perfectior aut æquè perfectus renitatur, non est major virtus adscribenda Angelo volenti movere, quàm Angelo volenti quiescere seu ubi pristinum conservare. Posset equidem Angelus perfectior movere imperfectiorem, etiam renitentem; idque ob majorem in illo virtutem, sicut animal fortius movet minùs fortè, etiam invitum. Sic Necromantici qui dæmones habent potentiores, aliorum machinationes evertunt, uno scilicet dæmone alium coërcente. Cujus rei memorabilia exempla refert *DelRio l. 2. Disquisit. Magic. quæst.* 30. Sic etiam dæmones animas damnatas, indubiè invitas, rapiunt ad infernum. Est autem difficultas, quomodo hoc fiat? Verosimile est fieri hoc modo, quòd scilicet Angelus potenter se alliget alteri Angelo (idem est de corpore) conservando præsentiam cum illo: quo posito, sequitur quies vel motus alterius sic conjuncti, prout Angelus alligans quiescit aut movet se ipsum. Sicut enim se potest ita alligare certo loco, sic non est cur se similiter nequeat alligare alteri spiritui vel corpori. Hic tamen modus supponit Angelum esse & manere conjunctum rei cui se alligat. Quòd si spiritus alterum alligans, non sit vel maneat præsens, faciliùs explicatur alligatio, dicendo quòd physicè fiat tantùm à Deo; moraliter autem à spiritu: prout Sancti Nonnulli referuntur imperio suo detinuisse dæmonia. Quo modo rectè intelligitur facta per Raphaëlem alligatio dæmonii in deserto; cui utique non mansit præsens vel conjunctus. Difficiliùs autem recurritur ad qualitatem ab Angelo detinente producendam in Angelo distante detento, quæ vel impediat vim illius motivam, vel ipsum certo spatio immobiliter affigat. Nisi quis malit adstruere impetum vel quasi impetum spiritualem, qui in distanti spiritu possit produci & conservari, & valeat conatibus spiritus detenti resistere, ut non se moveat.

Explicatur, quomodo unus spiritus alterum moveat aut detineat.

4. Petes, an potentia locomotiva Angeli sit distincta à substantia ejusdem & voluntate? Resp. Non esse distinctam realiter, cùm distinctio ista esset superflua: an verò distinguatur formaliter, majus dubium est. Nonnulli enim censent esse ipsam voluntatem Angeli adæquatè spectatam, utì discurrunt de omnipotentia Dei. Verosimiliùs tamen distinguitur à voluntate formaliter, utì voluntas ab intellectu, quorum termini seu effectus minùs distant inter se, quàm termini seu effectus voluntatis & potentiæ locomotivæ. De omnipotentia Dei est aliud: tum quia in Deo non potest ipsa statui speciale attributum ob defectum objecti specificativi, quod deberet esse extra Deum, scilicet creatura possibilis: tum quia omnipotentia non consistit in ipsa voluntate, sed potiùs in volitione divina; potentia autem locomotiva Angeli nequit statui in volitione ejusdem: cùm hæc sit à substantia & voluntate realiter distincta, item transiens & variabilis, quæ non quadrant in potentiam locomotivam.

Locomotiva identificatur voluntati realiter.

Distinguitur ab ea formaliter.

QUÆSTIO II.

De Motu Locali Angelorum.

5. Dico I. Motus localis formaliter est in ipso Angelo. Est *Scoti 2. d. 2. q. 9. & 10.* & communis aliorum teste *Suarez l. 4. c. 12. n. 7.* contra *Gregorium* & quosdam alios putantes Angelum tantùm extrinsecè affici & denominari à motu de uno loco in alium. Ratio est: quia motus localis est acquisitio ubi; ergo sicut ipsum ubi seu præsentia est in Angelo, sic & motus. Nec obstat *Aug. l. 8. de Gen. ad litt. c. 20.* dicens spiritualem creaturam per tempora mutari, non per loca: solùm enim vult, non moveri per loca instar rerum corporearum, quæ loca replent; moveri tamen per tempora, quia non minùs decurrit tempora, quàm res corporeæ.

Motus localis est in ipso Angelo.

6. Dico II. Potest Angelus moveri in instanti, seu motu discreto de uno loco ad alium contiguum; v. g. de hac schola, si foret locus adæquatus Angeli, in æqualem locum contiguum. Ita communiùs Doctores. Ratio est: quia nulla in hoc apparet repugnantia. Confirmatur: quia ex nullo capite necessitatur Angelus, qui usque nunc in schola v. g. mansit, adhuc isto instanti ibi manere: quidni ergo possit isto instanti illam

Potest Angelus moveri in instanti ad locum adæquatum contiguum.

lam deserere & occupare locum contiguum?

Dices: Locus contiguus est divisibilis in partes viciniores & remotiores; ergo non potest Angelus transire ad remotiores, quin priùs pertranseat viciniores, & consequenter non in instanti. Resp. Neg. priorem Consq. sicut enim sol in instanti illuminat totum aërem, sic potest Angelus in instanti occupare locum suum adæquatum, etsi divisibilem. Prout etiam anima rationalis eodem instanti creationis noviter informat corpus divisibile in partes ab invicem distantes, & in accretione se diffundit ad totam partem nutrimenti proximè dispositi ad formam viventis. Quare Angelus non debet partes priores loci priùs tempore occupare, sed sufficit quòd eas pertranseat ordine quodam seu prioritate naturæ, ut ait *Scotus* 2. *d.* 2. *q.* 12. versu *Et si objectas.* Aliud est de corpore, quod habet partes, secundùm quarum unam priùs debet ingredi spatium, quàm secundùm alias: alioquin vel eadem pars esset simul in pluribus locis, vel deberet transire ad partem loci remotiorem, non transeundo viciniorem.

7. *Potest etiam successivè.* Dico III. Potest Angelus se movere ad locum continuè seu successivè. Est communis. Patet: quia si quid impediret, esset indivisibilitas entitativa; hæc autem non impedit: ut patet in anima rationali, quæ sic movetur conjuncta corpori; & in quovis indivisibili quantitativo, quod corpore continuè moto similiter movetur, & moveri posset etsi à corpore separatum. Potest igitur Angelus paulatim deserere unum locum, & acquirere alium.

8. *Non tamen immediatè in locum distantem.* Dico IV. Non potest Angelus moveri de uno loco ad alium distantem non transeundo per medium, vel quin priùs aut simul sit præsens toti loco inter utrumque interjecto. Ita *Scotus d.* 2. *q.* 12. *n.* 3. & alii communiter contra *Vasquez* & quosdam alios. Ratio est: quia etsi in hoc non appareat clara repugnantia à priori, quia tamen reliquæ res nobis notæ sunt ita limitatæ, apparet eadem limitatio esse generalis omnibus creaturis; cùm non sit ratio eximendi creaturam angelicam. Confirmatur: quia si possent Angeli immediatè transire ad locum distantem, quidni in momento possent naturaliter de cælo transire ad terram, ac de una parte cæli Empyrei ad partem diametraliter oppositam. Verum quidem est, quòd inter ipsa ubi ad locum remotiorem & viciniorem secundùm se considerata non sit dependentia ex natura sua intrinseca, quin quodlibet sine altero produci posset; est tamen talis dependentia, quatenus hic & nunc producitur ab Angelo in tali spatio existente, & ad tale spatium tendente. Sicut enim inter partes loci corporalis, immo totius universi, est ordo, ut quædam partes sint priores, quædam posteriores, quædam mediæ: sic videtur Angelus, per corpora se movens, non posse absque omni ordine de quocumque ubi facere in se immediatè quodcumque ubi; tunc enim nulla distantia videretur impedire actionem ejus; prout differit *Scotus suprà.* Immo probabilius videtur, id superare vires intrinsecas Angeli, sicut replicatio sui vel alterius in locis discontinuis, penetratio dimensionum &c. quamquam *Smising. Tr.* 2. *de Deo disp.* 5. *n.* 44. cum aliis, quos citat, existimet id solùm provenire ab extrinseco decreto seu lege Dei. Saltem satis constat, supernaturaliter id non repugnare: si enim Angelus supernaturaliter possit simul existere in locis discontinuis, etiam adæquatis; ac retentâ priori præsentiâ divinitùs acquirere novam discontinuam (prout corpus Christi existens in cælo acquirit novam præsentiam in Sacramento) eâdem vel potiori ratione poterit Angelus destructâ priori præsentiâ, v. g. in cælo, acquirere immediatè novam præsentiam discontinuam, v. g. in terra.

QUÆSTIO III.

De Existentia Angeli in loco, seu termino motus localis.

Dico I. Angelus est in loco, idque propriè. Prima pars est communis Doctorum cum *D. Thoma q.* 52. *a.* 1. immo de fide juxta eumdem 1. *d.* 37. *q.* 3. *a.* 1. Patet ex Scriptura, quæ docet Angelos esse in cælis *Matth.* 18. & alibi. Ratio est: tum quia sunt præsentes certo spatio reali, immo ab illo continentur: tum quia moventur de loco in locum, adeòque sunt in loco. Secunda pars videtur contra *D. Thomam* locis citatis. Est autem *Scoti d.* 2. *q.* 6. & aliorum communiter. Probatur: quia Scriptura, significans Angelos esse in loco, debet propriè intelligi; cùm nihil obstet. Accedit Auctoritas Patrum; quos vide apud *Vasquez disp.* 187. *cap.* 1. Accedit quoque, tum exemplum animæ rationalis; tum ratio: quia Angelus verè & propriè est præsens spatio, ab eoque continetur, non quidem circumscriptivè, uti corpora (quod intendunt nonnulli Patres, signanter *Boëtius l. de Hebdomadibus*, dicens, *incorporalia in loco non esse*) sed definitivè, sic scilicet ut totus sit in 9. *Angeli sunt in loco.* *Idq́ propriè.*

toto,

toto, & totus in singulis partibus loci. Præterea, quod propriè movetur localiter, propriè est in loco; Angelus autem sic movetur, juxtà suprà dicta. Denique nihil obstat,quò minùs spiritus propriè sint in loco, utì corpora.

10. *Non per operationem.* Dico II. Angeli non sunt in loco per operationem, sed per ubi spirituale seu definitivum in ipsis subjectatum. Prima pars est *Scoti* suprà & aliorum communiter contra *D. Thomam* locis citatis, quem sui in diversos sensus trahunt. Probatur primò: quia Angeli sunt propriè in loco; ut patet ex *Conclus. prac.* essent autem tantùm impropriè & abusivè in loco, si tantùm per operationem, ut indicat ipse *D. Thomas* loco posteriùs citato; & patet: quia aliud est in loco esse, aliud in loco operari. Probatur secundò: quia omni operatione seclusâ, substantia Angeli adhuc esset indistans à spatio reali, utì corpus: ergo adhuc maneret in isto loco, utì corpus: inter quod & spiritum nequit dari disparitas. Tertiò: quia non potest statui Angelus in loco per operationem immanentem, utpote spiritualem, utì est ipse Angelus: non per transeuntem: tum quia potest Angelus ab omni actione transeunte desistere, etiam naturaliter; adeòque tunc esset nullibi, quod repugnat: tum quia deberet consequenter Angelus esse ibi, ubi est ipsa operatio, quæ illum formaliter in loco constituit; hoc autem dici nequit: cùm actio transiens sæpè sit in re maximè distante, aut saltem juxta alios in toto cælo quod movet Angelus; item in rebus discontinuis, & non in medio: quæ tamen præsentiæ angelicæ naturaliter repugnant.

11. *Sed per ubi definitivum seu spirituale.* Secunda pars est communis. Probatur: tum quia facilè sic explicatur existentia Angeli in loco: tum quia Angelus non minùs est capax suæ præsentiæ seu ubi definitivi, quàm corpus ubi circumscriptivi: est enim par ratio. Nisi quis dicat cum *Nominalibus*, tam corpora quàm spiritus esse in loco absque ubi superaddito, per ipsam actionem locomotivam, sive se ipsis, suppositâ actione prædictâ tamquam conditione sine qua non. Verùm non potest concipi actio sine termino acto seu producto: adeòque actio locomotiva debet producere aliquid distinctum à substantia Angeli, quæ actioni præsupponitur; illud autem vocamus præsentiam seu ubi. Idque planè videtur consonum judicio communi animi non præoccupati, qui dum mutationem in re quoad locum aut aliquid aliud fieri concipit, novum aliquid produci seu advenire apprehendit.

12. Dices I. Ubi angelicum deberet esse divisibile in partes extensivas seu extra se positas, quandn Angelus est in loco divisibili: atqui hoc repugnat accidenti spirituali, sicut ipsi substantiæ angelicæ; ergo &c. Major probatur: quia aliàs quotiescumque vel minimum mutaretur locus angelicus, deberet totaliter mutari ipsum ubi; cùm indivisibile mutari non possit, nisi mutetur ex toto: hoc autem videtur incredibile. Confirmatur: quia alioquin etiam unio animæ rationalis ad corpus, & præsentia Christi ad species consecratas, esset indivisibilis; adeòque quotiescumque homo vel minimùm accresceret & decresceret, toties unio rota pristina desineret, & succederet nova. Similiter quotiescumque frangerentur species Eucharisticæ aut dividerentur, toties periret prior præsentia ex toto, & succederet nova: quæ videntur inconvenientia. Quare concessâ Majori (quam negat *Vasquez* & alii) Resp. Neg. Min. cum *Suarez* & pluribus aliis: *Verosimilius divisibile.* non enim repugnat præsentiæ, aut simili accidenti spirituali, respicienti rem corporalem extensam, habere partes entitativas eidem rei corporali correspondentes & cöextensas: prout præsentia animæ rationalis, similiter unio ejusdem animæ est cöextensa corpori, & præsentia Eucharistica cöextenditur specicbus, juxta allegata in objectione. Quemadmodum etiam qualitates spirituales possunt habere partes intensivas, v. g. habitus fidei, spei & charitatis: quamquam substantia spiritualis partes tam intensivas quàm extensivas refugiat. Confirmatur: quia si Angelus replicaretur divinitùs in locis discontinuis, haberet diversa ubi in diversis locis: ergo similiter si replicetur in locis continuis; & consequenter tunc habebit diversa ubi ad diversa loca continua, adeòque ipsum ubi totale erit continuum & extensum.

13. Dices II. Si Angelus haberet ubi spirituale,deberet id ei competere independenter à loco corporali, adeòque competeret ei, quantumvis fuisset creatus sine omni corpore aut loco corporali. Respondent Aliqui Neg. totum, dicentes *An independens ab omni loco corporeo actuali.* idcirco Angelum à Deo creatum in & cum mundo corporali. Sed quia hoc difficile apparet, aliter Responderi potest cum Nonnullis Conc. totum: ubicatio enim Angeli est probabiliter entitas absoluta, dicens respectum transcendentalem ad locum seu corpus ponibile, ex natura sua intrinseca absolutè immobilis, sicut duratio est forma ab omni respectu ad distinctum tempus absoluta: vel saltem (ut plures *Scotistæ* sentiunt, estque similiter valde probabile) entitas respectiva quidem, quæ tamen non requirat

quirat coëxistentiam termini actualem, sed solùm possibilem: eò quòd sit respectus extrinsecus adveniens, qui non resultat ex fundamento & termino (uti respectus prædicamentalis) sed producitur ab efficiente per specialem actionem ad se directè terminatam.

14. *Angelus naturaliter respondet unicus locus adæquatus,*

Dico III. Angelus non potest naturaliter simul esse in pluribus locis adæquatis; secùs est de inadæquatis. Prima pars patet: quia locus adæquatus dicitur, qui naturalem Angeli capacitatem exhaurit: adeòque repugnat Angelum habere simul alium locum adæquatum, naturaliter loquendo. Quàmvis divinitùs id non repugnare constet, etiam quoad loca adæquata discontinua: sicut divinitùs corpus Christi est in cælo & in Sacramento. Quòd autem Angeli determinatum locum sibi adæquatum habeant, fundatur in limitatione naturæ angelicæ, ex qua provenit, quòd non possint naturaliter esse ubique, aut simul in cælo & in terra. Alioquin non deberet Angelus de cælo ad terram descendere, nec ab uno corpore ad aliud exire; quod est contra *Damascenum l. 2. de fide c. 3. ante medium*, & contra illa quæ Scriptura Angelis adscribit.

Inæqualis juxta inæqualem naturæ perfectionem,

Quanta porrò sit magnitudo loci adæquati, seu quanta sit sphæra præsentialitatis angelicæ, omnino ignotum est. Apparet equidem illam proportionari perfectioni angelicæ: adeòque perfectiorem Angelum (si tamen detur inæqualitas perfectionis substantialis, seu essentialis inter Angelos, de quo suprà) habere majorem sphæram. Quod confirmatur: tum ex communi iudicio: tum quia diffusio est quædam perfectio, utpote participatio immensitatis divinæ; adeòque est perfectio major, quo est major diffusio: ac proinde etsi in Angelo semper sit limitata, connaturaliter tamen est major diffusio, quo substantia angelica est magis perfecta: sicut etiam vis locomotiva, tam sui, quàm alterius mobilis, existimatur proportionari perfectioni ipsius Angeli. Unde cùm sphæra minimi Angeli videatur superare spatium, quod occuparet corpus maximi gigantis (utpote occupabile ab anima rationali istius corporis) apparet supremos Angelos habere spæram valde amplam, sic ut minimos valde excedant in perfectione substantiali. Non possunt tamen Angeli latitudinem sphæræ præsentialitatis suæ explere sub quacumque figura. Alioquin extendendo se in longitudinem, possent Angeli boni simul esse in cælo & in terra, adeòque venientes in terram numquam cælum desererent. Similiter dæmones ab una parte terræ in aliam se continuò extenderent, ut ita pluribus præsentes nocerent. Quare sunt ita determinati ad certam quantitatem loci, ut si voluerint totam occupare, debeant cum proportionata latitudine.

Secunda pars conclusionis patet: quia cùm locus adæquatus Angeli, uti animæ rationalis, sit divisibilis; eo ipso quo est in loco adæquato, est in pluribus inadæquatis, nēpe in singulis partibus loci adęquati. 15. *Respondere eidem possunt plura loca inadæquata.*

Sed difficultas est, an possit Angelus naturaliter esse in pluribus locis inadæquatis discontinuis: v. g. si locus adæquatus sit schola, an possit esse in duabus partibus extimis scholæ, & non in medio. Deinde difficultas est, an possit Angelus se constituere in indivisibili, seu in puncto. Denique an habeat terminum parvitatis quoad locum, sic ut possit se statuere in loco, non tam parvo, quin adhuc in minori.

Resolutioni harum difficultatum præsupponitur Angelum non necessariò occupare integrum suum locum, sed posse intrà terminos suæ sphæræ se ipsum pro libitu dilatare & contrahere: nisi enim hoc præsupponatur, patet difficultates præfatas non habere locum dubitandi, sed ad singulas respondendum esse negativè. Præsuppositum autem istud, etsi neget *Poncius*, admittitur à Doctoribus communiter: tum ob exemplum animæ rationalis, quæ nunc majorem, nunc minorem locum pro ratione corporis occupat: tum quia sicut pro libitu possunt se præsentes sistere Angeli huic vel illi spatio, sic etiam majori vel minori; cùm ab illo nullatenus dependeant. Quare consequenter videtur Angelus intra sphæram posse se contrahere, extendere &c. in quavis figura, dummodo continuâ. Admisso itaque præsupposito

Dico IV. Nequit Angelus occupare loca inadæquata discontinua. Est communior Doctorum; etsi *Scotus* sit problematicus. 16. *Non tamen discontinua.* Ratio est: quia nec anima potest informare partes discontinuas, aut iis esse præsens; nec ulla alia res nobis nota potest se extendere ad informanda subjecta discontinua, aut similia loca occupanda: adeò ut ex hoc ipso, quo cernimus rem in uno loco vel subjecto, mox naturaliter concipiamus, eam distingui à re quam videmus in loco vel subjecto discontinuo: ergo non est dicendum Angelis illam vim competere; cùm pro eis non sit specialis ratio. Confirmatur: quia non potest Angelus moveri de extremo in extremum absque eo quòd transeat per medium, vel in eo sit: ergo nec occupare loca discontinua. Deinde si possit esse in locis aliqualiter discontinuis; cur non in quantumvis distantibus, v. g. in cælo

cælo & in terra? quod tamen est contra Patres, & rei veritatem.

17. *Potest esse in puncto*

Dico V. Angelus potest esse in indivisibili, seu in solo puncto. Est communis. Ratio est: quia cùm sit indivisibilis, & possit se contrahere; cur non ad punctum? cùm extensio in ordine ad locum non sit Angelo necessaria, ut sit vel operetur. Deinde dum est in loco divisibili, est etiam in quovis puncto; ergo in illo manere potest, etsi non maneat in partibus divisibilibus.

18. *Et in loco non tam parvo quin semper minori,*

Dico VI. Angelus potest ita se contrahere in loco quanto, ut non possit assignari minimus. Est communior Doctorum supposità compositione continui ex partibus sine fine divisibilibus: etsi *Scotus* in contrarium, sed non assertivè, propendeat, uti & *Vasquez*, idemque sequantur plures *Scotistæ*. Ratio est: quia Angelus potest esse in puncto indivisibili; ergo æquè vel potiùs esse potest in parte loci, non tam parvâ, quin adhuc in minori; sicut ex suppositione nulla est tam parva, quin adhuc sit minor. Confirmatur: quia dum est in suo loco adæquato, est in quavis parte illius, adeòque non in tam parva, quin semper restet pars minor: ergo in illa esse potest seorsim; cùm existentia in ista parte non dependeat ullatenus à simultanea existentia in aliis partibus. Alioquin si non supponatur compositio continui ex partibus sine fine, patet Angelum posse esse in minima parte loci, sicut eo non supposito datur in quovis continuo minimum seu minima pars, scilicet punctum seu pars indivisibilis.

Non tamen nisi supponatur compositio quãtitatis ex divisibilibus sine fine.

19. *Possunt plures esse in eodem loco.*

Dico VII. Possunt plures Angeli esse in eodem loco. Est communissima Doctorum. Patet ex incorporeitate & carentia quantitatis, quæ est radix impenetrabilitatis. Confirmatur: quia dæmones possidentes sunt præsentes animæ, uti & corpori: cur ergo non possint esse præsentes invicem? Nec favet *D. Thomæ* & quibusdam *Thomistis* oppositum sentientibus, quòd Angeli sint in loco per operationem: nam etsi id verum foret (quod tamen falsum est) quidni adhuc possent plures Angeli esse in eodem loco, sic ut possent circa idem corpus & locum operari, immo & eumdem effectum tamquam concausæ producere?

QUÆSTIO IV.

Quidnam poßint Angeli producere sive operari?

De operationibus immanentibus intellectûs & voluntatis, item de motu locali in præcedentibus dictum est. De reliquis

Dico I. Angeli non possunt producere aliquam substantiam corporalem, etiam ex subjecta materia. Ita *D. Thomas*, *Scotus* & alii Theologi unanimiter, adeò ut *D. Bonav. d. 7. p. 2. art. 2. q. 2. in corp.* oppositum dicat esse sine dubio falsum: & *Suarez lib. 4. c. 25 n. 4.* dicat non posse sine magna temeritate in dubium revocari; quamquam difficile sit efficaci ratione persuadere. Conclusionem etiam tradit *August. 3. de Trinit. c. 8. & 9.* & *lib. 12. de civit. c. 24.* & alibi. 20. *Angeli non possunt producere substantiã corporalem,*

Probatur ex constanti omnium judicio. Deinde, quia ex nullo signo potest vel verosimiliter ista potestas Angelorum colligi: semper enim ad præsentiam alterius substantiæ corporeæ producitur substantia: mira autem opera quæ ad præsentiam Angeli solius fiunt, non excedunt potentiam locomotivam applicandi activa passivis.

Neque obstat excessus perfectionis angelicæ: non enim omne perfectius continet virtualiter imperfectius: nam planta est perfectior auro, brutum plantâ, homo bruto; & tamen posterius non continetur virtualiter, sive nequit produci à priori, quantumvis perfectiori.

Dico II. Angeli non possunt producere aliquam substantiã spiritualem. Conclusio est magis indubitata, quàm præcedens, & patet ex eadem, argumento à fortiori. Deinde probatur: quia substantia spiritualis producitur per creationem; quæ Angelo non competit. Confirmatur: quia neque unus Angelus potest producere alium Angelum; neque etiam animam rationalem, quæ juxta fidem à solo Deo producitur: præter has autem non restat alia substantia spiritualis creata. Quare etsi sit proportio entitativa Angeli ad Angelum; non tamen proportio causativa sive causæ ad effectum. 21. *Minùs spiritualem,*

Dico III. Angeli non possunt producere accidentia corporalia, præter motum & quæ cum eo sunt connexa. Est communis omnium Sententia. Ratio est: tum quia ex nullo capite potestas hæc colligitur: tum quia reliqua accidentia sufficienter produci possunt ab agenti- 22. *Immo nec accidentia corporalia, nisi spectãtia ad motum seu ubi.*

bus corporalibus, nempe vel à generante, si sint dispositiones ad generationem, vel ab ipso genito, si sint proprietates & affectiones illius.

Dices: Non videtur difficilius producere frigus, quàm in corpore ubi materiale. Resp. Neg. Aff. quantùm ad Angelos, de quibus non constat, quòd habeant virtutem producendi frigus; sicut constat ipsos habere potentiam movendi corpora, adeòque producendi ubi materiale, & quæ cum motu sunt connexa.

Unde constat, potentiam operativam operatione transeunte non distingui in Angelis à potentia locomotiva. Quare ad explicanda mirabilia opera tam bonorum quàm malorum Angelorum, quæ vel in Scriptura vel in Historiis referuntur, sufficit potestas applicandi activa passivis: cùm enim celerrimè moveantur, naturasque & virtutes rerum naturalium perfectissimè penetrent, possunt brevissimo tempore ex diversis mundi partibus (si necesse sit) colligere activa & passiva, illaque inter se applicando admirandos effectus edere.

23. *Signa dæmonum per Magos Ægypti patrata applicando activa passivis,*

Quo modo credibile est omnia signa à Magis in Ægypto ope dæmonum esse edita, quæ referuntur *Exod* 7. *&* 8. Sic enim quotidiè ranæ, mures, lacertæ, similiaque animalia sine semine producuntur per causas naturales (quas utique applicare dæmones poterant) eodemque modo serpentes multos produci tradit *Plinius*. Potuissent tamen dæmones quædam ex iis signis, præstigiando, seu oculis illudendo (varios illusionum modos explicat *D. Bonav. d* 8. *p.* 2. *art.* 1. *q.* 3. *in corp.*) patrasse, v. g. adducendo aliundè veros dracones seu colubros, sicque locò virgarum substituendo, ut nemo præstigia adverteret: vel (quod putat *Josephus* & quidam alii) sic oculis ludificando, ut similes draconibus viderentur, qui non erant. Quod tamen postremum minùs congruit litteræ, ut sonat, intellectæ, & contextui, ut notát *August. q.* 21. *in Exodum.*

24. *Quibus tamen mirâ providentiâ vera Dei signa præcellunt.*

Ubì observanda est divina providentia, quæ etsi falsa & apparentia (vera etenim, quæ superant naturæ vires, non faciunt) miracula pet dæmones eorumve instrumenta fieri permittat, sicut in Magis Ægypti liquet, semper tamen sufficientia relinquit indicia, ex quibus fallacia dæmonum deprehendi queat, ne videatur velle, hominem quadam violentiâ in dæmonis deceptiones adigi. Sic signa Magorum Moysi potiùs profuerunt, dum semper adfuit aliquid, quo divina signa præcellerent. Nam serpens Moysis devoravit serpentes Magorum, juxta illud *Exod.* 7. *Devoravit virga* (quæ scilicet fuerat virga, & versa erat in colubrum) *Aaron, virgas* (id est colubros) *eorum*. Aquam illi in sanguinem mutare potuerunt, non rursum sanguinem in aquam: ranas adferre, non tollere; sic ut per eos plagæ augeri possent, non minui; prout notavit *Theodoretus quæst.* 18. Sicut etiam digitum Dei agnoverunt Magi Pharaonis vel inviti, dum patratis per incantationes suas signis majoribus, non potuerunt facere Cyniphes.

QUÆSTIO V.

Quomodo Angeli assumant corpora, in quibus apparent, & quas in iis actiones exerceant?

ANGELOS interdum assumere corpora, in quibus apparent hominibus, certum est ex Scriptura & innumeris Historiis. Possent quidem angelicæ apparitiones fieri, & interdum factæ sunt imaginariè per immutationem Phātasiæ; ut cum *Augustino* docent communiter Theologi. Nonnullæ enim sic referuntur, ut non sit ratio suspicandi, quin fuerint imaginariæ. Cujusmodi sunt, quas sibi factas testatur Joannes in Apocalypsi, ut notat *Ambrosius*. Idem observant Interpretes in illud *Apocal.* 1. *Fui in spiritu & audivi.* 25. *Angeli frequenter apparuerunt, Interdum imaginariè.*

Nihilominus multas apparitiones contigisse verè in corporibus sensibilibus, indubitatum est: frequenter enim sic referuntur factæ, ut non sit ratio suspicandi fuisse imaginarias. Hoc modo Satan in deserto apparuit Salvatori, cujus utique phantasiæ illudere non poterat. Similiter Raphaël Tobiæ, tres Angeli Abrahæ ejusque familiæ: item duo ex illis Loth ac Sodomitis, similiter Gabriël Deiparæ, & aliàs frequentissimè. Accedit etiam consensus Patrum apud *Suarez lib.* 4. *cap.* 34. Idem colligitur ex palpabilitate, duritie, uniformitate &c. quam corpora assumpta frequenter exhibent quibuscumque præsentibus. Aliquando autem dubitari potest, utrùm sint phantasticæ, an veræ apparitiones: v. g. dum fiunt uni, & non alteri, etiam præsenti. Hoc enim non est evidens signum esse tantùm phantasticas: cùm Angelus per distemperiem, aut corpus interjectum, possit efficere, ut corpus sensibile assumptum videatur ab uno, & non ab altero assistente. Quo modo etiam efficere potest, ut objectum priùs ab homine visum, quasi in momento dispareat, faciendo 26. *Interdum verò in forma sensibili.*

ciendo imperceptibilitet aliquam dispositionem in medio, quâ impediat lineam visualem: quod tamen etiam potest alio modo efficere, videlicet objectum celerrimè transferendo in locum distantem; vel substituendo aliud in ejus locum, sic ut in hoc prius videatur conversum.

27. *Assumptio corporibus,* Assumptio corporis requirit, ut Angelus sit ei intimè præsens instar motoris intrinseci, & per illud exerceat operationes corporales proportionatas, ac denique ut per illud Angelus personam suam repræsentet, ut explicat *D. Bonav. d. 8. p. 1. a. 1. qu. 2. in corp. & ad 5. D. Tho. q. 51. a. 2. ad* 2. & alii Doctores unanimiter: his enim positis omnes apprehendunt verè apparere spiritũ tali corpori assistentem. Non sufficere autem præsentiam, vel quòd spiritus moveat ipsum corpus, patet: quia Angeli non assumunt cælos, quos movent præsentes; nec dæmon energumenos, aut alios homines, quibus præsentes sunt, vel quos movent. Quare nec Angelus assumpsit Habacuc, quem transtulit in Babylonem: nec Philippum quem transtulit in Azoto: nec dæmon Christum, quem transtulit super pinnaculũ templi, & in montem excelsum. Non rectè (inquam) dicuntur horum corpora assumpta à præfatis spiritibus. Denique idcirco asina Balaam, (cujus fauces Angelus movebat) non dicitur assumpta ab Angelo, quia videlicet personam Angeli non repræsentabat. Alia autem unio cum corpore non est necessaria. Non enim Angelus informar corpus; cùm non sit anima, sed substantia spiritualis completa. Non etiam unitur hypostaticè: quia etsi ista unio supernaturaliter foret possibilis, non tamen naturaliter: neque est ulla necessitas aut ratio tam extraordinariam unionem de facto adstruendi. *Quæ tamen non informant*

28 *Et quæ sunt sublunaria, interdum antea,* Corpora quæ assumunt, sunt sublunaria: quandoque jam antè formata & organica, v. g. cadavera mortuorum, quæ subinde à dæmonibus assumpta fuisse, ex historiis constat: nam spiritibus discedentibus quandoque manserunt integra, & fuerunt cognita cadavera aliquorum defunctorum. Id tamen non est existimandum de Angelis bonis. Quare cadavera ista sunt reproborum: Deus enim id non permittet de corporibus electorum; ipseque dæmon ea abhorret. Præterea Angeli boni apparere soliti sunt in forma virili; mali etiam in fœminea, aut bestiarum, potissimùm immundarum: ut notat *Petrus Thyræus lib. de spirituum apparitionibus cap.* 9.

29. *Ordinariè tamen de novo formata,* Ordinariè autem tam boni quàm mali Angeli assumunt corpora aërea de novo per ipsos formata, non quidem ex puro aëre, sed concurrente materiâ alicujus vaporis terrei vel aquei, ut rectè *D. Bonav. sup. p. 2. a. 2. qu. 2. in corp.* Intertexunt itaque corpora, quæ formant, ex vaporibus & exhalationibus ceterisque mixtis facilè solubilibus, sic ut referant colores & figuram animalis seu hominis assumpti, & appareant oculis esse ejusdem rationis cum vero & solido corpore animalis repræsentati. Habent autem ista corpora veram aliquam figuram, uti veram quantitatem; cujus connaturalis terminus est figura: licèt per variam positionem & luminis affusionem apparere possint alterius figuræ, quàm à parte rei sint; prout etiam in nubibus contingit.

Similiter habere possunt verum colorem, utpote qui sufficienter diffundi potest ex imperfecta mixtione elementorum & temperie primarum qualitatum: quàmvis hæc tam imperfecta esse possit in præfatis corporibus, ut ad verum colorem diffundendum non sufficiat; & quàmvis etiam dum verus color subest, non semper appareat qualis est, sed varius pro varia luminis mixtione. Habent præterea corpora ista aliquam duritiem & mollitiem pro arbitrio Angeli; quam tamen facilè supplere possunt per potentiam locomotivam & retentivam sic movendo aliquas partes & alias retinendo, ut partim appareant ossa, partim carnes, ipsis palpantibus. Unde in corporibus assumptis ejusmodi contactum quandoque admiserunt; ut dum Abrahim & Loth laverunt Angelorum pedes, Iacob cum Angelo fuit luctatus, &c. 30. *Capacia veri coloris,* *Et duritiei ac mollitiei*

Quàmvis varii notent, facilè inveniendam esse differentiam ab eo, qui perfectè attenderet, inter duritiem & mollitiem ejusmodi corporum & solidi corporis humani. Quod multis experientiis confirmari potest, signanter illâ quam ex Cajetano refert *Suarez lib. 4. cap. 35. num.* 5. de homine, qui dæmoni succubo copulabatur, & naturalem delectationem, quam ex fœmina sentire solebat, non accipiebat: de quo cùm apud dæmonem conquereretur, ille respondit, se non posse melius corpus effingere. Ad cujus rei confirmationem quoque allegari solet illud Christi *Lucæ 24: palpate & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* q. d. non haber carnem & ossa vitaliter, & eo modo, quo ego: quasi intet carnem seu corpus hominis redivivi, & à spiritibus assumptũ, discrimen queat visu tactuque notari, saltem humanâ & morali evidentiâ, qualis ab humanis sensibus potest expectari. Quod necessarium 31. *Discernibilia tamen à solido corpore humano.*

videtur, ut signum à Christo propositum præbeat veræ resurrectionis in vero humano corpore firmum argumentum.

32. *Non exercent in iis Angeli operationes vitales.* Petes, An spiritus mediante corpore assumpto possint exercere operationes vitales, quales sunt comedere, bibere, progredi, sentire, loqui, generare? Resp. Neg. tum quia non habent corpora organica: tum quia deest principium vitale, scilicet anima seu forma informans. Quare *Tob. 12.* Raphaël Angelus ait: *Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere &c.* cibum videlicet verè comminuendo, eumque ac potum trajiciendo: at non per actionem vitalem, & organa vitæ in stomachum corporis, quod informetur ab eo, transmittendo: quod tamen ad comestionem propriè, prout scilicet est actus vitalis, requiritur. Ob hoc è contrà Christus post resurrectionem in signum ejusdem verè comedit, per potentiam animæ cibum masticando, & in stomachum transmittendo, etsi de facto non adfuerit digestio vel nutritio (quæ non requiritur; cùm dicatur quis comedisse ea, quæ indigesta stomachus rejicit) eò quòd corpora gloriosa non nutriantur, & perfectissimam habeant quantitatis & qualitatum proportionem. Præterea movent quidem spiritus labia corporis assumpti, & aërem allidunt, sicque voces edunt; at non per organa corporis animati. Et (ut testatur *Del-Rio lib. 2. Disquisitionum Magicarum q. 28.*) Deo providente, ut dæmon versipellis faciliùs agnoscatur, dum loquitur in corpore assumpto, debili, pusillâ, confusâ, obscurâ & quasi ex dolio, vel per testam ruinosâ voce loquitur. Movent quoque palpebras, & apparent per oculos sensibiliter percipere objecta, per aures sonos: at non magìs quàm per pedes, aut aliquam aliam rem corporalem præsentem: adeòq; sensuum loco utuntur intellectu.

33. *Quid de incubo & succubo censendum?* Quod denique ad generationem spectat, certum quidem est dæmonem non posse vitaliter generare. An autem possit in corpore ementito incumbere aut succumbere, sic ut inde sequatur perfecta efformatio corporis humani, difficultas est. Et quidem ex dæmone incubo quandoque proles natæ referuntur. Cùmque ipse perfectissimè noscat naturam feminis, probabile videtur, posse illud aliundè acceptum ab ipso conservari in convenienti qualitate, & transferri in locum generationi aptū, ut docet *D. Bonav. d. 8. p. 1. art. 3. q. 1. in corp.* Quod non parum confirmari posset ex eo, quòd (ut testatur *Amicus d. 4. n. 59.* penes quem sit fides) experientiâ compertum sit, aliquando fœminas concepisse ex virili semine in balneis relicto, & in propriam matricem attracto. De succubo tamen dæmone docet idem *D. Bonav. sup. art. 2. q. 1.* & alii communiter id fieri non posse, idque certum dicit *Amicus sup. n. 57.* eò quòd corporis humani efformatio ad animationem sufficiens sit adeò operosa & stupenda, ut ad eam requiri videatur forma vitalis seu anima utens ad hoc utero materno tamquam instrumento necessario. Quamquam existimet novissimè *Derkennis disp. 4. c. 4.* posse quidem Angelos perfectè organizare corpora, partim immediatè & per se præstando ea quæ ad figuram & motum pertinent, partim mediatè applicando causas corporeas requisitas (qualiter fortasse etiam mater tantùm concurrit) spectare tamen ad divinam providentiam id non permittere, sicut impedit longè minora, quæ alioquin indubiè virtutem spirituum non superant, v. g. homines interimere, consilia detegere, eruere thesauros & mineralia &c. Nihilominus si organizatio perfecta corporis humani cum proxima dispositione ad infusionem animæ non superet virtutem Angeli sibi relicti, non superabit quoque illam vivificatio cadaveris seu resuscitatio hominis mortui, aut corporis incinerati resurrectio, visûs restitutio &c. corpus enim aut pars corporis ita disposita exigit connaturaliter informari ab anima aliqua rationali: sicut idcirco generatio hominis viâ ordinariâ censetur naturalis, eò quòd virtute naturali formetur corpus organizatum, quod exigit animam aliquam rationalem sibi uniri, quantumvis non determinatè unam præ altera individua.

QUÆSTIO VI.

An Apparitiones divinæ præsertim Veteris Testamenti factæ sint per Angelos?

NON pauci Veteres Patres existimarunt, apparitiones Dei in veteri Testamento fuisse immediatè ipsius Dei in corpore à se assumpto, & quidem non Patris aut Spiritus sancti, sed propriè ipsius Filii. Nihilominus

DICO I. Apparitiones sensibiles Dei in veteri Testamento omnes fuerunt factæ per Angelos in corporibus ab ipsis assumptis: qui quidem erant personaliter Angeli, sed repræsentativè & auctoritativè Deus, cujus personam sustinebant & repræsentabant: ideoq; loquebantur tamquā Deus, & moraliter ipse Deus dicitur apparuisse, quatenus apparebant Angeli 34. *Apparitiones in veteri Testamento factæ sunt per Angelos.*

in qua-

in qualitate personæ Dei tamquam legati ab eo missi. Quâ ratione verè dicebant: *Ego Dominus, ego sum qui sum &c.* sicut sacerdos in consecratione repræsentans personam Christi, de illius corpore verè dicit: *Hoc est corpus meum.* Ita Theologi communiter cum *August.3.de Trinit.c.11.* & alibi. *Hieronymo, Gregorio* & aliis Patribus.

Probatur Conclusio: quia Scriptura plerumque dum enarrat Deum apparuisse,ibidem vel alibi explicat id contigisse per Angelos.Sic *Genes.16.& 21.*qui apparuit Agar vocatur Angelus; & tamen ex adjunctis constat apparitiones esse divinas. *Genes.18.* viri, qui apparuerunt Abrahæ,vocantur Dominus, & *cap. sequenti* vocantur tam Dominus, quàm Angeli.

Quare Angelos ab Abraham & Loth fuisse susceptos hospitio, indicat etiam Apostolus *ad Hebr.13.*Præterea *Genes.22.* qui loquitur Abrahæ in persona Dei, immediatè antè appellatur Angelus. Et *Genes.28. & 31.* is qui apparuit Jacob, appellatur Dominus Deus,& tamen posteriori loco apertè significatur fuisse Angelum. Quare & vir ille qui cum Jacob luctabatur *cap. 32.* etsi appelletur Deus; tamen fuit Angelus, ut patet ex *Osea 12. Invaluit ad Angelum & confortatus est &c.* Insuper *Exodi 3.* ubi apparuit Deus Moysi in rubo, revelans ei nomen suum Tetragrammaton, id fuit factum per Angelum, ut expressit S.Stephanus *Actorum 7.* Denique post eductionem Israëlitarum ex Ægypto describitur Deus sæpè apparuisse Moysi, eidem esse locutus,dedisse legem &c. & tamen illud per Angelos factum esse testatur S. Stephanus *sup.* & colligitur ex Apostolo *ad Galat. 3.* & *ad Hebr. 2.* Scriptura porrò id expressit de præcipuis apparitionibus, dans idem intelligi à fortiori de ceteris. Et hâc ratione optimè servatur ordo sicâ Deo constitutus juxta *Dionysium, Augustinum* & Theologos, ut Deus res medias administret per supremas, & infimas per medias.

Dices I.Scriptura apparitiones attributas Deo frequenter etiam attribuit Angelo, hoc est, unigenito Filio, qui est magni consilii Angelus juxta *Theodoretum quæst.5. in cap.3.Exodi.* Resp.hoc esse contra proprietatem verborum, & quidem sine fundamento. Etsi autem Christus vocetur Angelus in Scriptura; tamen rarò & cum addito, scilicet *magni consilii Angelus. Isaia 9.* juxta versionem *Septuaginta*, & Angelus testamenti *Malach3.*

Dices II. Nabuchodonosor *Dan. 3.* dixit: *Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & species quarti similis Filio Dei*; utique in corpore à se assumpto. Resp. quartum istum fuisse Angelum, ut patet ex *versu 49.& 95.*Quare esse similem Filio Dei, idem est, quòd esse similem Angelo, ut vertunt *Septuaginta*: vel (ut explicat *Pererius* & alii) viro illustri, & super homines specioso. Sic enim vocantur Cedri Dei,montes Dei;& *Genes.6.*Filii Dei. Potuit tamen Angelus iste aliqualiter præfigurasse Christum. Ob quod fortasse Ecclesia Christo specialiter appropriat liberationem trium puerorum, dum canit:*Surrexit Christus de sepulchro, qui liberavit tres pueros de camino ignis ardentis.*

36. *In persona Dei communiter.* DICO II. Apparitiones Dei in veteri Testamento non fuerunt propriæ secundæ personæ. Ita Doctores communiter. Probatur: quia Scriptura apparitiones istas ubique refert nomine Dei, Domini, qui est, Jeopha, & similibus nominibus essentialibus seu communibus tribus personis; nec aliundè constat factas fuisse propriè in persona Filii divini.

Nec obstat, quòd *Joan. 8.* dicatur Abraham vidisse diem Christi, utique in apparitionibus quæ referuntur in Genesi. Item quòd *Isaias c.6.* dicat: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum*, intellige Filium Dei, juxta illud *Joan.12. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo.* Denique is qui locutus est prophetis, dicitur postea incarnatus, *Baruch 3.Post hac in terris visus est &c.*Et *Isaia 52.Ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* Hæc (inquam) non obstant: nam Abraham vidit diem Christi per internam fidei revelationem, quâ novit illum ex semine suo nasciturum. Isaias vidit quidem Filium Dei, sed non solum,at Deum Unum & Trinum,apparenter imaginariè, qui ob unitatem Dominus, ob Trinitatem ter Sanctus proclamatur. Similiter Filius quidem locutus est Prophetis, sed non solus, verùm Deus Unus & Trinus,qui postea in persona solius Filii assumens carnem, in terris visus est.

Nihilominus rectè dici posset, per quamdam saltem appropriationem, in nonnullis apparitionibus,præsertim imaginariis, fuisse repræsentatas certas personas,v.g. *Dan.7.* Patrem per antiquum dierum, Filium seu secundam personam per filium hominis, qui usque ad antiquum dierum pervenit;prout etiam Isaias in visione imaginaria prævidit Christum passurum *Isaia 53.*Similiter tres personas seu totam Trinitatem fuisse repræsentatam,saltem figurativè, per tres Angelos, qui apparuerunt Abrahæ, plures Patres

 docent,

docent, & consonat Ecclesia canens: *Tres vidit, & unum adoravit.*

37. *Apparitiones divinæ in novo Testamento factæ sunt per Angelos.* Dico III. Apparitiones divinæ novi Testamenti, regulariter loquendo, sunt etiam factæ per Angelos in persona Dei. Ita Doctores passim contra Nonnullos. Probatur: quia non est fundamentum dicendi illas potiùs esse factas immediatè per Deum, quàm apparitiones veteris Testamenti: & ratio pro illis allegata, etiam hic militat, nempe ut Deus faciat per causas secundas, quod per eas congruè fieri potest.

Nonnullis exceptio. Excipitur apparitio Dei in Humanitate Christi, in qua immediatè apparuit in terris secũda persona divinâ mediante Incarnatione. Similiter post ascensionem Christi in cælos ipsum aliquoties per se immediatè apparuisse in terris B. Virgini aut aliis Sanctis, & specialiter sic aliquando apparuisse sensibiliter per se in Venerabili Sacramento existimant probabilissimè varii Recentiores.

Quo supposito, non irrationabiliter credi potest, ipsum Christum immediatè in forma Seraphim apparuisse, & (ut canit Ecclesia) passionis suæ sacra stigmata renovasse, ac signasse servum suum Franciscum signis redemptionis nostræ; juxta id, quod ipse Vir Seraphicus post obitũ suum cuidam Fratri revelavit his verbis: *Christus sicut vulnera in carne suscepit, ita manibus suis benedictis in corpore meo impressit.* Quare ita sentit nobilis Ordinis Frãciscani Chronologus *Lucas Waddingus ad Annum Christi 1214. n. 16.* referens & rejiciens Sententiam *Blasii Vegas in c. 12. Apoc. Comment. 1. sect. 18.* ex levi (ut inquit) conjectura censentis hoc Archangelo Michaëli tribuẽdum. Quam rem in medio relinquentes, ne ex affectu erga proprium Ordinem potiùs, quàm ex ratione definire videamur,

38. *Signanter apparitione Christi exhibitâ Paulo Apostolo.* De Apparitione exhibita Paulo *Act. 9.* censemus, factam fuisse immediatè in persona Christi. Quod quidem velut indubitatum tradit *Suarez. lib. 6. c. 21. n. 19.* & alii. Tum quia ceteris, qui referuntur *1. ad Cor. 15.* Christus post resurrectionem suam seipsum exhibuit videndum corporaliter; adeòque & Paulo, qui simili verborum formâ de se subjungit: *Novissimè omnium visus est & mihi.* Tũ quia alioquin se instar ceterorum non rectè ibidem adduceret velut testem oculatum resurrectionis Christi. Neque enim ad ocularem testimonium sufficeret visio corporis formati ab Angelo, quod repræsentaret speciem Christi. Neque Apostoli credidissent resurrectionem ex aspectu talis corporis; multòque minùs id scientes ceteri homines credidissent ob dicta Apostolorum.

Nec obstat, quòd inde sequi videatur Christum in persona sua post ascensionem suam tunc descendisse ad terras, cùm tamen *Act. 3.* dicatur de ipso: *Quem oportet quidem cælum suscipere usque in tempora restitutionis omnium,* seu resurrectionem generalem. Nam facilè dici potest, Christum tunc fuisse simul in cælo & in terra. Quòd si quis contendat, ipsum tantisper deseruisse cælum, intelligi posset Scriptura *Act. 3.* hoc sensu, quòd cælum sit Christo locus ordinarius regni & residentiæ, unde non sit publicè & solemniter descensurus, nisi in judicio. Denique fortè responderet aliquis, Christum mansisse in Empyreo tantùm, indeque fuisse vocem demissam usque ad Paulum. Verùm contextus Historiæ planè indicat rem è propinquo gestam fuisse. Unde aliter loquitur, quàm de Stephano, qui refertur vidisse cælos apertos, & in iis Jesum stantem.

Non obstat etiam, quòd Paulus luce cælitùs circumfusus ceciderit pronus in terram, dein triduo cæcus fuerit: nam pronus, auditâ voce se erigens convertit se ad loquentem, apertisque oculis vidit Christum in summa luce, eâdemque illos perstrictos & offensos rursum clausit, usque dum sermone Domini finito, apertis oculis nihil videbat. Alioquin hoc ipsum æquè obstat visioni corporis apparentis; estque adeò ipsis objicientibus solvendum.

Circa apparitiones novi Testamenti notandum est, illas esse proprias certæ personæ, vel esse omnium personarum quatenus inter se distinctarum; ut videlicet ita in novo Testamento distinctior ingereretur notitia SS. Trinitatis. Sic in humanitate propriè apparuit secũda persona, in Baptismo Christi Pater apparuit in voce, Filius in humanitate, Spiritus sãctus in specie columbæ. Similiter in trãsfiguratione apparuerunt Pater & Filius; Spiritus sanctus autem in nube. Præterea Spiritus sanctus propriè apparuit in flatu, dum Christus *Joan. 20.* insufflavit in discipulos, & dixit: *Accipite Spiritum sanctum.* Idem apparuit in die Pentecostes in linguis igneis, in sono seu spiritu vehementi. Quæ omnia apparitionis signa, etsi mediante ministerio angelico fierent à tribus personis, utpote operationes ad extrà; poterant tamen propriè repræsentare aliquam personam distinctam ex institutione divina, quâ ad talem, & non ad aliam personam repræsentandam exhibebantur. 39. *Sunt, quæ propriè alicujus personæ divinæ, vel simul omnium quatenus inter se distinctarum.*

QUÆST.

QUÆSTIO VII.

De Missione, Ministerio & Custodiâ Angelorum.

40. *Angeli in ministeriū mittuntur à Deo.* DICO I. Angeli à Deo mittuntur in ministerium. Ita docet passim Scriptura, signanter *ad Hebr. 1. Omnes sunt administratorii spiritus, in ministeriū missi propter eos, qui hereditatem capient salutis.* Idemque congruit recto ordini rerum, quem ejusmodi divina lex in suis operibus exequitur & conservat, ut inferiora gubernet per superiora: in hoc quoque bonitatem & potentiam suam ostendens, quòd cùm per se sufficiat ad omnia gubernanda, vel producenda, assumat tamen ad gubernationem causas secundas; uti assumit quoque ad multorum productionem, quæ tamen potuisset se solo producere. Mittuntur autem Angeli quodammodo in ministerium nostrum, ut Patres loquuntur; propriè tamen magis in ministerium Dei, attamen ad bonum nostrum, tum animæ, tum corporis.

41. *Non semper proximè, sed interdum mediante altero angelo.* DICO II. Etsi Angeli mittantur à Deo, tamen non semper proximè, sed ex ordinatione Dei interiores Angeli plerumque mittuntur à superioribus. Ita omnes Doctores. Et patet ex Scriptura *Zachar.* 2. ubi unus Angelus alteri dicit: *Curre, & loquere ad puerum istum.* Et *Dan.*8. audivit Propheta vocem viri sive Angeli (quem veteres Hebræi putant fuisse Michaëlem teste *Hieronymo*) inter Ulai dicentis: *Gabriel, fac intelligere istum visionem.*

Hæc autem missio non fit per processionem seu originem (prout fit missio divinarum personarum productarum) sed per imperium, quo destinatur Angelus ad aliquod opus sive ministerium peragendum. Addit *Suarez lib.6.c.9. nu.17.* insuper requiri ad missionem personæ creatæ, ut ipsa destinetur ab uno loco ad alium. Non apparet tamen, cur non rectè vocetur (est enim quæstio de voce tantùm) missio, dum ex ordinatione Dei destinatur Angelus ad instruendum hominem vel alium Angelum, sine mutatione loci, per positionem novi effectus in altero.

42. *Verosimilius ex quavis Hierarchia.* DICO III. Ad functiones seu ministeria exequenda probabiliùs mittuntur Angeli ex omnibus Ordinibus seu Hierarchiis. Ita *Scotus d.*10. *q. unic. Marsilius, Molina, Valentia, Ribera, à Lapide* & alii passim, & ex Patribus *Cyrillus* ac *Bernardus*, ut refert *Wiggers q.*112. *nu.*2. contra *Alensem. D. Bonav. D. Thomam*, & nonnullos alios existimantes, quòd Angeli superiores, qui Assistentes vocantur (quales juxta *D. Thomam* sunt non solùm qui spectant ad tres Choros supremæ Hierarchiæ, sed etiam qui spectant ad primum Chorum mediæ Hierarchiæ, scilicet Dominationes) numquam ad nos destinentur per externam missionem. Soletque allegari *Dionysius*: in quo tamen nil ad propositum invenitur, saltem velut asseveranter ab eo dictum; ut inspicienti ipsum, sive *cap.*13. *cœlestis Hierarchia* (quod plerumque allegatur) sive Capitibus præcedentibus, patebit.

Conclusio colligitur ex Scriptura *Isaia 6.* vbi dicitur unus de Seraphim (quam vocem impropriè Alii explicant, sine sufficienti fundamento) volasse ad Isaiam, & tetigisse os ejus, ad actionem ministerialem, scilicet ad mundanda labia Prophetæ. Et *Ezech.* 10. visi sunt Cherubini à Propheta in curru gloriæ Dei aliquando juxta terram prope fluvium Chobar, adeòque missi sunt extra cælum ad repræsentādum Prophetæ mysteria inclusa imaginibus animalium ibi ostensorum. Ipse quoque Michaël quandoque missus legitur; qui tamen est de supremo Ordine. Prout etiam Varii in supremo Ordine statuunt Gabriëlem & Raphaëlem, qui tamen externâ missione ad ministerium missi sunt.

His addi posset illud *ad Hebr.* 1. *Omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos &c.* Verùm non tantùm alii Auctores, sed & ipse *Scotus sup.* id explicat de missione, sive exteriori, sive interiori & invisibili secundùm illuminationem, quoniam (ut inquit *D. Bonav. d.*10. *art.* 1. *q.* 2. *in corp.*) superiores mittuntur ad medios, & medii ad infimos, dum revelando purgant & illuminant ea quæ nobis expediunt: & hoc totum est propter nos. Et ideo signanter dicit Apostolus: *missi propter eos*; non inquit: *missi ad eos*. Quæ explicatio inde cōfirmari potest, quòd non sit credibile omnes & singulos omnium Ordinum Angelos mitti ad nos; & tamen loquitur Apostolus de omnibus & singulis, volens iis Christum esse prælatum, veluti qui solus sedeat ad dexteram Majestatis, cæteris existentibus ministris. Qui tamen huic Scripturæ mavult insistere, ad ista respondere posset, hoc modo incongruè & nimiùm extenuari vocabula *missio* & *ministerium*. Deinde satis adhuc ostendi, Christum esse omnibus & singulis prælatum, dum ex singulis Ordinibus aut speciebus indifferenter aliqui mittuntur in ministerium.

Nec obstat Conclusioni illud *Dan.*10. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Nam credi-

Etsi non ordinariè mittantur ad exteriora qui assistentes nuncupantur. credibile est *assistere & ministrare* ibi sumi pro iisdem. Atque esto significaretur distinctio inter Angelos ministrantes, & alios jugiter Deo assistentes, sic ut hi ab intimis non discedant ad exteriora munia, id tamen intelligendum esset ordinariè & spectato velut proprio officio assistentium; cùm extraordinariè ob graviores causas, præsertim ad breve tempus, etiam Angelos assistentes ad exteriora ministeria mitti ex dictis satis constet.

43. *Peculiaribus rebus speciales deputati sunt Angeli.* Dico IV. Ministeria Angelorum respiciunt mundum hunc corporalem, non solùm propter motum orbiū cælestium, à quorum motu generationes & corruptiones rerum plurimùm dependent; sed etiam quatenus peculiaribus rebus peculiares Angeli sunt deputati, ut hæc inferiora in debito esse & ordine à divina providentia intento conserventur. Patet ex *Augustino lib.*83. *qq. quæst.*79. ubi ait: *Unaquæque res visibilis in hoc mundo habet angelicam potestatem sibi præpositam.* Et *Damascenus lib.*2. *de fide cap.*3. dicit Angelos destinatos, *ut certas quoque terræ partes custodiant, Gentesq; & Regiones tueantur.* Quare irrationabilibus etiam creaturis Angelos esse præpositos colligitur ex *Apocal.* 14. ubi agitur de Angelo qui habebat potestatem super ignem. Et *cap.*16. fit mentio Angeli aquarum. Idemque est de aliis elementis, & speciebus mixtorum, & à fortiori de speciebus animalium, saltem perfectorum. Et ita sentiunt *D. Thomas* & alii Theologi post *Origenem* & alios Patres: quàmvis oppositum sensisse videatur *Hieronymus in c.*1. *Habacuc.* Quæ præsidentia ad hoc servit: tum ut elementa v. g. non noceant, juxta illud *Apoc.* 7. *Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent.* Tum ut aliquando noceant, sicque obsecundentur divinæ voluntati ad finem à divina providentia intentum: tum ut Angeli compescant dæmones ne iis rebus abutantur aut nimiùm noceant.

44. *Maximè autem hominibus:* Dico V. Per divinam providentiam specialiter demandata est Angelis cura & custodia hominis, qui est præcipua pars mundi corporalis. Quod quidem in his terminis generalibus est de fide ex plurimis & clarissimis Scripturæ locis. Nam *Genes.* 19. Angeli eduxerunt Loth de periculis incendii. *Genes.* 48. Jacob ait: *Angelus qui eruit me de cunctis malis. Exodi* 23. dicitur: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via. Matth.* 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris. Actor.* 12. *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum &c. Psal.* 90. *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* & alibi.

45. *Sic ut singulis deputatus sit proprius Angelus custos.* Dico VI. Singulis hominibus deputatus est à Deo proprius Angelus custos. Conclusio etsi non sit de fide, est tamen satis certa ex indubitato sensu omnium omni tempore fidelium, & consensu unanimi Theologorum, ac Patrum sic interpretantium Scripturas agentes de custodia Angelorum, ut *Basilii, Nysseni, Gregorii, Chrysostomi* & aliorum. Sufficiant verba *Hieronymi in c.*18. *Matt. Magna est dignitas animarum, ut unaquaque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Quod ipso Apostolorum tempore persuasum habuisse Fideles colligitur ex *Act.* 12. ubi cùm ancilla ostiaria constanter affirmaret iis qui in domo erant, Petrum è carcere liberatum stare ad ostium, responderunt: *Angelus ejus est.* Quare *Nyssenus lib. de vita Moysi* Doctrinam hanc vocat Traditionem & verum sermonem. Accedit Auctoritas Ecclesiæ, quæ speciali officio per Paulum V. ordinato Angelos custodes hominum hâc ratione veneratur.

46. *Etiam infidelibus.* Quàmvis autem *Basilius* & quidam Patres specialiter loquātur de fidelibus, non tamen excludunt infideles. *Hieronymus* autem & alii Patres universaliter loquuntur. Ratio etiam est generalis, quæ sumitur ex indigentia infidelium, & universali curâ Dei quantùm ad media etiam externa salutis. Unde etiam infideles habere suum Angelum custodem, est communissima Doctrina Theologorū. Idemque est de reprobis & peccantibus. Specialiùs tamen mittuntur Angeli propter electos, quatenus in iis finis missionis specialiter obtinetur: sicut Paterfamilias mittere dicitur servos propter illos qui venturi sunt ad cœnam, etsi quoque mittat ad plures non venturos. Hinc est quòd *ad Hebr.* 1. dicantur Angeli *in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis.*

Excipitur Christus, qui juxta Doctores non habuit Angelum custodem: tum quia beatus: tum quia Angelis tamquam meris ministris utebatur eis imperando; non autem ab iis regebatur seu dirigebatur. Deipara tamen habuit Angelū custodem juxta *Bernardum Epist.* 77. & Theologos; tum quoad animam propter illuminationes, inspirationes & protectionē; tum quoad corpus ob avertenda noxia.

47. *Idq; à nativitate, imò ab instanti animationis.* Incipit autem custodia angelica, saltem à nativitate ex utero, juxta omnes. Immo probabiliùs ab instanti animationis in utero, juxta *D. Bonav. d.*11. *in Expos. textûs dub.*1. *Gabrielem, Suarez,* & alios passim contra

contra *D. Thom.* & *Vasquez* putantes prolem in utero custodiri ab Angelo matris. Sed doctrinam nostram expressè habet *Elucidarium*, quod vulgò dicitur *Anselmi c.* 54. Deinde causæ specialis custodiæ adsunt ab initio animationis, scilicet animæ dignitas & particularis indigentia distincta ab indigentia matris, immo aliquando opposita, sic ut quod matri est salutare, sit fetui noxium. *Hieronymus* quidem mentionem facit de ipso ortu: sed loquitur de ortu ipsius animæ, sive hominis in utero. Idque etiam indicat ratio *Hieronymi*, scilicet *dignitas animarum*, quæ ex tunc adest. Idem est de homine in statu innocentiæ: nam etiam tunc erat defectibilis, & contra noxia protegendus; accedente præsertim tentatore diabolo, qui ante casum hominis jam corruerat, ideoque ardens invidiâ hominem de gradu quoque suo pellere nitebatur. Quamquam major sit indigêtia angelicæ custodiæ pro statu naturæ lapsæ, utpote infirmioris, & per peccatum plurimùm sanciatæ. Unde etsi malus Angelus nequeat liberum arbitrium cogere, adeò tamen posset inducere & circumvenire, ut nisi haberet contrariam potestatem coercentem, valde pauci essent quos nō dejiceret: ideoque pernecessaria est custodia angelica. Multoque melius est, cum angelico præsidio vincere, quàm (quod plerũque fieret) sine præsidio perdere. Sic ferè ad verbum *D. Bonav. d.* 11. *art.* 1. *q.* 1. Unde mirabiliter elucet dulcedo divinæ misericordiæ, quæ homini lapso sinum aperuit etiam providendo ei contra adversarium de vigili & valentiori custode, ut sic nulla ex parte miseria remaneret humana sine divinæ misericordiæ subsidio, ut rectè *D. Bonav. suprà.*

48. *Usque ad mortem.* Durat verò angelica custodia cōtinuò usque ad mortem, sic ut Angelus custos numquam planè deserat clientem suum quantumlibet peccantem, juxta Theologos cum *D. Thoma*: quamquam ordinariè propter peccata multùm remittat de sua protectione & custodiæ exercitio. Quo sensu explicandus est *Basilius Homil. in Psalmum* 33. ad illa verba: *Immittet Angelus Domini &c.* dicens: *Omni in Christum credenti Angelus assistit, nisi illum à nobis per improbas actiones profugaverimus. Velut enim fumus apes fugat, & fœdus odor columbas expellit; sic Angelū vitæ nostræ custodem abigit multâ lachrymarum aspergine dignum ac graveolens peccatum.* Simili sensu à quibusdam intelligitur illud *Jerem.* 51. velut dictum ab Angelis custodibus: *Curavimus Babylonem, & non est sanata; derelinquamus eam &c.* Ibi Glossa: *Medici sunt Angeli quos à nobis repellimus, dum eorum consilio non acquiescimus.*

Post mortē verò hac custodia cessat. Post mortē nihilominus cessat custodia angelica: quia nec cōvenit in inferno, ut patet: nec utilis est in cælo. In purgatorio quoque nullum est periculum. Deducunt tamen Angeli animas purgandas ad purgatorium; ibique illas visitant, consolantur, & confortant in pœnis: animas autem omnino puras pro triumpho deducunt ad cœlum & offerunt in conspectu Altissimi: ut colligitur ex paupere Lazaro, & supponit Ecclesia in commendationibus animæ, & in officio sepulturæ, in quo canit: *In paradisum deducant te Angeli &c.*

49. *Respicit custodia angelica non solùm privatos, sed etiā communitates.* Denique custodia angelica extendit se non tantùm ad singulos homines, sed etiā ad Regna & Provincias, ut constat ex *Dan.* 10. ubi fit mentio Principis regni Persarum & Græcorum, & populi Israël. Quòd autem ibi dicitur Princeps regni Persarum restitisse alteri Angelo & Michaëli, exponit *Gregorius, Hieronymus* & alii hoc modo, quòd Angelus præpositus regno Persarum (quem tamen nonnulli volūt fuisse malum Angelum; inter quem proinde & bonos Angelos intercessisse seriam pugnam non est mirum) institerit apud Deum pro diuturniori captivitate Judæorum, sive quia id videbatur exigere eorum malitia, sive quia utile foret ad hoc ut plures Persæ ex consuetudine Judæorum cōverterentur ad Deum; è contrà autem alter Angelus cum Daniele, in adjutorium veniente Michaële, deprecatus fuerit pro liberatione Judæorum è captivitate Babylonica. Quod autem ibi de præfatis regnis expressum est, de aliis quoque idem credendum est fieri, immo valde hinc credibile fit etiam Civitatibus, Ecclesiis, Familiis religiosis esse constitutos præsides Angelos. Unde sequitur, capita & superiores Provinciarum & Communitatum, præterquam à suo proprio Angelo tutelari, etiam curari specialiter in iis quæ sunt sui officii ab alio Angelo, saltem ab illo qui præsidet Provinciæ vel Communitati.

50. *Effectus custodiæ angelicæ.* Petes I. Quid in hominibus operetur Angelorum custodia. Resp. partim quòd inde hominibus multa procurentur bona, partim quòd avertantur multa mala corporis & animæ. Procurat autem Angelus bona, præsertim animæ, excitando plerumque invisibiliter intellectum & voluntatem, quatenus excitant aptas species, & bonas inspirationes communicant movendo phantasiam, & bene agendi occasiones subministrant. Offerunt quoque Deo nostras orationes, jungendo suas quatenus nostræ sint efficaciores; immo etiam sine nobis orant pro nobis. Avertunt autem mala corporis, sive alioquin oriunda à causis naturalibus, sive à causis

causis liberis, v.g. ab inimicis aut dæmonibus. Mala quoque animi avertunt præcavendo occasiones peccandi, avertendo malas cogitationes, compescendo dæmones, &c. Subinde etiam per morbos & infortunia nos student corrigere; quin etiam subinde mortem inferunt, ne malitia mutet intellectum. Quæ fusiùs tractata videri possunt apud alios.

51. *Ex felici successu accrescit Angelo gaudium accidentale.* Petes II. An Angeli ex felici successu custodiæ reportent gaudium, vel ex infelici successu detrimentum seu tristitiam? Resp. non crescere quidem ex felici successu gaudium essentiale, cùm sint extra statum meriti: crescere tamen gaudium accidentale; juxta Doctores unanimiter. Et consonat illud *Lucæ* 15. *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*; & consequenter magis erit gaudium super illius salute seu beatitudine. Nec apparet, quomodo ordinata Angelorum custodum charitas posset non erùpere in gaudium ex felici ministerii successu, in quo consistit, seu ex quo sequitur tantum clientum ipsiusque Dei bonum. Ex opposito tamen successu non accipiunt tristitiam vel detrimentum: si quidem negligentiæ in ministrando, & tristitiæ omnis sunt incapaces ob statum beatitudinis: suntque perfectissimè resignati in voluntatem divinam, sine qua, saltem permittente, nil evenire sciunt. Quod autem *Isaiæ* 33. dicitur: *Angeli pacis amarè flebunt*; intellige ad litteram de nuntiis Ezechiæ, q.d. insignes legati mittentur ad Sennacherib seu Assyrios; sed (prô dolor!) redibunt tristes, dicentes non esse spem ullam pacis aut salutis, ut patet *cap.* 36. Ita noster *Sasbouth.* Deinde allegoricè intelligi potest de Apostolis & prædicatoribus, qui *euntes ibant & flebant mittentes semina sua Ps.* 125. Vel anagogicè de Angelis beatis; sed anthropopathon, sicut *Gen.* 6. dicitur Deus *tactus dolore cordis intrinsecus*: quia videlicet sancti Angeli adeò cordi habent custodiam nostri, ut si fieri posset, dolerent de nostro malo. Et fortè in signis & effectibus quandoque se gerunt quasi dolentes. Deinde est in ipsis affectus condolentis misericordiæ sine miseria.

Nulla tamen ex infelici successu tristitia.

QUÆSTIO VIII.

De Ministerio dæmonum, quoad impugnationem hominum.

52. *Præcipuum ministerium dæmonum est, homines tentare.* PROPRIUM & quasi præcipuum ministerium dæmonis est, homines impugnare, & ad peccãdum inducere; adeò ut velut per antonomasiam vocetur tentator. Hâc quoque ratione dicitur *homicida ab initio, Joan.* 8. quia nimirum seducendo spiritualiter occidit Hevam, & per eam Adamum cum posteritate. Et *Joan.* 13. dicitur *diabolus misisse in cor, ut traderet eum Judas.* Et generaliter monet S. Petrus *Ep.* 1. *c.* 5: *Sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Idem exprimit Scriptura alibi frequenter; & unanimiter Patres passim obvii. Estque indubitatum apud omnes Catholicos.

Est autem hoc ministerium ab ipso dæmone tamquam auctore, à Deo verò solùm tamquam permittente, & rectè ordinante, qui novit etiam malis optimè uti. Ex quo apparet discrimen inter ministerium dæmonum & Angelorum: his namque positivè commisit seu mandavit Deus, ut custodiant nos: ipsum quoque ministeriũ Angelorum in se bonum est, & ad rectum finem ab iis ordinatur, ad salutem nempe suorum clientum & gloriam Dei: oppositum autem cernitur in ministerio dæmonum. Unde quod Patres interdum significãt, dæmones à Deo potestatem tentandi accipere, non sic intelligendum est, quasi Deus ipsis positivam licentiam, consilium vel mandatum præbeat; sed partim, quòd Deus ipsis dederit physicam seu naturalem potestãtem (quæ per peccatum non est destructa, & quâ ipsi, Deo nolente, perversè abutuntur) partim quòd perversum illius usum non impediat, justis indubiè de causis; quas subesse sola permittentis sapientia & bonitas persuadet. *Quod solùm permissivè est à Deo.*

Variæ equidẽ ex Patribus allegari possunt rationes. Inter ceteras, hæ, nimirum, ut in nostra infirmitate magis eluceat vis divinæ gratiæ: ut in hominibus crescat occasio merendi, sit major cautela, agnitio propriæ infirmitatis, & necessitatis auxilii divini, sitque frequentior ad Deum auxiliatorem recursus: ut denique in præservatione unius misericordia, in casu alterius judicium Dei eluceat. 53. *Idq; justis de causis.*

Neque iniqua videri debet sors hominis, quòd à fortiori se hoste impugnari permittatur. Nam si consideretur homo adhuc integer, tot erat undequaque præsidiis munitus, hostisque potentia adeò ligata seu diminuta, ut facillimè potuisset tentamenta illius superare. Si autem de homine lapso sit sermo, cùm justè posset illum Deus impugnandum dæmonibus relinquere, solis generalibus auxiliis adjuvando, misericorditer nihilominus de abundantioribus ei providit gratiæ remediis, & de custodia angelica; nec sinit dæmones exercere totam potentiam, sed juxta suavem suæ providẽtiæ modum continet, quantùm opus est. Unde etsi sit inæqualitas penes naturam, non tamen pones

nes pugnam; ut ex Scriptura & Patribus satis colligitur. Unde *Greg.33. Moral.c.14.* in illud : *Job 40. Numquid pones circulum in naribus ejus?* ait : *Circulus ei in naribus ponitur, dum circumductâ protectionis superna fortitudine ejus sagacitas retinetur, ne cōtra infirmitatem hominum tantùm pravaleat, quantùm perditionis argumenta latenter explorat.*

54. Excitantur verò dæmones ad tentandum nos, partim ex malitia odii, ut homines ab obedientia Dei, quē oderunt, avertant: partim ex superbia, quâ diabolus nititur habere suos ministros ad impugnādum, sicut Deus habet suos ad auxiliandum: partim ex invidia erga bonū & salutem nostram: partim ex ipsorum hominum pigritia & ignavia, quibus ad arma cælestia non cōfugientibus, dæmones ad tentandum fortiùs animantur. Nihilominus *divinâ providentiâ agitur, ut utilitati justorum ipsa vetusti adversarii astutia suffragetur*, ait *Greg.33. Moral.c.17.* Sicq; *antiquus hostis occultis Dei dispēsationibus serviens, sanctorum animas ad interitum tētat volens, sed ad regnū tentando servat invitus*, ut ibidem præmittit. Et *dum voluntatem suam implere permittitur, à supernis consilii voluntate ligatur, ut electos Dei volens tentet, & tentando nesciens probet*, ut inquit *c.19.*

Et quàmvis meritò credi possit, omnes concorditer conspirare in Dei malum & hominū exitium, tamen nunc hi, nunc illi ad exequenda consilia prava deputantur. Et quidem ita, ut & unus indeterminatè plures quos potest homines dejicere studeat, & plures frequenter unū. Nam dicitur adversarius circuire quęrēs quē devoret, & alibi dicitur singulis esse colluctatio adversùs principes & potestates &c. Unde etiam plures frequenter obsident eumdē Energumenū, utique ad perdēdum eum. Prout etiam *Matth.12.* dicitur assumere septem alios spiritus secū nequiores se, & inhabitare hominē semel dimissum.

55. *Singulis hominibus probabiliter à Lucifero designatur proprius dæmon tentator.*

An verò singulis hominibus à die nativitatis deputetur à Lucifero proprius dæmon tentator, sicut à Deo singulis deputatur Angelus tutelaris; incertum est. Satis equidem credibile est, quòd sic: tum quia sic censent cum *Magistro & D.Tho.* Scholastici communiter, post *Origenem. Nyssenum* & alios: tum quia id consonat pravæ Luciferi voluntati, qui partim cōtra nos, partim contra Deum militat, & divinitatem ipsam instar simiæ æmulatur: nec est sufficiēs ratio dubitādi de potestate, quantùm ad præsens ministeriū, quod censeri potest permissum sub generali permissione tentandi. Cavendus tamen Gentilium Error, qui cuiq; personæ duplicē genium, bonum scilicet & malum assignabant; sed ita ut tamquam Deos colerent. Ab his, juxta *Petrum Thyraeum l.3. de Spirit. apparit. n.107.* distinguebant Lares, seu Deos domesticos, quos domibus præesse credebant. Nos autem Angelos bonos, cōservos nostros, & Dei ministros, ab ipso deputari sentimus: malos verò spōte suâ venire sive à suis principibus mitti; quibus adeò obsequium præstandum non est, ut contra eos etiam precibus aliisque spiritualibus armis militandum sit, omnisque illorum societas fugienda.

Censent præterea *Origenes, Hieronymus* & alii diversos dæmones sub diversis ducibus deputatos, qui ad diversa vitia ex instituto impellant; v.g. quosdā ad superbiā sub principe seu duce superbiæ, quosdam ad luxuriam sub principe spiritu luxuriæ &c. Quod etsi possibile, nec incredibile sit; tamen incertum est. Nec similis distinctio in sanctis Angelis à Patribus traditur; sed idem Angelus hominem ad quævis bona promovet, & à quibusvis vitiis sine discrimine retrahit: æmulantur autem spiritus tenebrarum in ordinibus & ministeriis suis spiritus lucis.

Dubitatur autem, an omnia omnino peccata hominū sint ex machinatione seu tentatione dæmonum? Ad quod Respondetur, esse quidē radicaliter & mediatè, quatenus ex illa natū est Hevæ peccatum, indeq; ulterius peccatum Adæ, quod est radix ceterorū. Esse præterea indubiè ex dęmonum tentatione immediatè plurima hominum peccata; non tamē omnino omnia, sed quædam sine speciali dæmonum interventu nasci ex libertate, & junctâ carnis corruptione: concupiscentia namq; partim naturâ suâ, partim fortuitis casibus frequenter ab extrinseco concitatur, independenter à quavis operatione dęmonis. Immo interna cogitatio & affectio est ei per se ignota, adeòque prævenire potest scientiam dæmonis, etsi ad tentandum vigilantissimi. Unde ita docent Scholastici communiter post *Chrysostomum* & alios Patres: etsi Nonulli oppositum significare videantur. De quo fusè *Suarez lib 8.c.19.* ubi *n.20.* censet utrumque probabile. 56.

Non omnia hominum peccata sunt immediatè ex dæmonum suggestione.

Dubitatur II. An dæmon tētator semel superatus à victore recedat? Resp. indubiè non sic recedere, quin sive alium sive etiam eumdē hominem, in quovis genere vitii, cujus se occasio obtulerit, possit iterum tentare: nam *antiquus hostis, quò valētiùs vincitur, eò adhuc ad insidias ardentiùs instigatur*, inquit *Greg.3. Moral.c.8.* Et ut loquitur *Cypr. Ep 6. Fortiorē magis aggreditur, & acrior factus, hoc ipso quòd victus est, superantē superare conatur.* Unde *Matt.12.* dęmon superatus dicebat: *revertar in domū meā, unde exivi.* Idē patet ex historia Job. 57.

Tentator semel devictus potest reverti ad tentandum,

Nihilominus post obtētam ab homine de tota aliqua machinatione pluribus insultibus cōstante victoriam, dæmon recedere solet ad tempus, juxta *D. Thomam*

Et si solent ad tempus recedat e.

q.114.

q. 114. *art.* 5. & alios Theologos. Et consonat Scriptura *Jacobi* 4. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Et *Luc.* 4. ubi refertur, quòd *consummata omni tentatione, diabolus recessit ab eo*, Christo, *usque ad tempus.* Deus namque, sive in præmium prioris côstantiæ, sive ut humana infirmitas paululum sublevetur, id suaviter providere solet; etsi non necessariò, sed id pendet ex suæ sapientiæ consilio, & voluntatis beneplacito. Huc etiam facit superbia ipsius dæmonis, partim quatenus eum pudet amissæ victoriæ, partim quatenus pro tempore spe fructûs mali privatur, partim quatenus timet côtra intentum suum têtatione augere tentati fructum in meritis & virtutibus, atque adeò ad resistendum reddere fortiorem. Unde *Ambros. lib.* 4. *in Lucam*, ait: *Instare formidat, quia refugit frequentius triumphari.* Immo ex astutia subinde cessat, ut hominem securiorem redditum faciliùs expugnet; ut indicatur *Matth.* 12.

58. *Impugnat hominem partim exterius, partim interius.* Dubitatur III. Quibus modis soleat dæmon hominem tentando impugnare? Resp. ipsum id facere, primò exteriùs, incitâdo hominem ad malû per externa signa vel effecta; idq; sive offerendo exterius objecta sensibilia ad malû incitantia, sive per se aut alias causas efficiendo ea, quæ occasionaliter trahunt ad aliquod genus peccati, sive denique exteriùs sub diversis figuris apparendo & loquendo. Secundò interiùs, ingerêdo pravas suggestiones seu cogitationes per concitationem phâtasiæ & humorum. Non côsmovet autem phantasiam ipsam directè, ei imprimêdo simulacra seu species phantasticas, prout sensus externus relinquit formarum sensibilium vestigia; sed tantùm indirectè, movendo variè humores, & spiritus animales, qui sunt quasi vehicula phantasmatû, & quorum agitatione excitari phantasmata manifestè constat ex somniis, ac phreneticorum, ebriosorum, & amentium deliriis. Multò minùs potest immediatè movere ipsam animâ rationalem; quod solius Dei est. Neque enim potest excitare intellectum hominis loquendo cum eo spirituali modo; cùm homo incapax sit hujusmodi spiritualium impressionum, nisi divinitùs elevetur, ut cônaturalem agendi modum transcendat. Similiter voluntatem solùm impellere potest suadendo, aut per sympathiam ex commotione passionum in appetitu sensitivo.

59. *Nequit decipere per patratione miraculorum.* Dubitatur IV. An possint dæmones hominem ad malum inducere etiâ per vera miracula? Resp. Neg. cum *D. Bonavent. D. Thoma* & aliis unanimiter. Ratio est: quia verum miraculum est opus superans vires universæ naturæ creatæ; juxta receptam apud omnes miraculi notionê: adeòq; non possût dæmones illa facere propriâ virtute: certû autê est, neq; Deû virtutê supernaturalem iis côcedere ad ejusmodi opus. Idq; adhuc multò certiùs, quàdo ista signa fierent ad robur aut confirmationem falsitatis; ne ipse Deus quodâmodo homines in errorem adducere seu cogere cêseatur.

Faciunt nihilominus mira quædâ, quæ virtutem hominum excedû; etiam interdum verè, seu non imaginariè: ut patet ex historia Job, & nonnullis quæ fecerût per Magos Ægypti. Quàmvis etiam plura faciât per prçstigias oculorû aut illusionem phantasiæ. Neque ênim potestatê habent transmutandi corpora humana in lupos, aves &c. Unde lycantropos verè non habet formâ lupi, sed eam se habere imaginatur; uti & facere ea, quæ vel per ipsum dæmones faciunt, vel ipse se facere imaginatur, v.g. dum putat se vorare & sapere corpus humanum &c. Prout etiam in jure Canonico c. *Episcopi* 26. q. 5. ex Concilio Ancytano refertur & dânatur, quòd *quædam scelerata mulieres retro post satanâ conversa, dæmonû illusionibus & phâtasmatibus seducta, credunt & profitetur se nocturnis horis cum Diana Dea paganorû, vel cum Herodiade & innumerâ multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spatia intempesta noctis silêtio pertransire, ejusq; jussionibus velut dominæ obedire, & certis noctibus ad ejus servitiû evocari.*

Est itaq; differentia inter miracula divina & diabolica. *Differentia inter miracula divina & diabolica.* Primò ex parte operis, quòd divina superêt vires totius creaturæ, non diabolica. Secundò ex parte operâtis, quòd illorû auctor sit Deus, horum verò diabolus. Tertiò ex parte utilitatis, quòd miracula divina semper sint ad utilitatem Ecclesiæ, vel privatorû, v.g. augêdam aut confirmâdam fidem, sanationem infirmorû &c. vel ad demonstrandam divinâ justitiâ, v.g. in miraculosâ malorum punitione. At signa dçmonum sunt ad solam vanitatê & curiositatem, v.g. volitare per aërê, latrare fictiles canes, excelsos saltare môtes &c. Quartò ratione finis, quia divinâ fiunt ad gloriam Dei, diabolica ad gloriam seu commodum proprium, vel ad fraudem ex intentione facientis, scilicet dæmonis. Vide *D. Bonaventur.* 2. *d* 7. *p.* 2. *art.* 2. *ad* 9. Quocirca miracula Antichristi dicuntur signa mendacia 2. *ad Thess.* 2. utpote patrâda ad fallêdas & illaqueâdas animas. Nulla tamen, etiam non superâtia vires naturæ angelicæ facit umquam dæmon per se aut sua instrumenta ad côfirmationem falsitatis, quin eorum mêdacitas & latens dolus queat deprehendi ex subjecta materia aut aliis circumstantiis. *Unde* (inquit *D. Bonav. sup.*) *Deus temperat potentiam & astutiam diabolicam, ut sic patiatur eû perversè imitari, ut in ipsa imitatione possint seducere malos juxta eorum merita mala, possint etiam deprehendi à bonis.*

Dubitatur V. An vel qualiter potestas dæmonum quoad tentandum sit ligata? 60. *Dæmonis potestas ad tentandum qualiter sit ligata?* Resp. eatenus ligari dæmonis potestatem, quate-

quatenus non permittitur tentare seu nocere quantùm potest. Non enim tam liberè permittitur debacchari, regulariter loquẽdo, tempore legis gratię, sicut antè, vel sicut circa finem mundi, quando solvendus dicitur satanas *Apoc.* 20. Unde *Greg.* 33. *moral. c.* 12. rectè declarat dæmonem nunc dici ligatum, *quia potentiâ divinæ dispositionis adstringitur, ne in quantum nocere valet, efferetur*; alio autem tempore dici, solvendum, quia *suis viribus traditus* seu permissivè relictus, *in multa contra nos virtute laxatur.* Quare passim non exercet tantam tyrannidem in baptizatos fideles, quantam in Ethnicos aut alios incredulos; uti sæpè extraordinaria ac sensibilia tyrannidis iis in locis & personis exercitæ signa declarant. Et quamquam dæmones majori rabie adversùs Dei famulos insurgere conentur, Deus tamen id Ordinariè non permittit, aut certè majoritate auxilii gravitatem tentationis compensat. Potest nihilominus Deus pro altitudine sui consilii permittere, ut aliquis sub lege gratiæ vel baptizatus, acriùs, frequentiùs &c. tentetur, quàm aliquis ante illam legem vel non baptizatus. Generaliter tamen nequit diabolus extraordinarios & prodigiosos tentandi modos adhibere, vi cõmunis permissionis tentandi, absq; speciali permissione Dei pro quolibet casu; uti nec alia nocumẽta inferre, de quibus statim.

QUÆSTIO IX.

De Ministerio dæmonum in punitionibus & afflictionibus hominum.

61. *Varia dæmones inferunt hominibus nocumenta instar pœnarum.* ALTERUM ministerium dæmonum est, quòd inferant hominibus nocumenta etiam corporalia, idq; sive per se, sive per malos homines. Primò quidem, velut ministri divinæ justitiæ, per modũ punitionis justæ ob peccata commissa, juxta Doctores unanimiter post *Chrysostomum* & alios Patres. Etsi enim interdum per bonos Angelos vindictam etiam in hac vita Deus exequatur; ut patet in bonis Angelis sub versoribus Sodomæ, in Angelo qui percussit castra Sennacherib, in Angelo qui extenderat manum suam super Ierusalem, ut disperderet eam; ordinariè tamen id facit per Angelos malos. De quibus simpliciùs & veriùs cum *Hieronymo & Augustino* intelligitur illud *Ps.* 77. *Misit in eos iram indignationis suæ, immissiones per Angelos malos.* Etsi Quidam putẽt Angelos bonos ibi dici malos propter mala quæ inferunt, justè tamen. Additque *Hieronymus* spiritum Domini malum, qui vexabat Saul, fuisse è dæmonibus, qui tamen dicitur Domini, quia est ejus minister. Unde *Greg.* 18. *moral. c.* 2: *Dicitur spiritus malus per nequissimam voluntatẽ, & idem spiritus Domini per acceptam justissimam potestatem.* Immo omnes pœnas & afflictiones externas, & adversitates temporales inferri per dæmones, est Sententia *Beda* & aliorum Patrum apud *Suarez l.* 8. *c.* 21. *n.* 10. & 11. Quæ tamẽ Doctrina intelligenda est de eo, quod ordinariè fit, seu cum aliqua exceptione. Potestq; ministerium hoc esse à Deo, non tantùm permittente, sed etiam jubente, quando videlicet est circa malum purè pœnale, quod dæmon per se vel creaturam irrationalẽ (prout per leonẽ aliundè adductum occidit Prophetã inobedientem 3. *Reg.* 13.) infert tamquam tortor, auctoritate supremi judicis: quantumvis per accidens ex pravitate exequentis adjungatur malitia, quam Deus impedire non tenetur, v. g. quòd dæmon semper id agat ex odio erga hominẽ, vel dolens quòd Deo obedire cogatur, aut quòd actio ista cedat in gloriã Dei. Quo casu ipse Deus potest cẽseri propriè causa principalis actionis externę: sicut judex est occisionis rei, etsi minister justitiæ malâ voluntate ex odio in reum sententiam exequatur. Attamẽ potestate ad punitionem præfato modo inferendã acceptã, dæmon contra voluntatem Dei, eo tamen permittente, frequẽter abutitur; exequẽdo illam per homines malos (quò licentia positiva se non extendebat) quos excitat ad occidendum vel aliter affligendũ alios: sicq; est moralis auctor istius novæ, tum culpæ malorum hominum, tum pœnę illorum, qui affliguntur. Estq; hoc ministerium tantùm permissivè à Deo, etsi permissioni ipsi adjungat positivam approbationẽ, quã actionẽ, quatenus afflictivam, ordinat in pœnam peccatorũ ejus, qui affligitur. Idẽst quando pœna ipsa intrinsecè similem inductionem includit; ut cõtingit quando tentatio ad novum peccatum est pœna prioris peccati; hæc enim tantùm est à Deo permissivè. *Quæ Deus frequenter potest non solùm permittere, sed etiam jubere.*

62. *Inferunt quoque afflictiones non punitivas.* Secundò infert dæmon nocumenta, & affligit homines, non propriè ad puniendũ, sed ad inducendum illos in peccata v. g. blasphemiæ, abnegationis Dei &c. Tali intentione afflixit Iob, totque alios, præsertim bonos, ut ex historiis Ecclesiasticis est manifestum. Estque hæc facultas, suppositã naturali nocendi potestate, solùm permissivè à Deo, uti ipsa facultas tentandi, ad quam reducitur.

Si autem quæratur, an potuerit Deus, saltem supposito peccato originali, dare dæmoni positivam licentiam, immo mandatum inferendi mala corporalia Iobo aliisve justis, quibus exerceantur & probentur? Resp. videtur, quòd sic: potuisset enim Deus ipse per se, aut per Angelos bonos inferre ejusmodi pœnas probativas; quidni ergo similiter per Angelos malos? sicut etiam potest in pœnis merè vindicativis. Hoc enim ipso, quòd Deus præcipit, sive tamquã judex, sive tamquam supremus Dominus, dat ministro jus nocendi; qui proinde per se loquendo licitè nocere posset: esto ex obstinatione sua actum sibi præceptum pravo *Quæ si merè probativæ sint, posse esse à Deo positivè.*

 fine

Etsi de facto sola interveniat divina permissio, fine inficiat. De facto tamen sola intervenit divina permissio: tum quia id magis est consonum suavi & clementi providentiæ divinæ. & ad finem ejusdem sufficit, cùm dæmon ex se nocendi cupidissimus sit: tum quia ejusmodi afflictiones permittuntur dæmonibus tamquā media inducendi homines ad peccatū, ut videre est in Iob: sub ea autē ratione nō nisi permissivè à Deo esse possunt; qui tamē approbat effectū illorū, & ordinat ad exercitiū virtutis, v.g. patiētiæ, humilitatis &c. Vide *Suarez sup. n. 9.*

63. *Sicut qua, eád; specialis nequeunt extraordinaria nocumenta inferre,* Circa specialia verò nocumenta in rebus externis vel personis notandum est, quòd etiamsi tantùm ad tentandum homines, seu eos à Deo avertendos assumantur, non cēseantur tamen permissa in generali permissione tentandi, sed requiratur specialis permissio Dei pro quolibet casu. Ut patet exemplo Jobi, *c. 1. & 2. Job;* & porcorum, in terra Gerasenorum, *Matth. 8.* Et tradit *Augustinus* variis locis. Unde non potest pro libitu homines occidere, corpora obsidere, rebus naturalibus pro suo arbitratu uti, & per illas nocere: numquam enim generalem ei Deus potestatem fecit, sed naturalē ejus potentiam ligavit, ne per se pro libitu noceat: id exigente bono generis humani & Ecclesiæ. Quare nec per striges seu maleficas id generaliter potest; si hę non adhibeāt res naturaliter nocivas: etsi tunc faciliùs cōcedat Deus specialem permissionem, ob aliqualem, quæ intervenit, hominis cooperatione. At quando striges ipsę adhibent causas naturaliter noxias, v. g. venenosas (etsi illarum vim didicerint à dæmonibus) earū usu, & efficaciā naturali possunt nocere pro libitu, nisi Deus per se vel per bonos Angelos specialiter impediat: hominibus enim in hac vita reliquit Deus liberam potestatē utēdi, sive bene sive malè, rebus naturalibus.

64. *Adeò ut in homines major malorum hominum, quàm dæmonum sit potestas.* Ex quo patet majorem esse potestatē malorum hominū in homines, sive bonos sive malos, quàm dæmonum; contra quorū potentiam nemo alioquin se posset defendere. Unde etiam tyranni pro arbitrio affligūt aut necant bonos homines. Et quidē major est illis potestas, dum agunt actione liberā, seu per instrumentum jugiter subjacens libertati & agenti conjunctū, quàm per agēs naturale. Et ob hoc nullus martyrū actionē vibratam gladii evasit. Vel fortè etiam ideo, quòd gladius sit instrumentum & signum principale ac ordinarium executionis judiciariæ potestatis; quam Deus, à quo omnis potestas, nullatenus impedire decrevit. At plurimi leguntur non læsi ab igne, bestiis, veneno, mari &c. etsi è contra plerumque contigerit; ut in illis ostenderetur veritas Doctrinæ, in his compleretur numerus & meritum martyrii.

Cur nemo martyrum actionem vibratam gladii evaserit

65. Varia porrò sunt nocumenta, quæ dæmones per se, aut per sibi devotos Magos & maleficas hominibus intentant. Quędā enim respiciunt bona externa, v.g. domos, fructus, animalia &c. quædā verò ipsa corpora, eorumq; sanitatem. Et quidem interdum invadunt seu ingrediuntur corpora, eaq; obsident, ita permittente Deo, sive ad gloriæ suæ ostensionem, dum postea mirabiliter expelluntur, sive ad peccati proprii vel alieni, interdum etiam levis (ut habet *Felisius d. 8. c. 5. Petrus Thyræus de dæmoniacis c. 30.*) punitionem, sive ad ipsius peccantis correctionē, ut carne afflictā spiritus salvus fiat, sive ad nostram eruditionem, ut rectè *D. Bonav. d. 8. p. 2. a. 1. q. 1.* De causis ob quas homines à dæmone possideantur quantùm ad corpus, fusè tractat *Petrus Thyræus sup. c. 29. & tribus seqq.* Ut autem aliquis à dæmone obsessus dicatur, requiritur ut dēmō in corpore ipsius latibulum seu sedē suam figat, & potestatem habeat in eodem sæviendi, sive ipsum molestiā afficiēdi. Unde facilè patet, cur Job aliique Sancti à dæmone multa etiam in corpore passi, non fuerint ab eo obsessi. Cur item obnoxii peccato originali aut mortali, hæretici, sagæ, divinatores, non sint eo ipso obsessi seu energumeni: quamquam non repugnet hos quādoq; verè obsessos esse; prout erat puella habens spiritum pythonem, & magnum quæstum dominis suis divinando faciens, à qua Apostolus spiritum ejecit, ut refertur *Act. 16.* de his fusè *Thyræus sup. c. 18. & seqq.* *Obsident dæmones interdum corpora,*

Solent autem dæmones diversis viis & modis ingredi ipsa corpora, eaque subinde tota occupant, subinde aliquam tantùm partem, eamque variam. Exhibent etiam se non rarò in specie vilis animalculi, v.g. muscæ, araneæ &c. sive cui assistunt, sive quod assumunt, frequenter etiam Deo cogente. *Eaq; diversimodè ingrediuntur.*

Signa obsessionis varia referuntur in *Manuali Exorcismorum* (quod edidit *Maximilianus ab Eynatten* & probarunt, tū aliquot Belgii Episcopi, nominatim *Joannes Malderus* Episcopus Antverpiensis, tum alii docti viri) in instructionibus præambulis, & à *Thyræo sup. c. 22.* usque ad 27. Quę diligenter attendenda sunt, adhibito etiam peritorum consilio, ne in re tā ardua & fallaciis exposità temerè præcipitetur sententia. Plurimi enim mecum experientiā didicerūt, quantæ frequenter subsint falsitates, partim ex dolo, partim ex ignorantia, fortibusq; phantasiæ impressionibus, quæ potissimùm in mulieribus natæ sunt subesse. Indeq; Exorcismi sine discrimine & discretione adhibiti exponuntur ludibrio hereticorū, immo & nasutorum quorumdam ceteroqui Catholicorum: cùm tamen effugatio dęmonū per Exorcismos aliave pietatis remedia sit non postrema veræ fidei nota: nam *signa eos qui crediderint hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient*; inquit Christus *Marci 16.* Competitq; signum hoc Ecclesiæ Catholicæ manifestius, quàm ut hæretici negare queant. Unde & ipsi experimentū quādoq; sumere 66. *Quamvis non facilè fides adhibenda, sed signa obsessionis inspicienda sint.*

sumere tentarunt dæmonem expellendi; sed quàm inaniter, patuit in *Luthero* qui præsidenter ex pulsioni dæmonis se immiscens, parum absuit ut ab eodem suffocaretur, teste *Florimundo Remundo l.3.c.11.* & aliis Historicis. Idem apparuit in recentiori exemplo, quod contigit Hoornæ Frisiæ Occidẽtalis Metropoli Anno 1627. & ex authenticis instrumentis nobis cõstat. Quidam namq; Petrus Joannis miles (ut vocãt) Geusius à dęmone possessus, & per virum venerabilem P. Jacobũ Tyras Minoritam, cum beneplacito Consulũ hæreticorum, & ad requisitionem Secretarii Oppidi, post conversionem ad fidem exorcizatus, ac in præsentia plurimorum liberatus fuit, V. Sacramento gutturi superposito, ipsáq; domo tremore concussâ, adeò ut universi hæretici vicini in plateas prosilirent clamantes: *Jam liberatur, quia domus contremiscit.* Contigit autem afflictum visitari à Ministello hæretico, quẽ dæmonium sic invasit, tantoque terrore affecit, ut exitum & ostium cubiculi invenire non posset; tandemque irridendo clamavit: *Secti sumus, non est nobis lis.* Quocirca ad calumnias se solent convertere, insistẽdo vestigiis Judæorum Christo obtrectantium: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Quemadmodum & Ministelli hęretici in effugationem dęmonis mox præmissam acriter pro concione invecti sunt, inclamantes Minoritã esse Necromanticũ, dæmonũ effugatorẽ.

Quæ varia sunt. Itaq; pro efformando prudenti judicio indaganda in primis est obsessionis origo, ingrediendi modus, & maximè ipsius ingressûs effectus & signa. Cujusmodi sunt, absente miraculi divini suspicione, subita notitia linguę peregrinę, artis legendi aut similis, locutio de rebus sublimibus quas afflictus numquam didicit; notitia absentium, revelatio occultorũ, operationes & vires hominem excedentes. Item quòd afflictus non patiatur reliquias sacras, nomina Sanctorũ, & potissimùm Iesu ac SS. Trinitatis, exorcismos &c. prȩsertim quãdo ipso humanitùs inscio adhibentur. Itẽ si prohibeatur omnino loqui, vel sancta nomina proferre, confiteri, communicare &c. His accedunt indicia, quæ ex subita mutatione statûs corporis, vultûs, morũ, vel ex modo afflictionis externę prudenter desumi possunt. Faciliùs autem fertur de obsessione judicium, quando omnia vel præcipua ex allegatis signa concurrũt: prout concurrebant in memorato exemplo. Energumenus enim latino idiomate, quod numquam didicerat, promptè utebatur, absentia & occulta revelabat, sex hebdomadibus à cibo abstinuerat, & (ut pluralia omittã) quo die spiritus nefarius cum fœtore intolerabili erumpens eũ dereliquit, facies ejus quasi leonis apparebat.

Signa simplicis maleficii seu veneficii nõ sunt tam manifesta quàm possessionis. Assignantur autẽ inter cetera, morbus etiã medicis ignotus, vel ordinariam morborum methodum non servans, corrosio vel constrictio cordis, ejusdem vel aliarum partium punctura quasi aciculis inflicta, extenuatio membrorum extraordinaria cum summo languore, & similia, dum illorum neque naturalis causa, neque remediũ naturale reperitur: præsertim si & ipsi Medici (qui rarissimè judicant aliquem veneficio infectum) censeant, aut suspicentur non esse quid naturale, vel si ex circumstantiis præcedentibus indiciũ de causa mali inflicti sumi possit. Circa quæ valde cautè procedendum. Nec facilè credendum, esse maleficia hominum vel peccorum, dum urgens ratio non cogit ita judicare. Quare excludenda est simpliciorum apprehensio, qui ad quamvis infirmitatem, præsertim animalium, mox putant subesse maleficium, & ad exorcismos (qui alioquin nocere non possent, etsi nil mali subesset, in omnem fortè eventum adhibiti) recurrunt; & (quod pejus) facilè in sinistras suspiciones ac detractiones de determinatis personis sese exonerant: quibus (quod pessimum) ipsi Exorcistæ quandoq; facem suâ imprudẽtiã prębẽt, quos corripere deberẽt. Quare desideranda est in exorcistis tũ doctrina, tum discretio: quæ utraq; interdũ deest, abũdante zelo non secundùm scientiam. 67. *Vis & varia signa maleficii.*

Exorcista in primis curare debet, ut sit præditus vivâ fide & fiduciâ in Deum & Christum, ac purâ conscĩetiâ, humilitate, jejunio & oratione instructus, non lucri temporalis, sed animarũ cupidus; solâ necessitatis vel charitatis causâ rem hanc arduam assumat. Quare non existimet in vocis contentione, aut passionũ vel affectuum suorum excitatione (quibus aliqui se frustrà fatigant) vim exorcismi consistere; sed in excitatione fidei, spei, charitatis, & devotionis in Deum præcipuè sit elaborandum. Attendat quoque, ne exorcismos adhibeat de superstitione suspectos, cõtra vel præter morẽ Ecclesiæ aut Manualium legitimè admissorũ seu probatorum: prout, proh dolor! non rarò contingit. Et quidem noster *Felsius d.8.c.10. in fine* testatur se vidisse plus minus duodecim exorcismos, tam verborum diversitate, quàm sententiarum contrarietate, superstitionumque multiplicitate distinctos. Porrò Nonnulli superstitionem sapientes eò magis sunt de eadem suspecti, quòd indiscreti exorcistę maximam in iis vim ponant; quasi verò certa verborũ aut nominum forma, ordo, numerus, & non magis fiducia in Deum, ejusq; digitus seu pu- 68. *Quæ sint observanda Exorcistæ.*

potestas Ecclesiæ cōmunicata sit attendenda. Quocirca si probatis, præsertim ab Ecclesia Romana in ejusdem Rituali exorcismis, precibus, aliisq; salutaribus remediis maleficiū non solvatur (non solvitur autem infallibiliter, vel ex opere operato) patientia habenda est; nec ea tentanda, de quibus meritò creditur aut timetur, quòd diabolus se immisceat, & quasi compulsus per exorcismos cedat, ut incautos laqueis suarum superstitionum innectat. Videndum proinde est Rituale Romanū, Pastorale diœcesanū, Manuale sup. citatum, Sacerdotale Romanū, & quę hinc desumpsit *Felsius sup. c. 12. & seqq.*

69. *Quæ ipsi exorcizandi.* Denique exorcizandus primò mundet conscientiam suam ab omni inquinamento, etiam occulto, quod frequenter est causa mali, vel cur perseveret: sæpè confiteatur, communicet, oret, jejunet, signum crucis, aquam benedictam, reliquias probatas, agnos Dei, aliaq; sacra annuleta usurpet; sollicitèque in his vel aliis ab omni superstitione, etiam internâ, sibi caveat; & si ob imperitiam de illa sit periculum, bene instruatur. Caveat sibi ab ariolis, & id genus diabolicis instrumentis. Fidem ac fiduciam io Deum excitet; nec ob moram sanationis animo despondeat, paratus tamen se resignare in manus Dei, si mediis licitis adhibitis malum non cesset, & confidens se abundantiorem post hanc vitam mercedem recepturum. Juvat etiam non rarò Sanctorum peculiarium cultus, vota, peregrinatio.

DISPUTATIO V.

De Statu gratiæ & peccati Angelorum.

QUÆSTIO I.

Quibus donis instructi fuerint Angeli creati?

1. *Angeli sunt conditi ad supernaturalem beatitudinem.* CErtum est Angelos ex divino beneplacito non minùs quàm homines fuisse conditos ad Deo beatè fruendum: uti certum est bonos Angelos de facto beatè Deo frui. Ad hunc autem finem per merita & actus supernaturales consequendum, Angelos indiguisse gratiâ supernaturali, uti homines, omnes docent, & consentiunt Patres apud *Suarez l. 5. c. 1.* Patetque ex ipsâ supernaturalitate actuū, ad quos improportionatæ sunt vires Angeli sibi relictæ, utpote naturales.

Quæ tamen non est eis concreata, DICO I. Angeli oon sunt creati io gloria seu beatitudine cælesti. Est certum apud Theologos & Patres, quorum testimonia vide apud *Suarez sup. c. 2.* Patet etiam exemplo hominis integri, qui oon fuit conditus in beatitudine cælesti. Præterea beatitudo ex sua conditione est inamissibilis, nec consistit cum peccato, & tamen constat, non omnes Angelos de facto esse beatos, item multos peccasse.

2. Nec obstant aliqui Patres docentes Angelos accepisse in sua creatione beatitudinis donum, ut loquitur *Fulgentius l. de fide ad Petrum c. 3.* item fuisse in gloria conditos, ut loquitur *Bernardus ser. 7. in Psalmum Qui habitat,* item dæmones fuisse beatos antequam caderent, ut loquitur *Augustinus l. de correptione & gratia c. 10.* Denique sanctos Angelos numquam fuisse peregrinatos, ut ait idē *Aug. 11. de Civit. c. 9.* Non obstat inquam: nam Patres loquuntur de beatitudine inchoata & hujus viæ, ut explicat ipse *Aug. l. de corrept. & gratia c. 10.* & alibi. Qui consequenter non negat sanctos Angelos aliquando fuisse viatores; sed numquam fuisse peregrinatos instar exulum per peccatum, uti homo per illud factus peregrinus & exul; eò quòd sancti Angeli oumquam deflexerint ab amore Dei, ut docet *12. de Civit. c. 9.* Adde viā eorū fuisse admodū brevē, & jugiter in cælo Empyreo quasi domi seu in patria perfecti. *Sed quadam inchoata beatitudo viæ,*

3. Non obstat etiam, quòd *Augustinus l. 4. de Gen. ad litt. c. 22. & seqq.* & *11. de Civit. c. 7. & 29.* adscribat Angelis ab initio creationis duplicem cognitionem; matutinam seu diurnam, Verbi scilicet ac rerum in Verbo, & vespertinam, rerum scilicet io se ipsis; hancque dicat alterâ posteriorem: ex hoc autem sequi videatur, ipsos ab initio creationis fuisse præditos visione beatificâ Verbi. Non obstat, inquam: nam (ut rectè notarunt *D. Thomas, Scotus* & alii Scholastici) *Augustinus* tribuit Angelis duplicem cognitionem matutinam sive diurnam; unam viæ, & imperfectam, quæ competiit illis ab initio creationis, estque prior cognitione viæ vespertinâ, non quidem tempore, sed dignitate; cùm juxta S. Doctorem utraque fuerit ab initio, & simul, uti & simultanea juxta ipsum fuit rerum mundanarum creatio, de quo *disp. seq. q. 1.* Et de hac loquitur *l. 4. de Gen. ad litt. c. 22. & seqq. & c. 31.* Aliam verò patriæ, perfectam scilicet & beatificam, quæ phrasi Augustinianâ dici potest meridiana, & successit cognitioni viæ tam matutinæ quàm vespertinæ. Et de ea agit suprà *c. 30.* & *11. de Civit. c. 29.* Non tamen facit eam ibidem vel alibi Angelis coævam; sed ex mente ejusdem *Augustini* posterioremp tempore fuisse, patet ex ipsomet *l. de corrept. & gratia c. 10.* ubi docet Angelis ab initio defuisse perfectam beatitudinem, quæ consistit in notitia per speciem, seu visione & amore consequente. *Et cognitio matutina imperfecta.*

Videri

Videri etiam potest *l. 11. de Civit. c. 11. & duobus seqq.* Sanè nemo Angelorum excidisset per peccatū à beatitudine, si illā in visione & fruitione perfectā consistentem singuli ab initio habuissent. Competiit itaque sola beatitudo imperfecta & inchoata, etiam iis qui postea lapsi sunt, juxta *Aug. l. de corrept. & gratia c. 10.* dicentem: *Diabolus verò & Angeli ejus etsi beati essent antequam caderent &c.*

4. *Omnes ante lapsum habuerunt gratiam sanctificantem.* DICO II. Omnes Angeli ante lapsum habuerunt gratiam sanctificantem, immo in ea fuerunt ab initio creati. Conclusio videtur probabilior & dictis Sanctorum magis consona, ut censet *D. Th. q. 62. a. 3.* & sequuntur alii communiùs contra *Magistrum, Rupertum, Richardum* & plures alios. *Alensis* autem & *D. Bonav.* sunt ferè problematici, etsi magis in oppositū Conclusionis propendeant; veluti quod communiter tenebant tunc Doctores, ut testatur *D. Bonav. d. 4. a. 1. q. 2. in corp.*

Colligitur ex Scriptura *Ezech. 28. Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, & perfectus decore, in deliciis Paradisi Dei fuisti &c. perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Qui locus litteraliter agens de Rege Tyri, allegoricè intelligitur de Lucifero, nec tantùm de excellentia naturali, sed etiam supernaturali illius, in qua à Deo conditus sit; ut Patres & Doctores exponunt. Huc etiam facit illud Judæ Apostoli *in sua Canonica: Angelos verò qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium.* Favet etiam illud *Joan 8. In veritate non stetit*, id est, non permansit. Quàmvis per veritatem ibi posset intelligi veracitas, & aliquando in veritate non stetisse dicatur, qui numquam in illa fuit; sicut *Ps. 1.* de justo dicitur: *In via peccatorum non stetit.*

5. Conclusioni præterea plurimùm favent testimonia Patrum in obvio sensu intellecta: etsi aliqualiter explicari possent, & explicare conetur. *D. Bonav. sup. ad 1. 2. & 3.* Sic *Basilius* in illud *Psalmi 32. Verbo Domini cæli firmati sunt*, ait: *Angelos, ut essent, Verbum opifex condidit, sanctificationem verò simul impendit ipsis Spiritus sanctus: non enim in infantili statura sunt creati, deinde paulatim exercitati atque perfecti, sic Spiritus susceptione digni sunt habiti, sed in prima constitutione & quasi quadam conspersione sua substantia simul insitam habuerunt sanctitatem.* Et *Augustinus 12. de civit. c. 9.* dicit, quòd Deus Angelos *cum amore casto, quo illi adhærerent, creavit, simul in eis & condens naturam & largiens gratiam. Unde sine bona voluntate, hoc est, Dei amore, numquam sanctos Angelos fuisse, credendum est.* Item *l. 11. c. 11. Nullo modo secundùm aliquod temporis spatium priùs erant illi spiritus tenebræ, quos Angelos dicimus: sed simul ut facti sunt, lux facti sunt &c.* Unde dum alibi asserit Angelos priùs creatos esse informes, id est sine gratiæ formatione, loquitur de prioritate naturæ (de qua prioritate etiam intelligitur, quòd materia fit priùs informis creata, ut indicat *l. 1. de Gen. ad litt. c. 15.*) aut si loquatur de prioritate temporis, facienda est comparatio ad formationem gloriæ. Idem significant Patres *præc. Conclus.* citati, dum docent Angelos esse creatos in gloria, & beatitudine. Confirmatur ex *Trid. sess. 5. can. 1.* ubi docet primū hominem à Deo in justitia & sanctitate fuisse constitutū; ergo à pari aut fortiori idē sentiendū est de Angelis.

Ex prædictis autem non solùm habetur, Angelos fuisse præditos gratiā ante lapsum, sed etiam in ipsa gratia fuisse conditos; ut aliquæ Auctoritates satis expressè asserunt, aliæ insinuant. Accedit ratio: tum quia nulla erat causa differendi collationem, sive auxiliorum, sive gratiæ sanctificantis: tum quia omnino congruebat, ut Deus Angelos ad finem supernaturalem condendos instrueret mediis ad finē proportionatis. Deus enim (ut notat *D. Th. q. 62. a. 3.*) ab initio indidit rebus rationes seminales ad finem suum proportionatas; semen autē futuræ gloriæ seu finis supernaturalis est gratia, quā proinde ab initio ortus Angeli in se habuere. 6. *Eamq; sibi concreatam.*

Nec obstat quòd Joannes Papa cap. *visis litteris 16. q. 2.* dicat de diabolo: *dolet satis & erubescit, charitatem, quam in cælo nequivit habere, homines constantes ex lutea materia tenere in terra.* Nam, ut omittam Pontificē nō loqui definitivè, sed ex propria sententia, preterea in nonnullis Codicibus legi in præsenti *nequit*: sensus verborum est, quòd diabolus charitatem in cælo nequiverit retinere, sive habere perseveranter, etsi culpā suā; potuisset enim si voluisset, juxta *Gregorium* & alios Patres. 7.

Non obstat etiam quòd *Greg. 32. moral. c. 25.* videatur docere diabolum non fuisse in gratia creatum, dicens: *Hujus ergo lapidis in die conditionis foramina præparata sunt, quia videlicet capax charitatis est conditus, quā si repleri voluisset, stantibus Angelis tamquam positis in Regis ornamento lapidibus potuisset inhærere.* Nam vult Angelum, etsi in charitate conditum, hoc ipso quo lapis fuit pretiosus, potuisse eā repleri, scilicet perseveranti, & consummatā seu confirmatā charitate. Filo namque perseverantis charitatis in merito boni operis debebat inseri lapis iste regis ornamento, ad quod foramina parata erant; sed neglexit. Alioquin cha-

charitatem ipsum habuisse, & quidem excellentissimam, *Gregorius ibid.* satis expresse tradidit.

8. *Dependenter à propria dispositione.*

Petes I. An Angelis sit infusa gratia dependenter à propria dispositione? Respondeo id planè incertum esse, equidem valde probabiliter affirmari cum *D. Bonav. d. 4. a. 1. q. 2. ad 4. & 5. Suarez* & plurimis aliis: contra *Molina* & alios; quibus videtur favere *Hilarius can. 5. in Matthæum.* Ratio est: quia congruentius erat gratiam infundi, non orientibus, sed operantibus, cùm possent: sicut contingit in justificatione hominis adulti. Unde *Basilius l. 3. contra Eunomium*, paulò post initium, docet mensuram sanctitatis in Angelis proportionari mensuræ divini amoris. *Hilarius* autem loquitur de ipsa gloria cælesti, quam Angelis indultam vult *extra humanæ scientiæ eruditionem, suiq; operis*, videlicet naturalis, *mercedem, ne quid ex proprio labore aut arte*, id est viribus naturæ, *existimarentur habuisse.*

9. *Dona gratuita fuerunt proportionata naturalibus.*

Petes II. Quo sensu Patres & Theologi asserant Angelis esse infusa dona gratiæ proportionatè ad naturalia? Resp. non hoc sensu (qui Pelagianus aut Semipelagianus est) quòd in natura fuerit aliqua dispositio prævia ad ipsam gratiam, ejusve meritoria, etsi solùm de congruo: sed quòd, cùm Deus diversâ mensurâ & proportione potuerit distribuere Angelis dona gratuita, elegerit hunc modum, quo ex puro suo beneplacito absque omni debito, quod ex naturæ exigentia nasci posset, distribuerit Angelis perfectiori naturâ præditis majora gratiæ dona cum proportione, volens illis quibus daret majora gratuita, etiam dare perfectiora naturalia, v. g. perfectiorem intellectum & voluntatem. Quæ tamen doctrina non est omnino certa, ut rectè *Malderus q. 62. a. 6.* dicens esse probabilem & dictis Sanctorum conformem (quidquid *Wiggers ibidem* omnino indubitatam putet) idque etiam suppositâ (quæ non constat) differentiâ perfectionis substantialis inter Angelos. Minùs constat, utrùm singuli Angeli cum donis sibi oblatis toto seu extremo conatu adlaboraverint: sicut enim nonnulli perfectiores gratiam respuerunt omnino, sic inter gratiæ obsequentes potuisset esse differentia fervoris in cöoperãdo; cùm id penderet à libertate singulorum. Et consequenter possent aliqui esse majores in gloria iis, qui majora in via gratiæ dona, uti perfectiora naturalia habuerunt. Nihilominus existimat *D. Thomas q. 62. a. 6. Malderus* & alii passim, estque probabilis conjectura, inter sanctos Angelos non fuisse, qui remissiùs sint operati, sed omnes juxta extremum virium suarum fuisse operatos, adeòque qui habuerunt meliora naturalia, obtinuisse majorem, tum gratiam, tum etiam gloriam. Sed contrà facit, quòd inter Angelos omnes sit supremus Michaël (prout ante lapsum putatur fuisse Lucifer juxta Doctores passim, ac plures veteres) aut ergo nullum habet ejusdem secum speciei perfectionis substantialis, aut certè ipse ferventiùs cöoperatus est gratiis oblatis, quàm alii coæquales. Nisi mavis dicere cum *Maldero sup.* cum æqualitate naturæ consistere ingenii & potentiarum inæqualem aciem (quod tamen nos non possumus admittere, cùm potentias à natura indistinctas putemus; nec appareat differentia organi corporei, aut quid simile, unde in hominibus oritur differentia ingeniorum) aut nisi dicas Michaëlem esse supremum negativè, ob alios saltem nonnullos similes & æquales: idemque sentias de Lucifero; qui nihilominus à suis ex proprio arbitratu fuerit electus in Caput, sicut Michaël ab Angelis bonis ex dispositione divina.

10. *Fuerunt præditi virtutibus Theologicis.*

Dico III. Angelis infusæ fuerunt omnes Virtutes Theologicæ. Ita unanimiter Theologi. Patet: quia virtutes istæ infunduntur in justificatione hominum juxta *Trid. sess. 6. c. 7.* ad cujus instar censenda est peragi sanctificatio Angelorum. De charitate specialiter inde constat, quòd ipsa non distinguatur à gratia, aut certè sit ei indivulsè connexa: charitas autem supponit spem & fidem. Quare etiam in Angelis locum habet illud Apostoli *ad Hebr. 11. Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Hinc credendum est Angelos habuisse fidem mysterii SS. Trinitatis: item mysterii Incarnationis; utpote quæ independenter à peccato Adami fuit decreta, juxta dicenda *in Tract. de Incarnatione*, ubi insuper dicetur Angelos probabiliter fuisse sanctificatos ex meritis Christi independenter à passibilitate carnis. Immo & multi alii etsi in prædictis non consentiant, putant equidem fuisse Angelis hoc mysterium revelatum, existimantes malorum Angelorum peccatum ex invidia & repugnantia adversùs Christum revelatum consistere.

11. *Fides eorum verosimiliter erat evidens in attestante.*

Verosimiliter equidem fides angelica erat evidens in attestante, ut plures docent, & colligitur ex *D. Bonav. 3. d. 23. a. 2. q. 3. in corp.* docente, quòd Angeli *à prima conditione sua habuerunt cognitionem aliquam de articulis pertinentibus ad Trinitatem quæ* tamen *non meretur dici fides, immo potiùs cognitio contemplationis propter absentiam ænigmatis*; scilicet ob præsa-

præfatam in atteſtante evidentiam, quæ tamen in rigore non repugnat fidei: nos enim invicem loquimur & credimus, ſimiliter Angeli, & tamen evidenter cognoſcimus teſtimonium loquentis. Quare etſi fortaſſe fides Angelorum potuiſſet non eſſe evidens in atteſtante, ſicut noſtra; tamen ad dignitatem angelicam pertinebat, ut evidenter intelligerent revelationem ſive locutionem eſſe à Deo. Ex quo conſequens eſt, Angelos non fuiſſe meritos per actum fidei: niſi quis dicat præter myſteria ipſis revelata evidenter in atteſtante, alia fuiſſe ipſis revelata obſcuriùs, & horum credulitate per voluntatem imperatâ potuiſſe mereri.

QUÆSTIO II.

De Duratione viæ Angelorum.

12. *Fuerunt primitus viatores.* CERTUM eſt Angelos aliquando fuiſſe viatores, ac per actus meritorios vel demeritorios perveniſſe ad ſuum terminum, qui eſt beatitudo vel damnatio æterna; prout Theologi unanimiter docent poſt *Auguſtinum* & reliquos Patres. Et patet exemplo hominum, qui ſimiliter merendo aut demerendo curſum viæ conſummant. Ratio eſt: quia ob hoc creaturas rationales inſtruxit Deus libero arbitrio, ut ad ſupernaturalem ſeu naturæ indebitam beatitudinem gratiæ cooperando pervenirent, aut libero arbitrio abutendo juſtè punirentur.

13. *In via meruerunt beatitudinem ſuam.* Solùm eſt notanda ſingularis Doctrina *Magiſtri d.* 5. *in fine* exiſtimantis Angelos beatos fuiſſe primò conditos in puris naturalibus, acceptâ dein gratiâ fuiſſe in eadem confirmatos & ſimul beatos, ideòque per hanc gratiam ipſos non meruiſſe beatitudinem, ſed per obſequia nobis poſtea exhibenda; ſicut miles meretur equum, bene per eumdem militaturus. Sed hæc doctrina prorſus caret fundamento, & repugnat non ſolùm Theologis omnibus, ſed etiam expreſsè *Auguſtino l. de corrept. & gratia c.* 10. Deinde contra exemplum hominum (de quibus & Angelis pariformiter eſt cenſendum, niſi aliud conſtet) ſtatuit præmium eſſentiale prius merito, ipſumque meritum extra viam, extra quam non eſt ſtatus merendi, juxta indubitatam doctrinam. Neque eſt, cur per opera gratiæ elicita in via Angelus nō foret meritus ſuam beatitudinem, ſicut diabolus damnationem. Non enim neceſſe erat, Angelum primo inſtanti obtentæ gratiæ in ea confirmari, & confirmatum beatificari: ſed potiùs tribuendum erat ſpatium aliquod (quod non neceſſariò debebat eſſe diuturnum) exercendi ſe & creſcendi in gratia ac meritis.

14. *Eamq. tempore poſteriorem meritis.* Conſtat præterea meritum ex generali ſua ratione non debere tempore antecedere præmium, uti nec demeritum pœnam: cùm de facto privatio gratiæ ſit ſimul tempore cum peccato mortali, cujus eſt pœna. Præmium equidem cæleſte conſiſtens in viſione & fruitione Dei non coexiſtit ſimul tempore ipſi merito in Angelis, uti nec in nobis: ſed ſicut excludit ſtatum viæ, & connaturaliter loquendo fidem, ſic & meritum, quod ad viam ſpectat, & in fide radicatur. Pari modo neque pœna æterna ſimul tempore coextitit demerito; ſed ficut in nobis ordine durationis ſubſecuta eſt. Quamquam ex natura rei non videatur repugnare, ut demeritum & damnatio coexiſterent: immo etiam meritum fidei & beatitudo de abſoluta potentia poſſint ſimul conſiſtere. Itaque de potentia ordinata intelligendum eſt illud 1. *ad Cor.* 13. *Cùm venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt.*

15. *Æqualis fuit via bonorum & malorum.* Supponunt inſuper Doctores, æqualem fuiſſe durationem viæ bonorum & malorum Angelorum. Non enim æquum videtur, quòd malis damnatis boni de eis triumphantes adhuc fuiſſent de corona ſollicitì ejuſve expertes; cùm potiùs ad præmiandum Deus ſit promptior. E contrà quoque æquum erat, ut bonis coronatis, mali non carerent ſententiâ ſuæ damnationis. Parem itaque congruebat eſſe viam, quorum par ceteroqui erat conditio.

16. *Eaq. valdè brevis.* Communi quoque Patrum & Doctorum judicio via Angelorum fuit valde brevis: tum ob perfectionem potentiarum angelicarum & auxilii ſupernaturalis: tum ob abſentiam impedimentorum in ſpiritibus ad operandum de ſe expeditiſſimis. Ad magnitudinem quoque præmii non adeò requiritur diuturnitas temporis, vel multitudo meritorum, ſed potiſſimùm confert intenſio ſeu appretiativa perfectio operum meritoriorum: nam (ut ait *Scotus d.* 5. *q.* 1. *n.* 4) *multò magis requiritur unum meritum intenſum* (quod phraſi *Scoti* etiam appretiationem, ſeu intenſionem velut radicalem denotat) *quàm centum millia*, id eſt, plurima *remiſſa, & in eis fuit motus meriti valdè intenſus pro iſta morula &c.* Unde conſtat dæmonem ſub initium mundi (cui eſt coævus) jam tum peccando excidiſſe gradu ſuo, dum hominem necdum diu conditum induxit ad lapſum, & quidem jam è cælo turbatus, ac in terris exiſtens. Quo etiam ſenſu accipitur illud 1. *Joan.* 3. *Diabolus ab initio* (id eſt, ſub initium & primus) *peccat*; mox autem ſeu non

diu post peccatum, & apostasiam fuit in termino.

18. *Incertum tamen quamdiu præcisè duraverit.* Nihilominus valde incertum est, quamdiu præcisè via Angelorum duraverit. Quidam enim putant Angelos venisse ad viæ terminum primâ die mundi, quando Deus divisit lucem à tenebris, quasi in ista discretione mysticè figurata fuerit discretio bonorum & malorum Angelorum. Alii existimant id factum secundâ die, quando Deus creavit firmamentum & divisit aquas quæ sunt supra firmamentum ab iis quæ sunt infra, quasi per hanc divisionem adumbrata fuerit divisio tunc facta sanctorum Angelorum à dæmonibus. Alii putant necdum aliquos fuisse lapsos sextâ die, quando adhuc *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Gen.* 1. in fine cap. Sed hæc incertis nituntur conjecturis: nam de divisione lucis & aquarum corporalium loquitur Scriptura; uti & de bonitate naturali rerum prout à Deo creatarum; si tamen etiam ad creaturas merè spirituales seu Angelos verba relata ex Genesi sint extendenda.

19. *Constitit tribus instantibus sive morulis.* Optimè autem cum *Scoto d.* 5. *q.* 1. *n.* 5. 6. *&* 7. *& q.* 2. *n.* 15. *Suarez. Molina, Wiggers* & pluribus aliis (omissis diversissimis variorum opinionibus aut dicendi modis) assignantur tres morulæ seu durationes (quas instantia vocant, etsi non necessariò indivisibilia, uti instantia temporis nostri) quibus tota Angelorum via fuit absoluta usque ad terminum inclusivè. Primum instans est creationis, in quo omnes sunt creati in gratia, & Creatori per amorem castum uniformiter adhæserunt, adeòque meruerunt. Secundum instans, in quo cœpit discretio, bonis in merito perseverantibus, malis in peccata labentibus. Tertium in quo consummata est discretio, bonis beatificatis, malis verò damnatis.

20. *Primum instans non fuit indivisibile.* Quod ad primum instans attinet, non fuit ipsum indivisibile, sed virtualiter divisibile, respondens aliquali durationi nostri temporis. Gratis enim diceretur malos mox post primum indivisibile instans cecidisse. Mirum etiam, & quasi ex composito negotium hoc ordinatum apparet. Neque est insuper natum fieri, ut actus amoris casti, cui sunt concreati, unico indivisibili momento abrumperetur. Itaque censendum est, omnes aliquanto tempore stetisse in gratia & bonis actibus. Cui quoque consonat illud *Ezech.* 28. *In medio lapidum ignitorum ambulasti* (quod indicat moram aliquam, gressuumque pluralitatem) *perfectus in viis tuis*; quod etiam significat pluralitatem operum. Unde multò minùs post primum indivisibile instans boni sunt beatificati, aut in gratia confirmati: cùm enim ante lapsum omnes omnino Angeli fuerint boni, sequeretur omnes debuisse beatificari, aut in gratia confirmari.

Secundum instans viæ similiter aliquam temporis protractionem habuit, *Vià nec secundum.* quo boni augendis meritis & pugnâ sive resistentiâ adversùs peccantes eorumque peccata occupabantur. Quàmvis enim brevissimo tempore omnia absolvi potuerint; congruebat tamen fieri quamdam protractionem temporis ante admissionem in gloriam. Sicut etiam homo integer non statim post unum instans aut actum meriti fuisset assumptus ad beatitudinem. Quamquam in Angelis ad operandum à natura & gratia expeditissimis longa mora non fuerit necessaria. Suadet eamdem moram vulgata opinio de peccato Luciferi velut ceteros ad peccatum instigatione aut occasionaliter inducentis, qui eodem momento indivisibili non videntur omnes secuti: item de pugna bonorum adversùs cadentes. Etsi enim hæc omnia simpliciter potuerint, non tamen nata sunt fieri in instanti indivisibili.

Tertium instans claudens seu terminans extrinsecè viam Angelorum est ipsum instans gloriæ & damnationis; indivisibile quidem quoad principium quo terminat, æternaliter tamen duraturum. *Tertium verò quodammodo indivisibile, quodammodo non.*

Petes, An in mora illa quæ intercessit inter peccatum diaboli ejusque damnationem potuerit ipse pœnitere & per pœnitentiam resurgere? Resp. duplicem esse opinionem probabilem. Prima, eaque satis communis apud Doctores negat. Cui plurimùm favet *Damascenus l.* 2. *de fide c.* 4. dicens, *quod hominibus mors est, hoc Angelis lapsum extitisse. Post lapsum enim præclusa iam est illis omnis resipiscendi facultas; quemadmodum & hominibus postquam ex hac vita migrarunt.* Et *Fulgentius l. de fide ad Petrum c.* 3. dicens quòd bonam voluntatem *sic amiserunt Angeli cùm haberent, ut amissam deinceps habere non possint.* Consonatque *Augustinus, Gregorius* & alii. Et juxta hanc opinionem potuisset malus Angelus demereri durante adhuc statu viæ post primum lapsum, committendo nova peccata, à quibus liberum ei erat abstinere; etsi à commissis non posset per pœnitentiam resurgere, aut gloriam promereri. 21. *An durante viâ fuerit peccantibus locus pœnitentiæ? Probabiliter negatur.*

Secunda opinio affirmat cum *Ruperto l.* 1. *de Victoria Verbi Dei c.* 21. dicente: *Illud datur intelligi, quòd non statim in initio peccati de cælo projectus fueris, sed ipsum quoque expectaverit patientia Dei: ipse autem secundùm duritiam suam & cor impœni-* *Probabiliter affirmatur.*

impœnitenti iram sibi thesaurizavit. Et rursum idem clarè docet infrà. Favet etiam apertè *Basilius.* Ex Scholasticis idem docet *Scotus* 2. *d.* 6. *q.* 2. *n.* 17. *Gabriel* & plures alii, & inter Recentiores *Malderus q.* 64. *a.* 2. ex suppositione; quòd post peccatum aliquamdiu duraverit status viæ: quamquam probabilius censeat, quòd non, sed quòd peccatum continuò subsecuta sit damnatio.

Et magis consonè rationi, Hæc opinio est magis consona rationi: nam id exigit status viæ, ut meriti sit capax, qui demeriti, adeòque ut sicut peccantes angeli poterant demerita augere, sic etiam tollere, & bene agendo mereri. Sicut ipsi boni Angeli durante viâ & statu meriti erant similiter capaces demeriti. Quod ad Patres in contrarium citatos spectat, non solùm iis opponi possunt alii Patres in re non revelata; verùm etiam explicari possent de lapsu dæmonum consummato, seu prout sunt in termino: vel significant spatium pœnitentiæ fuisse adeò breve, ut moraliter pro nullo reputari posset, sicut homini morienti simile spatium superest.

22\. *Nisi nullus è peccantibus de facto pœnituerit.* Nihilominus satis constat ex consensu Patrum & Doctorum, ac sensu Ecclesiæ, neminem ex Angelis peccantibus de facto per pœnitentiam resurrexisse ad statum gratiæ. Ad quod allegari solet illud 2. *Petri* 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit.* Quod velut indefinitum æquivalet universali. Nec mirum videri debet, quòd ex innumerabili peccantium multitudine nullus pœnitentiam egerit, si gratiam omnes sufficientem habuerint. Magis enim mirum est, quòd tanta multitudo tot gratiis instructa tam enormiter peccaverit, quàm quòd à superbia ac rebellione suâ cum plena deliberatione admissâ nullus resiliverit. Difficulter enim dimoveri se sinunt sublimes isti spiritus ab eo quod deliberatè elegerunt. Meritòque in pœnam ejusmodi peccati finalem impœnitentiam Deus gratiæ efficacis subtractione permisit. Sicut è tanto hominum peccantium aut reproborum numero nullus à peccato abstinet aut finaliter perseverat, etsi eis non desit gratia sufficiens ad non peccandum & ad perseverandum. Unde consequens est, dæmones peccasse peccato finalis impœnitentiæ. Alioquin si lapsis nulla fuerit oblata gratia pœnitendi supernaturalis, carentia pœnitentiæ fructuosæ fuisset eis necessaria, ipsaque pœnitentia impossibilis, adeòque non subjacens libertati; etsi voluntaria in causa, sicut ea quæ in ebrietate committenda prævidentur.

QUÆSTIO III.

De Peccabilitate & Peccatis Angelorum.

ANGELOS naturâ quidem suâ bonos, sed peccabiles esse, docet fides c. *firmiter de summa Trin.* ubi dicitur: *Diabolus & alii dæmones à Deo quidem naturâ creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali.* Unde *Aug. l.* 2. *de Gen. contra Manich. c.* 28. *Non enim* (inquit) *naturâ, sed peccando diabolus factus est.* Oppositum docuerunt *Manichæi*, *Priscillianistæ* & *Porphyrius*, putantes dæmones naturaliter malos esse. Quorum Doctrina repugnat etiam definitioni *Leonis I. Ep.* 93. *c.* 6. & Patribus, ipsique Scripturæ commendanti omnem Dei creaturam velut bonam. Fundamentum autem *Manichæorum* de primo principio summè malo, tamquam Auctoritati & rationi repugnans alibi refutatum est. 23. *Angeli omnes naturâ boni, sed peccabiles.*

Peccabilitas porrò oritur in Angelis & quacumque intellectuali creatura, etiam creabili, ex ipsa arbitrii creati natura: sic ut dari nequeat creatura intellectualis ex natura sua impeccabilis, juxta *D. Bonav. d.* 24. *p.* 1. *a.* 1 *q.* 1. *in corp. D. Th. q.* 63. *a* 1. *Scotum d.* 23. *n.* 6. & alios communiter. Et consonant Patres peccabilitatem creaturæ liberæ in hoc fundantes, quòd sit creatura & ex nihilo. Patrum testimonia vide apud *Vasquez d.* 231. *c.* 2. & alios. Nobis sufficiant verba *Augustini l.* 3. *contra Maximinum c.* 12. *Cuicumque creaturæ rationali præstatur, ut peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed Dei gratiæ: ac per hoc solus Deus habet immortalitatem, qui non cujusquam gratiâ, sed naturâ suâ, nec potuit, nec potest aliquâ conversione mutari, nec potuit nec poterit aliquâ mutatione peccare.* Ratio est: quia soli naturæ divinæ velut infinitæ competit essentialiter indefectibilitas, uti in genere naturæ, sic & in genere moris; omni autem voluntati creatæ liberæ, veluti finitæ, opposita defectibilitas. Unde etiam sola voluntas divina est essentialis sui regula; at voluntatis creatæ regula est voluntas aliena, scilicet divina, ob sui solius indefectibilitatem. Hinc *D. Thomas sup.* ait: *Solum illum actum à rectitudine declinare non contingit, cujus regula est ipsa virtus agentis. Si enim manus artificis esset ipsa regula incisionis, numquam posset artifex, nisi rectè lignum incidere: sed si rectitudo incisionis sit ab alia regula, contingit incisionem esse rectam & non rectam.* 24. *Immo creatura intellectualis ex natura impeccabilis dari nequit.*

Dices, Saltem esset impeccabilis ex natura

naturâ suâ creatura intellectualis, cui connaturalis esset visio Dei. Resp. talem implicare. Deinde etsi non implicaret, adhuc juxta multorum *Scotistarum* sententiam foret physicè peccabilis, sic saltem ut peccando posset visionem Dei amittere. Denique esto necessitaret etiam physicè ad non peccandum, posset creatura, cui visio foret connaturalis, sine illa existere aut produci à Deo, acceptura illam etiam ampliorem ex meritis seu operibus liberis; adeòque posset interea peccare.

25. *Non peccarunt, peccare tamen potuerunt, primo creationis instanti.*

Quàmvis autem de facto non peccaverint Angeli primo creationis instanti juxta Patres & Doctores adeò unanimiter, ut Parisienses (teste *D. Bonav.* & *D. Thoma*) oppositum censuerint erroneum: peccabiles tamen fuerunt etiam primo instanti creationis; idque non tantùm spectato ipsorum libero arbitrio secundùm se, sed etiam prout modò creati sunt in gratia. Nam etsi gratia sit incompatibilis cum peccato mortali, adeòque non potuerint illud committere in sensu composito gratiæ, quia scilicet non poterant gratiam cum peccato mortali conjungere; simpliciter tamen poterant primo instanti peccare, eò quòd gratia sit eis infusa dependenter à propria dispositione aut saltem ex suppositione non peccati pro illo instanti, seu quòd pro illo instanti priùs naturâ determinarent non peccare.

Peccatis cujuslibet generis quoad reatum,

Præterea etsi Angeli non potuerint per se committere omnia peccata, etiam sensibilia, v. g. fornicationem, ebrietatem &c. adeòque non fuerint peccabiles quoad effectum omnis generis peccatis, fuerunt tamen eorum capaces quoad reatum, quatenus poterant sibi in quibuslibet cōplacere, vel ut ab aliis fierent, desiderare, aut etiam ad eadem alios, scilicet homines, inducere. Per se ipsos autem potuerunt committere physicè & immediatè non tantum peccata superbiæ & invidiæ (ut putat *D. Th. q. 63. a. 2. ad2.*) sed etiam quævis alia spiritualia seu præscindentia à materia sensibili, v. g. odium Dei, desperationem, superstitionem &c. Similiter peccata injustitiæ, v. g. furti, homicidii &c. Item potuerunt omittere res sibi præceptas per legem naturæ aut positivam: hęc enim omnia non requirunt in peccante organum corporeum.

Physicè autem per seipsos, quibuscumque ab organo corporeo non dependentibus.

26. *Peccarunt de facto peccato superbiæ.*

Quantùm ad peccata de facto ab illis commissa attinet, *Scotus d. 5. q. 2. n. 15.* & *d. 6. q. 2. n. 13.* cum Theologis post SS. Patres passim obvios docet, diabolum peccasse peccato superbiæ. Quod etiam innuit Scriptura *Isaia 14. Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? &c. qui dicebas in corde tuo: in cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum &c. similis ero Altissimo. Ezech. 28. Tu Cherub extentus &c. perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te &c. elevatum est cor tuum in decore tuo. Iob. 41.* de Behemoth (qui est figura diaboli) dicitur: *Omne sublime videt, ipse est rex super universos filios superbiæ.* Denique *1. ad Timoth. 3. Non neophytum* (q. d. nuper natum seu nuper insitum, ut vox Græca significat) *ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli*; id est in condemnationem, in quam devenit diabolus ob superbiam; ut rectè explicat *Sasbouth.* Quamquam *Erasmus* putet diabolum hoc loco verti posse calumniatorem, ut sensus sit: ne elatus, & plùs nimio sibi placens incidat in condemnationem maledicorum hominum, qui nil aliud quærunt, quàm habere ansam calumniandi.

27. *Cujus objectum quadam cum Deo similitudo fuit,*

Superbia porrò diaboli habet pro objecto aliquam similitudinem cum Deo; ut Patres & omnes Doctores tradunt. Et colligitur ex *Isaia 14. Similis ero Altissimo.* Et *Ezech. 28.* ubi in principio capitis dicit Princeps Tyri sive Diabolus: *Deus ego sum.*

In quo autem similis esse voluerit, variæ sunt Sanctorum & Doctorum conjecturæ. *D. Bonav. d. 5. a. 1. q. 2. in corp.* & plures alii censent Luciferum considerată suâ excellentiâ intumuisse, & ambivisse dominatum super ceteras creaturas mente præditas; vel (ut loquitur *D. Bonav.*) appetiisse ipsum, præesse propriâ auctoritate, ita quòd sine meritis sine datore, & sic ut nulli subesset velut sui juris. Quare consequenter censendum est ipsum quoque appetiisse cultum latriæ: nam etiam modò diabolus exigit à suis cultoribus v. g. idololatris, veneficis, ita coli abnegato Deo. Quin & ipsi Christo Domino tentando dicebat: *Hac omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Matth. 4.* Potuisset autem hoc etiam aliis dæmonibus convenire, quantùm ad creaturas se inferiores: superbia enim dæmonum (ut inquit *D. Bonav. sup. a. 2. q. 1. in corp.*) conformis fuit capiti, totius malitiæ principi. Propriè tamen eorum superbia videtur sita fuisse in eo, quòd excusso jugo & dominio Dei, appetierint sub Lucifero potiri voluntariâ libertate, & sine meritis quietem beatitudinis obtinere, juxta *D. Bonaventuram sup.* Adde, verosimiliter fuisse eis revelatum mysterium Incarnationis, indeque sumpsisse occasionem inordinatè appetendi naturæ suæ tamquam digniori excellentiam unionis hypostaticæ, Christoque eis instar capitis præpo-

sito

sito adversandi. Ita *Suarez l. 7.c.13.n.13.* & alii.

28. *Imme objectum superbiæ diabolicæ æqualitas in divina natura esse potuit.*

Denique potuisset objectum superbiæ diabolicæ esse æqnalitas in natura divina juxta *Scotum d. 6. q.* 1 *Suarez sup.c.12. Vasquez* & plurimos alios contra *Thomistas*: etsi enim nosset diabolus illam sibi esse impossibilem, poterat tamen appetere inefficaciter vel conditionatè. Primò remotè & mediatè, quatenus vellet appetere istam æqualitatem si foret possibilis; quod velle proximè respicit ipsam appetentiam æqualitatis, remotè autem æqualitatem. Secundò volendo æqualitatem immediatè, sed in ordine ad aliquid aliud; v.g. ut sic posset coli tamquam Deus, aut nt non cogeretur alicui subesse: prout damnati possunt inefficaciter velle Deum non esse, ut sic liberari possent à cruciatibus. Tertiò appetendo inefficaciter ipsam æqualitatem propter se, sub conditione, si esset possibilis. Nec tali objecto ita sub conditione possibilitatis proposito deest sufficiens ratio appetibilitatis: cùm constet nos appetere subinde impossibilia sub simili conditione. Sic vehementer pœnitens vellet peccatum numquam fuisse: sic dæmones vellent Deo punienti resistere; sic iidem Deo omnia mala exoptant, etiam impossibilia: sic boni optant Deum infinitè laudare, & omne bonum, quo dignus est, ei dare; & *Augustinus* optabat: *Si ego essem Deus & tu Augustinus, vellem potiùs te quàm Augustinum esse Deum.*

29. Nec obstat, quòd æqualitas ista sit impossibilis; adeòque non bona nec appetibilis: quia etiam impossibile potest cognosci & appeti, saltem propositum sub conditione, si esset possibile: prout odio habens Deum delectatur in interitu Dei, si esset possibilis. Deinde æqualitas Dei est quid reale repertum io tribus personis divinis, adeòque potuit Angelus actu collativo illam considerare in ordine ad se. & ita velle.

Non obstat etiam, quòd Angelus ooo potuerit sine errore judicare æqualitatem Dei sibi esse bonam seu convenientem. Nam ad desiderium inefficax sufficit simplex apprehensio. Et quàmvis requireretur judicium, sufficeret tale, quo judicaret æqualitatem istam sibi esse bonam ex hypothesi quòd esset ei possibilis.

Non obstat denique, quòd Angelus istam æqualitatem appetendo desiderasset sui destructionem: nam illam poterat appetere. Primò implicitè & ex cosequenti; prout homines frequenter appetunt mortem volendo aliquid ex quo ipsa sequitur. Secundò explicitè, appetendo illam in ordine ad melius esse. Adde, potuisse Angelum appetere æqualitatem Dei ex suppositione quòd esset possibilis sine sui destructione.

Suppositâ itaque possibilitate hujus inefficacis desiderii, probabilis est conjectura (quam format *Ioannes Major* & *Pencius*, & probabilem censet *Suarez l. 7. c. 12. n. 1.*) in suprema diaboli superbiâ fundata, ipsum de facto appetiisse æqualitatem Dei in natura. Sicque planiùs accipiuntur verba Scripturæ, *Isaia* 14. & *Ezech.* 28. similiter verba Patrum, qui dicunt Lnciferum *sperasse regale solium Dei, cupivisse esse* sive *existimari Deum*, ut loquitur *Nazianzenus*; item *voluisse nulli subesse*, ut loquitur *Gregorius*; *voluisse æquare Altissimo*, ut loquitur *Augustinus*; *Dei sperasse æqualitatem*, ut loquitur *Chrysostomus*; *voluisse similem esse Altissimo, non per imitationem, sed per æqualitatem*, ut loquitur *Hugo de S. Victore*: prout allegatis Patrum verbis testatur *Suarez l. 7. c. 12. n. 2.* *Et quorumdam conjecturâ de facto fuit.*

Petes, An superbia fuerit primum diaboli peccatum? Affirmant plerique Doctores, & favet Scriptura *Eccli.* 10. *Initium omnis peccati est superbia. Tobiæ* 4. *In superbia initium sumpsit omnis perditio.* Idem insinuāt Patres priorem scripturam etiam applicantes ad diabolum; ut *Augustinus l. de natura & gratia c.* 29. *Prosper in Epist. ad Demetriadem c.* 19. & *Fulgentius l.* 1. *ad Monimum c.* 17. 30. *Superbia fuit primum diaboli peccatum juxta vulgatam sententiam.*

Nihilominus *Scotus d. 6. q. 2. n. 3. &* 4. primum dæmonis peccatum statuit inordinatum amorem proprium benevolentiæ, quo sibi inordinatè afficiebatur. Primus enim actus peccaminosus versari debuit circa aliquam creaturam; non est autem verosimile circa ullam potiùs fuisse versatum quàm circa Angelum, utpote sibi maximè propositum, & ad se amandum maximè inclinatum. *Et hoc est* (inquit *Scotus n.* 4.) *quod dicit Augustinus* 14. *de Civit. Dei* (nempe *c. ult.*) *quod duo amores fecerunt duas civitates; civitatem Dei, amor Dei usque ad contemptum sui; civitatem diaboli, amor sui usque ad contemptum Dei. Prima igitur radix civitatis diaboli fuit inordinatus amor amicitiæ sui, quæ radix germinavit usque ad contemptum Dei, in quo est consummata ista malitia.* Hæc *Scotus.* *At juxta Scotum inordinatus amor proprius.*

Quod ad auctoritates in oppositum allegatas attinet, facilè possunt explicari de superbia radicali: inordinatus enim amor sui fuit radix superbiæ diabolicæ. Quemadmodum explicandi sunt Patres, qui invidiam vocant primam labem quæ Angelum ejecit de cælo, ut loquitur *Chrysolog. serm.* 4. quòd scilicet loquantur de ea considerata secundùm suam radicē, quę est superbia. Deinde auctoritates nō sēper agūt de superbia propriè dicta, sed quæ conveoit omni peccato, quod est à *Qui est radix superbiæ.*

Deo

Deo aversio,& ad creaturam conversio; ut patet apud *Aug.* 12. *de Civit. c.* 6. ubi causam beatitudinis bonorum Angelorum statuit, *quòd ei adhærent qui summè est*; causam verò miseriæ malorum Angelorum statuit, *quòd ab illo qui summè est aversi, ad seipsos conversi sunt qui non summè sunt. Et hoc* (subdit) *vitium quid aliud quàm superbia nuncupatur?* Ubi obiter advertenda impostura *Ludovici Vives in Comment ibid.* dicentis: *Scoto non placet peccatum Angelorum fuisse superbiam* (adi Loca sup. citata; & falsitatem videbis) *credo* (sed quàm temerè) *ob id solùm, quòd D. Thomæ placuerat, sequens veterum Scriptorum sententiam.* Quasi *Scotus* vir sanctus & modestus non nisi studio contradicendi sensa depromat. Adde Scripturas peculiariter agere de peccato hominum; cujus initium est superbia, sive ipsorum hominum, sive dæmonum tentantium, quorum superbia est occasio omnis peccati hominum.

Dices, Amor benevolentiæ sui non est malus, quantumvis intensus. Resp. fuisse malum sive nimium ex modo tendendi, quatenus saltem implicitè diabolus per illum se appretiativè præ Deo dilexit: vel fuisse malum per accidens, quatenus fuit causa seu occasio aliorum actuum malorum sequentium, à quibus tamquam effectibus denominativè malitiam participabat.

Itaque ex inordinato sui amore consequebatur in dæmone concupiscentia excellentiæ & boni indebiti, sive unionis hypostaticæ, sive etiam beatitudinis modo indebito, nempe volendo eam citiùs quàm debebat conferri, vel in majori gradu, vel viribus suis, aut alio simili modo: sive insuper concupiscentiâ æqualitatis Dei, aut in natura, aut quoad dominatum super ceteras creaturas, aut alio modo.

31. *Superbiæ accessit invidia,* Ex superbia autem nascebatur invidia, sive circa excellentiam divinam, ægrè ferendo illam alteri competere; sive circa unionem hypostaticam invidendo illam Christo seu generi humano: sive etiam circa statum supernaturalem & felicitatem hominum.

Ira & odium, Peccavit præterea odio & irâ adversùs Deum, videns illum suis machinationibus obsistere, donaque gratuita sibi auferre, ægrè ferens dari posse Deum, cui non posset esse par. Accessit etiam ira in alios Angelos nolentes consentire suis machinationibus. Præterea accesserunt omnigenæ *Blasphemia,* blasphemiæ adversùs divinum nomen seu honorem.

Et in Lucifero peccatum scandali. Denique peccavit Lucifer specialiter peccato scandali, quatenus partim exemplo, partim suasione induxit alios ad consentiendum suis consiliis, ut docent varii Patres, & cum *D. Thoma* & *D. Bonaventura* plerique Scholastici. Quàmvis Nonnulli (quos sequitur noster *Castro V. Peccatum Hæresi* 3.) censeant dæmones non fuisse inductos ad peccandum per diabolum seu Luciferum, sed omnino spontè à Deo descivisse: immo potiùs ipsum diabolum, dum adverteret rebellioni præparatas dæmonum voluntates, occasionem apostasiæ suæ indè sumpsisse, séque eis rebellionis caput obtulisse. Præferenda tamen est Sententia communis. Cui quoque favet Scriptura *Isaia* 14. *Tu terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti. Iob* 41. *Ipse est rex super universos filios superbiæ.* Et *Apoc.* 12. refertur, draconem pugnasse & Angelos ejus; & de dracone seu diabolo principali præmittitur: *Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli.* Plura de peccatis dæmonum ex Patribus & conjecturis tradit *Suarez* & alii Scholastici. Pauca tamen quæ tractavimus, pro intenta à nobis brevitate ac Studiosorum utilitate sufficiunt.

QUÆSTIO IV.

De Pœnis dæmonum; ac primò de Pœna sensus.

ANGELOS apostatas, secundùm fidem in variis Scripturæ locis expressam, manet supplicium æternum; ita exigente ratione justitiæ vindicativæ, ut quod voluntariè ipsi deordinarunt per culpam, iisdem invitis ordinetur per divinam justitiam, sicque non remaneat dedecus peccati sine decore justitiæ. 32. *Angelorum peccatum secuta est pœna.*

Est autem pœna illorum varia. Potissimùm tamen duplex, videlicet pœna sensus, & pœna damni. De priori solùm hâc quæstione agendum est. Itaque certum est apud omnes Theologos, dæmones esse cruciandos à vero & corporali igne. *Primò cruciatus ignis corporalis.* Nam certum est in inferno esse ejusmodi ignem, & per illum puniendos damnatos homines post resumpta corpora (non enim nisi ab agente corporeo sunt corpora crucianda: adeòq; ab igne corporeo, quem Scriptura toties inculcat; de quo *parte* 2. *Tr.* 1. *d.* 4 *q.* 5.) idem autem ignis paratus est dæmonibus, qui hominibus, ut patet *Matth.* 25. *Discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* Et *Apoc.* 20. *Diabolus missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & Bestia & Pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* Unde Theologi id supponentes, potissimùm dispu-

tare

tare solent, quomodo ignis corporalis agat in spiritus damnatos.

33. *Sunt quidem plurimi in hoc aëre.* Nihilominus communi omnium Theologorū sententiā indubitatè constat, non omnes dæmones esse de facto in carcere infernali. Plurimos namque in hoc aëre caliginoso ex permissione divina ad nostrum exercitium degere, patet ex dictis Sanctorum Patrum, ac diversis historiis. Nam teste *D. Bonav. d. 6. a. 2. q. 1.* quibusdam viris sanctis ostensum est, eos non secùs ac muscas circa nos volitare. Consonat quoque Scriptura ad *Ephes. 2.* ubi diabolus vocatur princeps potestatis aëris hujus. Et *c. 6.* dæmones vocantur *mundi rectores tenebrarum harum*, & *spiritualia nequitiæ in cælestibus*, id est spiritus nequam in locis aëreis commorantes. Denique ex auctoritatibus ac experientiā manifestum est, dæmones nunc tentare homines, etiam fideles, & corporaliter affligere, ac eos potestate per Christum datā è corporibus ejici: unde apertè liquet, non omnes constanter in inferno esse reclusos.

Non displicet tamen, quod *Estio* in illud *2. Petri 2. Rudentibus inferni detractos &c.* placuit, omnes videlicet dæmones pariformiter in principio fuisse præcipitatos in carcerem infernalem, deinde Luciferum egressum ad tentandos primos parentes, postea nunc hos, nunc illos, prout Deus permiserit. Unde & per ministerium Ecclesiæ solent ab obsessis dæmones ad profundum inferni remitti. Ipseque Lucifer durante tempore Ecclesiæ Christi. Quo sensu à multis accipi solet illud *Apoc. 20.* ubi Angelus *apprehendit draconem seu diabolum, & ligavit eum per annos mille,* id est, tempore legis Christi, *& misit eum in abyssum & clausit &c. & post hæc* (scilicet tempore Antichristi) *oportet eum solvi modico tempore,* cum ampliori ad tentandum fideles facultate permissivā. Quā suppositā, addit congruentiam in genio dæmonis fundatam *S. Gregorius 34. moral. c. 1.* dicens: *Considerat quippe quòd juxtà fit, ut licentiam nequissima libertatis amittat; & quantùm brevitate temporis angustatur, tantùm multiplicitate crudelitatis expanditur;* nimirum, *ne* (ut subdit *Gregorius*) *in damnatione sua foveam cum paucis ruat.*

Nunc hi, nunc illi,

34. *Non tamen ob hoc immunes ab ignis supplicio,* Similiter ex communi sensu Doctorum, immo fidelium videtur indubitatum (etsi quidam Veteres dubitare aut oppositum indicare videantur) dæmones nihilominus ante diem judicii non esse immunes ab ignis cruciatu, sive detineantur in inferno, aut in eo sint ad torquendas animas damnatas, sive vagentur in aëre. Cùm non sint melioris conditionis, quàm animæ damnatæ, quæ ignis tormentum indubiè ex nunc sustinent: cùmque Angeli boni ex nunc fruantur præmio cælesti. Et ratio generalis est: quia sunt omnes in termino, suamque sententiam, adeòque & mercedem receperunt. Favet etiam Scriptura *2. Petri 2. Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus* (id est, vinculis seu catenis) *inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos.* Quamquam Nonnulli (inter quos noster *Sasbouth*) nomine tartari intelligant aërem caliginosum: quam expositionem refutat *Estius sup.*

Itaque non permittuntur in aëre morari, ut sint ab ignis cruciatu immunes, sed ad nostrum exercitium. Unde pœnam ignis infernalis ubique circumferunt, sicut febricitans pœnam caloris febrilis, quocumque transferatur; uti ex *Beda* ait *Alensis q. 100. m. 6. a. 4.* aut sicut Episcopus dignitatem suam retinet, etsi actu non sedeat in cathedra Episcopali, ut *D. Thomas q. 64. a. 4. ad 3.* Quemadmodum etiam licèt locus cælestis pertinet ad gloriam Angelorum, tamen gloria eorum non minuitur cùm ad nos veniunt, ut idem *D. Tho. sup.*

Neque ad hoc necesse est, ut in aëre hoc habeant sibi alligata corpuscula ignea, vel in quibus ignem materialem circumferant: potest enim ignis infernalis tamquam instrumentum divinæ justitiæ agere in dæmones distantes; ut rectè *Malderus quæst. 64. art. 4.* Cui non obstat, quòd dæmon visibiliter apparens aliquando adurat res corporales suo attactu, & ungularum quasi cicatricem inurat; prout Antverpiæ (inquit idem *Malderus*, qui & fuit Episcopus ibidem) in quadam muliere nuper est factum. Hoc enim fit occulto modo, assumpto fortè igne communi, diabolicā potestate magìs incenso & affecto. Unde compertum est, brachium fœminæ sic affectum, etiam notabili tempore post impressionem læsuræ arsisse, ita ut admotum aquæ, quasi admotum candenti ferro aut ignitæ patellæ stridorem ederet. Nonnulli tamen (& inclinat *Wiggers quæst. 64. a. 4.*) censent dæmones ipsum ignem invisibiliter secum ferre. Quod equidem incertum, nec necessarium est. Denique *D. Thomas sup.* explicat modernum dæmonum ab igne cruciatum per hoc, quòd sciunt alligationem ad ignem sibi deberi, indeque dicit eorum pœnam non diminui; quemadmodum pœnam eorumdem post judicium statuit in alligatione locali ad ignem velut carcerem: de quo *quæst. seq.* 35. *Qui velut instrumentum divinæ justitiæ potest torquere distantes.*

Dices, Dæmones quidam rogabant Chri-

Christum *Lucæ* 8. *Ne imperaret illis, ut in abyssum irent*, utique quia hîc liberi, ibi cruciandi ab igne. Resp. non ideo rogasse, sed ne ab infestatione hominum impedirentur, in eo videlicet torturam habentes, quòd mala nostra procurare impedirentur. Deinde in die judicii firmiter òmnes concludentur carcere infernali. Quod ad accidentale pœnæ augmentum serviet istis spiritibus libertatis amantibus. Ob hæc conclusionem istam præproperam metuentes expostulabant adversùs Christum dicentes: *Venisti huc ante tempus* (id est, magnum judicii diem, *torquere nos*, *Matth.* 8. De eadem completione universali pœnæ sunt intelligendi quidam Patres qui punitionem dæmonum videntur referre ad diem judicii. Aliud quoque non voluit *Greg.* 4. *Moral. c.* 10. dicens: *Antiquus hostis nequitiæ suæ vinculis adstrictus, aliud est quod nunc patitur, aliud quod in fine patietur. Quia enim à lucis intima ordine cecidit, nunc semetipsum intrinsecùs erroris caligine confundit. Sed post hoc amaritudine involuitur, quia ex merito spontaneæ caliginis æterno gehennæ tormento cruciatur*, dum videlicet æternaliter carcere gehennali simul erit constringendus. Et infrà: *Quæ ejus pœna*, perfecta videlicet & completa, *tunc initium accipit, cùm districtus ad extremū judicium Judex venit.*

36. *Cur hæc pœna dæmonum vocetur pœna sensûs?* Pro fine nota, pœnam, quam dæmones ab igne patiuntur, vocari pœnam sensûs; tùm quia tametsi sensu careant, tamen est pœna proveniens ab afflictivo sensuum, scilicet igne: tum quia consistit in inflictione mali positivi, quæ generatim vocatur pœna sensûs, quatenus distinguitur contra pœnam damni, quæ est privativa. Ad pœnam sensûs quoque revocatur tristitia, quam ex aliis objectis dæmones concipiunt, juxta *Molina*, *Vasquez* & alios. Verùm hoc pertinere videtur ad quæstionem de nomine: in qua rectiùs loquuntur, qui tristitiam revocandam censent ad causam ex qua oritur, velut accessorium ad suum principale; adeò ut tristitia de igne infernali pertineat ad pœnam sensûs, tristitia verò de amissa beatitudine pertineat ad pœnam damni, velut ad radicem suam, ex qua sequitur. Etsi de facto, juxta plurium opinionem, pœnam damni in parvulis cum solo originali decedentibus tristitia non sequatur. Multi nihilominus tristitiam eis adscribentes, adhuc pœnam sensûs ab iisdem excludunt; supponentes utique sub hac non censeri tristitiam quæ ex pœna damni oritur.

Sed gravis restat difficultas, quî fieri possit, ut ignis corporalis cruciet substantias merè spirituales. Pro cujus discussione, sit

QUÆSTIO V.

Quomodo ignis inferni corporalis agat in spiritus damnatos?

Res hæc est humano ingenio difficillima: in qua facilius est singulorum sententias refutare, quàm meliorem aut solidam aliquam proferre. Nec tamen idcirco de ea dubitari potest: cùm non sit ambigendum de omnipotentia Creatoris, qui infinita potest, quæ nos miselli capere non valemus. *Ecce* (inquit hac de re *Hugo de S. Victore l.* 2. *de Sacram. p.* 16. *cap.* 13.) *dicamus, Nescimus quomodo hoc fieri possit; numquid ideo verum non est. quod nos nescimus quomodo est?* Et *p.* 8. *c.* 11. *Ne mireris, opus Dei est hoc opus &c. Non mirum, si mirabilis mirabilia operetur &c.* 37. *Qui ignis corporalis cruciet spiritus, difficillimè intelligitur.*

Primò itaque *Henricus* & nonnulli censent spiritus malos torqueri per calorem in eis ab igne productum, simili modo quo torquentur ab illo homines. Sed hoc dici nequit: nam gratis conceſſo, quòd calor possit divinitùs subjectari in Angelo (quod plurimi negant: quamquam difficulter assignent solidam implicantiam) ac insuper, quòd possit ignis consequenter elevari ad eumdem calorem in Angelo producendum: adhuc non apparet, cur calor iste cruciaret, spiritum ardore suo adurendo: calor enim quà calor non affligit, sed quà est noxius aut disconveniens subjecto, prout affligit intemperies caloris animam immersam corpori, eò quòd illud distemperet aut ad dissolutionem disponat. Ideoq; calor, qui in uno membro, v.g. cerebro aut capite, dolorem in altero, v.g. corde, gratam affectionem generat: quique uni animali interitum causat, alterius vitam fovet. Jam verò Angelo seu spiritui separato calor in nullo gradu est contrarius seu disconveniens, potiùs quàm albedo vel lux. Alioquin si calor intensior spiritum cruciat: quidni temperatus ipsum blandè afficiat? quidni similiter ipsum delectet vel affligat gratus aut ingratus odor, sapor, sonus &c? Posset quidem superbus spiritus affligi ex hoc, quod tam ignobile accidens in eo invito subjectaretur: sed afflictio ista non est tanta, nec ab assertoribus hujus opinionis intenta; nec specialis ratione ignis aut caloris (qualem tamen isti adstruendā putant *Non cruciat, nisi corpora, producendo in spiritibus calorem.*

putant) sed similis aut major futura, si dissimile, at æquè vel magis ignobile accidens in eo invito subjectaretur.

38. *Nec mediante ustione corpusculorum, quibus spiritus alligantur.* Secundò dici nequit cum *Coninck* & quibusdam aliis, spiritus torqueri ab igne, & quidem per calorem, eumque sentiri cum proportionata molestia, quam sentit anima corpori unita; sed mediantibus corpusculis, quibus ipsi spiritus in pœnam alligantur, seu uniuntur, quasi horum ustionem sic persentiscant, sicut anima corporis quod informat. Nam contrà facit, quòd spiritus non informent hæc corpuscula; alioquin essent entia incompleta, formæque substantiales instar animæ, & constituerent corpus physicum. Deinde sine hujusmodi corpusculorum informatione animæ separatæ in purgatorio cruciantur ab igne. Quòd si statuatur mera alligatio seu unio præsentialitatis; quid tunc ad spiritus assistentes spectabit ustio aliæve affectiones corpusculorum? Quare hoc dato, solùm afficiet spiritus, quatenus hi calorem seu ustionem intuitivè videbunt: quæ intuitiva notitia nequit esse cruciatus ustionis, de quo hi Auctores. His addi potest, quòd juxta hanc sententiam ejusdem rationis videatur esse pœna animarum ante & post judicium: cùm tamen ex *Augustino* in illud *Psalmi* 57. *Sicut cera quæ fluit auferentur*, colligi videatur pœnam animarum separatarum esse alterius speciei ab ea quam patientur resumptis corporibus; dum ait: *Est quædam pœna futura, gehenna ignis, ignis æternus. Futura enim pœna duas species habet. Aut inferorum est, ubi ardebat dives ille, qui volebat sibi stillam aquæ stillari in linguam &c. quando ait: Crucior in hac flamma. Et altera est illa in fine, de qua audituri sunt &c. Ite in ignem æternum &c. Illa pœna manifesta erunt eo tempore, quando exitum fuerit ex hac vita, aut finito sæculo perventum ad resurrectionem mortuorum.*

Nec quatenus apprehenditur à spiritibus tamquam malum præsens. Tertiò dici nequit cum Nonnullis, cruciari spiritus, quatenus apprehendunt ignem tamquam malum præsens: nam sanè norunt dæmones ignem sibi nocere non posse. Neque in falsa imaginatione, sed rei veritate statuendus est dæmonum cruciatus; ut in rei veritate in eos quadret illud Epulonis *Lucæ* 16. *Crucior in hac flamma.* Et juxta *Greg.* 4. *dial.* 29. spiritus etiam experiendo incendium patitur, adeòque per veri & præsentis mali experientiam.

Nec derivando in eos species impressam. Quartò dici nequit cum *Richardo*, & aliis, spiritus cruciari quatenus ab igne derivatur in illos species impressa. Nam illam etiam habuerunt in via; si tamen detur in Angelis species impressa pro intuitiva notitia ullius rei, quantumvis corporalis; de quo in præcedentibus. Subest ipsa quoque per se loquendo potestati Angeli; qui utitur speciebus ad libitum. Deservit denique solùm ad notitiam ignis: quæ (nisi aliud addatur) non sufficit ad dæmonum cruciatum, præsertim adeò singularem.

Quintò *D. Thomas* & plurimi Scholastici cruciatum dæmonum statuunt in alligatione ad ignem. Gravis enim pœna est superbis ac nobilissimis spiritibus, in igne tamquam carcere perpetuo invitos detineri, eique uniri. Addit meritò *Scotus* 4. *d.* 44. *q.* 2. *n.* 7. 11. *& seqq.* insuper alligari intentionaliter, quatenus ignis tamquam divinæ justitiæ instrumentum illos in pœnam peccati determinat ad perpetuam & intensam sui intuitionem; quod istis spiritibus, præsertim odio in Deum flagrantibus, grave tormentum est: & quidem (ut notat *Scotus sup. n.* 13.) eò gravius, quò nobilior est potentia intellectiva, quàm motiva, adeòque magis invitus quoad illam, quàm quoad hanc constringitur. Cui adhuc expressiùs addunt alii, ignem istum instar signi perpetuò repræsentare perpetuam ac justam iram Dei, amissionem bonorum &c. Ipsum denique (ut alii) esse signum infimæ vilitatis ipsorum, qui per illum puniuntur, sicut malefici inusto stigmate, aut laqueo ad collum inserto. 39. *Sed juxta DD. pœnam, quatenus potentiam locomotivam alligat instar carceris, Ipsumque intellectum ad perpetuam sui considerationem.*

Non refert, quòd id non sit magis proprium igni, quàm terræ, aut alteri rei: convenienter enim Deus ignem assumpsit, ut sicut idem carcer, sic idem sit instrumentum supplicii reproborum Angelorum & hominum, juxta illud *Greg.* 9. *Moral. c.* 50. *Quamvis Angelorum & hominum longè sit natura dissimilis, una tamen pœna implicat, quos unus in crimine reatus ligat.*

Qui cruciatus Deo disponente potest esse æqualis demeritis. Non refert etiam, quòd cruciatus iste non appareat tantus, quantus erit quem ab igne patientur homines reprobi resumptis corporibus; quorum tamen cruciatus inferior erit illo dæmonum. Nam dici posset, divinitùs fieri; ut objectum ejusmodi ultrà quàm natura rei postulet, in spiritibus excitet tristitiam tantam, quantam exigit cujusque demeritum. Adde, in animabus damnatorum oriri magnam afflictionem ex consideratione corporalis ustionis certò & inevitabiliter eis imminentis post resumpta corpora. Denique indubiè potest Deus modis nobis ignotis supplere, quidquid spiritibus ex hac parte deesset ad cruciatûs complementum; ac si quid desit, indubiè actu supplet.

Ob hæc *Suarez* (quem sequuntur varii 40.

Recentiores) novam ingeniosè excogitavit opinionem, ignem scilicet per potentiam obedientialem instrumentaliter producere in Angelis qualitatem quamdam spiritualem eis ingratam & disconvenientem, quæ sit objectum acerbissimi doloris.

Nec rectè recurritur ad qualitatem supernaturalem ac potentiam obedientialem. Sed ob difficultates evadendas non est quærenda via nova, quæ non minores difficultates, prout ista, patitur: nam (omissâ difficultate communi, quòd ita natura ignis ad cruciatum dæmonum non magis serviat, quàm terræ vel aquæ) fundatur hæc Doctrina in potentia obedientiali physica cujuslibet ad quodlibet; quæ tamen non est admittenda, nisi ubi est potentia inchoata. Deinde qualitas per illam producta secundùm *Suarez* non est supernaturalis; cùm tamen neque à naturæ debeatur, neque à natura sit causabilis; quod est infallibile supernaturalitatis signum. Præterea statuit *Suarez* qualitatem hanc fœdantem gratiæ contrariam; cùm tamen constet animas in purgatorio gratiâ esse dotatas, adeòque non à simili qualitate cruciari, & tamen verè ab igne cruciari.

41. Valde equidem credibile mihi apparet, quòd sicut dantur corporeæ affectiones, quæ per se conveniunt corpori aut ei disconveniunt seu dolorificæ sunt, v. g. odor gratus aut fœtulentus & similes, sic etiam dari possint affectiones spirituales. Ita namque qualitates supernaturales, præsertim gratia, mirè decorant animam, eamque sui contemplatione mirabiliter delectant: adeòque *Non displicet tamen possibilitas qualitatis spiritum affligentis.* similiter dari posse videtur qualitas spiritui ingrata, quæ ipsum deturpet, seu ei disconveniat, suoque intuitu spiritum vehementer affligat. Prout ipse dolor seu tristitia vitaliter disconvenit spiritui, eumque malè afficit. Sic igitur possibile apparet Deum hoc modo cruciare *Similem afflictionem potest moraliter causare ignis.* spiritus; igne concurrente tamquam instrumento morali, prout aqua seu Sacramentum Baptismi concurrit ad sanctificationem animæ. Et in hoc concordat *Poncius d.* 19. *n.* 58. cui satis proba- *Et fortè de facto causat.* bile videtur, de facto sic fieri. Immo si (quod Nonnulli docent) tristitia sit qualitas non habens aliquod objectum, sed profluens ex actu versante circa certum objectum: quidni qualitas ista seu tristitia spiritualis, qualis nunc concipitur ab anima juncta corpori, divinitùs possit produci in spiritibus separatis, ad præsentiam ignis tamquam instrumenti moralis?

Ex quibus hoc animo fixum hæret, omnipotentem Deum posse spiritus nequam gravissimè cruciare diversis modis, quos nostra imbecillitas non comprehendit: incertum verò esse, quo modo ex enumeratis, immo an non potiùs alio præter omnes enumeratos de facto ipsos affligat. Ut proinde determinatum de hoc judicium suspendere prudentissimum videatur; illud unicum cum *Augustino l.* 21. *de Civit. c.* 10. concludendo: *Cur non dicamus, quamvis miris, veris tamen modis etiam spiritus incorporeos posse pœnâ corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari?* *Incertum equidem manet, quo modo ignis de facto spiritum cruciet.*

QUÆSTIO VI.

De Pœna damni dæmonum.

POENA damni consistit in perpetua carentia visionis & fruitionis Dei inflictâ propter culpam. Eam pati omnes dæmones tam certum est, quàm neminem ex iis esse beatum, sed omnes esse damnatos. Quod quidem malum ægerrimè ipsos afficit, dum constringuntur perpetuâ consideratione tam immensæ hereditatis, quam liberrimâ suâ voluntate amiserunt, absque spe recuperandi quàm diu Deus est Deus. Unde huic pœnæ involvitur desperatio. Accedit quoq; vermis seu remorsus conscientiæ; cui dum jugiter proponitur culpa velut causa hujus & aliarum miseriarum damnationi annexarum, resultat in damnatis spiritibus ineffabilis tristitia, non quidem de culpa quatenus est Dei offensa, sed quatenus est tot malorum seu incommodorum radix; diciturque hæc pœna vermis, ductâ metaphorâ à verme corporali, quòd sicut hic carnes, sic ille spiritum jugiter rodat. Huc etiam reduci posset dæmonum induratio sive obstinatio: de qua *quæst. seq.* 42. *Secunda dæmonum pœna est damni.* *Cui annectitur desperatio & vermis conscientiæ.*

43. Ad pœnam damni quoque revocatur privatio gratiæ, quæ cum ipso peccato inchoata æternaliter perseverat. Item privatio aliorum donorum gratuitorum; quibus post damnationem dæmones sunt omnino spoliati, usque ad ipsam fidem infusam: adeòque signorum evidentiâ dumtaxat coacti *dæmones credunt & contremiscunt*, ut dicitur *Iac.* 2. *Privatio gratiæ & aliorum gratuitorum.*

Nihilominus ex Sententia *S. Dionysii* & Theologorum communiter facultates naturales in desertoribus Angelis manserunt omnino integræ, sic ut possint tantùm intelligere, velle, & se ipsos aliaque movere, ac si numquam peccassent. Quàmvis potuisset Deus vim innatam istarum facultatum retardare, ac velut labefactare. De facto etiam impediuntur

pediuntur frequenter & in multis à Deo aut bonis Angelis, quo minùs facultate suâ locomotivâ utantur in hominis interitum aut nocumentum: uti quoque interdum impediuntur quo minùs aliqua cognoſcant, quæ nativam alioquin vim intelligendi non excedunt, prout ex præcedentibus conſtat. Circa mores tamen eſt intellectus dæmonum excæcatus ſeu obnubilatus, & voluntas perturbata: etſi circa politicam prudentiam nil perſpicaciæ ſit à dæmonibus amiſſum.

44. *Eſtq; major quàm pœna ſensûs,*

Petes I. An pœna damni ſit major, quàm pœna ſensûs? Reſp. Aff. non ſolùm quia eſt ſimpliciter majus malum, uti excludit majus bonum, quàm pœna ſenſûs; ſed etiam quia magìs cruciat ſeu affligit. Eſt doctrina *Chryſoſtomi Hom. 13. in Epiſt. ad Philippenſes*, in parte morali ubi ait: *Intolerabilis res eſt gehenna, fateor, & valde quidem intolerabilis; attamen intolerabilius mihi videtur, de regno decidiſſe.* Idem ſignificat *Baſilius* in illud *Pſ 33. Timorem Domini docebo vos*, dicens fore *ſuppliciorum omnium graviſſimum, opprobrium illud & confuſionem ſempiternam.* Nec mirum miſeros & carnales homines id non capere: utpote qui neque capere ſufficiunt & condignè æſtimare magnitudinem intenſivam & extenſivam cæleſtis gloriæ, quæ eſt poſſeſſio tanti boni, eaque æterna.

45. *In omnibus quodam ſenſu æqualis, quodam inæqualis.*

Petes II. An pœna damni ſit æqualis in omnibus? Reſp. eſſe æqualem hâc ratione, quòd ſinguli amiſerint totam beatitudinem cum omni jure & ſpe. Quatenus tamen unus cognoſcit ſe fuiſſe elevandum ad gloriam ampliorem, ſi gratiæ reſpondiſſet, ſive in gratia ſtetiſſet, quàm alter, eatenus excidit unus ſpe & poſſeſſione majoris boni quàm alter: ſicut ſi duo inæqualium facultatum exuantur omnibus fortunæ bonis, in hoc quidem æquales ſunt, quòd neutri aliquid reliquum ſit; plus tamen amittit, qui plus habuit. Denique afflictio ſeu triſtitia ex hac pœna proveniens ſtatuenda eſt inæqualis pro menſura demeritorum: conſonat namque æquitati juſtitiæ vindicativæ, ut in hac quoque afflictione, quæ eſt maxima & eſſentialis damnatorum, ſervetur proportio ad culpas. Deinde alioqnin connaturaliter plùs plerumque affligerentur minùs demeriti: ſive quia minùs nocentes ægriùs ferre ſolent pœnam æqualem ei quam ſuſtinent maximè nocentes: ſive potiùs, quia hi majori plerumque gradu gratiæ & gloriæ exciderunt, ob unum v. g. vel pauca mortalia perpetuò damnati. Et quàmvis hoc fortè fallat in dæmonibus, ſi (quod cenſet *D. Bonav. d. 6. a. 3. q. 1.*) qui præcellunt in nobilitate naturæ, cui gratiæ dona fuerunt proportionata, etiam præcelluerint in magnitudine culpæ: tamen ſæpenumero locum habet in hominibus damnatis; de quibus pariformiter procedit præſens dubitatio. Ut igitur hoc inconveniens vitetur, dicendum apparet, divinâ providentiâ attemperari triſtitiam pœnæ damni proportionatè ad culpam. Addit ſubtiliter *Scotus 4. diſt. 50. q. 6. n. 12.* inæqualitatem pœnæ damni eatenus ſequi ex inæqualitate culpæ, quatenus qui graviùs peccavit, ſe privavit majori bono ſeu rectitudine debitâ actus oppoſiti, cui conſequenter majus reſpondiſſet per ſe loquendo meritum majorque gloria.

Petes III. An dæmones ita ſint repleti triſtitiâ, ut nulla ex re gaudium aliquod percipiant? Reſp. id non planè conſtare. Nonnulli enim quoddam verum gaudium eis tribuunt, ortum ex ſucceſſu deſiderato v. g. ſuarum tentationum aut machinationum. At *Alenſis, Scotus, Angles*, & alii paſſim contradicunt. Et, ut videtur, probabiliùs, propriè loquendo de gaudio. Sunt namque continuò in immenſa triſtitia, cum qua non bene conſiſtit gaudium; & ut conſiſteret, credibile eſt, Deum nolle ad gaudium ipſorum concurrere. Quæ proinde de lætitia dæmonum, etiam quandoque per cachinnos oſtenſâ, referuntur, ad exteriorem gaudii ſimulationem (prout homines amaritudine pleni oſtentant quandoque lætitiam quam non habent) & interiorem complacentiam in rei deſideratæ ſucceſſu ſeu conſecutione (quam per ſe gaudium conſequitur) ſunt referenda. De qua etiam intelligi poteſt. *S. Auguſtinus l. 2. de Gen. contra Manich. cap. 17.* ubi de diabolo ait: *Pœna ejus eſt, ut in poteſtate habeat eos, qui Dei præcepta contemnunt ..... Et inde major pœna eſt, quia de hac tam infelici poteſtate lætatur.* 46.

Dæmones nulla de re veroſimiliùs gaudent.

QUÆSTIO VII.

De Obſtinatione dæmonum.

OBSTINATIO dæmonum alia eſt negativa ſeu privativa, quæ conſiſtit in impœnitentia, ſeu carentiâ perpetuâ ſalutaris pœnitentiæ. Et ab hac voluntas dæmonum dicitur obſtinata in malo ſeu peccato habituali, quatenus illud per converſionem ad Deum nunquam tolletur, adeòque perpetuò manebit in ſtatu peccati. Immo hæc im- 47.

Obſtinatio dæmonum, alia negativa, alia poſitiva.

pœnitentia est adeò infallibilis, ut simpliciter impossibile sit dæmonibus illam tollere. Alia obstinatio est positiva, quæ consistit in continuatione actualis odii Dei seu aliorum inordinatorum affectuum & pravarum operationum.

48. *Negativa in subtractionem omnimodam divinæ gratiæ.*

Obstinatio negativa non est referenda in naturalē immobilitatem voluntatis angelicæ in eo quod semel voluntate omnino deliberatâ elegit; ut contra *D. Thomam* rectè *Scotus* & alii communiter post *Fulgentium l. de fide ad Petrum c. 3.* & alios Patres. Vide dicta *disp. 3. q. 6.* de Libertate voluntatis Angelicæ. Neque etiam in malum habitum cogentem ad peccandum, vel continuationem actus primi, qui peculiariter à Deo conservetur; quod sanè à divina bonitate alienum est. Sed referenda est in omnimodam gratiæ subtractionem: quæ fundatur, tum in hoc quòd dæmones sint in termino, tum quòd in via aliud non meruerint. Gratiâ namque subtractâ impossibile est, ut dæmones è statu peccati per salutarem pœnitentiam assurgant; adeòque necessarium est, ut in statu peccati, & aversione habituali à Deo obstinati perseverent. Vide *D. Bonav. d. 7. p. 1. a. 1. q. 1. in corp.* Fortasse tamen ad majorem obdurationem conducit, quòd dæmones aut spiritus angelici, etsi simpliciter liberi maneant post deliberatam electionem, ægrè tamen patiantur se avelli ab eo quod semel ita elegerunt; ut plures Doctores advertunt.

49. *Positiva in malam dæmonum voluntatem est referenda.*

Obstinatio positiva seu perseverantia in peccatis actualibus referenda est in malam dæmonum voluntatem: quæ destituta divinæ gratiæ auxilio, ac pondere peccatorum & pessimorum habituum pressa, junctâ consideratione gravissimorum & perpetuorum cruciatuum, quæ à Deo vindice infliguntur, cum desperatione ea umquam evadendi, odio & velut rabie in Deum furit, & in contraria divinæ voluntati studia toto impetu fertur. Et quamquam dæmones ampliùs non demereantur, eò quòd sint extra statum viæ: verè tamen malis affectionibus suis & operationibus peccant, Deumque offendunt. Voluntas siquidem ipsorum prædictis non obstantibus manet physicè libera, non solùm quia ex pluribus malis liberè eligit unum, & à singulis potest abstinere: sed etiam quia simpliciter indifferens est ad malum faciendum & omittendum, etsi moraliter determinata.

50. *Nullum opus omni ex parte bonum dæmones faciunt.*

Neque solùm dæmones in malis appetendis, sed etiam in bonis moralibus, ea non bene, sed vitioso motivo eligendis, peccant. Non quòd Deus concursum eis ordinarium ad opus simpliciter bonum eliciendum neget: cùm frustrà dicamus naturalia in iis mansisse integra, si concursus generalis eis non sit paratus ad bonum, quod viribus naturæ facere possunt: sed ob causas mox antè relatas; quæ moralem impossibilitatem generant. Est communis Doctorum, nec dissentit *Scotus 2. d. 7. q. un. n. 24.* ubi quidem non negat dæmonibus potentiam naturalem sive libertatem physicam abstinendi à malo, & faciendi opus moraliter bonum: *Mirum enim videtur* (inquit) *negare potentiam naturalem in natura illa excellente, ubi non apparet aliquid propter quod sit neganda.* Sed immediatè subdit: *Probabile est tamen, quòd secundùm hanc potentiam non exeant in actum, propter vehementem malitiam.*

DISPUTATIO VI.

De Creatione mundi corporalis, ac præsertim hominis, hujusque primævo statu.

1. *Genesim descripsit Moyses*

CREATIO mundi corporalis describitur à Moyse *Genesis 1. & 2.* Ipsum enim esse hujus descriptionis Auctorem, uti & totius Pentateuchi, iis saltem exceptis quæ de morte ipsius Moysi agunt, communis est Sententia Patrum, immo & Judæorum. Quod non obscurè colligitur ex *Trid. sess. 4.* definiente, quinque libros Moysi esse canonicos; & ex Scriptura *Lucæ 16. 20. & 24.* & *Joan. 5.* ubi illos Christus ipse citat sub nomine Moysi. Existimat autem *Theodoretus q. 1. in Gen.* estque valde credibile, Moysen hos libros scripsisse in deserto, pro rudis populi institutione volens texere brevissimam Chronologiam & seriem rerum gestarum per Patriarchas à principio mundi conditi usque ad mortem suam, idque planâ narratione, ut decet historicum divinitùs inspiratum. Nihilominus in hac ipsa creationis mundi narrativa descriptione plurimæ, eæque inextricabiles difficultates occurrunt, quæ fusè à Patribus & Interpretibus S. Scripturæ tractantur, dum scribunt in Caput 1. & 2. Genesis, seu in Opus (ut habet titulus apud Patres usitatus) Hexameron, id est, sex dierum. *In deserto.*

Quia nihilominus Scholastici universi specialem quoque tractatum ea de re instituere soliti sunt, à nobis quoque breviter attingi debuit. Itaque sit

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quando, & quot dierum spatio mundus sit conditus?

2. *Mundus non est conditus ab æterno.* DIco I. Mundus non est conditus ab æterno. Est de fide ex *c. firmiter, de summa Trinit.* contra *Aristotelem* & nonnullos ipsum secutos Philosophos. Patet ex Scriptura, *Proverb.* 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio &c.* Joan. 17. *Clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui priùs, quàm mundus esset, apud te.* Ad *Ephes.* 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Idem certissimè liquet ex Chronologia mundi, quam Moyses descripsit: primùm namq; testatur Deum in principio creasse cælū & terram, dein reliqua, sex dierum spatio; à quo tempore velut à capite computat tempora sequentia. Sanè nullum æternitatis mundi vestigium extat. Immo ne minima quidem existit memoria ullius antiquioris gesti, quàm sit scripto proditum à Moyse; qui antiquitate superat omnes omnino Scriptores, sive sacros, sive profanos, quorum aliquid apud gentiles reliquum est: ac præterea quoad antiquitatem rerum narratarum similiter omnes antecellit, etiam *Berosum* Chaldæum (si tamen verus sit, & non suppofititius, qui nunc extat; prout supposititiū esse Varii ostendunt, quos refert & sequitur *Tornielius Præfat. in Sacros Annales n.* 9.) inter profanos Historicos antiquissimum, qui suam Historiam solùm protendit usque ad tempora diluvii.

3. *Refellitur hæresis Præadamitarum.* Ex præfata Moysis Chronologia manifestè etiam retunditur novella Hæresis *Præadamitarum* de hominibus Adamo prioribus, à Gallo quodam Litteristâ, Theologiæ ignaro (qui nuper Bruxellæ visus est) sine ullo fundamento ex cerebro, non ita pridem, confictа, quæ vix orta interire cœpit, *sicut fœnum tectorum, quod priùs, quàm evellatur, exaruit. Psal.* 128. Nam sub initium mundi ceterorum creationi subtexuit Moyses creationem Adæ, tamquam primi hominis, & ceterorum protoparentis. De quo similiter *Act.* 17. dixit Paulus: *Fecitq́, ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ.* De eodem *Sap.* 10. dicitur: *Hæc, Sapientia, illum qui primus formatus est à Deo Pater orbis terrarum, custodivit, & eduxit illum à delicto suo.* Et 1. *ad Cor.* 15. ait Apostolus: *Factus est primus homo Adam in animam viventem.* In quo proinde tamquam radice tota posteritas est vitiata, ut fides docet ex eodem Apostolo *ad Rom.* 5. Denique *Luca* 3. Christi genealogia in Adamo, velut protoplasto & primo parente, terminatur.

Ex eadem Moysis Chronologia etiam manifestè constat, mundum paucis annorum millibus extitisse; ut patet considerandi paucitatem generationum, quas Moyses recenset ab Adam usque ad sua tempora; addito computu annorum ab obitu Moysis usque ad Nativitatē Christi (quæ juxta computum *Tornelli* incidit in annum 1468. ab obitu Moysis) & inde usque ad nostra tempora. Idem patet ex serie generationis Christi, quæ recensetur usque ad Abraham *Matth.* 1. & usque ad Adam *Luca* 3. 4. *Mundus extitit paucis annorum millibus.*

Nihilominus difficillimè initur præcisus annorum computus, qui ab exordio mundi effluxerunt: circa quem proinde mirè variant Chronologi. Ecclesia quidem computat annos ante nativitatem Christi juxta editionem & computum LXX. Interpretum, annos verò post nativitatem Christi juxta computum Dionysii Monachi, cognomento Exigui, ab eo Dionysianum vocatū. Unde in Martyrologio Romano ad diem 25. Decemb. refertur Nativitas Christi incidisse in annum mundi 5199. Exinde autem cùm juxta vulgatum computum effluxerint anni 1658. consequenter nunc agcretur annus 6858. Verumtamen Ecclesia neutrum computum legitimè approbat, quantumvis usurpet. Sanè in computu LXX. multas annorum centurias redundare, ex textu Hebraico & Editione vulgata notum est, & periti Chronologi pro comperto habent. Unde ipsi passim hoc neglecto, aliam computûs rationem ineunt: sic ut Nonnulli nativitatem Christi censeant incidisse in annum mundi 3950. ut *A Lapide*; Nonnulli in annum 3952. ut *Beda*; Nonnulli in annum mundi 4051. ut *Tornellus*. Similiter apud recentiores Chronologos est in confesso, vulgatum computum Dionysianum ab ortu Christi esse æquo breviorem, hoc est, aliquot annos ei adjiciendos. Unde *Baronius* ei adjicit duos. Alii adjiciunt quatuor, sic scilicet ut annus modernus, qui vulgò dicitur Christi 1659. verè sit annus 1663. dicuntque Christum natum anno 41. Correctionis Julianæ (sic dictę à suo auctore Julio Cęsare) Augusto 12. & Cornelio Sulla Consulibus. Interim sub judice lis interminata manet. Videri potest *Petavius de Doctrina temporum Lib.* 12. *c.* 6. & *lib.* 13. *in tabulis annorum*, ubi nativitatem Christi refert in annum 41. Julianum & Consules præfatos. 5. *Præcisus tamen annorum computus est incertus.*

6. *An esse potuerit ab æterno?*

Sed Controversia non parva est inter Doctores, an de absoluta potentia potuerit mundus creari ab æterno. Quæ quoniam in Philosophia solet fusiùs pertractari, paucis hîc solùm perstringenda est. Non pauci cum *D. Bonaventura*, *Richardo* & *Alberto* universim negant; idque valde probabiliter, præsertim ob Auctoritatem Patrum, in qua Nonnulli solùm aut primariè se fundant. Plures ali universim affirmant, etiam quoad res successivas; à quibus tamen Nonnulli excipiunt generationem humanam, ne alioquin daretur infinitum actu, animæ scilicet rationales numero infinitæ. Quod idem tamen incommodum in tali hypothesi non minùs sequeretur ex generatione substantiarum corruptibilium, si illas Deus, uti animas rationales, conservaret. Denique Alii passim cum *Suarez* & *Smising* affirmant quoad res permanentes, negant quoad successivas.

Potuit quoad res permanentes, Quæ postrema Sententia quoad res permanentes suadetur: quia non est repugnantia ex parte causæ; cùm sit omnipotens & æterna, nec sit necesse causam duratione præcedere effectum; nam si ignis fuisset ab æterno, etiam splendor ab eo genitus fuisset ab æterno, ut rectè *Aug. 6. de Trin. c. 1.* Non est similiter repugnantia ex parte effectûs; cùm ei exinde nulla foret communicanda perfectio infinita vel creaturæ repugnans, sed solùm coëxistentia cum æternitate. Et ob hoc satìs aptè post *Gregorium Ariminensem* notavit *Smising. Tract. 3. de Deo Uno disp. 7. n. 93.* meliùs dici, quòd creatura potuerit esse ab æternu, quàm esse æterna; quia videlicet illud solùm significat coëxistentiam cum æternitate, istud autem videri potest indicare intrinsecam æternitatem, quam Deus sibi soli vendicat.

Nec obstat, quòd Patres contra Philosophos & *Arianos* negent æternitatem creaturæ ex hoc ipso, quòd creatura est, & ex nihilo. Nam partim negant ei æternitatem à se vel ab intrinseco competentem; quam nonnulli Philosophi adscribebant materiæ primæ, aut ipsi universo quasi principio carenti. Partim negant creaturæ æternitatem posse competere necessariò; prout *Aristoteles* affirmabat mundum necessariò fuisse ab æterno productum à Deo, veluti necessariò agente. Partim asserunt de facto nullam creaturam esse ab æterno; quod cùm *Arians* quoque faterentur, dicentes de Filio Dei: *Erat, quando non erat* (etsi posteriores quidam *Arians* à priorum Sententia recedentes fassi fuerint Filium Patri coæternum, non tamen consubstantialem) rectè Patres contra ipsos urgebant, Filium Dei non esse creaturam, utpote genitum ab æterno & ante omnem creaturam: simul tamen interdum insinuant Deo propriam, etiam de possibili, æternitatem ab intrinseco & necessariò competentem.

Quantùm ad res successivas, v. g. motum circularem solis &c. si possent produci ab æterno, sequeretur, possibile esse infinitum actu: tempus enim æternum à parte antè foret actu infinitum, in quo tot forent exactæ annorum Myriades, quot anni, tot anni quot horæ, tot horæ quot minuta &c. Similiter sequeretur infinitus animarum rationalium numerus, si generationes humanæ fuissent ab æterno. Aliud est de tempore æterno à parte pòst: quia id numquam actu ponetur vel positum erit, adeòque tantùm est infinitum potentiâ. Prout etiam non potest assignari tam diuturnum tempus, sed semper finitum, à parte antè, quin semper adhuc ante illud potuisset creatura creari à Deo. Si verò supponeretur infinitum actu esse divinitùs possibile, adhuc satìs constat non posse ens successivum esse æternum à parte antè, hoc sensu, quasi secundùm se totum, vel aliqua ejus pars secundùm se totam possit esse ab æterno: cùm ipsum, omnisque pars illius, etiam à Deo assignabilis, quatenus successivum est, essentialiter involvat prius & posterius; posterius autem veluti præsupponens existentiam prioris, nequeat esse ab æterno, quo nil prius. Nihilominus dubitari posset, an positâ possibilitate infiniti, repugnet dari ens successivum tale, ut æternitas nequeat coëxistere ulli tempori vero vel imaginario, cui non similiter istud ens quoad aliquam sui partem coëxistat, item ut numquam possit assignari pars aliqua illius finita & determinata, quæ sit prima. Unde consequenter nec ab ipso Deo determinari posset, in quo hemisphærio v. g. sol fuisset productus vel primò cœpisset circulariter moveri, cùm in utroque fuisset ab æterno successivè, nec foret in motu isto aliqua pars prima. Quod quidem cum quibusdam similibus non bene à nobis conceptibile est. Equidem contrà facit, quòd similes difficultates videantur etiam posse urgeri contra motum æternum à parte pòst, qui utique est possibilis, & caret parte ultimâ; item contra infinitas partes motûs quas videt Deus actu potuisse præcedere motum seu diem hodiernum. Ut proinde omnino incertum videatur *Poncio disp. 51. Philosoph. n. 50.* quid de hac re censendum. Vide ipsum etiam *n. n. seqq.*

7. *An etiam quoad successivas?*

Dico II. Mundus probabiliùs est creatus 8.

tus

Mundus cœpit tempore verno. tus tempore, quod apud nos est vernum, apud Antipodes autumnale. Sic passim Patres & Doctores. Consonatque formatio seu conceptio secundi Adæ, Christi; similiter passio & resurrectio ipsius, atque adeò mundi reparatio, quæ pariter peracta fuerunt tempore verno, credibiliter mense Martio. Accedit quod *Beda l. de temporum ratione c.* 65. & *Opusculo de sex ætatibus mundi* referat in quadam Synodo Provinciali Cæsariensi, quę habita fuit de mandato Victoris Papæ, B. Theophylum Archiepiscopum cum ceteris declarasse, mundi creationem cœpisse tempore veris, & Adamum fuisse creatum Decimo Kalendas Aprilis, seu 23. Martii; adeòque primum diem mundi fuisse 18. Martii. Consequenter dies quartus fuit vigesimus primus, quo sol est creatus, in principio arietis, à quo cursum solis auspicantur etiam antiqui Astrologi.

Contrarium Conclusionis docet *Lyranus, Abulensis*, & plures alii censentes mundum incepisse circa æquinoctium autumnale. Pro quibus

Dices: Tempore verno non sunt fructus; quales tamen in principio mundi fuerunt, ut patet ex fructibus ligni vetiti, & *q. seq.* §. 3. dicendis. Deinde Hebræi ante legem solebant initium mensium anni computare ab æquinoctio autumnali, quod incidit in nostrum Septembrem, etsi post legem acceptam numeraverint annum incipiendo à mense Nisan, qui respondet nostro Martio & Aprili, ob memoriam liberationis à servitute Ægyptiaca; idque solùm in festis & negotiis sacris: in civilibus enim adhuc veterem morem retinuerunt, ut videre est apud *Bonfrerium in c.* 1. *Genesis*. Immo ista supputandi ratio videtur fuisse jam tum tempore diluvii, adeòque ab ipso exordio mundi: ingressus est enim Noë arcam mense 2. qui videlicet respondet nostro Octobri & Novembri; cùm diluvium priori & difficiliori sui parte occupasse videatur tempus hibernum, inundationibus aptius: mense autem undecimo, qui nostro partim Julio, partim Augusto respondet, columba cum ramo virentis olivæ rediit ad arcam; quod alioquin contigisset mediâ hyeme, scilicet mense Januario aut Februario, si initium diluvii (quod duravit integro anno) referatur ad ver.

9\. *Quo potuerunt esse fructus necessarii.* Ad I. Resp. si ob fructus habendos rejiciendum sit tempus vernum, rejiciendum potiùs esset æquinoctium autumnale, quo fructus ferè omnes sunt decerpti etiam in his frigidis regionibus. In calidioribus quoque regionibus messis verè fit, adeòque & fructus, saltem aliqui maturescere possunt. Sic *Josue* 3. dicitur fuisse tempus messis, quando Israelitæ transierunt Iordanem; quod (ut habetur *c.* 4.) contigit decimo die mensis Nisan seu lunæ Martialis. Quòd autem Christo patiente mense Martio frigus erat noctu; est, quia in locis æquinoctialibus noctes, uti longiores, sic & frigidiores sunt tempore æstivo, quàm in aliis locis. Immo quovis anni tempore in temperatissimis regionibus (qualis utique erat paradisus) arbores ferunt flores & fructus, alios incipientes, alios maturescentes, alios maturos. Ex speciali prætereà privilegio ob alimenta necessaria Deus in principio potuit creasse fructus maturos ante tempus alioquin connaturale, qui vel fuerunt conservati usque ad tempus aliàs maturitati consentaneum, vel incipiente ordinario cursu fructificandi deciderunt, vel certè junctos habuerunt flores aut immaturos fructus juxta exigentiam temporis anni.

Ad II. Resp. Hebræos in Ægypto more regionis supputasse initium anni ab autumno; non constare tamen, quòd ante ingressum in Ægyptum ita supputaverint. Quin potius credendum est, eos ante supputasse à vere, sicut postea, corrigente, & veterem morem restituente Moyse. *Unde tempus Hebræorum annus initium sumpserit.* Diluvium etiam rectè censetur incepisse in vere, ut inundationes æstivi temporis magis declararent divinam punitionem, & vere redeunte mox sequeretur serenitas & alimentorum necessariorum accretio. Neque attendenda est in generali diluvio temporis hiberni idoneitas: cùm equidem in altera parte mundi durante diluvio æstivum fuisse tempus sit admittendum. Prætereà cùm oleæ etiam hyeme omnique anni tempore vireant, ejusque folia numquam decidant, potuit ramus virentis oleæ etiam tunc deferri. Neque potuisset alioquin olea de novo frondere & virescere, utpote sub aquis adeò demersa, ut ante septem dies columba necdum reperisset ubi pes requiesceret. Nisi quis malit dicere, quòd Moyses supputaverit à Septembri; eò quòd mos iste supputandi adhuc vigeret, dum historiam diluvii scripsit. Adde, incertum esse, an mensis secundus sit computandus ab initio currentis anni, an à sexcentesimo anno vitæ Noë, an ab utroque: an etiam mensis undecimus inde, an à principio diluvii sit supputandus.

Dico III. Mundus fuit conditus, non uno eodemque instanti totus, sed per intervallum sex dierum, uti sonat littera Historialis Genesis. Est communis sententia Patrum & Doctorum contra *Philonem Judæum l.* 1. *allegoriarum in principio*, 10. *Mundus sex diebus successivè fuit conditus.*

cipio, qui nostram doctrinam vocat rusticanam simplicitatem, adeòque censet Moysen senario numero, qui est perfectus, solùm significasse perfectionem mundi seu rerum creatarum. Attamen *Philonem* in multis *Platonem* sequi constat; indeque vulgatum: *Aut Philo platonizat, aut Plato philonizat*. Est etiam contra *Procopium* & *Caietanum*: quorum ille putat senarium numerum à Moyse expressum, ut singulorum generum productionem rudis populus facilius caperet: hic verò censet significari eumdem naturalem sexies repetitum. Est denique contra ipsum *Augustinum in libris super Genesim ad litteram*, & *l. 12. de Civit. c. 7. 9. 30. & 31.* existimantem sex dies istos non significare usitata temporum spatia, sed distinctas cognitiones Angelorum, quibus diversa rerum genera, quæ diebus istis creata referuntur, cognoverunt; quæ quidem cognitiones partim erant vespera, quatenus tendebant ad res creatas in se ipsis cognoscendas, partim mane, quatenus ad lumen creatoris mox referebantur, aut etiam quatenus distinctâ cognitione (quæ matutina dicitur) in verbo cognoscebantur.

Explicatur mens Augustini. Verùm *S. Augustinus 2. Retract. c. 24.* loquens de Libris in Genesim citatis, ait: *In quo opere plura quæsita quàm inventa sunt, & eorum quæ inventa sunt, pauciora firmata: cetera verò ita posita, velut adhuc requirenda sint.* Quare *4. de Gen. ad litt. c. 27. & 28.* significat se tantùm ita explicasse velut provisionaliter, sine præjudicio sententiæ melioris, etiam ab ipso fortè posteà inveniendæ. Et *11. de Civit. c. 7. id remotum esse à sensibus nostris, nec ita ut est à nobis intelligi posse*, dicit. *Unde* (inquit *D. Bonav. d. 15. in Expos. textûs dub. 3. in fine*) *Augustinus in libris suis in multis locis* (unum saltem reperi, in quo manifestè supponit Doctrinam communem, scilicet *l. de Catechizandis rudibus c. 17.*) *tenuit viam aliorum Sanctorum, ex quo patet quòd non erat eis contrarius.*

11. *Successiva rerum creatio convincitur ex Scriptura.* Probatur Conclusio: quia Scriptura, præsertim historica, debet intelligi ad litteram, & in sensu, qui in simplici narratione legentibus est obvius; prout fit à nobis in Conclusione. Unde simili ratione intelligitur per cælum, terram, aquam &c. id quod littera sonat. Neque aliquid est, quod urgeat in præsenti recessum à simplici sono litteræ.

Deinde Moyses *Exodi 20.* hanc reddit rationem, cur Deus velit diem septimum sanctificari: *Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requievit in die septimo.* Eamdem rationem iisdem pœnè verbis assignat *c. 31.* Hæc autem ratio nulla esset, si revera non fuerit ista dierum distinctio.

Denique varia continentur *Gen. 1.* quæ juxta diversam opinionem nequeunt rectè explicari. Sic tenebræ dicuntur fuisse, utique verè, super faciem abyssi; adeòque non fuit lux creata primo instanti. Similiter aquæ referuntur in principio confusæ, & postea per interpositionem firmamenti divisæ: aquæ etiam quæ primò operiebant terram, deinde congregatæ sunt in locum unum, sicque terra apparuit arida: hæc quoque fuit inanis & vacua, adeòque non simul ornata plantis & fructibus. Ratio facti non alia est quærenda, quàm divina voluntas, adeò manifestè per Moysen expressa. Nec deest congruentia: tum ne, si omnia simul à principio perfecta legerentur, increata putarentur: tum ut discamus in operibus nostris ab imperfecto ad perfectum tendere: tum ut discamus omnem rem, quantumvis exilem & imperfectam, à Deo pendere tamquam auctore. Duas priores congruentias habet *Ambrosius l. 1. in Hexameron c. 7.*

Nec obstat, quod *Eccli. 18.* de Deo dicitur: *Creavit omnia simul.* Nam *simul* idem est, quod *pariter* seu *communiter.* Et consonat vox Græca. Unde non afficit verbum *creavit*, sed nomen *omnia*, adeòque significat omnia sine exceptione à Deo creata. Simili ferè sensu *Ps. 13.* dicitur: *Simul inutiles facti sunt.* Et *Job 40. Ecce Behemoth quem feci tecum*; quia scilicet creavit utrumque. Quod autem *Gen. 2.* dicitur: *Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cælum & terram*; sensum habet, in tempore quo fecit &c. Nam dies per Hebraismum sumitur pro tempore, quandoque etiam longiore. Præterea more Scripturæ singularis poni solet pro plurali. Neque hic creandi modus arguit imperfectionem in Deo: cùm non ex infirmitate aut necessitate, sed ex libertate creaturas successivè produxerit ob fines sapientiæ suæ notos. Quemadmodum & miracula Christus interdum non momento, sed successivè perfecit; ut *Marci 8.* quando cæcum prius imperfectè, deinde perfectè illuminavit. Similiter ergo Deus in rerum creatione ab imperfecto ad perfectum processit, primò creando cælum, terram, & aquam; secundò distinguendo lucem à tenebris, seu diem à nocte, aquas ab aquis mediante firmamento, mare à terra seu arida. Tertiò deoique ornando cælum stellis, aquas piscibus, aërem avibus, & terram plantis ac animalibus. In quo exhibetur triplex mundi status, primus creationis in quo elucet omnipoten- 12. *Occurritur argumentis incontrarium.*

potentia, secundus distinctinnis in quo sapientia, tertius ornatûs in quo bnnitas divina elucet. Ita *D. Bonav. Breviloquii p. 2. c. 2.* & *Centiloquii p. 3. sect. 10.*

QUÆSTIO II.

De Opere primæ diei.

OPus hujus diei exprimitur *Gen. 1.* his verbis: *In principio creavit Deus cælum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi: Et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixitq; Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quòd esset bona: & divisit lucem à tenebris: appellavitq; lucem Diem, & tenebras Noctem: factumq; est vesperè & manè dies unus.*

13. Qnibus verbis significatur in principio, scilicet temporis, antequam Deus quidquam faceret, seu primò omnium, fecisse cælum & terram. Unde efficaciter probata manet Dnctrina *Augustini l. 1. de Gen. ad litt. c. 15.* & *lib. 12. Confess. cap. 17. & seqq.* & alibi, & communis aliorum Patrum Latinorum *Augustino* posteriorum, omniumque Theologorum, creatam quidem fuisse in principin materiam, non tamen planè informem: tum quia ampliùs sonant cælum & terra: tum quia differentia utriusque à principin convincit nnn fuisse illa dumtaxat materiam infnrmem, penes quam utique nnn fuisset distinctin. Immo *D. Thomas* cum suis putat impnssibile omnino esse, ut materia tempore præextiterit formæ. Quod tamen *Scotus* & alii communiter velut infundatum meritò nnn admittunt. Dum verò *Augustinus* indicat materiam priùs fuisse infnrmem; satis se ipsum explicat de prioritate, non tempnris, sed naturæ. Quare diversus quorumdam Veterum loquendi modus sic accipiendus est, ut voluerint corpnra sensibilia in principin creata fuisse informia (excipienda merito structura præsertim interinr cœli Empyrei) quatenus carebant modernâ distinctione, ornatu, ac fnrmarum præstantiorum deinceps inditarum pulchritudine. Quo sensu *Genes. 1.* dicitur: *Terra autem erat inanis & vacua*, id est, destituta plantis, ceteroque ornatu ac inhabitatoribus. Unde inter fabulas rejiciendum, quod de indigesto chaos veluti mundum præcedente quidam Ethnici Philnsophi & Poëtæ finxerunt, quorum sententiam explicat *Ovidius l. 1. Metamorphos.* Et loquendi modum litteris eorumdem imbutus imitatur *Erasmus in Commentario Hymni Prudentiani de Epiphania Domini;* ut refert *Estius d. 13. §. 4.*

Materia mundo coæva, sed non priùs informis.

Nisi prioritate naturæ.

Vel hoc sensu, quòd priùs caruerit ornatu.

Nomine cæli intelligit *Estius d. 12. §. 5.* quidquid supra nos est (quod totum mnre Scripturæ vocari solet cælum) adeòque etiam aërem & ignem (ut præmiserat *§. 4.*) nomine terræ verò quidquid infra nos est, id est terram cum aqua elemento ei cognato, quocum cnnficit unum terreaqueum globum, etsi tunc adhuc sub aquis mersa lateret. Estque doctrina satis probabilis. Juxta quam *Estius d. 14. §. 1.* & plures alii cnnsequenter censent omnes cælos hnc die fuisse cnnditos quantùm ad materiam & formam: De quo tamen *quæst. seq.* 14.

Nomine cæli intelligitur quod supra nos est.

Non negant tamen hi Auctores simul etiam nomine cæli à Moyse comprehensum fuisse cælum Empyreum, sed solùm alios cælos non esse excludendos. Immo *Suarez l. 1. c. 4. n. 15.* id certum dicit ex communi consensu Patrum & Thenlogorum, nec se invenire aliquem contradicentem ex his, qui cælum hoc existere & creatum esse fatentur.

Etiam cælum Empyreum.

Porrò cælum Empyreum dari, etsi neget *Cajetanus* apud *Suarez sup. n. 1.* tamen veritas communiter in Ecclesia recepta & nmnino certa est, ultra nmnes cælos mobiles dari cælum immobile, nnbilius ceteris, & lucidissimum ac pulcherrimum Beatorum domicilium, quod Empyreum vocatur, ut ait *Suarez n. 2.* adeò ut absque magna saltem temeritate nnn possit negari, quamquam juxta *Sylvium q. 66. a. 3.* non sit dngma fidei, eò quòd neque Scriptura manifestè illud exprimat, neque ulla extet Ecclesiæ definitio. Sufficit tamen pro certitudine indubitatus *Magistri, D. Thomæ, D. Bonaventuræ* & reliquorum Theologorum consensus pnst *Bedam initio Hexameron* & alios Patres: & Scriptura loquens sæpè de superna Jerusalem, sede Beatorũ, ac cælo cæli, in quod Christus ascendit, & tertio cælo in quod Paulus raptus est, & in quo juxta *Trid. sess. 25. de decreto de Invocat. SS.* Sancti cum Christn regnant; quæ intelliguntur ab omnibus de cælo Empyreo. Nam sanè dum *Ps. 113.* dicitur *cælum cæli Domino* significatur cælum, *non hoc quod videtur, sed illud quod superius est, quod hujusce velut tectum est, quemadmodum hoc quod videmus, nostrum est tectum;* inquit *Theodoretus ibid.* Neque est credibile Deum parasse specialem locum tormentorum pro impiis, & non præparasse specialem regiã pro servis & filiis suis, quæ sit locus gloriæ, ultra ea corpora quæ in ministerium viatorum & rerum inferiorum sunt condita, uti cnnditi sunt cæli mobiles. Non est denique credibile Christum, Deiparã, & Sanctos esse in cnntinun motu circulari 15.

Quod indubiè datur.

lari cum ipso velocissimo motu primi mobilis (quod juxta *Cajetanum* est patria cœlestis) aut certè non habere fixos pedes in certa parte cæli, sed sub iis cælum jugiter rotari. Vide *Suarez c. cit.* Existentiâ proinde cæli empyrei suppositâ

16. *Immo verius ipsum solum hic nomine cæli comprehenditur.* Verior Sententia est, Moysen hîc nomine cæli sic comprehendisse empyreū, ut non simul alios cælos, utpote creatos die sequenti. Sic enim planiùs cohærent sibi, quæ de firmamenti & astrorum creatione subnectuntur. Nec mirum videri debet Moysen in principio meminisse rei à sensibus hominum absconditæ; adeòq; minùs accommodæ captui rudis populi: tum quia credibile est populum etiam rudem non latuisse sedem Angelorum, & Beatorum, quæ etiam modò rudiores non latet; aut certè Moysen per se vel per alios satis populum de hoc instruxisse: tum quia non solùm rudiori populo, sed etiam posteritati instructiori prophetico præditus spiritu scribebat. Itaque primò omnium condidit Deus cælum empyreum, quasi totius ædificii tectum; & terram, quasi totius ædificii pavimentum. Sub qua rectè censetur comprehendi ipsa etiam aqua: quam hoc ipso die conditam fuisse ex Genesi est manifestum. Immo & reliqua elementa Nonnulli volunt comprehendi sub terra, velut elemento maximè sensibili, & intrà suas cavitates cetera ex parte complectente. De quo quidquid sit,

Terra coæva est aquæ.

17. *Verisimiliter & aer.* Supponitur passim, saltem de aëre (de igne minora sunt indicia, & de utroque putat *Bonfrerius* quòd sint creati secundo die) quòd sit terræ concreatus; cùm non legatur, nec sit ratio suspicandi, quòd sit creatus postea; immo ejus creatio in sequentibus potiùs supponi videatur, etsi non apertè. Nam de aëre non incongruè accipi videtur quod *Gen. 1.* subditur: *Et tenebræ erant super faciem abyssi*, id est, super superficiem immensæ molis aquarū; ubi proinde aliud corpus diaphanum erat capax luminis, quod ob ejusdem absentiā tenebrosum erat. Quamquam fatear aliud posse significari, quòd scilicet luce necdum creatâ, abyssus undecumq; erat plena caligine, sive lucis expers, tam scilicet secundùm superficiem convexam, quàm concavam, aut ejus intimam profunditatem. Similiter quod in Genesi immediatè sequitur: *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas*, varii Recentiores intelligunt de aere, qui ex nativa sua inclinatione continebat se super aquas, & fortè leviter concitatus movebatur super illas instar spiritûs auræ tenuis. Quæ quidē explicatio facilis, & rudis populi captui accommoda est, neque adeò aliena à phrasi Scripturæ: in qua Spiritus Domini frequenter accipitur pro vento, seu aëre concitato, ut *Ps. 147. Isaia 40. & 59.* & in *Cantico trium puerorum*. Attamen Sancti Patres ferè omnes interpretantur Spiritum sanctum, qui non loco, sed cogitatione, affectu, omniaque superante potentiâ ferebatur super aquas, ex quibus & terrâ eis suppositâ deinceps reliqua efformaret, sicut intentio artificis superfertur materiæ ex qua artefactum cogitat efformare. Et favet Ecclesia, quæ in Benedictione fontis baptismalis id Spiritui sancto tribuit. Denique de aëre, ex parte saltem, aquis superioribus & rarioribus à principio immixto Nonnulli intelligunt illud *Job. 38. Ubi eras, cùm caligine illud* (scilicet mare seu abyssum aquarum) *quasi pannis infantiæ obvolverem?* Et illud *Eccli. 24. Et sicut nebula texi omnem terram.*

Post creationem cæli & terræ creata est lux. Quo quidem nomine Aliqui intelligunt corpus aliquod igneum; Alii verò intelligunt accidens lucis propriè dictæ, productum in corpore capaci luminis, sive in nube tenui, sive alio corpore, quod tempore viginti quatuor horarum circa abyssum aquarum motum per Deum aut Angelos, distinguebat noctem & diem instar solis quartâ die producti, cujus interim lux ista erat vicaria; ut optimè exponit *D. Bonaventura d. 13. a. 2. q. 2. in corp.* 18.

Secuta est productio lucis primigeniæ.

Cujus officium explicatur.

Ex quo colligitur lucem primigeniam non illustrasse simul totum terræ & aquæ globum, sed successivè. Et hâc ratione verificatur illud *Gen. 1. Et divisit lucem à tenebris*, dum scilicet esset lux in uno, & tenebræ in altero hemisphærio.

Quid sit dicere & appellare respectu Dei? Petes I. Quid sit *dicere* & *appellare*, dum refertur *Gen. 1.* Deus dixisse & appellasse seu nominasse aliquid? Resp. *dicere* est Deum efficaciter velle aliquid fieri pro instanti pro quo dicere refertur. Unde etsi ab æterno habuerit velle efficax, non tamen ab æterno dixit externâ dictione, sed tantùm pro tempore, pro quo est efficax in actu quasi secundo. *Appellare* autem, id est, appellari facere. Unde in Hymno vesperarum diei Dom. *Qui mane junctum vesperi diem vocari præcipis.* Hoc itaque modo v. g. *appellavit lucem Diem, & tenebras Noctem*, quatenus illas sic entitate distinxit, successione ordinavit, ut & discerni possent, & nomina ista accipere, juxta *Aug. l. 1. de Gen. contra Manich. c. 9.* Alio paululum sensu de stellis dicitur *Ps. 146. Et omnibus eis nomina vocat*, quatenus videlicet omnes proprietatibus inter se distinctas condidit, & exactissimè cognoscit.

Petes II.

19. *Primus dies mundi fuit Dominicus.* Petes II. Cui hebdomadis diei correſpondeat primus dies mundi? Reſp. diei Dominico; ut patet ex ſabbato, ſive ſeptimo quietis die: hinc enim ſequitur Dominicus tamquam octavus & rurſum primus. Idem declaravit *Concilium Cæſareenſe* ſub Theophilo, cujus fragmentum extat apud *Beda*. Denique id patet ex hymno ad Matutinum diei Dominicæ: *Primo dierum omnium quo mundus extat conditus, vel quo reſurgens conditor* (qui etiam die Dominico reſurrexit) *nos morte victâ liberat &c.*

20. *Sumpſit initium à die juxta plures Patres.* Petes III. An primus dies naturalis mundi & ſequentes ſumpſerint initium à die, an verò à nocte ſeu veſperâ? Reſp. juxta *Baſilium, Ambroſium, Auguſtinum,* aliosque graviſſimos Patres ac Theologos ſumpſiſſe initium à die. Et conſonat id quod ex *Ambroſio* canit Eccleſia ad Veſperas Dominicæ: *Primordiis lucis novæ mundi parans originem.* Loquuntur hi Patres habito reſpectu ad noſtrum hemiſpherium, ſive illam mundi plagam ubi poſtea fuit paradyſus vel palæſtina regio primùm ab hominibus habitata; prout etiam Scriptura loqui cenſetur facto ejuſmodi reſpectu: alioquin ſi apud nos inceperit primus dies à luce, apud antipodes cœpiſſet à nocte. Juxta hanc Sententiam explicādum, quod in *Geneſi* ſubſequenter additur: *Factumq́, eſt veſpere*, id eſt, decurſo iſto die artificiali quem nominaverat, *& mane*, decurſâ ſcilicet nocte ſequenti, completus naturalis *dies unus*, id eſt, primus, cardinali numero poſito pro ordinali, juxta phraſim Hebræis uſitatam, qualis eſt *Joan.* 20. & *Danielis* 9.

21. *Quod tamen gravi difficultate non caret.* Sed hæc Sententia gravem patitur difficultatem: nam ante lucem, teſte Scripturâ, *tenebræ erant ſuper univerſam faciem abyſſi*, adeòque non à luce, ſed à tenebris cœpit dies primus mundi. Nec dici poteſt tenebras præceſſiſſe primum diem breviſſimo tempore, ſeu potiùs momento tantùm: nam inde ſequeretur cœlum & terram, quæ ſunt ante lucem creata, non fuiſſe condita primo die, ſed ante illum; contra illud quod canit Eccleſia: *Primo dierum omnium quo mundus extat conditus.* Et contra illud *Exodi* 20: *Sex diebus fecit Deus cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt.* Ad quod tamen reſponderi poſſet, cælum & terram cenſeri nihilominus condita primo die, Deumque condidiſſe omnia ſex diebus; eò quòd illud breve aut momentaneum ad primum diem pertineret moraliter, immo etiam ſtrictè loquendo, cùm momentum tenebrarū fuerit terminus diurni temporis immediatè ſequentis, quo lux effulſit. *Beda* verò apud *D. Bonav. d.* 1. *a.* 1. *q.* 2. *ad* 4. (qui ſatis probabile cenſet) & plures alii putant lucem primigeniam fuiſſe ortam in puncto meridiei, adeòque tenebras illam præceſſiſſe ſex horis, ſed diem primum fuiſſe conſequenter reliquis tanto breviorem, attento motu ſolius lucis primigeniæ, ac proinde complendum per durationem præcedentem ſex horarum. Quæ Sententia videtur excogitata ad vitandam difficultatem, ſine alio fundamento, & repugnat ſenſui communi etiam Patrum (teſte *Derkennis De mundi primo c.* 5. *nu.* 42. & 44.) aſſerentium lucem primigeniam eſſe conditam in puncto Orientis.

22. *Probabilius cœpit à nocte.* Nihilominus cenſeo æquè, immo magis probabilem Sententiam *Abulenſis, Pererii, Eſtii* & plurium Recentiorum poſt *Hilarium l. de Synodis* haud procul à fine, primum diem naturalem cœpiſſe à nocte, & terminatum fuiſſe in die artificiali duodecim horarum noctem ſeu tenebras ſequente: partim quia ſic vitatur prædicta difficultas. Partim quia Sabbatum Judæorum, ad imitationem quietis primi Sabbati, præceptum *Exodi* 20. immo juxta Nonnullos ſanctificari cœptum ab exordio mundi, incipiebat à prima veſpera ſeu nocte, ut ex Scriptura conſtat; quod ſignum vehemens eſt, ſeptimum diem mundi cœpiſſe à nocte, adeòque & præcedentes uſque ad primum incluſivè. Partim quia ſtylo Hebræorum nox ſemper fuit habita ut prior pars diei naturalis: nec aliter poteſt ſalvari, quomodo Chriſtus etiam per ſynecdochen jacuerit triduo in ſepulchro, niſi nox quâ reſurrexit cenſeatur initium diei ſequentis. Partim denique quia homo fuit creatus ſextâ luce, adeòque Deus cœpit ſabbatizare nocte ſubſequente; & per conſequens nox eſt initium diei ſeptimi, adeòque ſimiliter primi.

Dices, Tenebræ lucem præcedentes non rectè dicuntur nox, nequidem ratione ſubſequentis diſtinctionis lucis à tenebris: cùm dies & nox appellentur à viciſſitudinario motu lucis; dies quidem ubi lux adeſt, nox autem ubi lux mota abeſt; motus autem iſte non erat in primævis tenebris. Reſp. Neg. Aſſ. ejuſque probationem: nam *Gen.* 1. factâ priùs mentione tenebrarum primævarum ſubditur: *appellavitque lucem, Diem, & tenebras, Noctem*; habito indubiè reſpectu etiam ad tenebras, de quibus ſtatim fuerat ſermo. Quamquam nocti ſolitæ jam concomitanter ſemper adſit viciſſitudinarius motus lucis ſolaris. Adde, incertum, an durantibus primis tenebris nullus fuerit motus aëris concitati.

QUÆSTIO III.

De Opere secundæ diei.

OPus hujus diei refertur *Gen.* 1. his verbis: *Dixitq; Deus: fiat firmamentum in medio aquarum & dividat aquas,* antea scilicet conjunctas, *ab aquis &c. Vocavitq; Deus firmamentum cælum*, id est, Hebraicè, *ibi aquæ.*

23. Unica, eaque gravis hîc est controversia, quid intelligatur hoc loco nomine firmamenti. Prima, eaque communior Sententia Patrum & Doctorum est, hoc nomine intelligi cælum stellatū ab octava sphæra inclusivè usque ad infimum cælum, quod Deus instar muri statuit inter aquas quæ supra illud sunt, & aquas inferiores. Unde hi Doctores censent supra octavam sphærā esse veras ejusdemque cum sublunaribus naturæ aquas. Idque consequenter omnino dicendum est: cùm Scriptura testetur per firmamētum esse aquas, primùm unitas, ab invicem divisas ac in diversa loca distributas; quod planè indicat tam unas quàm alteras esse & mãsisse veras ejusdemq; naturæ aquas. Quare minùs probatur illorum opinio, qui impropriè explicant aquas quæ super cælos sunt, earum nomine intelligentes primum mobile sive cęlum Chrystallinum seu aqueum; aut qui censent aquas supercælestes esse diversæ speciei.

Nomine firmamenti probabilissimè intelligitur cælum stellatum.

Probatur hæc prima sententia: quia sic simpliciùs & magis propriè accipitur textus Scripturæ, qui sonat hoc die simpliciter & quoad substantiam factum esse firmamentum, dum verbo *fiat* subnectitur: *Et fecit Deus firmamentum*; quod solùm aut certè principaliter significat ipsos cælos mobiles aut sidereos. Nec ista loquēdi formula adhibetur à Scriptura; nisi quādo aliquid de novo producitur. Alioquin si firmamentum ipsum primo die fuisset productum, non dixisset Scriptura: *Et fecit Deus*, secundo die, *firmamentum, & divisit aquas ab aquis*; sed potiùs: *& fecit firmamentum dividere aquas ab aquis*; præsertim cùm non hinc subeat rationem firmamenti, sed ex eò quòd sit substantia firmiter expansa, quæ consequenter apta sit prohibere, quò minùs superiora inferioribus conjungantur.

Secundò, quia Scriptura de illo firmamento loquitur, de quo subdit: *& posuit eas* (scilicet solem, lunam, & stellas) *in firmamento cæli*; quæ utique non in aëre, sed cælo stellato sunt positæ.

Tertiò, quia subditur productum esse *volatile super terram sub firmamentō cæli*; adeòque aër, in quo est productum volatile, non censetur pertinere ad firmamentum cæli. Nec juvat aliorum responsio, quòd *sub* positum sit pro *in*; cùm in Hebræo sit: *super faciē firmamenti cæli.* Nam juxta *Bonfrerium* vox Hebræa hîc non significat *super*, sed *juxta, contra, circa, versùs*; prout & alibi. Quod intelligens *Hieronymus*, in versione sua (quam probavit Ecclesia) posuit, *sub firmamento cæli.* Deinde aves volant inter nos & faciem firmamenti cæli nobis obversam, & sic quodammodò super firmamenti faciem seu superficiem concavam, vel potiùs contra seu versùs illam.

Quartò, quia esse aquas supercælestes seu ultra sidera, est communis doctrina Patrum; quæ colligitur ex *Cantico trium Puerorum*, in quo suo ferè ordine referuntur creaturæ, & statim post Angelos & cælos ponūtur *aquæ omnes quæ super cælos sunt*; dein sol, luna, stellæ, imber, ros, nubes seu aquæ mediæ regionis aëris, similiaque ejusdem metheora. Similiter *Psal.* 148. dicitur: *Laudate eum cæli cælorum, & aquæ omnes quæ super cælos sunt.* Ad quem porrò finem ibi sint positæ, divina sapientia novit. Nec enim mirum, nos ignorare quæ supra nos sunt, eorumve fines speciales: qui plura ignoramus quę circa nos sunt, & longè plura quę in visceribus terræ: Unde de his aquis rectè *Augustinus l.* 2. *de Gen. ad litt. c.* 5. *Quoquomodo, & qualeslibet aquæ ibi sint, esse eas ibi minimè dubitemus; major est quippe Scripturæ hujus auctoritas, quàm omnis humani ingenii capacitas.* Equidem *res in abdito est valde*, ut ait idem 2. *Retract.* 6. ideoque prudentiùs in abdito relinquitur, quàm incertis aut improbabilibus causis discutiendis vel allegandis tēpus teratur. Neque metuendum est aquarū istarum ponderi: quid si enim sint leves instar vaporum, qui etiam aërem transcendunt? Sicut quoque in homine pituita frigida & humida à Deo est in superiori omnibus humoribus parte collocata, ut allegat *Augustinus* 11. *de Civit. cap. ult.* Nec denique metuendum illarum corruptioni, cùm ibi desit contrarium, & adsit jugiter concursus Dei conservativus. 24.

Vltra quid sunt veræ aquæ.

Quintò probatur: Quia etsi aër in Scriptura interdum appelletur nomine cæli, propterea quòd (ut ait *Bonfrerius*) nullam vocem habeant Hebræi, quæ propriè & præcisè aërem significet, tamen nusquam reperitur nomen firmamenti aëri tributum. Et meritò, cùm firmamentum Hebraicè significet aliquid extensum sive expansum, non quovis modo, sed quasi malleo productum & solidatum; quod in aërem non ita quadrat.

Sextò denique probatur eadem Sententia: quia textus Scripturæ simpliciter

sonat

sonat totum firmamentum esse factum in medio aquarum seu interjectum inter aquas; non autem ipsum esse aquas complexum in suo gremio, prout esset dicendum, si aër comprehendatur sub firmamento, & dividat aquas inferiores ab aliis. Immo in aëre tunc non fuisse adhuc nubes, quæ essent dividendæ ab aliis aquis, indicatur *cap. 2. vers. 5.*

Unde juxta hanc Sententiam, quæ probabilissima est, firmamentum hoc die est factum quoad suam substantiam seu formam, idque verosimiliùs ex aqua juxta *Ambrosium in Hexameron, Theodoretum quæst. 11. in Genes.* & plures alios. Gratis enim *Peripatetici* confugiunt ad quintam essentiam ex qua sint fabrefacti: cùm materia aquæ jam in promptu esset, quæ spatium inter terram & cælum empyreum occupabat. Et hâc ratione Spiritus Domini intentione suâ ferebatur super aquas, ut nimirum ex eis cetera produceret. Incertum autem est, an sint fluidi, an verò compacti instar Chrystalli. Posteriori consonat illud quòd *Job* 37. dicantur cæli *solidissimi quasi ære fusi.*

25. *Etsi non pauci textum Scripturæ verificent de aëre & aquis quas sustinet.*

Secunda Sententia, eaque non improbabilis (quam tenet *Estius, Sylvius* & multi alii recentiores) censet nomine firmamenti quidem intelligi cælum juxta Scripturam, at cælum & consequenter firmamentum significare totum quidquid supra nos est, adeòque complecti sphæras cælestes & simul aërem; illud autem non esse quidem factum hoc die simpliciter, sed factum esse in medio aquarum tamquam firmamentum, quia scilicet factum est perpetuum interstitium inter aquas inferiores & cælestes, seu mediæ regionis aëris, quæ sunt super cælum seu firmamentum per synecdochen ratione partis suæ notissimæ, id est, infimam aëris regionem, in qua volucres cæli versantur, quæ interjecta inter utrasque aquas, ab invicem eas dividit. Nam in primis nomine cæli etiam significari aërem, non tantùm Hebræis, sed & Ethnicis familiare fuit: indeque dicitur cælum serenum, pluviosum, temperatum. Quin etiam familiare id est Scripturæ. Sic in *Cantico trium puerorum*, & *Psal.* 8. dicuntur *volucres cæli*. *Jerem.* 10. & 51. nominantur aquæ in cælo, scilicet aëreo. Et *Psal.* 103. Postquam dixisset Psalmista: *Extendens cælum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus*, ut has aquas magis explicaret, mox subdit: *qui ponis nubem ascensum tuum.* Et infrà, *rigans montes de superioribus suis*; de iis scilicet, quæ antea dixerat aquis tecta, adeòque de media aëris regione, unde procedit irrigans pluvia.

Unde simili phrasi *Psal.* 146. dicitur: *Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluviam.* Et *Psal.* 148. *Aqua quæ super cælos sunt* post sidera velut iis inferiores, & proximè ante ea quæ circa terram sunt, invitantur ad laudandum Dominum. Nec obstat vox pluralis: nam (ut ait *Estius d. 14. §. 2.*) Hebræis cælum caret singulari numero, sive de uno sive de pluribus dicatur; tametsi Interpretes modò singulare, modò plurale reddiderint. Accedit conjectura, quòd non appareat Moysen voluisse describere creationem rei nobis prorsus ignotæ: sicut ob populi ruditatem etiam tacuit de angelis, immo & de elemento ignis, quod vulgus ignorat. Quæ tamen non cogunt, ut à prima sententia recedamus; ut facilè patebit recolenti ea quæ in ejusdem confirmationem diximus; nec, saltem omnia, ab Auctoribus diversæ sententiæ plenè solvuntur. Unde in hac re ancipiti multum momenti habere debet, tam sonus litteræ, quàm Veterum Patrum adeò concors auctoritas. Quàmvis sequendum censeam monitum *S. Bonaventuræ*, etiam in aliis sæpè materiis meritò observandum, qui *d. 14. p. 1. a. 1. qu. 1.* ait: *Hoc præcipuè attendendum est, ne in incerta materia aliquid certitudinaliter asseratur: melius est enim piè dubitare, quàm aliquid temerariè definire.*

QUÆSTIO IV.

De Opere tertiæ diei.

Ad opus hujus diei juxta communem Sententiam (cui nonnulli contradicunt: quibus accedit *Estius d. 14. §. 3.*) & planum intellectum litteræ seu contextûs pertinet quod *Gen. 1.* dicitur: *Dixit verò Deus: Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt*, undique adhuc terræ globum tegentes, *in locum unum, & appareat arida*, id est, exsiccata; ut scilicet plantis proferendis, similiter animalibus partim proferendis, partim sustinendis ac enutriendis fit idonea. *Et vocavit Deus aridam, Terram* q. d. pedibus calcabilem (terra enim dicitur à terendo seu calcando pedibus) *congregationesq; aquarum* seu copiam aquarum *appellavit maria.* Neque illæ solùm collectiones aquarum, quæ titulum maris usurpant, sed & alia flumina saltem majora hoc ipso die facta sunt: cùm paradisus à principio quatuor magnis fluminibus irrigatus fuerit, ac proinde de similibus idem meritò sit censendum; præsertim de quibus non apparet, quo modo decursu tem-

26. *Tertio die apparuit arida segregatis aquis*

porum orta sint. Minora tamen flumina decursu temporum facilè gigni potuerunt. Immo etiam de multis fontibus generatim loquendo credibile est, fuisse primitùs ab ipso Deo dispositos.

27. *In unum locum,* Disputari circa hæc solet primò, an aquæ omnes inter se seu cum oceano continuentur, sive visibiliter, sive invisibiliter per occultos terræ meatus. Et omnes pęnè in affirmantem partem conspirant: nisi quòd de mari Caspio secùs sentiant graves Auctores, *Aristoteles, Ptolemæus, Herodotus* & alii. Et de fluminibus quidem id habetur *Eccle. 1. vers. 7.* Immo & de mari Caspio idem declarat *Basilius Homil. 4. in Hexameron.* Nihilominus id non satis efficaciter posse ex hoc loco Genesis deduci censet *Estius d. 14. § 4.* eò quòd sensus planus, & textui valde consentaneus videatur, aquis & maribus pluribus assignatum esse in sinu terræ unum locum, id est, singulis suum: sicut dicimus omnes homines habere unum caput. Cui consonans *Tornellus de mundi 3. num 4* id quod dictum est, *Congregentur aquæ in locum unum*, explicat; congregentur aquæ in loca unius generis, videlicet humiliora. Additque idcirco in plurali positum esse, *Congregationes aquarum*, item *maria*, ut non unum tantùm, sed multa unius speciei loca seu receptacula aquarum à Deo facta esse insinuaretur.

28. *Non obstante aquarum immensâ copiâ,* Disputatur præterea, quomodo tanta aquarum copia potuerit concludi tam exiguo loco. *Eugubinus* partem vento siccatam vult, *Burgensis* & alii aquam esse à terris in globum altiorem separatam censent. Sed rectiùs cum *Augustino lib. 1. de Genes. ad litt. cap. 12. & lib. 1. contra Adversarium Legis & Prophetarum cap. 13.* dicitur id duobus modis fieri potuisse: scilicet partim per condensationem aquarum antea rariorum, sicut patet fieri posse in aqueis vaporibus, adeòque non mirum esse, quòd aqua rarior terram texerit, condensata nudaverit: partim verò, quòd nutu divino vastissimæ voragines etiam invisibiles & subterraneæ sint factæ, e quibus cavitatibus terra extracta in montes tumuit. Falluntur enim qui montes solùm post diluvium factas putant; ut patet *Genes. 7. vers. 19. & 20. Proverb. 8. vers. 24. & seqq.* Præterea ipsa terra est humore aqueo instar spongiæ repleta. Et sic facilè patet, elementum aquæ adhuc posse esse majus terrâ, præsertim junctis aquis, quæ aëri immixtæ sunt: quamquam passim dici soleat, elementum aquæ; etsi perfectius, esse minus terrâ, eò quòd id postularet finis ad quem conditum est universum.

29. *Quomodo altior est globus terræ,* Porrò globum terræ esse altiorem aquâ, apparet indubitatum. Et specialiter probatur auctoritate *Chrysostomi Homil. 9. ad populum Antiochenum, Hieronymi, Damasceni* & aliorum. Et consonat Scriptura. *Psal. 23. Ipse super maria fundavit eum*, scilicet orbem terrarum. Præterea ex littore maris patet terram esse altiorem. Omnia etiam flumina pergunt in mare per loca decliviora. Denique aliàs continuum requireretur miraculum, quo constringerentur aquæ, ne defluerent: aut si dicantur conglobatæ in proprium orbem, haberent diversum centrum à terra. Quod dici non potest: *Cujus & aquarum idem centrum.* tum quia aqua & terra naturaliter tendunt deorsum per eamdem lineam perpendicularem: tum quia alioquin non efficerent sphæram unicam, sed duplicem in eclipsi lunari, quæ oritur ex interpositione terræ inter solem & lunam, & appareret aliquando ista sphærarum distinctio; cùm eclipsis sit talis figuræ, qualem habet corpus interjectum unde resultat.

30. *Congregatio aquarum in alveos præparatos contigit divinâ virtute.* Non est equidem existimandum, congregationes aquarum hoc die factas esse naturali virtute earumdem ad loca humiliora & cavitates divinitùs præparatas defluentium, sed divinâ virtute eas transferente: nam alioquin multis diebus opus fuisset, antequam ex omni parte terrarum in alveos defluxissent; cùm tamen efficaciâ divini imperii subitò sint congregatæ, & apparuerit arida, seu terra, quæ hoc ipso die plantas protulit, & sexto die animalia, utique in superficie terræ jam aquis nudatæ; ut reçtè observat *Derkennis hic cap. 1. num. 2.* Idem *num. 17.* salsuginem mari hoc die à Deo esse inditam colligit ex eo, quòd paulò pòst, die scilicet mundi quinto, pisces in eo positi sint, quibus salsæ aquæ ita sunt ad vitam necessariæ, ut in dulcibus tabescant & extinguantur; quæ tamen salsedo non nisi longo tempore à causis naturalibus induci potuisset; si fortè ab iis induci potuerit, de quo meritò ambigi idem censet.

31. *Cur fontium & fluminum scaturigines non exarescant,* Quæri insuper posset, cur fluviorum & fontium scaturigines non exarescant, ipsumque mare non redundet, in quod omnia flumina intrant, ut habetur *Eccle. 1.* Verùm ratio ibidem subnectitur his verbis: *Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur ut iterum fluant.* Idcirco enim mare non redundat, quia quantum admittit aquarum per flumina, tantumdem subministrat vaporibus ex eo à sole sublevatis, qui in nubes redacti, deinde rursum in terram dilapsi, ad primas

primas fluminum origines revertuntur ut iterum fluant. Unde (ut notat *Bonfrerius in cap.* 1. *Genesis* & Alii) flumina non fluunt è mari, utpote omnibus depressiori ; sed è locis editioribus, quibus aquarum collectiones intrà terram continentur. Et hinc defectu pluviarum fontes aliqui & flumina interdum exarescunt ad tempus : è contrà post grandiores pluvias majorem aquarum vim effundunt.

32. *Terra subministrando materiam germinavit plantas,* Ad opus secundæ diei præterea spectat, quod in Genesi sequitur: *Germinet terra*, subministrando scilicet materiam, *herbam virentem*, scilicet adultam, ut sonat textus Hebræus, & *lignum pomiferum*, id est, arborem fructiferam, specie positâ pro genere: *cujus semen*, id est, virtus seminaria, *in semetipso sit juxta genus suum*, ut scilicet quod nascitur sit simile iis ex quorum virtute seminaria nascitur. Terra itaque se habuit merè passivè, solo Deo vim activam, conferente : esto nunc etiam dispositione attingat terra productionem plantarum. Tuuc etenim statim ac ab aquis, Deo jubente, denudata fuit, protulit omnis generis plantas; non naturaliter, ex virtute seminis in ea sati, vel paulatim & per sueeessiva incrementa, interveniente non modico temporis intervallo : sed illicò vi verbi seu mandati divini.

33. *Easq; perfectas,* Circa hæc observandum est herbas, plantas & arbores esse perfectas creatas, adeoque eum fructibus nonnullis. Id namque indicant verba : *& facientem semen*: item, *& faciens fructum.* Quod factum esse dicitur ibidem *vers.* 12. Unde vox Hebræa sonat herbam adultam. Sanè arbor scientiæ boni & mali jam tum in principio mundi habebat fructus maturos ; ut patet ex *Gen.*3. Idem erat necessarium pro alimento animalium mox creandorum.

Fortè tamen non ubique terrarum fuit idem herbarum & plantarum status, sed is qui conveniebat illi anni tempestati, quam Sol postridiè formandus in quolibet elimate faceret. Ubi hiems futura erat (inquit *Suarez*) habuerunt plantæ eum statum perfectionis, quem habere solent in hieme. Sed (addit *Derkennis de Opere tertia diei num.* 8.) hoc exempli tantùm gratiâ dictum sit : nam in prima mundi nativitate nullibi fuit hiems, sed tantùm ver vel autumnus (si quidem Sol in æquinoctiali creatus est Arietis vel Libræ initio) vel æstas sub ipso æquinoctiali.

34. *Etiam venenatas.* Observandum præterea cum *Basilio*, *Hieronymo*, & aliis passim hoc die productas pariter esse herbas venenatas: tum ob generalem seu indefinitam Scripturæ locutionem ; tum quia à novis speciebus substantiarum condendis Deus dicitur cessasse , seu requievisse à die septimo inclusivè : tum quia etiam in has quadrat approbatio Conditoris,quòd scilicet essent valde bona. Serviunt namque decori universi,& variis usibus bonis.Et quæ uni animali sunt venenum, sunt aliis medicina. Posse autem nocere commune est etiam igni, aquæ, uvis &c. si malè utaris : quæ tamen idcirco non debuerunt non creari. Uti etiam constat fuisse ereatos serpentes, qui non minùs sunt hominibus nocivi. De facto tamen ante peccatum nil homini noxium fuisset, directrice tum notitiâ naturæ rerum, tum divinâ providentiâ ac protectione.

Idem ob hæc dicendum est cum *S. Augustino*, *S. Bonaventura* & aliis communiter de spinis & tribulis : habent namque etiam citra pœnam suas utilitates: sunt enim animalia, quæ illis quoque commodè suaviterque vescuntur,ut ait *August. lib.* 3. *de Gen. ad litt. cap.*18. Unde minùs probabile est, quod *Basilius* rosam sine spinis productam asserit: nam sicut peccatum primi parentis non immutavit naturales animalium , immo nec ipsorum hominum proprietates, sic neque rosæ aut aliarum rerum. 35. *Item spinas & tribulos.*

Nee obstat, quòd *Genes.* 3. in pœnam peccati dicatur : *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi.* Nam ibi infligitur terræ sterilitas, quæ maledicta dicitur in opere hominis, magno (qui jam est necessarius) labore eam eolentis, adeò ut adhuc spinas & tribulos germinet, non animantibus ad pastum, sed homini ad pœnam etiam in agris ubi miserè laboraverit,juxta *August. sup.* Et consonat. *D.Bonav. d.* 14.*p.*2. *in Expos.textûs dub.*2. dicens *quod spinam & tribulum generari, ubi seminatur frumentum, hoc est in pœnam peccati & ex maledictione terræ, quæ cùm colitur ut det fructum unde homo sustentetur, potiùs producit unde homo crucietur. Quod autem in locis multis generetur spina & tribulus, hoc non est pœna peccati, sed natura.* Ideoque non simpliciter sed cum addito dicitur: *germinabit tibi*.Vel certè ideo id dictum est, ut putat *Becanus*, quòd fortè in paradiso, ubi terra optima erat, non germinasset tribulos, sed extrà in locis sterilioribus, quò ob peccatum fuit Adam in exilium missus.

QUÆSTIO V.

De Opere quartæ diei.

DIXIT *autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem ac noctem, & sint in signa & tempora & dies & annos, ut luceant in firmamento cæli & illuminent terram. Et factum est ita. Fecitq; Deus duo luminaria magna, luminare majus ut præesset diei, & luminare minus ut præesset nocti, & stellas &c.* quas omnes velut lucidissimas gemmas cælestibus annulis sive orbibus miro ordine & venustate inseruit. Et quidem posteaquam suum terræ ornatum concesserat, ne ansa daretur suspicandi solem & astra (quibus Ethnici plùs æquo tribuunt, quæque aliàs influunt in hæc sublunaria) aliquid ad primævam plantarum germinationem contulisse.

36. Circa opus hujus diei quæritur primò, an astra secundùm figuram, magnitudinem, & densitatem sint facta hoc die, an verò facta sint eatenus simul cum cælis ipsis, & hoc die solùm illis accesserit lux? Resp. cum Doctoribus plerisque, esse simpliciter seu quoad utrumque facta hoc die: tum quia Scriptura non alio quàm quarto die simpliciter ea facta & posita in firmamento refert: tùm quia si simul cum cælis facta sint, cur non simul eis jam aptatis infusa est lux, sed hæc alteri parti ubi non erat mansura est concessa; similiter & motus vicissitudinarius, præsertim si (quod plures volunt) omnes cæli sint conditi simul cum terra?

Astra quarto die sunt facta non tantùm secundùm quid, lucem videlicet, sed etiam simpliciter.

37. Neque idcirco relinqui debuit in cælis locus vacuus pro astris, aut ex condensatione pro astris formandis (quæ sunt pars densior sui orbis) vacuum timeri, aut certè diminutio magnitudinis seu quantitatis cælorum, qui omnes secundùm nos fuerant in æquabili densitate producti, & quidem secundùm *D. Bonav. d. 14. p. 2. a. 1. q. 1. in corp.* instar unius corporis continui. Nam istis inconvenientiis facilè occurri potest, dicendo in locis in quibus astra efformanda erant, fuisse die secundâ ex aquis formata corpora lucis expertia æqualis cum astris futuris densitatis, die verò quartâ introductis novis astrorum formis additam fuisse lucem qualitatesque formis convenientes. Ita *Bonfrerius in cap. 1. Gen.* Vel dicendo partes cælorum cõdensatas quidem, sed aliis tantumdem rarefactis; esto non omnibus. Neque enim cogimur admittere æquam in singulis cæli partibus, astris exceptis, densitatem; cùm nec in ipsis astris sit æqua partium densitas; prout ad oculum patet in luna, & in nonnullis aliis Quidam se observasse putant. Et præter astra, viam lacteam (quæ inæqualis apparet raritatis) allegat *Estius dist. 14. §. 5.* Ipsam tamen ex astris quoque seu stellulis constare contendit *Mastrius disp. 2. de cælo nu. 83.* Non intercessit autem mera condensatio cum introductione figuræ, sed cum introductione insuper novæ formæ substantialis priori destructâ: cùm vis influxiva specialis, lux stellis etiam intrinseca (si lunam exceperis, fortassis & alios planetas, signanter venerem, quæ æquè ac luna per temporum vices secundùm accessum & recessum à sole deprehensa est accrescere, decrescere, corniculari &c. quod ita ab antiquioribus animadversum non fuerat) arguunt talem distinctionem: ut interim de motu, & aliis nihil dicam.

Occurritur incõvenientiis in contrarium.

Est etiam probabile, lucem primordialem, primâ die creatam, soli & astris quartâ die inditam fuisse, ut clarè significant *Basilius* & *Anselmus* apud *D. Bonav. d. 14. p. 2. in Expos. textûs dub. 3.* Idem docet ipse *D. Bonav. d. 13. in Expos. textûs dub. 2. & a. 1. qu. 2. in corp.* Quod non solùm de accidente lucis, sed de ipsa quoque substantia lucida, cui inerat, intelligendum est, ex hac nempe probabiliter formatum esse solem alieque astra, inductâ figurâ modernâ, additisque partibus, & luce auctâ: siquidem lux primigenia creditur fuisse minùs perfecta, adeòque diffudisse lumen, quale fortasse est auroræ: cùm Deus ab imperfectioribus ad perfectiora in rerum efformatione processerit. Nihilominus planè incertum est, an non potiùs lux primigenia sit hoc die destructa. 38.

Quid factum de luce primogenia?

Addunt aliqui lucem primordialem, indeque formatum solem & astra esse corpora ignea & flammea, instar ignis seu flammæ nostræ, immo ejusdem rationis. Quod postremum, etsi passim rejiciatur; tamen admitti generaliter posset, quòd sint igneæ aut quasi igneæ naturæ, uti sensibus nostris apparent, & varii veteres Patres senserunt, adeò ut *Tertullianus l. de anima c. 2.* dicat: *Sol corpus est, siquidem ignis est, sed quod aquila confiteatur, noctua neget.* Et in *Hymno ad Vesp. Feria 4.* canit Ecclesia: *Cæli Deus sanctissime, qui lucidum centrum poli candore pingis igneo, augens decoro lumine. Quarto die qui flammeam solis rotam constituens, &c.*

Quæritur II. Quo sensu dicitur de astris, quòd *dividãt noctem & diem*? Resp. quia motu suo ex tunc cœperunt, & quidem perfectiùs, statuere discrimen noctis & diei, quod hactenus fecerat lux primi- 39.

Quo sensu astra dividant noctem & diem?

primigenia. Quod ampliùs declaratur per id, quod paulò post dicitur Deus fecisse *luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti, & stellas.* Quod ipsum expressit Psalmista *Ps.* 135: *Qui facit solem in potestatem diei, lunam & stellas in potestatem noctis.* Quatenus videlicet præsentia solis diem facit, ac lumine suo facem quasi præfert omnibus operibus diei; sole autem absente, id est, noctu, idem aliquatenus præstat luna, præsertim plena, & reliquæ stellæ, nunc hæ, nunc illæ.

40. *Et sunt in signa temporum,* Quæritur III. Quo sensu astra *sint in signa & tempora & dies & annos?* Resp. esse in signa & tempora, id est, temporum, scilicet quatuor anni tempestatum, item plantationis, sementis, messis, vindemiæ, &c. Item in signa dierum, scilicet naturalium, artificialium, sacrorum, forensium &c. item hebdomadarû, mensium, annorum solarium, lunarium &c.

Et mutationum aëris instinctium. Ac denique quia serenitas, tempestas, gelu, pluviæ, venti, aliæque similes cæli mutationes ex astris aut certis eorum affectionibus prænuntiari possunt; non quidem multò antè quàm fiant, sed velut ex signis propinquis. Sic enim pallida luna pluviam, rubicunda ventum, sol manè rutilans itidem pluviam imminentem significare solet; tametsi hujusmodi affectiones non tam astrorum sint, quàm aëris inter illa & aspectum nostrum interpositi, unde fit ut astra tali modo affecta videantur. Et hanc prognosticen refert, nec improbat ipse Christus *Matth.* 16. & *Lucæ* 12. Eamdem approbat *August. lib. 2. de Gen. ad litt. cap.* 14. & alibi, *Chrysostomus, Basilius*, & alii Patres.

Quàm vana sint Astrologorum prædictiones. Vanæ tamen & promiscuè falsæ sunt prognosticationes astronomorum, etiam de similibus & aliis eventibus naturalibus, quos diu antè ex sola siderum oppositione & concursu prædicunt: cùm (ut cetera taceam) nec de numero & motibus cælorum, nec de numero, ordine & virtutibus astrorum perfectam habeant notitiam, & effectus prognosticati sæpè & quidem subinde principaliùs (ut generationes & affectiones rerum viventium) pendeant etiam à causis sublunaribus, quibus proinde non dispositis cælum nihil efficiet. Unde *Joannes Picus Mirandulanus* testatur ex 130. prædictionibus cujusdam Mathematici de mutatione auræ se adhibitâ accuratâ observatione tantùm septem deprehendisse veras. Ut proinde *Joannes Eckius Hom.* 3. *Dominica* 2. *post Epiph.* meritò dixerit: *Acceptâ alicujus astrologi practicâ, loco pluviæ ponito serenitatem, & è converso: elapso anno totidem aut plures videbis te dixisse veritatem, quàm practicum illum.* Et hinc singuli ferè variant inter se in suis divinationibus.

41. *Astrologia judiciaria quid sit?* Vanissima verò ac stultissima est divinatio futurorum eventuum liberorum ex astris, sive ut nudis signis, sive etiam ut causis. Quod spectat ad astrologiam judiciariam, quæ ex planetarum ortu & occasu, conjunctione, oppositione &c. tam inter se quàm cum stellis fixis, prædicit ea quæ pendent aliquo modo à libera hominum voluntate; immo & ea contingentia, quæ etsi præterita vel præsentia, tamen occultissima sunt, v.g. quis sit auctor furti occulti, ubi lateat res perdita &c. Hujus amatores id, quod de signis Moyses narrat, libenter referunt ad ejusmodi signa prognostica. Verùm hic sensus est perversus. Et impietatem ejusmodi divinationis condemnat Scriptura *Jerem.* 10: *Juxta vias gentium nolite discere, & à signis cæli nolite metuere, quæ timent gentes.* Similia habentur *Isaiæ* 44. Et *ad Galat.* 4. dicitur: *Dies observatis & menses & tempora & annos: timeo vos, ne fortè sine causa laboraverim in vobis.* Eumdem sensum & doctrinam disertè excludunt Patres, *Origenes, Basilius, Ambros. Chrysost. Augustinus*, & alii communiter. *Est damnabilis & superstitiosa.* Præterea hoc genus astrologiæ tamquam impium damnatur in Jure Canonico, Conciliis, & novissimè in motu proprio *Xisti V.* qui incipit *Cæli & terra.* Immo etiam hæc ars sub gravissimis pœnis interdicta est in Jure Civili *Cod. de maleficiis & mathematicis:* & olim à Senatu Romano damnata fuit, quàmvis alioquin Gentilis Roma omnium pænè gentium serviret erroribus. Idipsum diversi ethnici Scriptores fecerunt, ut videre est apud *Ciceronem l.2. de divinatione*, & *Aulum Gellium lib.* 14. *noctium atticarum cap.* 1.

Solet autem in favorem astrologiæ judiciariæ etiam allegari illud *Isaiæ* 34: *Complicabuntur, sicut liber, cæli.* Et *Apoc.* 6: *Cælum recessit sicut liber involutus.* Ubi significari videtur cælum esse velut librum conscriptum litteris astrorum, in quo omnia etiam futura libera legi possunt, quàm diu manet apertus. Quod clariùs exprimitur in libro, cui titulus *narratio Joseph*, in quo Jacob dicitur fuisse locutus filiis: *Vidi in tabulis cæli, quæcumque vobis & filiis vestris eventura sunt.* Verùm hic liber apocryphus est & fabulosus. Scriptura autem etsi referret, quid astrologi vel divinatores faciant, non tamen approbaret, quod alibi improbat. Variæ porrò sunt expositiones. Nam juxta *Liranum* cæli in fine mundi complicabuntur, quia deinceps iis velut libro prognostico Astrologi ethnici 42.

Cælum cur in Scriptura assimiletur libro complicato.

non utentur. Vel (ut *Sasbouth*) quia in fine mundi desinet notus hic & ordinarius cælorum usus ac influentia, non aliter quàm libro uti desinimus, cùm cum complicamus sive claudimus. Vel (ut Alii explicant) quia sicut liber seu volumen veterum cylindro complicatum & involutum legi non poterat absconsis litteris; sic cælum ejusque stellæ quasi litteræ abscondentur atris nubibus & obscurabuntur sub finem mundi, ut videri non possint, perinde ac si cælum esset complicatum & involutum, seu quasi cælum recessisset, quod nunc instar pellis, seu tabernaculi lucidi est extensum.

Denique frustrà astrologi patrocinium sibi quærunt à stella quæ Magos perduxit ad præsepe Salvatoris, nam illa non fuit verùm astrum cæleste; & quàmvis fuisset, non duxit magos juxta regulas astrologiæ, sed speciali Dei instinctu & revelatione.

43. *Cur interdum Mathematici Genethliaci vera prædicant?*

Sed dices, cur ergo docente experientiâ (cujus exempla refert *Delrio lib. 4. disquisit. magic. cap. 3. qu. 1. Conimbricenses lib. 2. de Cælo cap. 3. qu. 9. a. 1. in Fine*) astrologi judiciarii tot prædicunt quæ verè evenerunt? Resp. eos plerumque prædicere falsa, quæ tamen solent involvi silentio, ubi statim in vulgus spargitur, si vel semel divinaverint veritatem. Hanc autem subinde divinare videntur, eò quòd frequenter utantur verbis ambiguis, aut generalibus, quæ si secuto effectui aliqualiter accommodari possint, putant simpliciores istum sensum fuisse ab astrologis intentum. Divinant insuper veritatem quandoque casu: vel quia homines nimis creduli operantur secundùm responsa eorum, v. g. matrimonium ineundo, aquis se suffocando &c. vel denique ex occulta suggestione & pacto dæmonum, qui multa hominibus occulta sciunt, v. g. thesaurum latentem, auctorem criminis, acta in locis remotissimis; multa etiam futura valde probabiliter præsciunt, sive quia ipsi talia sunt facturi, v. g. tempestates, tentationes hominum, sive quia illa conjiciunt ex naturali inclinatione, occultis conspirationibus, ceterisque circumstantiis, quæ dæmones norunt, homines verò vel ignorant, vel non penetrant.

44. *Quo sensu sol & luna dicantur luminaria magna?*

Quæritur IV. Quo sensu sol & luna dicantur *duo luminaria magna?* Resp. non quòd mole sint verè majora omnibus ceteris: cùm (quidquid sit de sole) luna sit minor plerisque stellis, immo juxta Astronomos unanimiter (qui id demonstrare se putant) omnibus, excepto Mercurio: sed partim quia ob vicinitatem etiam lunæ magnitudine talis apparet: partim & præcipuè quia ratione majoris illuminationis & efficaciæ mirabilis agendi in hæc inferiora, revera talis est. Meritò tamen vocatur sol luminare majus, propter lucis exuberantiam & vim præpotentem, quàmvis luna ei quandoque æqualis, aut etiam interdum major appareat.

QUÆSTIO VI.

De Opere quintæ diei.

Dixit *etiam Deus: producant aquæ reptile animæ viventis & volatile super terram sub firmamento cæli. Creavitque Deus cete grandia*, &c. Per reptilia hic intelliguntur pisces, de quibus *Ps. 103.* dicitur: *Illic reptilia quorum non est numerus.* Sic autem appellantur, quia quasi omnes pedibus carent, & reptiles videntur: nam ut colubri in terra repunt, sic pisces in aquis. Si qui autem pedes habent, ut crocodili & equi marini, iis utuntur tamquam remis ad reptandum & remigandum, ut declarat *Ambrosius l. 5. in Hexameron cap. 1.* adeòque hâc ratione possunt dici reptilia, quàmvis quia amphibia sunt, sive tum in aquis, tum in terra degunt, gradiantur in terra more aliorum animalium, & hâc ratione reptilia non vocentur. 45. *Per reptilia hic intelliguntur pisces, & quare?*

Ex præfatis verbis colligitur cum *Basilio* & aliis Patribus & Doctoribus communiter contra paucos, etiam aves productas esse ex aquis. Quod similiter habetur in Hymno feriæ quintæ ad Vesperas: *Magnæ Deus potentiæ, qui ex aquis ortum genus, partim remittis gurgiti, partim levas in aëra. Demersa lymphis imprimens, subvecta cælis irrigans, ut stirpe unâ prodita, diversa rapiant loca.* Nec obstat quòd Hebraïcè sit: *& volatile volet super terram.* Nam phrasi Hebræis usitatissima subauditur relativum *quod*, ut sensus sit: & volatile quod volet super terram. Deinde potiùs attendendum est ad textum Editionis vulgatæ, quæ est authentica, & cui consonant *Septuaginta* ac *Paraphrasis Chaldaica.* Similiter non obstat, quod c. 2. dicitur: *Formatis igitur de humo cunctis animantibus terræ & universis volatilibus cæli.* Nam ly *de humo* tantùm refertur ad animantia terræ: unde enim volatilia cæli formata sint, jam satis antea expressum fuerat. Ut taceam, quod Alii respondent, nomine humi hîc comprehendi etiam aquam, tamquam elementum crassum quod cum terra unum constituit globum; prout sumitur in principio capitis. 46. *Aves ex aqua sunt productæ.*

Creavit- 47.

47. *Prodigiosa in piscibus magnitudo elucet.*

Creavitq; Deus cete grandia. Hebraïca vox significat dracones, scilicet marinos, id est, belluas marinas. Nam draconum nomine etiam grandes pisces appellari, patet ex *Ps.73.* & 148. Et *Ezech.* 32. Expressit autem Interpres cete grandia, quòd in iis maximè cernatur prodigiosa magnitudo: sunt enim adeò magni, ut dum fluctibus supernatant, quasi insulæ aut montes appareant juxta *Basilium* & *Ambrosium*: adeò ut *Plinius l.9. cap.3.* scribat in mari Athlantico seu Indico esse balenas quaternorum jugerum, id est, 960. pedum, pristes ducentorum cubitorum, anguillas verò in Gange flumine Indico trecentorum pedum. Quare aquatilia, ob specierum & monstrorum varietatem, ac etiam miram fecunditatem adeò immensam multitudinem, sunt valde mirabilia, summèque commendant sapientiam & potentiam Conditoris.

Quæ non singulos aut gemellos, sed millenos ac propè innumerabiles simul generant.

QUÆSTIO VII.

De Opere sextæ diei.

48. *Sexto die producta animalia terrestria.*

DIXIT queq; *Deus: producat terra animam viventem in genere suo*, scilicet animalia viventia secundùm omnes species suas (ut sequentia magis declarant) *jumenta, & reptilia* (terræ scilicet, ut patet clariùs *vers.25.* quatenus fiat distinctio contra reptilia aquatilia, de quibus antea) *& bestias terræ*, etiam feras & animalia venenata. Nam citra peccatum suâ feritate & veneno non nocuissent hominibus, ipsa quoque venenata in se bona & pulchra sunt, & ad medicinas aliosque usus humanos conducentia: sic enim ex vipera fit theriaca. Vide *Augustinum lib.1. de Gen. contra Manich. cap. 16.* Etsi etiam inter ipsas feras sit naturalis antipathia, v.g. inter ovem & lupum, ex hominis tamen inobedientia factum censet *Pererius*, & alii, quòd una bestia alteri sit in cibum, adeòque ad naturalem institutionem pertinere, ut omnes bestiæ vescantur herbis, ut indicatur *Gen. 1. vers. 30.* Alii tamen (inter quos *A Lapide*) censent etiam ante peccatum ex naturali antipathia lupum v.g. necem fuisse illaturum ovi: cum per peccatum hominum nihil circa naturam animalium sit immutatum. Ad providentiam tamen Dei spectasset impedire, ne feræ inferrent mansuetis animalibus vastitatem, prout etiam post peccatum hominis mox subsecutum, ac post ipsum diluvium spectavit; providendo interim de aliis cibis, sicut iis usæ sunt in arca Noë; ac in defectu carnium ficis atque castaneis etiamnum utuntur, teste *Augustino 15. de Civit. c.27.* Immo fortassis ordinariè ante diluvium herbis & fructibus uti & homines, victitarunt, tamquam alimento placentiori: etsi nunc magis appetant carnes velut alimentum potentius, quod in herbis & fructibus nunc non invenitur, postquam à bonitate sua multùm degenerarunt. Verùm sat datum conjecturis.

Etiam venenata & carnivora.

Quod attinet ad animalia imperfecta, quædam nascuntur ex commixtione seminum diversæ speciei, v.g. mulus, leopardus, lincx & similia, quæ quotidiè oriri possunt nova ex nova aliarum & aliarum specierum commixtione. Unde & in Africa quotidiè nova nasci monstra dicuntur. Hæc itaque non debuerunt hoc die produci, sed sufficienter creata censentur potentialiter, creatis heterogeniis animalium speciebus, ex quibus nascuntur. Accedit commixtionem hanc esse adulterinâ & præter naturam; ideoque vetitam Judæis *Levit.19.* Quædam autem nascuntur ex putrefactione. De quibus plures censent non esse quoque primitùs producta: cùm satis censerentur potentialiter producta, productis illis ex quorum certa affectione naturaliter erant exoritura: quod saltem de vermibus hominem infestantibus & similibus, quæ de corporibus animalium præsertim mortuorum gignuntur, omnino dicendum est. Absurdum enim apparet *Augustino l.3. de Gen. ad litt. c.14.* ista esse animalibus concreata. De aliis tamen, quæ nasci solent ex corruptione rerum, quæ jam tunc existebant, v.g. ex terra, herbis &c. non absurdè dici potest illa hoc die esse producta, non quidem ex corruptione, sed ex terra ab ipso Deo: illa saltem quæ vel aliquam industriam exigunt, ad hoc ut ex putri materia eliciantur, ut apes; vel rariùs neque tam facilè ex corruptione nascuntur, ut fortè mures, glires, multi serpentes & varia insectorum genera.

49. *Non quæ ex adulterina commixtione generantur.*

Vel ex putri materia.

Saltem pleraque.

Restat nunc postremum & perfectissimum opus mūdi corporalis, Homo, qui est finis ad quem cetera sunt creata, mundique visibilis quasi compendium quoddam & microcosmus. Hunc itaque Deus induxit in mundum omnigenâ primùm varietate adornatum quasi Dominum seu principem in palatium sibi præparatum, vel quasi convivam in splendidum triclinium omnibus rebus ejus usui paratis instructum. Quas similesque congruentias eleganter persequitur *Ambrosius Ep.28. ad Horontianum* & alii Patres.

50. *Homo cur post omnia cetera creatus.*

Diversum porrò loquendi modū adhibet Scriptura in referenda creatione hominis (ut notarunt Patres) qui nempe specietenus deliberationem quādam præ-

Modus singularis creationem illius describendi.

se

denotat operu arduitatem,

se ferat, tamen non consilium inquisitionis in Deo denotet, sed operis arduitatem. *Faciamus* (ait Deus) *hominẽ ad imaginem & similitudinem nostram.* Ubi per ly *faciamus* & ly *nostram* denotatur pluralitas personarũ: per ly *ad imaginem*, singularitas naturæ, quæ etiam denotatur partim per id quod in singulari præmittitur: *Et ait*, scilicet Deus: partim per id quod sequitur: *Et creavit Deus &c.*

Est creatus ad imaginem Dei,

51. Dicitur autem homo factus ad imaginem & similitudinem Dei, scilicet Unius & Trini. Primò, ut significetur ipse Deus esse imago, impropriè scilicet, sive exemplar & prototypon, ad cujus instar ipse hominem effinxit, ut passim Patres exponunt. Secundò, ut significetur ipse homo esse imago & similitudo Dei propriè dicta, quatenus ipse propriè & peculiariter Deum auctorem suum repræsentat. q.d. faciamus hominẽ ita ut sit imago nostra; seu (ut Hebræi) *faciamus hominem in imaginem*, nostri videlicet. Utraq; expositio eòdem recidit: cùm exemplar & imago propriè sint invicẽ correlativa. Posteriorem autẽ potissimùm intendit Scriptura: tum ob proprietatem vocis *imago*. Tum quia duriùs adhuc sonat Deum esse similitudinẽ hominis; quod tamen juxta alteram expositionẽ æquè erit concedendum, uti de imagine. Tum quia Apostolus 1. *ad Cor.* 11 huc respiciens, imaginem non Deo, sed homini tribuit, virum appellans imaginẽ Dei. Unde etiam *Sap.* 2. juxta Græcam lectionem, omissâ præpositione *ad*, dicitur, Deus fecisse hominem *imaginem propriæ similitudinis*. Estq; apud omnes certissimum ad hoc hominem à Deo cõditum, ut expressum in sua natura gereret imaginem sui auctoris. Secùs, quàm ceteræ creaturæ irrationales, quæ sunt solùm quoddam vestigium sui conditoris, quatenus generali tantùm modo Deum nobis repræsentant, tamquam effectus causam: homo verò propriè & peculiari modo divinam excellentiam in se exprimit & repræsentat. De quo vide *D. Bonav. Breviloq. p.* 2. *cap.* 12.

Sic ut & ipse sit Dei imago

Quæ non consistit in corpore propriè,

52. Imago autẽ hæc non consistit in corpore cõtra Anthropomorphitas; ut clarè indicãt subjecta verba: *& præsit piscibus maris &c.* Constat enim non mole aut viribus corporis, sed mentis, hominem superare bestias, eisq; præesse: prout observat *Aug. l.* 2. *de Gen. cõtra Manich. c.* 17. Relucet tamen in corpore hominis attestatio quædam divinæ imaginis, quòd nimirum sit creatum vultu in cælum erecto, quo admoneretur ipse homo sibi non terrena sectanda instar aliorum animãtium, quæ prona terram spectãt, sed superna & divina tamquam bonum capaci, juxta *Aug. l.* 6. *de Gen. ad litt. c.* 12. Idem eleganter expressit Gentilis Poëta *Ovidius lib.* 1. *Metamorphos.* canens:

Pronaq; cùm spectent animantia cetera terram,
Os homini sublime dedit, cælumq; tueri
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Sed in anima, idq; diversimodè;

Consistit itaque juxta omnes Patres & Doctores hæc imago divinitatis in anima seu ipsa mẽte. Primò quatenus anima est incorporea & immortalis. Secũdò & potissimùm quatenus est prædita intellectu, memoriâ, & voluntate, eâque liberâ. Unde ulteriùs oritur, tum quòd sit capax dominii & inferioribus creatis præsit: tum quòd sit capax non solùm sapientiæ, sanctitatis & gratiæ, verùm etiam ipsius Dei, per vitalem ejusdem imaginem ac possessionem, scilicet per visionẽ ac fruitionem. His itaque modis perfectè in se exprimit proprietates proprias ipsius Dei, scilicet spiritualitatem, immortalitatem, sapientiam &c. quamquam solus unigenitus Filius sit imago undequaque perfecta Dei Patris. Tertiò non solius Deitatis, sed etiam Trinitatis relucet juxta Patres quædam imago in anima hominis, non solùm quatenus singulas personas repræsentat, sed insuper quatenus earũ processionem ac numerum quodãmodò adumbrat: processionem quidem, eò quòd sicut Pater per memoriã fecundam producit Filium seu Verbum; & cum Verbo spirat amorem personalem seu Spiritum sanctum, sic homo per memoriam fecundam intelligendo se producat in mẽte verbum expressivum sui & sibi simile, atque inde in voluntate producat sui amorem. Numerum verò, quatenus in eadem anima sunt tres potentiæ, sicut in eadem essentia tres personæ. Etsi utrobique summa intercedat dissimilitudo.

Petes, An per peccatum deleatur in homine imago ista & similitudo Dei? Resp. Certum esse quòd non: eò quòd imago hæc sit homini naturalis, immo naturæ intellectuali intrinseca. Unde *Bernardus Serm.* 1. *de Annunt.* ait: *Imago in gehenna ipsa uri poterit, non exuri, ardere, sed non deleri.* Quàmvis ipsa per peccatum deformetur, ut reformatione indigeat. 53.

Nec potest per mortale peccatum deleri,

Sed deformari,

Nonnumquam tamen ea reperitur locutio apud Patres, quâ affirmant imaginem Dei deleri seu extingui per peccatum. Sed loquuntur de imagine seu similitudine quadam supernaturali ac superadditâ, quâ anima efficitur quasi Deiformis, per dona videlicet gratiæ sanctificantis. Et huc varii Patres accommodant illud, quod dicitur homo creatus *ad similitudinem Dei*, consistentem nimirum in donis gratiæ per quæ efficitur divinæ consors naturæ & filius

Etsi per illud deleatur imago quædam superaddita, consistens in gratia.

Dei

Dei adoptivus, adeòque Deo, Patri suo, similis; imagini autem naturali accõmodant vocem imaginis: quamquam litteraliter loquendo Scriptura utrumque hic confundat & promiscuè pro eodem usurpet. Eumdem loquendi modum imitatur Ecclesia, dum in Oratione secreta ad postulandam charitatem sic precatur: *Deus qui ad imaginem tuam Sacramentis renovas & præceptis.* Quàmvis (ut dixi) hæc imaginis significatio non congruat loco Geneseos. Videntur autem Patres respexisse ad quædam loca Apostoli nos hortantis ad portandam imaginem cælestis, & nos in eamdem transformandos, ut 1. *ad Cor.* 15. & 2. *ad Cor.* 3. *Ad Ephes.* 4. & alibi. Sed ibi non est sermo de imagine naturali ad quam sumus creati, sed de ea ad quam recreamur per Christum.

De qua tamen in Genesi ad litteram non est sermo.

54. *Deus requievit die septimo*

Plura, quæ conditionem hominis concernunt, explicanda restant; quæ specialem exigunt quæstionem. Præsentis proinde quæstionis finem faciam cum ipsa Creatoris quiete, quam exprimit Scriptura *Gen.*2. dicens: *Complevitq; Deus die septimo*, videlicet tamquam termino extrinseco, & exclusivè spectatò, *opus suum quod fecerat*, sex diebus præcedentibus, *& requievit die septimo ab universo opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo quod creavit Deus ut faceret*, id est, quod creaverat faciendo, seu quod fecerat faciendo, mirâ scilicet arte & bonitate. Indicat enim similis verbi geminatio phrasi Hebræâ aliquid singulare, v.g. magnum affectum, optimum modum, rei certitudinem, aut simile quid pro subjecta materia.

Cessando à primitivo creationis opere.

Dicitur porrò Deus requievisse ab opere, non quasi operando jam defatigatus, ut calumniatur *Celsus* apud *Origenem lib.* 6. versùs finem. Nec quasi deinceps creaturam non administret vel conservet, aut nova individua substantiarum, novaque accidentia non producat. Sed quia tunc cessavit à primitivo opere creationis, deinceps nullam novam naturam conditurus, quæ non secundùm speciem præcessisset. Ideoque dies septimus Sabbatum dicitur, quasi dies cessationis.

55. *Et sanctificavit Sabbatum, suo id cultui consecrãdo.*

Benedixit vero diei septimo & sanctificavit illum, id est, cultui suo consecravit, ac sanctum haberi voluit, ratione videlicet operum in eo exercendorum, ut pulchrè explicat *D. Bonav. d.*15. *in Expos. textûs dub.*5. Quod nonnulli (inter quos *Catharinus, Ribera, A Lapide*) intelligunt, quasi ex tunc re ipsâ dies iste sanctificari & coli debuerit ab Adam ejusque posteris. Et favet tum littera seu textus Genesis; tum quòd *Exodi* 20. præceptum hoc videatur potiùs innovari, dum dicitur: *Memento*, videlicet tamquam rei jam pridem institutæ, *ut diem Sabbati sanctifices.* Unde Græcis dies septimus olim erat festivus, & *Theophilus lib.* 2. *ad Autolicum* dicit, eumdem inter omnes mortales esse celebrem, etsi causam nesciant cur sit septimus. Denique in lege nova cultus ejus est per Apostolos translatus in diem Dominicum ob memoriam resurrectionis Christi.

Non tamen ab initio cultum Sabbati præcepto sanxivit.

Sed rectiùs dicitur, ex tunc quidem destinatum fuisse diem Sabbati tamquam Deo sacrum, & ut talem à Moyse indicendum, non tamen re ipsâ sanctificatum, maximè si de præcepto agatur: adeòque hæc per anticipationem à Moyse dicta esse, ut referantur ad tempus, quo Deus postea præcepto speciali Decalogi, jam tum lato cùm Moyses principium Genesis scriberet, sanctificavit hunc diem. Nec dissonant verba legis *Exodi* 20. *Sex diebus fecit Dominus cælum & terram &c. & requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati & sanctificavit eum*, lege scilicet speciali jam promulgatâ. Fundatur primò in Patribus sic explicantibus, videlicet *Justino, Tertulliano, Cypriano, Eusebio, Beda*, quos citat & sequitur *Estius d.*18. *§.*9. & alii passim. Secundò quia communi sensu non alia fuit in statu innocentiæ primis parentibus positiva lex data, quàm abstinendi ab esu fructûs arboris, quæ vocatur scientiæ boni & mali. Tertiò quia alioquin obstrinxisset omnes Adæ posteros: cùm tamen non reperiatur ullum ejus vestigium, etiam apud sanctos Patriarchas; ut proinde mos aliquorum fortè (non tamen omnium) gentilium colentium septimum diem (cujus etiam meminit *Philo lib.* 2. *de vita Moysis*) Judæorum exemplo videatur introductus. Denique quia Christus *Joan.* 7. satis indicat legem Sabbati esse juniorem, veluti à Moyse, lege Circumcidendi octavo die, veluti quæ non sit ex Moyse, sed ex Patribus.

Verbum autem *memento*, quo Moyses utitur, respicere potest ipsam legem quæ tunc ferebatur, tempusque futurum durationis legis, respectu cujus lex ipsa erat præterita, q.d. memento deinceps quisquis es aut eris Israëlita, ut diem Sabbati sanctifices. Quam quidem legem sæpiùs repetitam, specialiter memoriæ inculcatam manere, Deus cupiebat. Adde, in ista lege simul refricari memoriã sabbatismi seu quietis dominicæ post sex dies creationis: quæ quidem ratio erat hujus legis Moysaicæ. Præterea ly *memento* respicere potest tempus præteritum, quo jam ante legem datam *Exodi* 20. cœperat dies Sabbati ab Israëlitis sacer haberi, ut patet *Exodi* 16. Ubi agitur

Etsi ante legem latam Exodi 20. cultus Sabbati cœpisset.

agitur de collectione Mannæ, & re culinariâ Sabbato intermittendâ. An verò etiam antè observaverint Sabbatum citra præceptum, idque sive ex judicio rationis de congruentia rei (cùm equidem Deus aliquando ex jure naturæ colendus esset) sive ex peculiari instinctu Dei, incertum apparet. Quemadmodum quoque in Genesi non apparet quantùm ad hoc vestigium de more cultorum Dei circa mundi initium: quantumvis fortasse citra expressum præceptum specialiter observarint Sabbatum.

Fortè apud nonnullos ab initio mundi citra præceptum.

QUÆSTIO VIII.

De quibusdam circumstantiis creationis hominis.

56.
Adam fuit creatus ex luto sive pulvere subacto.

DICO I. Adam fuit creatus ex terra, ei immixtâ aquâ. Hoc enim significat *limus terræ* (quo modo loquitur vulgata Editio) ut observat *Tertullianus*, *Augustinus* & Expositores passim. Et *Isaia* 64. dicitur: *Nos lutum, & fictor noster tu.* Textus autem Hebræus in Genesi ob partem potiorem, quæ est terra, expressit pulverem; subintellige tamen cum *Josepho* non aridum, sed subactum. Quare *formavit Deus hominem*, id est, corpus ejus, *de limo terræ*, veluti statuam, illudque effinxit ac plasmavit velut figulus. Et quidem ab extrinseco creando (ut Orthodoxi tradunt) inspiravit seu infudit animam ipso instanti ultimæ dispositionis: uti infundit animas ceterorum hominum materiæ organizatæ ac proximè dispositæ. Quod significatur *Gen.* 2. *inspiravit*, id est, creavit, *in faciem*, id est corpus, *ejus spiraculum vitæ*, animam scilicet quâ respiramus & vivimus, *& factus est homo in animam viventem*, id est, animatus seu animal vivens. Porrò in faciem seu (ut ex Hebræo *Aquila* & *Symmachus* verterunt) nares Deus inspirasse dicitur, eò quòd in his maximè anima per respirationem & vitales sensuum operationes se prodat.

Corpori disposito Deus mox inspiravit animam per veram creationem.

Verisimile etiam est, & censent varii Patres in plasmatione corporis intercessisse brevem temporis successionem figurationi limi ceterisque materiæ dispositionibus impensam. Et consonat illud 4. *Esdræ* 3. (tametsi sit liber Apocryphus) *Tu Domine dedisti Adam corpus mortuum. Sed & ipsum figmentum manuum tuarum erat, & insufflasti in eum spiritum vitæ.* Id tamen non planè constat, minùsque consonat productioni ceterarum rerum, quas Deus in instanti produxit.

An plasmatio corporis Adæ fuerit successiva, incertum.

57.
Fuit Adam conditus in pulcherrima & virili statura.

DICO II. Adam fuit formatus in statura & pulchritudine corporis perfectâ; qualis scilicet decebat, tũ statum innocẽtiæ, tum perfectissimũ artificẽ, cujus cuncta opera ipso teste erant valde bona, id est, optima; quod maximè propter hominem dictum fuit. Præterea fuit formatus in ea corporis cõditione, qualem exigebat perfecta viri ætas quoad vires tam corporis quàm mẽtis: Dei enim perfecta sunt opera. Et in simili ætate Christus resurrexit, nosq; resurrecturos sic reformandos credimus. Putant autem passim, ætatem quæ nunc censetur perfecta anno trigesimo tertio vel circiter, in principio mũdi non fuisse proportionatè perfectã ante annum sexagesimum aut septuagesimum ob longævitatẽ ampliorem. Quod tamen infirmo nititur fundamento: nam si perfecta ætas eò serior cum proportione, quò vita diuturnior, nõ apparet prædicta proportio congrua; cùm anni septuaginta non fuerint decima vel duodecima pars vitæ Adæ. Nec credibile sit homines diutiùs cũ proportione ætatis reliquæ tunc mansuros fuisse in statu pueritiæ. Quod autem seriùs vacare cœperint conjugio, ad continentiam priscorum Patrum est referendum.

Existimant autem nonnulli Adamum fuisse staturæ giganteæ; & quidẽ omnium maximæ. Quibus favere videtur illud *Iosue* 14. *Nomen Hebron antè vocabatur Cariath Arbe. Adam* (scilicet primus homo, ut interpretatur *Hieron. in c.* 27. *Matth.*) *maximus ibi inter Enacim* (qui famosi præ ceteris fuere gigantes, teste Scripturâ) *sepultus est.* Sed hæc opinio passim & meritò velut infundata seu fabulosa rejicitur. Nam *Iosue* 14. Adam est nomen cõmune significans hominem, hoc sensu: oppidum Hebron antea vocabatur Cariath, id est oppidum Arbe, qui erat homo maximus inter Enacim, seu gigantes ita appellatos, immo (ut *c. seq.* habetur) Arbe erat Pater Enac, à quo deinceps filii Enacim. Aliqui respõdent Adam maximum, tum sapientiâ, tum quia principiũ generis humani, sepultum inter Enacim: ex quo tamẽ non sequitur ipsum fuisse quasi unum ex illis, aut maximũ mole inter illos. Nec responsio displicet, supposito quòd Adam sit ibi nomen proprium. Immo aliqui (teste *Lyrano*) per *Adam*. id est, hominem, *maximũ*, intelligũt Abrahamum, virum virtute & inter Patriarchas maximum, qui in Hebron, adeòque inter illius terræ gigantes, est sepultus, ut patet *Gen.* 23. juncto *c.* 25. In Scriptura verò nullum est vestigiũ de gigantea Adæ statura: sed dudum post in Genesi agit de ortu gigantum, peccatis jam multiplicatis in mundo, neque de iis umquam loquitur in bonã partem. Aliundè etiam potiùs ad monstrositatem quàm perfectionem staturæ spectat tam vasta moles; adeòque nec assumpta à Christo, qui fuit perfectissimæ staturæ: & consequenter credibile non est, Deum, qui est perfectissimus in operibus suis, fecisse primum

58.
Nullatenus in gigãtea.

primum hominem staturæ giganteæ ac monstrosæ.

59. *Extra paradisum terrestrem.* DICO III. Adam fuit formatus extra paradisum terrestrem. Ita communiter Patres & Theologi. Colligitur ex *Genes. 2. In quo* (paradiso) *posuit hominem, quem formaverat*. Et infrà: *Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis*. Congruentia est, ut homo intelligeret paradisum sibi ex naturali constitutione non deberi, ac per hoc meliùs intelligeret Dei beneficium. Gratuitò igitur Deus hominem jam conditum eò transtulit; tum ut ei suam benevolentiam ostenderet, & ad fidele servitium ac amorem excitaret; tum ut amœnitas exterioris habitaculi corresponderet delitiis interioribus, quales habet anima quæ est templum Dei, & habebat anima primi hominis, ut inquit *D. Bonav. d. 17. in Expos. textûs dub. 2.*

60. *Qui erat hortus corporalis amœnissimus.* DICO IV. Paradisus erat locus aliquis corporalis amœnissimus. Est certum apud omnes contra *Philonem*, qui allegoricis Scripturæ expositionibus nimiùm deditus, primus omnium contendit spiritualiter tantùm esse intelligenda quæ Scriptura de paradiso refert. Quem imitatus Origenes in paradisum allegorizavit, ut historiæ auferret veritatem, inquit *Hieron. Epist. 61. ad Pamachium contra errores Joannis Hierosolymitani cap. 3.* Ideoque *Sophronius* Patriarcha Hierosolymitanus *in Epistola* (quæ fuit recitata in *VI. Synodo act. 11.* & approbata *act. 13.*) reprehendit *Origenistas*, quòd rejicerent apostolicam traditionem de plantatione paradisi. Similiter & alii Patres in *Origenem* tamquam simplicitatis Sacræ Scripturæ corruptorem invehuntur. Et meritò: quia apertè repugnat Scripturæ historiam texenti, adeòque historicè intelligendæ. Confirmatur: quia assignatur homini tamquam locus habitationis; adeòque est corporalis. Deinde plura habentur *Genes. 2.* quæ manifestè indicant fuisse locum corporalem, eumq; determinatum. Quare Scripturam litteraliter intellexerunt non solùm Hebræi cũ *Josepho*, sed & Patres unanimiter, atq; adeò Ecclesia ipsa.

61. *Plantatus die tertio mundi.* Si verò quæratur, quando hortus paradisi sit plantatus? Respondendum est, quòd indubiè die tertio, quo terra legitur exornata arboribus & plantis. Et hoc sensu accipiendum est, quod dicitur *Genes. 2. Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio*, id est, sub initium, etsi non primo instanti, nempe dudum ante septimum diem, seu à principio quo cetera terræ ornamenta plantaverat. Sicut etiam diabolus dicitur peccare ab initio, *1. Joan. 3.* ipseque homo dicitur factus ab initio, *Matth. 19.* Vel ly *à principio* non ad tempus, sed ad locum est referendum, juxta *Septuaginta*, qui vertunt: *ad orientem* Estque vox Hebræa indifferẽs ad principium, sive temporis, sive loci, qui est oriens, quo loco incipit motus solis. Quare quod *4. Esdræ 3.* legitur paradisum fuisse plantatum antequam terra adventaret, rejiciendum est velut apocriphum, & manifestè repugnans Scripturæ *Genes. 1. In principio creavit Deus cælum & terram.*

62. *Quo loco, incertum:* Quo autem loco paradisus fuerit constitutus, planè incognitum est, & diversissimæ sunt de hoc conjecturæ. Omissis autem ceteris (inter quas variæ omnino improbabiles, aut somniis similes) plerique antiquorum Patrum censent fuisse constitutum in oriente, respectu scilicet Palæstinæ; & hanc esse causam, cur ad orientem adoremus. Favetque illud *Genes. 2. Plantaverat .... à principio*, id est, juxta *Septuaginta* ad orientem. Hinc multi Recentiores existimant paradisum fuisse in Mesopotamia vel Armenia; quæ quidem regiones in Scriptura vocantur orientales, factâ more Scripturæ usitato comparatione ad Palæstinam. Vide *A Lapide, & Scoti Scot. d. 17. in fine.*

Probabiliter circa partes orientales.

63. *An adhuc extet, incertum:* Denique incertum valde est, an paradisus adhuc extet; scilicet quoad amœnitatem suam: constat enim locum ipsum non periisse. Et quidem plerique videntur sentire, quòd adhuc supersit. Favetque quòd *Eccli. 44.* dicatur Henoch translatus fuisse in paradisum, scilicet terrestrem. Hoc tamen fundamentum debile est: non solùm, quia in Græco deest, *in paradisum*, & quia Varii id accipiunt de loco amœnitatis, non autem de terrestri paradiso; sed etiam quia potuit postea periisse inundatione diluvii. Quod omnino credibile apparet: tum quia montes, omniaque loca terrestria diluvium transcendit: tum quia nullum apparet aut invenibile est vestigium paradisi, sive in partibus circa quas potissimùm creditur fuisse constitutus, sive in aliis mundi regionibus, quæ tot famosis navigationibus perlustratæ fuerunt, præsertim sub nostro hemisphério (nam certè non fuit apud antipodes, neque indè fuit Adam proscriptus ad loca Palæstinæ) tum denique quia sponte suâ periisse connaturaliter jam dudum debuisset horti illius amœnitas, nemine illum colente aut conservante. Ubinam verò degant Henoch & Elias, quis hominum super terram novit? Certè Deo non desunt loca sufficientissima, in quibus seorsim ab omni hominum contubernio degant in jugi contẽplatione & amore Dei.

Credibile est, ipsum periisse.

64. *Heva fuit formata ex costa Adæ.* DICO V. Heva fuit formata ex costa Adæ. Est communis Patrum & Theologorum,

gorum, ac etiam *Josephi lib. 1. Antiquit. c. 2.* sententia, contra *Caietanum*, qui oppositæ Doctrinæ (quam appellat hæresim noster *Castro V. Adam & Heva, Hæresi VI.* ubi fusè & doctè illam refutat) auctor & primus inventor fuit (teste eodem *Castro*) fingens sensum Scripturæ hâc de re loquentis parabolicum, quasi dum oppositum ipsa innuit, solùm velit significare, hominem per matrimonium reddi debiliorem. *Estius* tamen *d. 18 §. 1.* etiam *Origenem* refert intellexisse hanc Scripturam tantùm spiritualiter & in mysterio.

Probatur Conclusio: quia ipsa in expressis terminis habetur *Genes. 2.* cùmque ibi texatur historia, est historicè intelligenda. Et ibidem subditur Adamum dixisse: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Similiter *Eccli. 17.* Et *1. ad Corinth. 11.* dicitur mulier esse creata ex viro. Et *Act. 17. Fecitq; ex uno omne genus hominum &c.*

65. *Ante Hevam creati.* Nec favet *Caietano*, quod *Genes. 1.* dicitur: *Masculum & fœminam creavit eos.* Non enim additur, quòd simul; sed quod ibi strictim refertur, id quo modo & ordine factum sit, postea distinctè explicatur. Sanè Adam fuisse priùs creatū quàm Hevam, non solùm convincitur ex formatione Hevæ de costa Adæ: sed etiam ex eo quòd adductis ad eum animantibus, *non inveniebatur adjutor similis ejus. Genes. 2.* Ideoque subsequenter narratur Hevæ formatio, & præmissa fuerat resolutio Dei: *Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* Accedit, quòd *1. ad Tim. 2.* dicitur: *Adam primus formatus est, deinde Heva.* Similiter *Sap. 10.* dicitur Adam *primum formatum fuisse à Deo* & *solum creatum.*

66. *Costæ insufficientia per additionem alterius materiæ fuit suppleta.* Non favet etiam *Caietano*, quòd sola costa non fuerit sufficiens ædificando corpori Hevæ: nam reliqua materia aliundè fuit suppleta. Neque enim sine additione alterius materiæ id factum censeri debet (quidquid dixerat *Magister d. 18.* relatus & meritò improbatus ab *Estio ibid. §. 7.*) cùm aliàs nequeat minus fieri majus, nisi per rarefactionem (abstraho hîc à modo, quo hæc ipsa contingat) sic verò defuisset ei firmitas & soliditas corpori humano necessaria seu connaturalis. Idéque omnino de multiplicatione quinque panum censendum est. Dicitur nihilominus ex costa (etsi materiâ minori) specialiter Heva esse ædificata: quia assumptio costæ est magis notabilis & singularis, atque adeò primò & principaliter intenta, idq; ob significationem mysterii; ad quam nō pertinet reliqua materia, & per consequens instar supplementi accessorii consumpta. Sicut simili ferè ratione de quinque panibus velut seminibus, additâ eisdem auctiori materiâ, contigit multiplicatio eorumdem panum, uti solet appellari. Vide *Estium sup.*

Denique nō rectè ex nostra Doctrina infert *Caietanus*, Adamum fuisse monstrosum, utpote priùs unâ costâ abundantem, vel saltem postea unâ carentem: nam juxta *D. Aug. D. Tho. D. Bonav. Scotum* & alios, etsi priùs abundaverit unâ costâ, eaque fuerit ei superflua, quatenus erat quoddam individuum, fuit tamen necessaria ipsi tamquam principio totius generis humani, instar seminis, adeòque non reddebat ipsum monstrosum; præterquam quòd costa latens deformitatem nullam, qualis ad mōstrositatem requiritur, induxerit. Aliter Respondet *Catharinus, Pererius* & quidam alii, Deum scilicet ex ordinario seu duodenario costarum numero unam sustulisse, sed altā deinde restituisse carne vestitam: cùm etiam antè non nudam costam, sed simul cū carne ambiente sustulerit, juxta illud: *Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea.* Verumtamē cum *S. Augustino* & aliis passim rectiùs dicitur, aperturam solâ fuisse carne consolidatam: cùm Scriptura simpliciter dicat: *& replevit carnem pro ea,* scilicet costâ; cujus solius antè fecerat mentionē, veluti partis potioris ex Adamo dormiente sublatæ. Quare vulgata Editio magis expressit, quid fuerit loco costæ subrogatum; quod non ita expressit Textus Hebraicus, qui tantùm sonat: *Et clausit carnem pro ea.* 67. *Adam priùs unâ costâ abundavit.* *Tamen absque superfluitate aut monstrositate.* *Pro costa fuit sola caro substituta.*

Replevit autem Deus pro costa solam carnem juxta *D. Bonav. d. 18. ar. 1. q. 1. ad 7. 8. & 9.* sive quia illa costa priùs locū carnis occupabat, sive in signū quòd vir per consortium mulieris emolliatur, adèoque tribuat ipse mulieri fortitudinem, quæ designatur in osse, & suscipiat vicissim infirmitatem. Notat prætereà idem *S Doctor ibid. in corp.* Hevam formatam de latere viri, seu costâ laterali, ob quamdam æqualitatem mutuæ societatis. *Cujus ratio assignatur.*

Si autem quæratur, quo in loco Heva sit formata? Resp. cum Doctoribus passim, quòd in paradiso. Hoc enim indicat contextus Scripturæ *Genes. 2.* ubi statim à formatione refertur Adam positus in paradiso, adducta ad eum animalia, immissus in eum deinde sopor, denique formata ex costa ejus Heva. Quod verò ad hūc soporem attinet, dicendum est verè fuisse extaticum: nam *Septuaginta* vertūt extasim. Deinde fuit immissus à Deo, ut futura per prophetiā disceret: Unde in eo vidit, quid circa se ageretur, & quid præfiguraret: ideoque mox post evigilationem prorupit in hæc verba: *hoc nunc os ex ossibus meis* 68. *Fuit Heva formata in paradiso.*

meis &c. Quibus expressit unitatem & insolubilitatem matrimonii, & præfiguravit ædificationem Ecclesiæ ex latere Christi in cruce dormientis, matrimoniumque Christi & Ecclesiæ. Vide *D. Bonav. sup.*

Die sexto seu Veneris. Si denique quæratur, an Heva sit formata sexto die, eodê scilicet quo Adam? Resp. Affirm. cum *D. Bonav. d. 18. art. 1. q. 2. ad* 1. & Expositoribus Scripturæ communiter, contra *D. Thomam q. 73. art. 1. ad* 3. & nonnullos alios, censentes Hevam fuisse creatam die septimo. Probatur: quia inter opera sextæ diei refertur *Genes. 1. Masculum & feminam creavit eos.* Utique Adamum & Hevam. Deinde subditur: *Benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini &c.* Et rursum Deus ambos alloquitur dicens: *Ecce dedi vobis omnem herbam &c. ut sint vobis in Escam.* Ac tandem concluditur *Caput* 1. his verbis: *Et factum est vespere & mane, dies sextus.* Quæ omnia apertè indicât, Hevam die sexto creatam fuisse. Nec refert, quòd *Genes. 2.* post diem sextum Scriptura narret formationem mulieris: nam hoc *intelligendum est per recapitulationem: recapitulat enim Scriptura, ut addat;* inquit *D. Bonav. sup.* Itaque *cap. 1.* summariè viri ac mulieris formationem inter opera sextæ diei Scriptura retulerat, rejiciens in *Caput sequens* modum procreationis mulieris, immo etiam ipsius viri.

QUÆSTIO IX.

De Felicitate status Innocentiæ quoad corpus. Ubi incidenter quæritur, an status primævæ conditionis sit homini naturalis?

69. *Primævus hominis status felicissimus,* IN maxima felicitate corporis & animæ primum hominem fuisse conditum, manifestè constat ex auctoritatibus passim obviis, & pœnis per peccatum incursis, sive bonis, quibus posteritas est privata ob primi hominis peccatum, per quod juxta *Arausicanum II. can. 1.* & *Trident. sess. 5.* totus homo secundùm corpus & animâ in deterius fuit mutatus. Idemque amplius patebit ex Immortalitate, ceterisque donis, etiam supernaturalibus mox recensendis.

Naturæ illius indebitus Hoc tamen prænotandum, juxta certam & communem omnium Doctorum Sententiam, statum primævæ conditionis minimè fuisse homini naturalem; hoc sensu nimirum, quòd non fuerit naturæ hominis debitus, sed gratuito Conditoris beneficio ei collatus, & præterea improportionatus eidem fuerit, uti & nunc est status supernaturalis gratiæ ceterorumque donorum supernaturalium. Etsi quodam alio sensu posset naturalis vocari, sive quia inerat à prima naturæ institutione, sive quia à nativitate, sive quia in ipsum appetitus innatus naturaliter fertur.

Et quidem si naturam hominis ex côtrariis ac contra invicem naturaliter pugnantibus constantem consideremus, manifestum est immortalitatem non esse homini naturalem, sed mortalitatem potiùs, ut rectè dicat *Cyrillus lib. 1. in Joannem c. 15.* hominem *super naturam fuisse côsecutum immortalitatis bonum.* Cui consonans *August. lib. 6. de Gen. ad litt. c. 25.* cùm dixisset immortalitatem homini fuisse de ligno vitæ, non de constitutione naturæ, paulò post subdit: *Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris.* Et *lib. 13. de civit. c. 20. Qui status* (inquit de primis hominibus) *eis de ligno vitæ, quod in medio paradisi cum arbore vetitâ simul erat, mirabili Dei gratiâ præstabatur.* Unde eamdem immortalitatem declarat *lib. 1. de pecc. merit. & remiss. c. 3.* exemplo illarum rerum, quæ non naturâ, sed miraculo, ad tempus manserunt incorruptæ. *Sive quoad immortalitatem*

70. *Sive quoad carentiam fomitis,* Quod verò de immortalitate, etiam de reliquis est dicendum. Et de ignorantia ac fomite supponit *August. 1. Retract. c. 9.* dicens: *Quamvis ignorantia & difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset.* Eademque non defuissent in homine, si fuisset conditus in statu puræ naturæ. Ut proinde meritò proscriptus sit à Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. hic articulus: *Deus non potuit ab initio hominem creare, qualis nunc nascitur;* scilicet cum mortalitate & reliquis miseriis, quæ nunc sunt pœnalitates. Nulla enim vel apparens ostendi potest implicantia. Quamquam de facto aliter hominem instituerit, ut quamdiu bonus & innocens permaneret, inseparabiliter ei adhæreret felicitas, omnisque miseriæ ac defectûs etiam alioquin connaturalis carentia.

Sive etiam quoad dona gratiæ aliaque supernaturalia, Sanè de donis gratiæ aliisque supernaturalibus longè minor est apparentia: cùm ex hoc ipso dicantur supernaturalia & gratuita, quòd humanæ naturæ debitum & exigentiam superent. Immo gratia non esset gratia seu gratuita, si debita; præsertim in tantùm, ut ne divinitùs quidem ab homine innocente abesse potuisset: quid enim potest concipi magis debitum vel connaturale? Præterea sequeretur hominem esse substantiam supernaturalem, utpote cui accidentia super-

 natu-

naturalia forent connaturalia. Nulla igitur restat dubitandi ratio, quin & indebitus sit status primævæ institutionis, & abesse consequenter potuerit, si omnipotenti Deo placuisset.

71. Nec obstat, quòd *Augustinus* peccatum originale probet ex miseriis naturæ corruptæ: nam rectè id facit, supposito vel ostenso, quòd priùs abfuerint, seu aliàs abfuissent. Quòd si utatur hoc argumento quasi ex natura rei probante, solùm est indicium seu congruentiæ: cùm congruentissimè Deus aliter instituerit naturam innocentem. Id autem more Patribus & Theologis frequenter usitato facit, ut credibilior foret Doctrina de peccato originali, quam ex auctoritate firmissimè comprobarat. Alioquin mens *Augustini* satis ex prædictis est manifesta. Et ut non esset, concordari deberet allegatæ definitioni Ecclesiæ.

Deo non foret adscribenda culpa hominis inclinati à concupiscentia, quantumvis primordiali. Non obstat etiam, quòd Deo videretur adscribenda culpa committenda per liberum arbitrium concupiscentiâ primordiali (si talis foret) inclinatum. Nam immeritò id videretur, potiùs quàm adscribendum sit Deo peccatum primorum parentum, qui ipso permittente sunt diabolicâ instigatione inclinati, aut peccatum quod ab illis fuisset ipsiusmet objecti delectabilitate alliciente commissum. Utrobique enim manet naturalis conditio & libertas, nec defuit aut defuisset auxilium proportionatum Dei. Immo potuisset per auxilium efficax semper omne peccatum impediri in statu puræ naturæ. His itaque prænotatis,

72. *Homo integer fuisset immortalis, & quo sensu.* Natura in primo homine sic de facto instituta fuit quoad corpus, ut durante innocentia esset immortalis, videlicet nō quia mori non poterat, sed quia poterat non mori seu quia mori non debebat, atque adeò mortem de facto non subiisset, nisi per prævaricationem moriendi necessitatem sponte suâ sibi causasset. Est de fide ex *Milevitano can.* 1. & *Trid. sess.* 5. *can.* 1. Et patet ex Scriptura *Genes.* 2. *In quocumque die comederis, morte morieris,* id est, mortalis eris seu morti obnoxius. De qua post peccatum subditur: *Quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Et *Sapient.* 1. *Deus mortem non fecit.* Et *c.* 2. *Deus creavit hominem inexterminabilem,* id est, immortalem: *Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Quod etiam apertè traditur *ad Rom.* 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit.* Item *c.* 6. & 8. & 1. *ad Cor.* 15.

Quo fuisset immortalitatis radix? Radix autem hujus immortalitatis duplex erat. Nam contra agentia quidem extrinseca, quæ mortem causare poterat, homo tutus erat, partim ex provida cautela & circumspectione propriâ quâ sibi caveret à noxiis, partim ex protectione Dei per se aut Angelos submovente occasiones & pericula extrinseca, unde mors causari potuisset. Contra mortem autem, quæ non obstante optimo temperamento alioquin obventura fuisset ab intrinseco calore nativo depascente jugiter humidum radicale, homo munitus erat saluberrimo alimento, quo per nutritionem facta fuisset reparatio ejus quod absumi cœperat. Indiguissent enim homines alimentis, non tantùm ut paulatim accrescerent, sed etiam ut post accretionem nutrirentur, ne deficerent. *Indiguisset homo integer alimentis.* Quo sensu rectè accipitur dictum Apostoli 1. *ad Corinth.* 15. *Factus est primus homo in animam viventem,* quatenus videlicet habuit corpus animale cibis indigens: *novissimus autem,* in resurrectione scilicet, *in spiritum vivificantem,* quando scilicet instar spirituum sine alimentis perpetuò subsistet, ut etiam mori non possit.

Quia verò nutritio continua non posset se solâ senium aut defectum intrinsecum naturæ tandem aliquando secuturum impedire, contra hunc defectum providerat Deus homini de ligno vitæ, cujus fructus erat saluberrimus, maximèque conducens, præsertim frequenter manducatus, ad vigorem naturæ stabiliter conservandum, tempestivè occurrendo futuræ alioquin defectioni seu senio. Quod utique ad longissimum tempus servire poterat, quousque nimirum Deus ante naturæ defectum tempestivè hominem absque morte intermediâ transtulisset ad statum æternæ beatitudinis. 73.

Alioquin nulla erat necessitas creandi fructum habentem vim physicam & connaturalem conservandi vitam hominis per totam æternitatem: omnes enim non peccantes fuissent post certum annorum numerum (quem aliqui non adeò magnum putant: quamquam non nisi divinando possit de hoc quidquam determinatè statui) translati in cælum: peccantes autem fuissent mortui, aut saltem, seclusâ pœnitentiâ, ad supplicium translati. Quare sine sufficienti fundamento hæc vis à Nonnullis ei adscribitur. Quòd si vis ligni naturalis aliquo eventu non suffecisset, potiùs censendum foret ei tunc superaddendam virtutem supernaturalem, uti Sacramentis; prout de virtute ligni vitæ censet *D. Bonav. d.* 19. *in Expos. textûs dub.* 4. Et consonat *Beda in Genesim,* & ante ipsum *Augustinus lib.* 8. *de Genes. ad litt. cap.* 5. comparans vim ligni vitæ virtuti panis subcinericii Eliæ, & farinæ ac oleo viduæ non deficienti; ubi

ubì conſtat operatam fuiſſe virtutem ſupernaturalem. Favet etiam 13. *de Civit. cap.* 20. relatus *ſuprà.* Quin immo *Poncius diſp.* 17. *num.* 19. conformiter ad *Scotum diſt.* 19. *quæſt. unic.* exiſtimat probabilius eſſe, quòd nullâ reparatione cibi natura[illegible] [illegible]eri poſſit, ut quis vivat in ætern[illegible] [illegible]ra ſua phyſica: eò quòd natura quæ[illegible] ita reparabilis videatur habere, utì magnitudinis, ſic & vigoris determinatum terminum, ad quem cùm pervênit, deinceps paulatim debilitatur, quantumvis cibos quoſcumque quotidiè ſumat, donec tandem deficiat. Et quamquam per bonum cibum aut ſalutares medicinas poſſit reparari jactura bonarum aliquarum qualitatum, etiam priùs quàm cibus ipſe vertatur in ſubſtantiam aliti (quod fruſtrà contra *Scotum* velut graviter impingentem urget *Arriaga diſp.* 41. *num.* 14.) præfato nihilominus determinato tempore elapſo, numquam reſarcitur tam perfectè jactura ipſius ſubſtantiæ; ſic ut tandem aliquando mors ſequi debeat. Quare non refert, quòd frequenter infirmus ex graviſſimo morbo, in quo fermè extincta erat diſpoſitio naturalis, convaleſcat & majores vires melioremque diſpoſitionem accipiat per medicinas: nam finitâ periodo vigoris nativi, qui poſtquam ad certum terminum pervenit paulatim tabeſcit, ſicut à flamma lampadis paulatim conſumitur oleum (quam ſimilitudinem paſſim applicant calori naturali & humido radicali) numquam reparatur per medicinas; ut patet in Senibus decrepitis, omni alioquin qualitate noxiâ carentibus. Solùm itaque qualitates noxiæ, quibus diſpoſitio naturalis violentè velut ſuffocabatur, per medicinas tolluntur, & priſtinâ temperie redditâ, reſtitui videtur, qui velut ſuppreſſus latebat in homine alioquin vegeto, priſtinus vigor.

74. Nec obſtat illud *Geneſ.* 3. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt &c. nunc ergo ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* Nam facilè reſpondetur, totum id ironicè eſſe dictum: quamquam inde Adam amotus ſit, ne ſtultè ſibi ex eſu iſtius ligni promitteret immortalitatem. Vel (ut *D. Thom. D. Bonav. Liranus* & alii) *æternum* ibi ſumitur pro longiſſimo tempore, more Scripturæ uſitato: potuiſſet enim prodeſſe etiam homini lapſo ad notabilem longævitatem, etſi non ad omnimodam perpetuitatem. Adde juxta Nonnullos *Adam* ibi eſſe nomen appellativum ſignificans hominem: cùm exprobatio maximè ad Hevam pertineat. Unde patet, quàm leviter *Arriaga d.* 41. *ſect.* 1. *n.* 14. ex hoc loco putaverit ferè eſſe de fide, quòd ea fuerit virtus ligni vitæ, ut eſus ex eo potuiſſet hominem in vita perpetuò ſeu pro tota æternitate conſervare.

75. Præterea juxta *S. Auguſtinum* & alios Doctores unanimiter non fuiſſet in homine, ſecluſo peccato, paſſibilitas corporis afflictiva: quæ fuiſſet impedita partim per optimum corporis & aëris temperamentum ac nutrimentum, partim per providam ipſius hominis cautelam, partim per divinam aut angelicam protectionem. Unde nullus fuiſſet morbus, dolor, fames, ſitis &c. Quocirca paſſiones corporales ejuſmodi recenſentur inter pœnalitates peccati originalis. Et ſtatim poſt peccatum fuit hæc pœna Hevæ intentata *Gen.* 3. *In dolore paries filios.* Et *Aug.* 14. *de Civit.* 26. dicit, primo homini cibum adfuiſſe, ne eſuriret, potum, ne ſitiret, quo videlicet defectum alioquin corpori adhuc animali superventurum anteverteret. Quare fuiſſet appetitus naturalis edendi & bibendi incitans hominem ſummâ tranquillitate & abſque omni moleſtia ad occurrẽdum moderatâ ſumptione ſuperventuro alioquin defectui. In nobis autem connotat ſeu adjunctam habet fames & ſitis moleſtiam, aut aliquem naturæ defectum jam contractum: & ſæpè immoderantiam appetitûs, quæ potiùs ſit gulæ, quàm neceſſitatis.

Homo citra peccatum impaſſibilis fuiſſet, & unde?

76. Quantùm ad ſomnum, eſt aliqua controverſia. In qua dicendum, quòd ſicut corpus, utpote animale, indiguiſſet cibo, ne deficeret, ſic & ſomno, ne ſenſus fatigarentur. Ita *D. Thomas* & alii paſſim. Et ſatìs indicat *Aug. ſup.* Idemque colligitur non ſolùm ex animalitate corporis, ſed etiam ex inſtituta ab initio viciſſitudine diei ac noctis: nox enim à natura omnibus animãtibus data eſt ad quietem, ſicut dies deſtinata eſt operi. Quin immo ipſe Deus immiſit Adamo adhuc integro (cui ſanè non immiſiſſet aliquid per ſe ad miſeriam pertinens) ſoporem, altum ſcilicet & verum ſomnũ, etſi extaſi conjunctum. Abſuiſſet tamẽ omnis moleſtia, ſenſuumque languor, ſed per ſomnum ei tempeſtivè fuiſſet occurſum. Abſuiſſent quoque cauſæ ſomni pœnales, quas modò ſæpè patiũtur homines, ſed illum providè cauſaſſet natura elevationẽ fumi ſeu vaporũ à ſtomacho ad cerebrum, quibus inde recidentibus in organa ſenſuum, præſertim oculos, ſecutus fuiſſet placidus ſomnus.

Corpus indiguiſſet ſomno.

An autem in ſomno fuiſſet perfecta mentis & rationis vigilia, dubitari poteſt. Fortaſſe cum illa non defuiſſet. Quod quidem apertum eſt, ſi intellectus hominis integri fuerit independens à phantaſmate. Atque eſto quòd non: dici

In quo credibiliter vigilaſſet animus.

 adhuc

adhuc posset, somnum non alium tunc futurum fuisse, quàm qui præcisè sensuum defatigationi occurrisset; ac proinde qui nullatenus perfectam operationem phantasiæ, atque adeò intellectûs à phantasia dependentis impediret (prout impedit in nobis, qui miris phantasiæ illusionibus, ac, ut apparet, etiam intellectûs operationibus, etsi imperfectis, subjicimur in somno) sed solos sensus exteriores placidè ligasset. Id namque consonat perfectioni statûs istius. Res equidem nobis incerta manet.

QUÆSTIO X.

De Felicitate status Innocentiæ quoad animam.

77. *Præditus fuit ante lapsum gratiâ sanctificante,* PRIMÒ quantùm ad animam primus homo fuit ante lapsum præditus gratiâ sanctificante; ut expressè docet *Trid. sess. 5. can. 1.* Immo (quàmvis id non ita certum) fuit in ipsa gratia creatus; ut colligitur ex *Eccle. 7.* ubi dicitur: *quod fecerit Deus hominem rectum.* Et docent *Immo in ea creatus,* communiter Doctores. Idem indicant Patres, signanter *Augustinus.* Varii Patres quoque applicant illud, quod *Genes. 1.* dicitur *homo creatus ad similitudinem Dei.* Nonnulli etiam applicant illud quod *Genes. 2.* dicitur Deus *inspirasse in faciem ejus spiraculum vitæ.* Quod etsi symbolicum sit, sensum tamen Patrum de prima conditione hominis quoad statum gratiæ declarat sive indicat. Accedit *Arausicanum II. can. 19.* docens naturam humanam fuisse *conditam in integritate.* Quod videtur aliis verbis explicasse *Tridentinum suprà.* docens hominem fuisse *constitutum in sanctitate & justitia.* Confirmatur: quia cùm constet sanctitatem ei fuisse collatam ante lapsum, omnino dicendum est, quòd in creatione: cùm nulla fuerit ratio differendi, & ipsi posteri Adæ, si non peccasset, fuerint creandi in gratia sanctificante. An autem gratia fuerit Adamo collata dependenter à propria dispositione incertissimum est; ut colligitur à fortiori ex dictis in simili *Similiter in fide & spe infusâ,* de angelis. Hinc sequitur etiam fuisse præditum spe & fide infusâ; prout quoque de angelis dictum est. Et de fide primi hominis expressam mentionem facit *August. 14. de Civit. c. 26.* & alii Patres. Quorum autem objectorum fidem habuerit, resolvendum est simili modo quo circa angelos resolutum est. Erat autem fides primi parentis ab initio firma ac robusta, carensque permixtione errorum, falsarumque imaginum quas sibi de divinis rebus humani sensus fingit imbecillitas. Quocirca in Adamo notitia fidei erat perfectior, ob absentiam impedimentorum; ac insuper ob perfectiorem revelandi modum non inferiorem illo, qui obtigit Prophetis.

Secundò habuit homo integer justitiam originalem. Quæ quidem est donum supernaturale præter justitiam seu gratiam sanctificantem includens alia beneficia, per quæ homo erat facilis in omni occasione ad bene operandum, & impediebatur rebellio carnis ad spiritum, sic ut promptissimè ratio & voluntas Deo, & appetitus sensitivus rationi & voluntati per omnia subjiceretur. Unde *Trid. sess. 5. can. ult.* fomitem concupiscentiæ, qui etiam in renatis manet, docet esse ex peccato. Et hinc Adam & Heva non erubuerunt de sua nuditate, nisi post peccatum, ut notat *August. 14. de Civit. c. 17.* quia cùm ratio deberet dominari corpori, erubescit quòd subjiciatur alicui corporis parti, & hæc dominatum, etiam renitente ratione ac voluntate exerceat. 78. *Item in justitia originali: quæ describitur,*

Hæc beneficia porrò consistebant partim in habitibus virtutum, optimoque corporis, seu humorum temperamento; unde in multis, præsertim Sanctis, etiam pro statu naturæ lapsæ mira subinde oritur tranquillitas & consensio carnis ac spiritûs; partim in divinis auxiliis; partim denique in speciali protectione Dei, quâ tum contraria submovisset, tum appetitui inferiori, ne contra spiritum insurgeret eumve ad peccatum pertraheret, concursum subtraxisset. Alioquin ea est appetitus sensitivi natura seu conditio, ut, non obstantibus virtutum habitibus aut temperamenti bonitate, naturaliter sæpè excitetur ab objecto delectabili non applicato per rationem, priusquam id ratio possit advertere: quâ excitatione factâ, nisi desit divinus concursus, movetur naturaliter seu necessariò: qui quidem naturalis agendi modus per solos virtutum habitus tolli nequit. *Et ampliùs declaratur.*

Adverte Nonnullos paulò aliter explicare nomen justitiæ originalis. Nam *Suarez.* & alii hoc nomine intelligunt totum complexum beneficiorum corporis & animæ, adeòque etiam immortalitatem &c. Ex quo complexo exurgebat completa integritas primævæ conditionis hominis. *Quamvis in ejus descriptione variët Auctores, in re conveniunt.*

Alii verò statuunt justitiam originalem in ipsa gratia sanctificante, sive ut originaliter concessâ, sive ut in posteros transfundendâ, sive ut connotante cetera dona & beneficia, & quatenus horum radice. Quod notare placuit, ne ambigua variave apud Varios vocis usurpatio ipsi rei (circa quam non est differentia inter Doctores) tenebras offundat.

Tertiò

79. *Adamo infusa fuit scientia rerum naturalium.*

Tertiò intellectus primi parentis fuit in creatione instructus scientiâ per accidens infusâ rerum naturaliũ juxta Doctores communiter. Et colligitur ex Scriptura *Eccli. 17. Disciplinâ intellectûs replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, & mala & bona ostendit illis. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent &c.* Quæ verba etsi agant etiam de Heva, huic tamen non necessariò videtur tanta sapientia aut scientia adscribenda quanta Adæ, in quo specialiter militat ratio rectoris & capitis omnium. Sicut enim Adam creabatur plenè instructus ad generandum, sic congruebat ipsum creari plenè instructum ad instruendum & gubernandum alios, quorum omnium creabatur caput. Perfectioni tamen istius status, & operis supremi artificis illud per se efformantis congruebat, Hevam quoque creari sapientiâ divinitùs instructam, minori tamen: ob quod diabolus fidentiùs ipsam quàm Adamum primò tentare aggressus fuit, ut SS. Patres annnotarunt.

Amplior quàm Heva.

Quanta præcisè, incertum.

Quàmvis autem scientia primi hominis fuerit valde magna: non constat tamen præcisè, quanta fuerit. Non enim videtur satis constare, quod varii indefinitè asserunt, extensam fuisse ad omnes res naturales aut naturaliter scibiles. Neque talis scientia erat ad instructionem aut gubernationem aliorum necessaria. Similiter non requirebatur tanta notitia ad imponendum singulis animantibus & volatilibus cæli sua nomina: quæ poterat instituere sine notitia quidditatis singulorum. Et ad summum hæc nominum impositio probat, Adæ fuisse infusas species linguæ primitivæ, & voces quasdam pro suo placito fuisse animalibus applicatas. Neque etiam fortasse calluit quotquot postea inventæ fuerunt artes, etsi tunc scitu non necessarias, v.g. artem conficiendi pulverem tormentarium eoque utendi: quamquam si species ei fuissent propositæ, facilè cognovisset ex singulari perfectione ingenii & scientiæ rerum naturalium.

Crescere potuit Adæ studio & industriâ.

Quapropter scientia primi hominis crescere potuit studio & industriâ. Cui quoque consonat illud *Eccli. 17. Consilium .... & cor dedit illis excogitandi.* Similiter scientia experimentalis crevit ipso usu: uti & scientia futurorum necessariorum, v. g. eclipsium, tempestatum anni &c. per discursum ex cognita combinatione causarum naturalium.

80. *Caruisset homo innocens ignorantiâ pravæ dispositionis.*

Denique potuisset habere assensum falsum; nisi Deus impedivisset. Quod addo: non enim permisisset Deus deceptionem sive ignorantiam pravæ dispositionis, juxta Theologos communiter, & expressè *Augustinum l.3. de lib. arbit. c.18.* dicentem: *Approbare falsa pro veris ut erret invitus ..... non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Unde ignorãtia inter pœnas originalis peccati recẽsetur ab omnibus Theologis post *Augustinum lib. 1. Retract. c.9.* Qui præterea *Enchiridii c. 17. & seqq.* ex professo probat quemcumque errorem, etiam in materia levissima, inter mala hujus vitæ deputandum esse, & ad quandam miseriam pertinere. At verò citra peccatum non potuisse primis hominibus ullum accidere malum, tradit idem *S. Doctor lib.14. de Civit. c.10.*

Eo non obstante quomodo Heva seducta fuit.

Nec obstat, quòd juxta Apostolum *1. ad Tim. 2. Mulier,* Heva, *seducta in prævaricatione fuit.* Nam juxta *D. Bonav. d. 22. art. 2. q. 1. ad 1. & 2.* ante deceptionem seu seductionem jam interiùs peccaverat, peccato scilicet præsumptionis de se ipsa: quo ita fuit mentis oculus excæcatus, ut existimaret se per comestionem, adeòque per inobedientiam, ad promissam à serpente excellentiam posse pervenire. Unde *August. l.11. de Genes. ad litt. c.30.* ait: *Quando verbis serpentis crederet mulier, à bona atque utili re divinitùs se fuisse prohibitos, nisi jam inesset menti amor ille propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio?* Deinde juxta eumdem *D. Bonav. sup.* deceptio Hevæ fuit et culpabilis, & statum innocentiæ sive gratiæ excludens: non fuerunt autem primi parentes ejusmodi erroris, v. g. infidelitatis, incapaces, sicut neque peccati; prout ejusmodi error verè peccatum est. Immo juxta *Molina* & *Del-Rio* fuerunt etiam capaces deceptionis, quæ ad periclitandam eorum obedientiam ordinabatur: quam tamen deceptionem nullo negotio vitare potuissent. Denique ipsam Hevæ prævaricationem fuit comitata seductio seu error: mox enim intellectus Hevæ incurrit magnam cæcitatem.

81. *An intellectus primorum parentum dependerit à phantasmate, controversum est.*

Petes, An intellectus primorum parentum ante peccatum dependerit à phantasmate? Resp. inter Doctores id non planè constare. Communior quidem Sententia affirmare videtur: eò quòd hic intelligendi modus ex naturali potentiarum subordinatione oriri videatur. In id etiam inclinat *Scotus 2. d. 3. q. 8. n. 13.* idemque supponit *d. 21. q. unic. n. 1.* Varii tamen negant, præsertim *Scotistæ*, putantes, quòd dependentia ista sit pœna peccati; atque adeò in homine integro non fuisset. Videturque favere alibi *Scotus*; nil tamen definiendo. Res quidem incerta apparet *Poncio d.17. n. 2.* attamen Sententia negans longè probabilior. Neque enim apparet ei ulla ratio, ob quam inesse

esse corpori impediat intelligentiam animæ independentem à phantasmate potiùs, quàm extra corpus. Verùm faciliè potest ratio subesse, & nobis non apparere; prout in plerisque rebus contingit. Immo in ipsa anima separata: quæ cùm naturaliter affligi nequeat ab iis quæ nata sunt corpus cruciare, ei tamen inexistens simul cum eo patitur & cruciatur. In cujus rei ratione inveniendâ non parum laborat *Augustinus l.6. de Musica c.5.* Et planè illam investigare haud facile est. Præterea constat, quòd intellectus de facto dependeat à phantasmate; non constat autem, quòd id sit in pœnam. Denique si intellectus Hevæ fuisset independens à phantasmate, frustrà dolos suos tegere studuisset diabolus assumpto serpentis corpore: nam ipsummet dæmonem clarè fuisset intuita. Credendum saltem non defuisse primorum parentum intellectui, præsertim si à phantasmate dependerit, species phantasticas simul cum intelligibilibus infusas: quatenus iis mediantibus possent expeditè intelligere etiam illa, quorum species mediante sensuum ministerio necdum hausseraint ab objectis.

Rectius affirmatur.

82. Quartò quantùm ad perfectionem naturalem voluntatis primi parentis, fuit illa etiam prædita virtutibus moralibus per accidés infusis juxta Doctores communiter. Et consonat illud *Eccli. 17. Deus creavit de terra hominem &c. & secundùm se* (id est, secundùm similitudinem Dei, aut etiam secundùm exigentiam naturæ & perfectionis primi hominis) *vestivit eum virtute.* Quod uti de aliis animi dotibus, sic quoque de virtutibus naturalibus non incongruenter videtur accipi: quamquam nil possit ex hoc loco convinci. Idem colligitur ex dictis de perfectione naturali intellectûs; cui proportionari debet perfectio voluntatis: cùm eadem ratio seu congruentia militet.

Voluntas eorumdem prædita fuit virtutibus naturalibus per accidens infusis.

QUÆSTIO XI.

De Multiplicatione posteritatis & conditione posterorum in statu innocentiæ.

83. Quod ad priorem quæstionis partem attinet durante innocentiæ statu posteri fuissent multiplicati per copulam conjugalem seu generationẽ carnalem, juxta *Augustinum* in posterioribus scriptis frequenter, retractatâ opinione diversâ, cui aliquando adhæserat. Idem tradunt Theologi unanimiter. Estque indubitatum, ut meritò censet *D. Bonav. d.20. a.1. q.1. in corp.* Etsi pauci veteres senserint homines fuisse aliter multiplicandos, sive per creationem, sive alio modo nobis incognito. Quibus accedens *Judocus Clichtovæus* apud *Estium d.20. §.1.* novum cumque duplicem modum commentus est: unum, ut tam vir quàm femina absque mutuo commercio fecundi ex semetipsis essent, sicut terra sponte suâ non suscepto semine fructum, ut ait, allatura erat: alterum, ut mulier conciperet ex solo viri anhelitu. Oppositam quoque opinionem errorem vocat, & ex *Guidone* Carmelitâ *Alphonsus à Castro V. Adami Heresi 3.* tribuit Armenis, & ex *Bernardo à Luxemburgo* cuidam impio *Almerico*, Doctori olim Parisiensi, qui adeò insanivit, ut nullam etiam tunc fore sexûs differentiam putaverit, contra apertum textum *Genesis*; Et contra illud *Marci 10. Ab initio autem creaturæ masculum & fœminam fecit eos Deus.*

Posteritas in statu innocentiæ certò fuisset propaganda per generationem carnalem.

Eadem Scriptura manifestè aliud commentum redarguit: isto enim fine sexuum seu corporum differentiam ab initio Deus instituit, ut conjunctione mutuâ fieret speciei propagatio. Quo fine etiam mox à creatione dixit hominibus *Gen.1.* uti ceteris animantibus, & rursum iisdẽ verbis ipsi Noë post diluvium; *Crescite & multiplicamini* &c. Hoc etiam potissimùm fine dictum est Adæ *adjutorium simile sibi, Gen.2.* Et clarius adhuc est, quod Adam ante lapsum, immo nec præscius lapsûs, *Gen.2.* inspiratione divinâ dixit: *Erunt duo in carne una.*

Ratio est: quia virtus generativa est perfectio naturæ, non frustrà concessa, nec propter peccatum, sed ad multiplicationem naturæ & impletionem supernæ civitatis Jerusalem. Ipse quoque concubitus, seclusâ deordinatione libidinis, quæ tunc abfuisset, & modò adest ob rebellionem partis sensitivæ (quæ tunc subfuisset dominio voluntatis, sicut motus manûs, pedis &c.) nullam indecentiam habet, etsi connexa fuisset delectatio moderata: quam tamen, uti & ipsum concubitum, homo non appetiisset vel admisisset nisi sancto fine. Quare etiam tunc non fuisset turpius loqui de istis rebus, aut de partibus nunc pudendis, quàm sit loqui de aliis: quod nunc turpe est, eò quòd natura erubescat actum illum ratione fœditatis libidinis, ut notat *D. Bonav. d.20. a.1. q.4. in corp.*

A qua obfuisset deordinatio libidinis.

Denique non fuisset indecens per se loquendo violatio virginitatis corporalis seu claustri virginalis in concubitu & partu, à quo indubiè abfuisset omnis dolor, dum viscera matris prolem enixuræ cà facilitate relaxata fuissent, quà os aliudve membrum, quod naturaliter 84.

Absque intercessione & dolore intervenisset apertio genitalis secreti, contrahi potest & relaxari. Putat nihilominus *S. August. 14. de civit. cap. 26.* Et mutatâ opinione (quam tenuerat *2. d. 20. qu 1. a. 2. ad 1.*) *D. Thomas qu. 98. a. 2. ad 4.* de facto non violandum fuisse claustrum virginale: eò quòd salvâ integritate genitalis secreti potuerit virile semen immitti, eâ viâ quâ nunc ex utero virginis fluxus menstrui cruoris emittitur. Sed oppositum tradit rectiùs *D. Bonav. d. 20. a. 1. qu. 4.* & moderni Doctores communiter. Nam sanguis prodit ex venis, quæ terminantur in orificio, & ex se emittunt sanguinem; semen autem per illas intrare non potest, sed necessariò aliam debet habere viam apertam; quæ tamen aperta non est in corpore fœminæ, prout in sua integritate & naturali compositione nascitur, quousque ab extrinseco divisâ partium continuitate seu compactione aperiatur, ut Medici tradunt. Deinde quidquid fit de conceptu fœminis, saltem in partu necessaria fuisset claustri virginalis apertio (quæ proinde sine speciali inconvenienti in ipsa quoque conceptione admittitur) absque illa enim exitus prolis fieri non potest, nisi per miraculum fuisset, vel penetratio partium, vel transitus de extremo in extremum sine transitu per medium. Solam certè pororum dilatationem ad id minimè sufficere, per se clarum apparet. Alterationem autè & consequenter dolorem, qui ex maternorum viscerum relaxatione sequi potuisset, Deus juxta statûs exigentiam facilè præcavisset. Immo (inquit *Suarez l. 5. c. 1. n. 14.*) etiam potuisset suavi modo partes fœminei corporis per convenientes qualitates ita disponere ut facilè relaxarentur sine doloris sensu; idque velut connaturaliter & quasi ex debito congruo statui tam felici; cui plura alia singularia privilegia competitura fuisse noscuntur.

85. *Et amissa fuisset tum mentis, tum carnis virginitas,* Unde tunc fuisset amissa virginitas, tum corporis, uti jam ostensum est; tum mentis, per voluntariam scilicet copulam, quæ virginitati perfectæ mentis repugnat, quantumvis sanctissimo fine admissa, prout repugnat de facto. Immo conjugium tunc fuisset melius continentiâ juxta *D. Thomam*, & plerosque alios: sive quia probabiliter præceptum: sive (cùm de præcepto non satis constet) quia abfuisset ab eo omnis molestia & libidinis inordinatio, adfuisset autem castissimus conjugum amor ac fides intemerata, perpetuumque fecunditatis bonum, atque inde consequens generatio prolium innocentium, adeòque filiorum Dei, & consimilis educatio: quibus bonis caruisset continentia absque æqualium bonorum compensatione. Oppositum *Quâ melius fuisset conjugium.* tamen sine dubitatione defendit *Arriaga d. 42. sect. 2. subsect. 3.* ex hoc solo, id clarè persuadere existimans, quòd seclusâ obligatione præcepti (quam secludit) certissimè sit melius propter Deum abstinere à re valde delectabili carni, quàm eam delectationem quærere, etiãsi propter Deum & citra inordinatum aliquem motum quæratur: quia nimirum hoc præ illo ex natura rei facilius est. Sed in primis in conjugio non fuisset quæsita delectatio, sed solùm admissa; idque tunc dumtaxat, dum foret generanda proles. Nec difficilius seu magis arduum fuisset abstinere ab illa, quàm eam admittere. Bona præterea conjugii tanta tamque multiplicia per unicum prædictæ abstinentiæ bonum satis compensanda fuisse, needum ex dictis *Arriaga* persuasum habeo.

Notat præterea *D. Bonav. sup. qu. 5.* 86. qualiter ex quavis conjunctione fuisset *Ex quavis copula fuisset secuta proles,* secuta proles, nimirum ratione sufficientiæ & perfectionis, tum in virtute generante (quæ juxta regulatam rationem nunquam exivisset in actum, nisi propter generationem) tum in virtute concipiente. Idem *qu. 6.* ex ratione doctè ostendit, qualiter pro libitu potuissent in statu isto generare prolem masculam *Masculam vel femellam pro libitu generantium,* vel femellam: optimè enim novissent causas ejusmodi differentiæ, adeòque eas modo debito applicando potuisset eadem differentia pro nutu generantium oriri.

Quod ad posteriorem quæstionis partem, nempe qualitatem posterorum Adæ 87. *Nascitura cum corpore parvo & debili,* in statu innocentiæ spectat, fuissent in primis geniti cum corpore parvo & debili: quia procreatio corporis in ejusmodi statura est connaturalis: prout quoque patet exemplo plantarum & aliorum animantium; nec de homine aliud constat ex auctoritate. Immo parvitatem corporis necessariò exegisset angustia uteri materni. An autem à principio habuissent usum membrorum ac potentiæ *An cum aliquali usu potentiæ progressivæ.* progressivæ, non ita constat; ut videre est apud *D. Bonav. d. 20. in Expos. textûs dub. 5.* ubi magis approbat cum *Magistro* Sententiam negantem, & favet *Scotus d. 20. q. 3.* quem tamen explicat *Cavellus in Scolio* de motu progressivo perfecto. Affirmantem tamen sententiam tenet *Alexander Alensis*, & alii. Et consonat *August. lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 37. & 38.* Videturque consentaneum satis perfectioni istius status, in quo apparet hominem non inferiorem hâc in parte futurum animantibus ceteris, quæ etiam nunc in lucem edita mox progrediuntur, ultrò ad ubera materna accurrunt, nutrimentum quærunt, &

vocem generi suo propriam emittunt. Ad hæc equidem haud difficulter responderi posset. Ut proinde res ista inter incertas conjecturas reponenda videatur.

88. *Vel an cum usu rationis, utrumque probabiliter conjectatur.* Similiter non satis constat, an ab initio fuissent præditi usu rationis. Plures enim cum *D. Bonav. sup. dub. 6.* valde probabiliter negant, eò quòd complexio corporis infantilis, quæ nunc usum rationis excludit, tunc similis fuisset. Neque id foret positiva imperfectio, sed mera carentia perfectionis iis ætati indebitæ. Nec majus fuisset malum, quòd tardiùs venisset usus rationis, quàm si tardiùs fuissent creati. Plures è contrà asserunt, perfectiorem eis complexionem quoad hoc, uti quoad usum membrorum adscribentes, adeòque & proportionatum rationis usum, paulatim perficiendum, ab initio nativitatis: immo fortassis etiam in utero materno. Sanè positâ intellectûs à phãtasmate indepẽdentiâ (quam quidam ponunt pro isto statu, de quo suprà) non superest nova ratio dubitandi de usu rationis etiam perfecto à puncto conceptionis: illâ enim positâ, cerebri infãtilis fluida aliave corporalis complexio illum minimè impedire potuisset, ut patet. Suppositâ verò intellectûs à phantasmate depẽdẽtiâ, non est firmum indicium, ex quo facultas utendi ratione, præsertim in utero materno, colligatur. Ut proinde ex statûs perfectione cuique manca facultas conjectandi id, quod apparet decentius fuisse, ut hac in re à Deo fieret. Quidquid sit, supponendum videtur, saltem tamquam probabilius, proles fuisse nascituras sine infusâ scientia rerum naturalium: illam enim eis infundendam fuisse nec auctoritas probat, nec ratio. Deinde facilè potuissent scientiam paulatim acquirere ingenio perfectissimo & magistrorum adminiculo, idque sine erroris periculo ratione divinæ protectionis. Unde non fuisset propterea in iis error seu ignorantia pravæ dispositionis, sed pura nesciencia. Insuper fuisset juxta cõmunem sententiam in posteris politia quædam cum ingenua, non servili, subjectione aliorum sub aliis, tùm in familiis, tum in majoribus communitatibus: idque etiam in rebus spectantibus ad cultum Dei. Hæc enim omnia rationi ac inclinationi naturali hominis consonantissima sunt.

Caruissent posteri scientiâ infusâ rerum naturalium.

89. *Omnes posteri durante innocentiâ fuissent immortales.* Constat autem certissimè ex Scriptura, Conciliis & Patribus contra Pelagium omnes durante innocentiâ futuros fuisse immortales: cùm secundùm Auctoritates mors non nisi per peccatum (cujus est pœna) in mundum intraverit. Idem juxta omnes est de impassibilitate seu immunitate à doloribus, fletu, morbis, siti & reliquis miseriis, quas in exilio patimur, & quæ sunt pœnæ peccati originalis, contendente *Pelagio* eas esse conditiones naturæ primitùs institutæ.

Præditi justitiâ originali. Denique fuissent omnes conditi in justitia originali, ut apud omnes constat: quia Adam constitutus fuerat Caput posteritatis, uti ad transfundendum peccatum originale, sic ad transfundendam justitiam originalem. Unde *Trid. sess. 5. can. 2.* definit ipsum justitiam & sanctitatem amisisse sibi, & posteris; qui proinde justitiâ alioqnin habuissent. Et *can. 5.* docet fomitem concupiscentiæ in nobis oriri ex peccato. Et *Arausic. II. Can. 19.* supponit, seclusò peccato naturam humanam fuisse permansuram in illa integritate in qua est condita. Præterea sicut mors peccato, sic vita æterna debetur justitiæ; nati autem fuissent parvuli immortales, id est, victuri in æternum: adeòque in justitia.

90. *Non tamen in ipso in justitia confirmati.* Nihilominus pueri in statu innocentiæ nati non fuissent in justitia confirmati, juxta Doctores communiter: non enim fuissent melioris conditionis, quàm quâ primi parentes conditi fuerunt; qui utique non fuerunt ab initio creationis in gratia confirmati. Deinde idem supponit *Augustinus l. 14. de civit. c. 10.* dicens: *Quam felices erant primi homines ..... tam felix universa societas esset humana, si nec illi malum ...... nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet.* Denique id magis congruit libertati viatorum, seu statui viæ ac meriti. Quàmvis absolutè loquendo nil vetasset, quin etiam salvâ libertate ad bonum & malum, potuisset Deus singulos confirmare in bono per auxilia efficacia: quin etiam sublatâ potestate ad malum ac demeritum relinquere potuisset perfectam & ad meritum sufficientem in bonis eligendis indifferentiam. Nec obstat *Gregorius 4. Moral. c. 36.* dicens: *Si primum parentem nulla peccati putredo corrumperet, nequaquam ex se filios gehennæ generaret; sed hi qui nunc per redemptionem salvandi sunt, soli ab illo electi nascerentur.* Nam aliud est esse electum, aliud in justitia confirmatum. Potuissent igitur omnes esse electi, & tamen nonnulli aut etiam multi peccare, quorum tamen nullus in statu peccati persisteret, libero arbitrio gratiæ cooperante.

Non obstat etiam, quòd Adam si primam tentationem vicisset, mox fuisset in justitia confirmatus, adeòque & posteri: sicut quia nunc primæ tentationi succubuit, subjecit etiam posteros necessitati peccatique argumentatur *Anselmus l. 1. Cur Deus homo c. 18.* Nam in primis incertum (esto

Saltem non ante devictam primam tentationem.

(esto probabile) est quod assumitur, etiã de ipso Adamo. Deinde eo gratis cõcesso, non sequeretur confirmatio omnium posterorum, nisi ad summum sub conditione quòd & ipsi singuli similiter primam tentationem vincerent, ut rectè *Scotus d. 20. q. 1. n. 3.* & alii. Denique proclivior est via ad necessitatem mali, quàm boni, v. g. ad morbum incurabilem, quàm ad stabilem sanitatem.

91. *An Adamo non peccante nascituri fuissent soli electi?*

Petes, An Adamo non peccante soli electi fuissent nati? Resp. id videri *Scoto d. 20. q. 2.* probabile ob expressam auctoritatem *S. Gregorii sup.* Cui non obstat, quòd nunc plures salventur de uno sexu quàm de altero; tunc autem præcisè fuissent tot viri, quot mulieres: eò quòd omnes cõtraxissent matrimonium, nec unus successivè habuisset plures uxores, aut una plures viros, ut allegat *D. Bonav. d. 20. art. 1. q. 6. in corp.* Nam hæc ipsa incerta sunt. Atque esto admittatur, potuissent aliqui qui nunc sunt viri, tunc fuisse fœminæ, aut contrà. Ista enim sexuum differentia subsequitur electionem ad gloriam: estq; omnino accidentalis. Immo etiam naturaliter sexum in eadem persona quandoque mutari, fidem faciunt exempla, quæ referunt *Aulus Gellius*, & alii apud *Hugonem Cavellum in Scolio ad locum cit. Scoti n. 4.* qui ibidem etiam refert *Plinium* testem oculatum, & ex testimonio Illustrissimi Domini *F. Florentii Conrii* addit recens exemplum, quod contigit in Hispania anno 1618. Præterea potuit electus qui nunc nascitur ex parentibus reprobis idem manens gigni in casu quæstionis ab aliis parentibus electis.

Existimo equidem Sententiam *S. Gregorii* valde incertam; cùm nullo Scripturæ aut Concilii testimonio nitatur, adeòque gratis videatur conjecturari infallibilis prædestinatio totius posteritatis tunc nasciturae, in qua tamen nullus nasceretur in gratia confirmatus, sed cum perfecta arbitrii vertibilitate. Præterea haud satis æqua videretur alioquin conditio non electorum, utpote quorum non fuisset decreta creatio nisi dependenter à peccato Adæ, quique proinde nullo eventu poterant esse participes originalis justitiæ. Quare æquitati consonum apparet, ut Deus non excluserit à transfusione justitiæ, si Adam non peccasset, quos eo peccante comprehendit in transfusione peccati. Nisi quis velit ita explicare *Gregorium*, quòd etiam qui nunc sunt reprobi, tunc omnes forent electi. Quod ipsum tamen gratis excogitatum apparet, nec consonum ordini divinæ prædestinationis, quæ antecedens est ac tum à lapsu, tum à perseverantia Adæ in innocentia independens, juxta *D. Thomam, Scotum* & alios. Neque hac in parte repugnamus *Scoto suprà*. Qui utique non intendit neque potuit negare illius Sententiæ incertitudinem, quam hîc solùm asserimus. Neque apparet etiam *Scotus* illi firmiter adhæsisse: cùm *1. d. 41. q. unic. num. 12.* & *3. dist. 19. q. unic. n. 6.* satis apertè supponere videatur, creationem, uti & reprobationem negativam, reproborum fuisse in mente divina priorem prævisione lapsûs Adæ, adeòque ab eo independentem. Ratio denique *Scoti loco cit. in 2.* non aliud probat, quàm fore eosdem electos, si status Innocentiæ perseverasset, qui nunc sunt electi (quod solùm proinde ex propria mente videri potest asseruisse) non autem nullos tunc insuper reprobos fore nascituros. Hac quæstione proindè in sua incertitudine derelictâ; quæ alinndè quoque non apparet notabilem habere utilitatem, ad alia properemus.

QUÆSTIO XII.

De Lapsu & Pœnitentia primorum parentum.

§. I.

De Peccabilitate primorum Parentum.

PRIMI homines in paradisi amœnitate, corporisque & animæ felicitate ac quadam hujus vitæ, etiam supernaturali, beatitudine constituti erant, ut si libero arbitrio ac Dei adjutorio in sua felicitate sub levi jugo Creatoris sui permanere voluissent, merito mansionis suæ absque morte intermedia accepissent illam beatitudinis plenitudinem, à qua ulteriùs excidere non possent. Idemque est cum proportione de posteris. Quare sicut capaces meriti, sic & capaces demeriti fuerunt creati; ur actu commissa peccata declarant, & Fides indubitanter tradit. 92. *Primi homines creati sunt peccabiles*

Peccabiles autem erãt diversorum generum peccatis: tum quia de facto uterque diversimodè in paradiso peccavit: tum quia id sequitur ex vertibilitate liberi arbitrii; cujus facultatem fuisse determinatam ad certam dumtaxat speciem peccati, ex nullo capite apparet. *Diversis generibus peccatorum,*

Peccabiles proinde erant in statu innocentiæ etiam peccato veniali, ut contra *D. Thomam, D. Bonaventuram, Suarez.* & alios docet *Scotus d. 21. q. unic. n. 3. Gabriel, Arriaga* & alii passim, & videtur adeò clarum *Poncio d. 17. n. 10.* ut mire- 93. *Etiam venialium*

 tur

tur de eo dubitari, & multò magìs oppositum ab aliis defendi. Ratio desumitur ex libertate voluntatis; cui facultatem ad veniale, utì ad mortale competere asserendum est, nisi ostendatur, ex quo capite ei defuisset: hoc autem nullatenus ostendi potest. Non enim verosimile ex ullo fundamento apparet, quòd omnia peccata, etiam otiosum verbum aut factum, fuissent mortalia. Dignitas namque istius status, uti nec quantalibet personæ sanctitas, elevat quamcumque materiam levem ad rationem mortalis: neque per positivam ordinationem à Deo sic fuisse elevatam, vel tenuis subest ratio suspicandi. Præterea scientia, virtutes, ceteraque dona, sicut non impediverunt peccatum mortale, sic nec poterant impedire peccatū veniale. Gratis denique asseritur (quâ viâ Varii oppositam doctrinam defendere conantur) debitam fuisse homini in statu isto protectionem à peccatis venialibus, quamdiu non incideret in mortale. Neque enim peccatum veniale exclusisset statum innocentiæ (ut nec de facto excludit statum gratiæ) nisi secundùm quid parvum & reparabile, quatenus videlicet causasset levem maculam peccati, & debitum pœnæ sive satisfactionis, quæ præstari potuisset per actum specialem amoris aut contritionis, vel per assumptionem alterius afflictionis. Unde ex parte status, & seclusâ culpâ, nil triste fuisset, sed cuncta tranquilla & læta (quod tantùm vult *August. 14. de Civit. c. 15. & 26.*) Ex culpa tamen potuit in statu isto accidere homini molestia seu malum grave vel leve pro quantitate culpæ.

Ex levitate materiæ.

94. Petes, An potuerit in statu innocentiæ committi peccatum veniale, non tantùm ex levitate materiæ, sed etiam ex subreptione? Resp. cum variis Doctoribus, præsertim *Scotistis* (& colligi posse videtur ex *Scoto d. 21. q. 1. n. 4. ℣. ad secundum*) non potuisse committi ex subreptione, quæ nunc nascitur ex fomite concupiscentiæ; bene tamen ex illa (subreptionem voces, an aliter, per me licet) quæ nascitur ex imperfecta cōsideratione seu attentione, dum intellectu nimis aliis intento insufficiens in reliquo manere potuisset ad mortalem malitiam attentio; sicut de Angelis *d. 3. d. 6.* dictum est.

Immo probabiliter etiam ex imperfectâ consideratione.

§. II.

De Amissibilitate & Duratione status innocentiæ.

95. AN verò per quodlibet peccatum mortale amisisset homo non solùm gratiam sanctificantem (quod fides docet) sed etiam immortalitatem, totamque justitiam originalem, saltem recuperabiliter: an autem ipsam saltem ex parte retinuisset, inter Auctores conjecturaliter disputatur. Id fide constat, præceptum positivum fuisse primis parentibus impositum, de non comedendo fructu ligni scientiæ boni & mali, eâ ratione, ut prævaricatione illius totam justitiam originalem irrecuperabiliter amitterē; prout eventus docuit. Et quidem Heva amisit sibi, Adam verò insuper toti posteritati ex ipso per carnalem generationem descendenti, quæ quantùm ad hoc præceptum in eo tamquam capite continebatur. Fuit autem latum in signum, tum divinæ jurisdictionis & potestatis; tum debitæ ab homine subjectionis & obedientiæ: idque in materia citra prohibitionem non malâ, à qua proinde solum Conditoris imperium posset retrahere. Nec solos primos parentes, sed etiam omnes posteros, si durasset innocentiæ status, personaliter respexisset; prout passim Doctores putant: eò quòd in Adamo tamquam capite videatur generaliter etiam posteris latum fuisse; utì & Hevam noscitur respexisse, quæ tamen fortasse tunc nondum erat formata. Unde videtur Deus in signum summi dominii reservasse hunc sibi fructum, ceteris concessis ad usum & arbitrium generis humani. Quâ ratione materia, etsi alioquin levis, efficitur gravis. Quàmvis etiam non superare videatur divinam potentiam, quin Deus ipse materiam simpliciter & absolutè levem potuerit graviter seu sub peccato mortali præcipere aut prohibere; ut Doctores passim tradunt, partim in materia de Legibus, partim in materia de Peccatis.

Quolibet mortali amisissent sibi gratiam, an ex toto justitiam originalem, dubitatur.

Hanc Heva sibi, Adam quoque posteris esu ligni vetiti irrecuperabiliter perdidit.

Attamen malo nostro non diu duravit primævi status felicitas, dum citò *invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum, Sap. 2.* Adeò ut quidam incolatum Adæ in paradiso ad sex aut circiter horas, vel ad unum diem restringant. Alii nihilominus, & meritò paulò ampliùs extendunt, quod & clarè insinuant Patres, & innuit historia Genesis referens tot, quæ tam brevi tempore vix fieri potuissent; & consonat congruentia satis obvia. Proinde aliqui ad triduum, alii ad sextiduum, alii ad dies quadraginta; alii denique plures ad octiduum innocentiam & consequenter incolatum Adæ in paradiso extendunt, quasi sextâ feriâ creatus, vertēte iterum sextâ feriâ lapsus sit, ac è paradiso expulsus: de quibus nil certi constare potest. Saltem communi consensu constat, lapsum non diu post creationem contigisse: prout etiam narratio Genesis primâ 96.

Status innocentiæ quanto præcisè tempore duraverit, incertum;

Certum tamen, quòd non diu.

fronte

fronte cuivis ingerit: uti & illud, quòd ad primam tentationem diaboli (qui non est credendus longo tempore illam distulisse) homo ceciderit: ac denique quòd adeò longo tempore non abstinuisset homo à generatione; cùm tamen constet ipsum in paradiso à copula abstinuisse. Unde incredibile est quod quidam censuerunt (teste *Moyse Barcepha Episcopo Comment. de paradiso p. 1. cap. ult. in fine To. 10. Biblioth. Veterum Patrum Editionis Coloniensis*) de incolatu Adæ in paradiso per tempus triginta annorum.

§. III.

De Tentatione & Lapsu Hevæ.

97. ITAQUE post paucum tempus in paradiso transactum, diabolus invidiâ plenus cœpit in materia esûs fructus vetiti primò tentare Hevam, veritus ne frustrà ad Adamum spiritu robustiorem tentandum accederet, simul que sperans Hevâ devictâ per hanc virum quoque allicere & superare.

Hevam cœpit dæmon tentare sub tegumento veri serpentis, Accessit autem sub tegumento veri serpẽtis corporalis; ut Patres & Theologi unanimiter censent, & apertè patet ex iis quæ historia Genesis, ad litteram intelligenda, de serpente narrat, eum censens inter animantia terræ, dicensque cunctis calidiorem; ac referens postea maledictionem ejusdem, de gressu super pectus, comestione terræ, & inimicitiis serpentis adversùs homines: hi enim horrent serpentes, & contritos cupiunt; è contrà serpentes insidiantur calcaneo, satagentes toxico suo nocere. Quare plusquam temeraria est Sententia *Caietani* post *Origenem* negantis serpentem intercessisse, ac existimantis illo solùm intelligi ipsum diabolum. Neque etiam ullatenus probãdum est, quod sensit *Cyrillus*, & probabile censet *Arriaga d. 44. n. 24.* quòd non fuerit serpens verus, sed fictus, seu apparens tantùm serpentis similitudo (quo modo in specie humana Angeli sunt sæpè locuti hominibus) cùm & hoc communi Patrum & Theologorum Doctrinæ, & litteræ historiali satis apertè repugnet.

98. *Verisimiliter colubri.* Cujusnam porrò speciei serpens fuerit, incertum est. Varii probabiliter conjectant, fuisse colubrum; utpote ordinarium serpentem, & hoc nomine designatum à Christo *Matth. 10. Estote prudentes, sicut serpentes.* Consonatque tum diabolo symbola & à Moyse indicata calliditas, quæ maximè notatur in colubro: tum fœditas & squallor corporis, dæmoni similiter magis congruens. Unde ob hoc divinâ permissione ejusmodi solùm instrumento usus est dæmon; atque insuper, ut eò faciliùs Heva fraudem detegeret. *Estius* autem *d. 21. §. 1.* censet fuisse draconem, qui propriè est serpens ingentis magnitudinis in quem plenâ tandem ætate excreverit: eò quòd diabolus, qui à deceptione per serpentem factâ nomen serpentis antiqui etiam in Scriptura obtinuit, signanter *Apocal. 12. & 20.* ibidem quoque vocetur draco. Verùm etiam colubri sunt & vocantur dracones. Deinde nomen draconis tribuitur diabolo ob sævitiam & horribilitatem, non autem quòd in specie Draconis magnæ molis Hevam tentarit.

Circa locutionem serpentis observandum, illam explicandam exemplo asinæ Balaam, per quam Angelus fuit locutus, formans naturali suâ virtute in ejus ore sermonem humanum. Simili namq; modo diabolus locutus est per serpentem, linguam illius & fauces movens ac dirigens, præter naturam ipsius serpentis: neque enim animalia tunc sensatè loquebantur, ut de serpente fabulatus est *Josephus lib. 1. antiquit. c. 2. prope finem*, putans loquẽdi facultatem à creatione serpenti inditam in pœnam admissæ fraudis ei fuisse ademptam. Nihilominus Heva non exhorruit: quia sciebat sibi innocenti non posse nocere, ut rectè *Chrysostomus Homil. 16. in Gen.* Potuit tamen ob novitatem mirari, & rei tam novæ evẽtum exspectare. Neque dubitãdum videtur, quin usus fuerit eâ quâ ipsi homines utebantur linguâ, & quâ Deus ipsos allocutus erat, Hebraicâ videlicet, quæ veluti primæva in Hebreis Abrahæ posteris tamquam populo Dei perseveravit, communiori opinione. Quæ inde confirmari potest, quòd Moyses Hebraicè & Hebræis scribens *Genes. 2.* dicat: *Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus*; subintellige, etiam hodie. Idem satis ostendit Hebraica nominum primis hominibus eorumque filiis inditorum Etymologia.

99. *Per quem dæmon est locutus, ut Angelus per os asinæ,*

Idq; linguâ Hebraicâ.

Observanda est præterea differentia inter tentationem hominis integri & lapsi. Hominis namque integri tentatio (uti & Christi) solùm fuit externa quędam suggestio peccati, ad quam proinde peragendam assumpsit diabolus externam speciem: neque enim poterat homo interiùs tentari à carne, utpote spiritui perfectè subjectâ: neque etiam à suggestione diaboli imaginationem interiùs commoventis; cùm & vis imaginativa perfectè subjiceretur rationi, sic ut nulla operatio vel motus inferiorum potentiarum nutum dominantis rationis præveniret. Unde non patebat dæmoni aditus ad interiora aut ad pravas cogitationes inferen- 100. *Assignatur differentia inter tentationem hominis integri & lapsi.*

inserendas, vel motus sensualitatis excitandos. At hominem lapsum potest etiam citra externam invitationem ad peccandum, interiùs pulsare, commovendo phantasiam, ut impudicum v. g. aliquod occurrat appetitui sensitivo, eumque consequenter excitando; qui etiam ipse sponte suâ frequenter excitatur: sic ut modò à dæmone tentemur interiùs; modò à propria concupiscentia.

101. *Heva non peccaverat ante serpentis alloquiũ* Ad vocem proinde ambiguam & subdolam serpentis cœpit Heva primùm induci in peccatum. Quod enim *Rupertus* illam ante serpentinum colloquium aliquod peccatum commisisse conjectat, meritò ab omnibus refutatur; utpote scopo Moysi repugnans, qui ostendere volens, quâ viâ peccatum, ejusque pœnalis causa in mundum intraverit, à serpentis alloquio sumpsit narrationis exordium. Similiter Scriptura tradit diabolum cum sua invidia fuisse hominibus primum peccandi auctorem, adeòque homicidam spiritualem ab initio.

Nec ad primam hujus interrogationem, Ad interrogationem itaque serpentis: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno* (quod ambiguum est, sive ut sensus sit, de nullo; sive ut sensus sit, non de omni, id est, de aliquo non) *paradisi*, respondit mulier, non ex displicentia aut superbia (ut quidam putarunt) sed simplici animo, se posse vesci de fructu lignorum paradisi, præterquam de ligno quod est in medio paradisi, de quo (inquit) *præcepit Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud* (scilicet decerpendo ad vescendum) *ne fortè moriamur*. Quod non est dubitantis de veritate dicti divini, ut post *Hugonem Victorinum* putavit *Magister*, sed indicat dubietatem eventûs quatenus pendentis ab incerta & libera transgressione. Quod & alibi in Scriptura observari potest. Adde quod Septuaginta Interpretes non addiderint, *fortè*. Unde *Basilius*, *Ambrosius*, *Chrysostomus*, *Augustinus*, & alii Patres, qui versione *Septuaginta* usi sunt, nullius dubitationis faciunt mentionem. Quocirca hactenus mulier non peccaverat. Neque enim credendum est quod *D. Thomas* putat Hevam erupisse in superbiam, mox auditâ serpentis interrogatione: *Cur præcepit vobis Deus?* Id namque caret fundamento, nec consonat *Augustino* & aliis Patribus superbiam Hevæ docentibus accidisse auditâ serpentis promissione de secutura excellentia. Nonnulli tamen putant Hevam peccasse protrahendo colloquium cum serpente, nec statim aversando; peccasse (inquam) saltem venialiter, ut credit *Arriaga d. 44. num. 27.*

Replicante igitur serpente: *Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus* 102. *Sed ad promissionem excellentiæ mente elatâ*
(quod rectè accipitur tamquam invocatio divini testimonii) *quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii, scientes bonum & malum*: cœpit mulier inordinatè sibi placere, & in promissa excellentia complacere. Quo sensu communiter Doctores statuunt initium peccati superbiam (in qua etiam subintelligitur inordinatus amor seu complacentia sui) conformiter ad Patres, ipsamque Scripturam *Tobiæ 4. & Eccli. 10.* Postea autem cœpit fidem adhibere dictis serpentis: *Neque enim verbis serpentis crederet mulier, nisi jam inesset menti amor ille propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio* ut loquitur *Augustinus 11. de Gen. ad litt. cap. 30.* Excellentiam porrò divinitatis appetiit, sive simpliciter & quoad omniscientiam, sive potiùs secundùm quamdam similitudinem & participationem, existimans se ex esu fructus vetiti obtenturam esse scientiam longè excellentiorem ac divinæ quodammodo similem. *Serpenti credidit,*

Inde subsecuta est curiositas tentandi seu experiendi effectum secututum, dein libido comedendi. Tandem his internis perturbationibus, ac pulchritudine dulcedineque fructûs subversa, tulit de fructu ligni, non credens se inde posse mori, & comedit. Vidensque se necdum mori, dedit viro suo, narrando verosimiliter quæ audierat, & addendo suasionem. Hoc ferè ordine processisse tentationem & peccata Hevæ credibilius inter varias opiniones apparet. *Tandemque de fructu vetito comedit,* *Et obtulit Adamo.*

§. IV.

De Lapsu Adami.

Quod Adami lapsum spectat, *D. Thomas* & plures Alii statuunt primum illius peccatum, superbiam. De qua illum taxavit Deus postmodum dicendo per quamdam sarcasmum: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* Sed hoc valde incertum est: tum quia non planè constat, an Heva proposuerit Adamo promissionem serpentis, cùm id neget *Pererius*. Tum quia Adam hîc potest sumi tamquam nomen appellativum, ut hominem significet, & fortè rectiùs; indicatque id demonstrativum in Hebræo additum, & quia videtur in Hevam potiùs quadrare exprobatio. Tum quia nonnulli hanc ironiam accipiunt, quasi in Adamo derideatur stultitia 103. *Primum verò Adami peccatum non superbia strictè dicta.*

tia mulieris, q. d. Ecce qualiter Adam sit nobis factus similis sequendo vocem uxoris putantis se fieri posse Deo similem. Tum quia independenter à præmissis, non potest inde colligi, superbiam esse primum peccatum. Quin immo cùm istud improperium sit aliis posterius, inde potiùs colligeretur oppositum: nam primò exprobratur Adamo: *Quia audisti vocem uxoris tuæ*; quam accurrentem cum fructu vetito debuisset mox reprehendere, non autem dissimulantiùs ex affectu audire, tandemque obedire. Unde *S. Bonaventura*, *Scotus*, *Arriaga* & alii valde probabiliter putant, Adamum primò peccasse inordinato amore uxoris suæ. Quæ Sententia videtur expressa ipsius *Augustini lib. 14. de Civit. cap. 11.* ubi ait: *Sicut enim Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus: nec Salomonem, credibile est, errore putasse idolis esse serviendum, sed blanditiis fœmineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum: ita credendum est, illum virum suæ fœminæ ..... non tamquam verum loquenti credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse. Non enim frustrà Apostolus: Adam non est seductus, mulier autem seducta est: nisi quia illa quod ei serpens locutus est, tamquam verum esset accepit, ille autem ab unico noluit consortio dirimi, nec in communione peccati; nec ideo minùs reus, sed sciens prudensq; peccavit.* Idem docet *l. 11. de Gen. ad lit. cap. 42.* Unde etiam nullam deceptionem allegavit Adam ad excusationem sui delicti, uti allegavit Hæva, sed simpliciter dixit: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi.* Nihilominus (ut docet *Aug. 14. de Civit. cap. 11.*) *inexpertus divinæ severitatis in eo falli potuit, ut veniale crederet esse commissum*, seu (ut loquitur *cap. 13.*) *putaret se venialiter transgressorem præcepti, si vita suæ sociam non desereret etiam in societate peccati*, sive quia credebat leviorem fore noxam, sive quia præsumebat facilè reparabilem per veniæ consecutionem. Sicque planissimè accipitur illud Apostoli *1. ad Timoth. 2. Adam non est seductus, mulier autem seducta fuit.* Quem locum ad nostrum intentum explicat *Salmeron* ibidem. Sic insuper verificatur vulgata apud multos doctrina de peccato infidelitatis Adæ.

Sed inordinatus uxoris amor fuisse videtur.

Nec serpenti credidit,

Quamvis aliundè culpari de infidelitate posset.

104. Patres autem passim asserentes, etiam Adamum fuisse seductum, explicari possent, vel de seductione practica, vel de seductione mediata, quatenus videlicet serpens seducendo Hevam, per hanc induxit Adamum, etsi respectu solius Hevæ fuerit propriè seductio. Quòd si Nonnulli explicationem non patiantur, iis opponi potest Auctoritas *Augustini*. Deinde non asserant appetitum excellentiæ per serpentem promissæ fuisse primum peccatum; quod alii Auctores volunt. Ob auctoritatem tamen Patrum & Doctorum probabile est, etiam Adamum credidisse verbis serpentis ab Heva narratis, & appetiisse excellentiam à serpente promissam. Et ad locum Apostoli, omissis variis nimis tortis expositionibus, dici posset, Adamum non esse seductum à muliere animo decipiendi, uti mulier à serpente seducta erat: vel Adamum non fuisse deceptum circa ipsum præceptum, uti decepta fuerat mulier, quæ cùm apparentem non audivisset illud nisi ex ore Adami, persuasione serpentis fortassè putavit verè non subesse, aut non rectè ab Adamo propositum.

Probabile tamen est quòd etiam verbis serpentis crediderit.

Quæ non obstante sola Heva dicitur seducta.

Amorem inordinatum uxoris, & fortasse superbiam occultâ infidelitati conjunctam consecuta est inobedientia seu prævaricatio præcepti de non comedendo fructu vetito: *Non enim malum opus factum est, id est, illa transgressio, nisi ab eis qui mali jam erant*, ut ait *Augustinus 14. de Civit. cap. 13.* Huic junctum erat peccatum gravissimum contra charitatem, quatenus sicut ex præcepti observantiâ totius posteritatis pendebat felicitas, sic ex prævaricatione, tanta, tamque multiplex posteritatis secundùm corpus & animam miseria. Denique loco pœnitentiæ secuta est excusatio sui in peccato. 105.

Subsecuta prævaricatio obedientiæ.

Cui juncta erat gravissima violatio charitatis.

An autem comestio fructus vetiti fuerit per se actus alterius vitii, quàm inobedientiæ, dubitatur. Nonnulli enim cum *Suarez* & *Arriaga* censent fuisse peccatum injustitiæ, veluti usum rei alienæ invito Domino. Sed nisi in ceteris etiam peccatis similem injustitiæ labem ponamus (de quo alibi) non apparet, cur necessariò hîc sit ponenda: cùm pariter potuisset usus per legem inhiberi, relicto jure & dominio in fructum, ac etiam usu distincto à comestione; sicut idcirco citra injustitiam utitur quis cibis per potestatem jurisdictionis vetitis die jejunii. Quare *Poncius d. 18. num. 1.* negat intervenisse malitiam injustitiæ; cui tamen componendam relinquimus concordiam cum dictis ab eodem *Disp. 6. q. 6.* ubì similem malitiam agnoscit etiam in reliquis divinæ legis transgressionibus consistentem in usu creaturarum invito Domino.

Quæritur, an similiter injustitiæ malitia intervenerit.

Censet prætereà *Suarez* in esu fructus vetiti intercessisse malitiam gulæ seu intemperantiæ; etsi levem, cùm ex solo obedientiæ motivo præceptum fuerit impositum.

Vel intemperantiæ.

impositum. Sed dissentit *Arriaga*, & specialiter quoad Adamum *Poncius d.* 18. *n.* 2. Ratio est, quia malitia intemperantiæ ex nullo capite sufficienter constat, adeòque non est præsumenda. De Heva tamen videtur non deesse ratio suspicandi, quòd intemperantior quædam libido comedendi intervenerit, excitata à delectabilitate objectivâ fructûs, cùm dicat Scriptura: *Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit.*

106\. Completo utrimque peccato quoad opus externum, *aperti sunt oculi amborum, Gen.* 3. non quòd anteà cæci essent (cùm Heva jam antè vidisset lignum) sed ad videndum quid novum in seipsis, discrimen videlicet inter tranquillitatem amissam, & rebellionem sequentem partis sensitivæ seu malum in quod ciderant. Nam ab evêtu dicta est arbor scientiæ boni & mali (non enim ei inerat vis acuminis & ingenii conferendi) quasi arbor dignoscendi bonum & malum per experientiam, quæ ostenderet, quid boni custoditâ, quid mali transgressâ prohibitione essent sensuri. Quod nomen etiam ante peccatum videtur arbori à Deo datum, ut ex Genesi colligitur. Heva verò non mox post peccatum sensit carnis rebellionem, sive aliorum considerationi intenta, sive providentiâ divinâ, donec peccatum à toto homine, viro scilicet & fœminâ esset completum. Aliàs non fuisset ausa se viro sistere præsentem. Unde postea de nuditate sua erubuit, sentiens legem membrorum repugnantem legi mentis. Qua de re egregiè *August.* 14. *de Civit. cap.* 17. ubi inter cetera ait: *Nudi erant, & non confundebantur, non quòd eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondum erat: quia nondum libido membra illa præter arbitrium commovebat: nondum ad hominis inobedientiam redarguendam suâ inobedientiâ caro quodammodo testimonium perhibebat &c. Patebant ergo oculi eorum, sed ad hoc non erant aperti, hoc est, non attenti, ut cognoscerent, quid eis indumento gratiæ præstaretur, quando membra eorum voluntati repugnare nesciebant &c.*

Quo sensu aperti post peccatum sunt oculi amborum?

107\. Petes, Uter gravius peccaverit, Adam, an Heva? Resp. cum *S. Chrysostomo, D. Bonaventura, D. Thoma, Scoto d.* 21. *q.* 2. *n.* 4. & aliis communiùs, Hevam simpliciter graviùs peccasse. Primò, quia verosimiliter non adhibuit fidem promissioni serpentis, neque excellentiam divinam appetiit, uti Heva. Deinde etsi contrarium supponeretur, adhuc Heva peccasset graviùs: dum virum ad peccandum incitando, præter peccata propria induxit super se peccata consimilia aut dissimilia ad quæ virum incitavit. Peccatum tamen Adæ accidêtaliter graviùs erat, quatenus majori pollebat sapientiâ, ac distinctiori præcepti notitiâ; & quatenus peccato ipsius tamquam capitis annexum erat gravissimum posteritatis nocumentum, non autem peccato Hevæ, juxta *Scotum sup.* & alios communiter: quidquid contradicat *Estius d.* 22. §. 8. Nihilominus ipsi quoque Hevæ (quam non latuisse eventum istum, ex instructione divina aut certè Adami, est præsumendum) nocumentum istud velut incitanti est adscribendum. Ut proinde de utroque pariter & propriè verificetur illud *Mellifui Doctoris Hom.* 2. super Missus est: *Sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores; &, quod infelicius est, prius peremptores, quàm parentes.*

Heva gravius peccavit, quàm Adam.

§. V.

De Pœna peccati.

Peccatum secuta est pœna, scilicet privatio gratiæ & originalis justitiæ, debitum mortis, ipsaque suo tempore mors, expulsio è paradiso, reliquæque pœnalitates hujus exilii: denique obligatio ad pœnam æternam, quæ fuisset secutura, seclusâ pœnitentiâ & reparatione post lapsum. In posteris secutum est peccatum originale cum effectibus annexis (de quibus in materia de Peccato Originali) indeque æterna damnatio jure consequi debuisset; nisi quod in primo Adam ceciderat, erectum fuisset ac reparatum à secundo, scilicet Christo. 108.

§. VI.

De Maledictione Serpentis.

Maledictionem latam à Deo contra serpentem Nonnulli ad diabolum referunt, Nonnulli litteraliter tam ad ipsum, quàm ad serpentem. Sed rectiùs allegoricè refertur ad diabolum, sensu tamen indubiè etiam intento per Spiritum sanctum, litteraliter autem ad serpentem corporalem: de quo littera historialis manifestè hactenus egerat, & in quem quadrant verba ipsa maledictionis. Nam quòd sit propriè pœna respectu serpentis corporalis; utpotè qui non peccavit: sed impropriè tâtum (ad quod sufficit ipsum fuisse instrumentum diaboli) 109.

Maledictiones contra serpentem de eodem ad litteram, de diabolo allegoricè intelliguntur.

boli) idque ut demonstret Deus, quantum hoc scelus hominis detestetur, & ut ipse homo idem considerans sui lapsûs admoneatur. Sicut in lege mandatur occidi jumentum cum quo homo sit congressus. Et nunc etiam bestiæ cum quibus contra naturam peccatum fit, & sues quæ infantem devoraverunt morte plectuntur, in detestationem criminis aut crudelitatis.

Applicantur eadem serpenti corporali. Itaque dicitur serpens *maledictus inter omnia animantia*, id est præ omnibus animantibus, *terra*. Infligiturque ei gressus super pectus seu ventrem, & comestio terræ. Putant verò Nonnulli veteres serpentes antea ambulasse erectis pedibus, eosque esse in pœnam eis sublatos. Quod tamen non est credibile, cùm Deus ob peccatum naturam substantialiter non immutaverit, nequidem ipsius hominis vel Angeli. Ob quod etiam non apparet eos habuisse alium excellentiorem se movendi statum, sive rependo super posteriorem corporis partem (prout adhuc erectum incedere Phariam serpentem traditur, ut ex Magistro Historiæ scholasticæ refert *Estius d. 21. §. 14.*) sive potiùs subsiliendo, ut putat noster *Felisius dist. 21. cap. 6.* qui ibidem addit, serpentes ante peccatum comedisse herbam, uti cetera animantia, quibus indefinitè seu generatim ipsa erat à Deo data in escam. Quare etiam tunc veneno caruisse putat, quod nunc ex terra sugunt. Unde quidam retinent serpentes plumbeis cistis inclusos, alio eis dato alimento, ut eos habeant innoxios, utpotè veneni expertes; ut refert *Estius sup. §. 15.* Sed quidquid sit de alimento (quod absque immutatione naturæ per determinationem phantasiæ ad aliud poterat per causam primam immutari) etsi dicantur hæc omnia serpenti & naturalia fuisse, & ante peccatum infuisse, tamen post peccatum solùm cœperunt habere rationem pœnæ aut quasi pœnæ; quatenus hæc ipsa cesserunt serpenti apud homines in æternum opprobrium, odium & execrationem. Qui enim antea non fuisset ob hæc homini vilis, invisus & execrabilis, jam talis effectus est. Est autem quædam velut pœna serpentis, quòd exinde cœperit illum homo super omnia animalia odisse, horrere & abominari, & conari ad eum quoquo modo ledendum seu perimendum.

110. *Applicantur quoque diabolo.* Quæ omnia facilè possent allegoricè applicari diabolo, qui indubiè maledictus æternaliter, omnique creaturâ factus est vilior, habens in se spiritualiter quidquid corporaliter in bestiis obscænum, turpe vel fraudulentum reperitur; qui denique malitiâ superat homines peccatores, animantibus insipientibus assimilatos. Graditur super pectus caretque pedibus, quia se ad nullum virtutis bonum erigit, vel quia homines ad turpes ventris voluptates inclinat; & si ad actum perducere non potest, saltem animum impudicâ cogitatione polluere nititur, ut per ventrem significetur operis executio, per pectus ejusdem affectus aut cogitatus. Alii per pectus superbiam, per ventrem intelligunt libidinem: quæ sunt viæ, per quas nititur hominem seducere. Terram comedit, id est, homines terrenis affixos, quos avidissimè captat, immo devorare nititur. Inimicitiæ sunt inter ipsum ejusque filios nequam, & inter Ecclesiam ac electos, qui caput ipsius conterunt, seu principatum ejus & tyrannidem excutiunt, ipso equidem insidiante calcaneo, id est, inferiori parti electorum; scilicet sensualitati, corpori, bonis externis, & hac viâ ipsi tandem animæ. Deinde secundùm Patres per mulierem significatur B. Virgo, per semen illius Christus: ipsa siquidem in seipsa perfectissimè, tum etiam in ceteris contrivit caput infernalis serpentis per Filium suum, qui diabolum vicit, & chirographum decreti damnationis abstulit affigens illud Cruci.

§. VII.

De Pœnitentia & Salvatione primorum Parentum.

111. *Fidei est Adamum pœnituisse.* SOLET hic ordinariè à Doctoribus inquiri, an primi Parentes egerint pœnitentiam & sint salvati. Et quidem Adamum pœnituisse est de fide ex *Sap. 10. Hæc illum, qui primus formatus est à Deo Pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit; & eduxit illum à delicto suo.* Immò etiam indubitatum est ex unanimi Patrum & Theologorum Doctrina ipsum esse salvatum: adeò ut *Irenæus, Epiphanius, Augustinus* & alii referant inter hæreses Tatiani (qui ab *Augustino* Tacius vocatur & post magistri sui Sancti *Justini* martyrium in variis à veritatis tramite deviavit) quòd contradixerit saluti Adæ. *Indubitatum, esse etiam salvatum,* Unde non videt *Arriaga disp. 45. num. 40.* quid huic Doctrinæ desit, ut sit de fide: maximè cùm in eam tota jam olim Ecclesia conspirasse videatur, sitque perpetua quædam per manus accepta traditio in Ecclesiâ de eductione primi Parentis per Christum ex inferis seu limbo Patrum. *Et fortè de fide.* Ipsum quoque protoplastum in Christo resur-

INDEX RERUM QUÆ IN HAC PRIMA PARTE CONTINENTUR.

Abstractum.

VIDE Attributa divina, Modus loquendi.

Actus.

Quomodo idem actus possit tendere in plura objecta. pag.74. n.62. a.

Actus notionalis.

Intellectio & volitio divina essentialis non sunt actus notionales. pag.198. n. 41. 6.
Actus notionalis est quid relativum. p.199.n.41.a.
Identificatur cum sua potentia. p.195. n.27.a.
Vide Potentia notionalis.

Adam.

Adam fuit creatus ex luto sive pulvere subacto. p. 320. n.56. a.
Corpori disposito Deus mox inspiravit animam per veram creationem. ibid.
An plasmatio corporis Adæ fuerit successiva. ibid.
Fuit Adam conditus in statura pulcherrima & virili. pag.320. n.57.a.
Nullatenus in gigantea. ibid. n.58.b.
Fuit formatus extra paradisum terrestrem. pag.321. num. 59. a.
Idq; ante Havam. p.322. n.65.a.
Ex Adæ costa fuit formata Hava. p.321. n.64.b.
Costæ insufficientia fuit suppleta per additionem alterius materiæ. p.322. n.66.a.
Prius unâ costâ abundavit. ibid. n.67. b.
Tamen absque superfluitate aut monstrositate. ibid.
Pro costa fuit sola caro substituta. ibid.
Adamo infusa fuit scientia rerum naturalium. p. 327. n.79. a.
Eâque amplior quàm Hava. ibid.
Quanta præcisè, est incertum. ibid.
Crescere potuit Adæ studio & industriâ. ibid.
An Adamo non peccante nascituri fuissent soli electi. pag.331. n.91. a.
Primum Adami peccatum non fuit superbia. p.334. num. 103. b.
Sed videtur fuisse inordinatus uxoris amor. pag.335. num. 103. a.
An crediderit serpenti. ibid. & n.104. b.
Peccavit peccato inobedientia. ibid.n.105. b.
An etiam injustitia vel intemperantia. ibid.
Leviùs peccavit quàm Hava. p.336. n.107.a.
Fidei est enim pænituisse. p.337. n.111. b.
Ac indubitatum, immo fortè de fide, esse salvatum. ibid.
Vide Protoplasti, Innocentiæ status.

Æqualitas.

Æqualitas divinarum Personarum. p.181. n.36.a.
Vide Persona, Relatio.

Aër.

Aër verisimiliter est terra coævus. p.308. n.17.a.

Æternitas, Æternum.

Varia æternitatis acceptio. p.51. n.16. a.
Quid æternitas propriè. ibid. n.17.a.
Ejus ab ævo & tempore distinctio. ibid.n.18.b.
Quomodo essentia rerum sint æternæ. p.53. n.24.a.
Item propositiones æternæ veritatis. ibid.
Æternitas Dei. p.51. n.19.b.
Sequitur ex essentiali existentia. p.29.n.47.a.
Quid superaddat immutabilitati. p.52. n.20.a.
An habeat rationem durationis. ibid. n.21.
Quomodo comparetur anno. ibid.
Qualiter in ea sit successio virtualis. ibid. n.22.b.
Sic est Deo propria ut creaturæ sit incommunicabilis. p.52.n.23.b.
Unde meliùs dicitur creaturam potuisse esse ab æterno, quàm æternam. p.304.n.6.a.
An tamen & quæ creatura potuerint esse ab æterno. ibid.

Ævum.

Ævum quid sit. p.51.n.18.b.
An coincidat cum æternitate. ibid.
Non datur in eo successio. ibid.
Est à parte rei ipsa existentia rei permanentis. ibid.
Competit rebus, etiam ab intrinseco corruptibilibus, dummodo permanentes sint. ibid.

Alogiani.

Alogiani Verbum in divinis non receperunt. p.218. num.9. b.

Amicitia.

Amicitia erga justos reperitur in Deo. p.126.n.57.b.
Eaq; excellentia, non æqualitatis. ibid.
Nec sistit in ipsis justis. ibid.
Tamen sine præjudicio sincera Dei erga nos benevolentia. ibid.

Amor.

Datur in Deo amor. p.123. n.48.b.

Etiam erga creaturas. ibid. vide creatura.
Non tamen sui specialim dictus. ibid.
Amor in divinis sumitur tripliciter. p.221.n. 22.b.
Amor Personalis dicitur propriè de Spiritu sancto, Essentialis appropriatè. ibid.

Angelorum Existentia, Creatio, Substantia.

Etymologia vocis, Angelus. p.243.n.1.b.
Definitio Angeli. ibid.
Dari Angelos fides docet. ibid.n.2.
Multiplex ratio hoc suadet, non convincit. p. 244. num. 3. a.
Unde existentia Angelorum innotuerit philosophis Ethnicis. ibid.n.4.
De tempore creationis Angelorum varia olim sententia. p.244.n.5.b.
Nunc satis constat simul cum mundo Angelos esse creatos. ibid.n.6.
An oppositum sit erroneum in fide. p. 245 n.8.b.
Scriptura non negat Angelos simul cum mundo esse creatos. p. 245.n.7.a.
Angeli sunt creati in cælo Empyreo. p.246. n.9.a.
Non obstat quòd Lucifer dixerit, in cælum conscendam. p.247.n.11.a.
Angeli sunt meri spiritus. ibid.n.12.
An id sit de fide ex Concilio Lateranensi. ibid.n.13.b.
Quo sensu Angeli vocetur ignis urens. p.248.n.15.b.
In VII. Synodo refertur, non determinatur Angelos esse corporeos. ibid. n.16.
Veteres non pauci cum Platonicis tribuerunt Angelis corpora. p.248.n.17.b.
Plerique tamen benignè explicantur, signanter Augustinus. ibid.
Angeli carent partibus integrantibus. p.249.n.18.a.
Non sunt Physicè compositi ex materia & forma, etiam spiritual. ibid.n.19.
Sunt absolute incorruptibiles. ibid.n.20.b.
Et naturâ suâ immortales. ibid.n.21.
Quodam tamen sensu immortales per gratiam. pag. 250 n.21.a.

Angelorum Differentia, Numerus, Ordo.

Possunt dari plures Angeli ejusdem speciei, pag. 250. num. 22. a.
Immo de facto dantur. ibid. n.23.b.
Incertum est an aliqui specie differant. p.250.n. 24.
Valdè verosimile est quòd sic. p.251.n.25.a.
Patres qui in oppositum citari possunt explicantur. ibid.
Fortè aliqui plusquam specie differunt. ibid.n.26.
In eodem ordine plures Angelorum species aliqui admittunt. ibid.
Multitudo Angelorum maxima. p.251.n.27.b.
Varia de ea conjectura. ibid.n.28.
Angelorum Hierarchia est triplex. pag.252.n.30.a.
Singula complectuntur tres Choros seu Ordines. ibid.
Ratio cujusq; Hierarchia explicatur. ibid.n.31.
Novem sunt Ordines Angelorum. p.253.n.32.a.
Hac doctrina immeritò ab Hareticis recentioribus cavillatur. ibid.6.
Quo sensu decimus Ordo decidisse & restaurari dicatur. p.253.n.33.b.
Distinctio in Hierarchias & Ordines fuit ab initio creationis. ibid.n.34.
Cessabit post judicium quoad ministeria erga homines. p.254.n.35.a.
Etiam inter dæmones sunt quidam Ordines seu Prælationes. ibid.n.36.
Idq; ex divina permissione ac impia eorum conspiratione. ibid.
Quâ ratione homines assumi dicantur ad Ordines Angelorum. p.255.n.38.a.
Quoad gratiam & gloriam quidam homines æquiparantur Angelis, etiam summis. ibid.
Christus & B. Virgo omnes Angelorum Choros superant. ibid.
Qui moriuntur cum solo Baptismo, absque proprio merito, omnino superantur ab Angelis, etiam infimi Ordinis. ibid

Angelorum Intellectus, Species, Cognitio.

Angeli sunt præditi Intellectu. p.255.n.1.a.
Qui non distinguitur realiter à substantia ipsorum. ibid. b.
Intellectus angelicus ex natura sua nequit intelligere dependenter à phantasmate. ibid.
Distinguntur specie ab humano, sive materialiter, sive formaliter sumatur. ibid. & n. 2.
Inde non sequitur visionem beatam Angeli esse perfectiorem, quàm humanitatis Christi. pag. 256. num. 2. a.
Objectum Intellectus angelici est ens in tota latitudine. p.256.n.3.a.
An & quomodo Angelus possit intueri mysteria gratiæ. ibid.n.4.b.
Quomodo illa mysteria sint naturalia, quoad cognosci. p.257.n.5.a.
Licèt illa notitia intuitiva exigat existentiam entis supernaturalis, manet tamen naturalis. ibid.n.6.
Nequit Angelus intueri secreta cordis. p.257.n.7.b.
Ratione naturali id difficulter probatur. ibid.
Nequit id fundari in natura actus liberi. pag. 258. num. 7. a.
Sed in subtractione divini concursus. ibid.
Angelus præscire potest futura necessaria. pag. 258. num. 8. a.
Non autem futura contingentia. ibid.n.9.b.
Quâ equidem ratione Angeli multa prædicant. ibid. num. 10.
Qualiter scire possint præterita. p.259. n.11.a.
Quid medium cognitionis angelica. ibid. n.13.
Angelus non indiget speciebus impressis ad intuendum seipsum. p.259. n.14.b.
Aut alias res spirituales satis approximatas. p. 260. num. 15. a.
An Spheram intelligibilitatis habeat Angelus sua perfectioni proportionatam. ibid. n.19.b.
Angelus intuetur objecta corporalia satis approximata sine specie. p.261.n.20. a.
Quomodo res corporalis possit influere in actus spirituales. ibid.
Angelus indiget speciebus pro notitiis abstractivis. pag.261. n.21. b.
Species non dimanant ab Angelorum essentia. ibid. num. 22.
Sed partim ab exordio infusa sunt à Deo. ibid.n.23.

Eaque naturales in substantia, nec Angelis debita. p. 262. n.24. a.
Partim sunt genita ab objectis. ibid. n.25.
Nulla verò universalet. ibid. n.26.b.
Earum possibilitas difficulter improbatur aut positivè probatur. ibid. n.27.
Cognitio angelica ab intellectu & substantia Angeli realiter distinguitur. p.263.n.28.a.
Angelus non potest naturaliter ab omni cognitione cessare. p.263.n.29.a.
Potest tamen simpliciter cessare à cognitione Dei aut sui. ibid.n.30.b.
Potest Angelus seipsum abstractivè simul & intuitivè cognoscere. ibid. n.31.b.
Potest cognitio angelica esse complexa formaliter. pag. 264.n.32. a.
Etiam discursiva. ibid. n.33.
Non tamen circa qualibet objecta. ibid.
Item potest esse falsa, & est sæpè in dæmonibus. p. 264. n. 34. b.
Non tamen in bonis Angelis. ibid.

Angelorum Locutio, Illuminatio.

Angeli invicem loqui possunt. p.264.n.35.b.
Idq; sine signis corporalibus aut spiritualibus. pag. 265. n. 36. & 37. a.
Modi, quo Angeli invicem loquuntur, incertitudo. ibid.
Probabile est quòd per hoc, quòd loquens velit audienti patere suum conceptum. ibid. n.38.
Gignendo in intellectu audientis speciem. ibid. b.
Vel potiùs cognitionem sui conceptus, hoc illam coëfficiente. ibid.
Potest unus simul loqui multis. p.265.n.38.b.
Quomodo possint discernere, quis sibi loquatur. ibid.
An possit unus alteri mentiri. ibid.
Vel unus alterum fallere. ibid.
In quo consistat formaliter locutio Angeli. pap.266. num. 39. a.
Doctrina Scoti de locutione Angelorum. ibid.n.40.
Illuminatio est species locutionis. ibid.n.41.
Quid illuminatio. ibid.
Competit ordinariè Angelis Superioribus respectu inferiorum. p.266.n.42. b.
Extraordinariè etiam inferioribus respectu Superiorum. ibid.
Vel Angelis respectu hominum; immo & è converso. ibid. n.43.
Qualis debeat esse veritas alteri per illuminationem manifestanda. ibid.
Cum illuminatione coincidit purgatio & perfectio Angelorum. ibid.n.44.

Angelorum Voluntas, Volitio.

Angeli sunt præditi Voluntate. p.267.n.45.a.
Eâque substantiæ Angeli identificatâ. ibid.
Formaliter tamen ab illa & Intellectu distinctâ. ibid. vide Angelorum Intellectus.
Voluntas angelica ad Deum condignè & salutariter attingendum indiget auxilio gratiæ. ibid.
Est libera. 267. n. 46. a.
Excellit libertas angelica humanam. ibid.
Potest voluntas Angelica cessare ab omni actu. ibid. num. 47. b.
Idq; vel purè omittendo vel sibi imperando cessationem. ibid.
Potest voluntas Angeli cessare ab amore Dei vel sui. pag. 267. n. 47. b.
Idq; licèt deberet semper habere aliquem actum. ibidem.
Voluntas angelica non est immutabiliter propositi tenax. p.267.n.48. b.
Est peccabilis primò instanti creationis. pag. 268. num. 49. a.
Nec illud primum opus Deo adscribendum foret. ib.
Probabiliter in ea sunt habitus naturales. ibid.

Angelorum Potentia locomotiva, Motus.

Angeli sunt præditi potentiâ locomotivâ. pag.268. num. 1. b.
Quâ moventur secundùm se, & non tantùm ratione nova operationis. ibid.n.2.
Quomodo Angelus moveat corpus. p.269. n.3.a.
Quomodo alium Spiritum. ibid.
Potentia locomotiva Angeli identificatur ejus substantia & voluntati. ibid.n.4.b.
Distinguitur ab ea formaliter. ibid.
Motus localis est in ipso Angelo. p.269.n.5.b.
Potest Angelus moveri in instanti ad locum adaquatum contiguum. ibid.n.6.b.
Non obstat loci pertranseundi divisibilitas. p. 270. num. 6. a.
Potest Angelus se movere ad locum successivè. ibid. num. 7.
Non tamen ad locum distantem, nisi transeundo per medium. ibid.n.8.
Unde hoc proveniat. ibid.
Potest aliter fieri supernaturaliter. ibid.

Angelorum Ubi, Apparitio.

Angeli sunt in loco. p.270.n.9.b.
Idq; propriè, & definitivè. ibid.
Non per operationem. p.271. n.10. a.
Sed per ubi spirituale. ibid.n.11.
Verosimilius divisibile. ibid.n.12.
Ac independens ab omni loco corporeo actuali. ibid. num. 13. b.
Angelo naturaliter respondet unicus locus adaquatus. p.272.n.14.a.
In quo hoc fundetur. ibid.
Est inaqualis secundùm inaqualem naturæ perfectionem. ibid.
Non possunt Angeli sphæram sua præsentialitatis implere sub quacumque figura. ibid.
Respondere possunt eidem plura loca inadequata. p. 272. n.15. b.
Non tamen discontinua. ibid.n.16.
Non necessariò Angelus occupat totum suum locum. ibid. num. 15.
Potest esse in puncto. p.273.n.17.a.
Et in loco non tam parvo, quin semper minori. ibid. num. 18.
Non tamen, nisi supponatur compositio continui ex divisibilibus sine fine. ibid.
Possunt plures Angeli esse in eodem loco. ibid. n.19.

 Etiamsi

Etiamsi essent in loco per operationem. ibid.
Angeli frequenter apparuerunt. p.174.n.25.b.
Interdum imaginarie. ibid.
Interdum verè in forma sensibili. ibid. n.26.
Idq́; assumptis corporibus. pag.275.n.27.a.
Quæ tamen non informant. ibid.
Illa corpora sunt sublunaria, interdum antea formata. ibid.n.28.
Ordinariè tamen de novo formata. ibid.n.29.
Sunt capatia veri caloris. ibid.n.30. b.
Item duritiei ac mollitiei. ibid.
Discernibilia tamen à solido corpore humano. ibid. num. 31.
Quid requiratur ad corporum assumptionem. pag. 275. n. 27. a.
Angeli non exercent in iis operationes vitales. pag. 276. n.32. a.
Quid de incubis & succubis censendum. ibid. n.33.
An possint organizare corpora. ibid.
Apparitionis in veteri Testamento facta sunt per Angelos. p.276.n.34. b.
Idq́; in persona Dei communiter. p.277. n.36. b.
Interdum appropriatè in certa persona. ibid.
Apparitiones divinæ in novo Testamento factæ sunt per Angelos. p.278. n.37. a.
Nonnullis exceptis. ibid.
Apparitiones hæ sunt propriè alicujus personæ divinæ, vel simul omnium, quatenus inter se distinctarum. p.278. n.39. b.

Angelorum Missio, Ministeria, Custodia.

Angeli in ministerium mittuntur à Deo. pap.279. num. 40. a.
Non semper proximè, sed interdum mediante altero Angelo. ibid.n.41.
Hæc Missio fit verosimilius ex quavis Hierarchia. ibid. n. 42. a.
Etsi non ordinariè mittantur ad exteriora, qui Assistentes nuncupantur. p.280.n. 42. a.
Peculiaribus rebus peculiares deputati sunt Angeli. ibid. n. 43.
Maximè autem hominibus. ibid.n.44.
Sic ut singulis deputatus sit Angelus Custos. p. 280. num. 45. b.
Etiam infidelibus. ibid. n.46.
Excipitur Christus, non autem B.Virgo. ibid.
Etiam fuisset illa custodia in Statu innocentiæ. pag. 281. num. 47. a.
Incipit ab instanti animationis. p.280. n.47. b.
Unde proles in utere non custoditur solùm ab Angelo matris. p.281. n. 47. a.
Durat custodia usque ad mortem. ibid. n.48.
Licèt ob peccata clientum Angeli multum remittant de sua custodia. ibid.
Post mortem cessat. ibid.
Respicit non solùm privatos, sed etiam communitates. pag.281. n.49. b.
Effectus custodia angelica. ibid.n.50.
Ex felici successu accrescit Angelo gaudium accidentale. p.282. n. 51. a.
Nulla tamen ex infelici successu tristitia. ibid.
Ministeria dæmonum. *Vide* Dæmon.

Angelorum Gratia, Via, Peccatum.

Angeli sunt conditi ad supernaturalem beatitudinem. p.288. n. 1. a.
Quæ tamen non est eis concreata. ibid.
Sed quadam inchoata beatitudo via. ibid. n.2. b.
Et cognitio matutina imperfecta. ibid.n.3.
Omnes Angeli ante lapsum habuerunt gratiam sanctificantem. p.289. n.4. a.
Eamq́; sibi concreatam. ibid.n.6.
Ac dependenter à propria dispositione. p.290 n.8.a.
Dona gratuita fuerunt proportionata naturalibus. ibid. n. 9.
Angelis infusæ fuerunt omnes virtutes Theologicæ. pag.290. n.10. b.
Fides eorum verosimiliter erat evidens in attestante. ibid. n. 11.
An fuerint meriti per actum fidei. p.291.n.11.a.
Fuerunt primitus viatores. ibid.n.12.
In via meruerunt beatitudinem suam. ibid. n.13.
Eamq́; tempore posteriorem meritis. pag. 291.num. 14. b.
Æqualis fuit via bonorum & malorum. ibid.n.15.
Eaq́; valde brevis. ibid.n.16.
Incertum tamen quamdiu præcisè duraverit. pag. 292.n.18. a.
Constitit tribus instantibus seu morulis. ibid.n.19.
Explicantur singula instantia. ibid.
Primum instans non fuit indivisibile. pag. 292. num. 20. a.
Uti nec secundum. ibid. b.
Tertium verò quodammodo indivisibile, quodammodo non. ibid.
An durante viâ fuerit peccantibus locus pœnitentia. ibid.n.21.
Nullus è peccantibus de facto pœnituit. pag. 293. num. 22. a
Angeli omnes sunt naturâ suâ boni, peccabiles tamen. pag.293. n.23. b.
Non peccarunt Angeli primo instante creationis. pag.294. n.25. a.
Potuerunt tamen in eo peccare. ibid.
Idq́; peccatis cujuslibet generis quoad reatum. ibid.
Physicè autem per seipsos quibuscumque ab organo corporeo independentibus. ibid.
Peccarunt de facto peccato superbiæ. pag. 294. numero 26. a.
Cujus objectum quale fuerit. p.295.n.28. a.
An fuerit primum diaboli peccatum. ibid.n.30.
Ex Superbia nata fuit invidiâ, ira & odium ac in Lucifero peccatum scandali. p.296.n.31.a.
Angelorum pœnæ, tentationes, *Vide* Dæmon.

Animal.

Animalia terrestria, etiam venenata quo die creationis mundi fint producta. p. 317. n.48. a.
Quid de animalibus ex adulterina commixtione, vel putri materiâ generatis. ibid.n.49. b

Annus.

Unde computus Hebræorum Annus sumpserit initium. pag. 305. n.9. b.

INDEX RERUM.

Præcisus annorum computus, qui ab exordio mundi effluxerunt, est incertus. pag.303.n.5. b.
Quomodo cum anno comparetur æternitas. pag. 52. num. 21. a.

Antropomorphitæ.

Deum corporeum finxerunt. pag.57.n.5. b.

Apparitio, Apparere.

Apparitiones divinæ an sint factæ per Angelos. Vide Angelorum Apparitio.
Apparuit Christus S. Paulo Apostolo in propria persona. pag. 178. n. 38. a.

Appetitus.

Quis appetitus Beatorum sit satiandus. pag. 78. num. 76. b.
Appetitus innatus an detur in Deo. p.107. n.3.b.

Aqua.

Aqua est terra cava. pag.308.n.16. a.
Datur super cælos. pag.310. n. 24. b.
An omnes aquæ inter se seu cum Oceano continuentur. pag.312. n.27. a.
Cur fontium & fluminum scaturigines non exarescant. ibid. n. 31. b.
Aqua est depressior terrâ. pag.312. n. 29. b.
Habetq; idem cum ea centrum. ibid.
Congregatio aquarum in principio facta fuit divinâ virtute. ibid. n. 30.

Arius, Ariani.

Arii hæresis de Mysterio SS. Trinitatis. pag. 172. num. 2. a.
Arianorum Sophismà contra divinitatem Filii in divinis. pag.216. n.106. a.
Refutatur ad hominem contra Arianos. ibid.

Armeni.

Armeni negarunt Deum posse videri in se. pag.61. num. 19. a.

Aseitas.

Quid nomine aseitatis intelligatur. p.29. n.46.a.
Est Deo maximè propria. ibid.
Ex illa profluunt alia Dei perfectiones. ibid.n.47.

Astra.

Astra sunt absolutè facta quarto die creationis mundi. pag. 314. n.36. a.
Occurritur inconvenientiis in contrarium. ibid. num. 37.
Quo sensu astra dividant noctem & diem. pag.314. num.39. b.
Et sint in signa temporum ac mutationum aëris. pag.315. n. 40. a.
Quo sensu Sol & luna dicantur luminaria magna. pag.316. n. 43. a.

Astrologia.

Astrologia judiciaria quid sit. pag. 315. n.41.b.
Est damnabilis & superstitiosa. ibid.
Quàm vana sint Astrologorum prædictiones. p.315. num. 40. a.
Cur interdum Mathematici sive Genethliaci vera prædicant. pag. 316. num. 45. a.

Athei, Atheismus.

Athei ultra sensibilia nihil admittunt. pag.24.numero 27. b.
Ratio ad hominem contra Atheos. pag.25. n.30. a.
Putarunt universum hoc carere omni principio. pag.232. n. 2. a.
Atheismus est à dæmone. pag.23.n.20. a.
Destruit seipsum. pag.25.n.30. a.

Attributa divina.

Quid nomine attributi intelligatur. pag.31.n.1. b.
Attributa divina alia sunt positiva, alia negativa. pag.32. n. 2. a.
An habeant proportionatas existentias. pag.28.numero 43. a.
Quid attributum propriè juxta Scotistas. pag.32. num. 3. b.
Attributa divina non sunt numero infinita. ibid.
Bene tamen, si spectetur eorum tendentia ad objecta. pag.33.n.4. a.
Quomodo attributa distinguantur ab essentia. Vide Distinctio.
Nec se invicem, nec essentiam includunt formaliter. pag.40.n.30. a.
Sunt tamen identicè ipsa essentia. ibid. n.31. b.
Non sunt formaliter à se, sed identicè. pag. 41. numero 34. a.
An attributa spectent ad objectum primarium divinæ voluntatis. pag. 114. n. 20. a.
Attributa abstractim prædicantur singulariter de personis. pag. 230. n. 52. a.
Similiter concretim, nisi adjectivè sumantur. ibid. *Vide* Modus loquendi.
An sit de fide actu videri attributa divina à Beatis. pag. 71. n. 55. b.
Unum attributum absolute videri potest non viso altero, item non visâ essentiâ. pag.72. n. 57. b. *Vide* Visio.

Audacia.

Audacia non datur in Deo. pag.124.n.52.b.
Involvit imperfectionem. ibid.

Augustinus.

Mens S. Augustini fusè discutitur in materia de Electione gratuita ad gloriam. p. 151. n. 72.a. & pag. 148.n.61. a.
De invisibilitate Dei ab oculo corporeo. pag. 60. num. 15. a.
De incorporeitate Angelorum. pag.248. n.17. b.
*De visione essentiæ divinæ in vita mortali.*p.63.n.30.b.
De simultanea creatione rerum. pag. 306. n. 10. a.
De voluntate Dei salvandi omnes. pag. 134.n.22 b.

Avis.

Aves ex aquis sunt productæ. pag. 316. n. 46. b.

B.

Beati.

BEATI *vident de facto omnia quæ sunt formaliter in Deo.* pag. 71.n.55. b.

An

An sit de fide illos videre actu attributa. ibid.
Non vident illa sub omni habitudine. pap. 72. numero 56. a.
Idq́; licèt dicerent respectum transcendentalem ad creaturas. ibid.
An Beati possint absolutè videre unum eorum, qua sunt formaliter in Deo, non viso altero. pag. 72. n. 56. & 57. *Vide* Visio.
Vident creaturas in Deo formaliter. pag. 73. numero 61. b.
Etiam actuales. pag. 74. n. 63. b.
Fundamentum sententia opposita. ibid.
Ea non bene explicat Patres de visione in Verbo causaliter. pag. 74. n. 62. a.
Cur beati potiùs has, quàm illas creaturas videant. pag. 75. n. 65. a.
An videant successivè diversas res eâdem visione. pag. 76. n. 69. b.
Dici potest quòd diversâ. ibid. n. 70.
Aut etiam quòd eâdem. pag. 77. n. 71. a.
Vel quòd aliqua videant eâdem visione, aliqua diversâ. ibid. n. 72.
An & quomodo videant libera Dei decreta & occulta consilia. pag. 74. n. 63. b.
Beati ex rebus creatis vident omnia, qua pertinent ad suum statum. pag. 77. n. 73. b.
Vident omnes rerum species actu productas. ibid. numero 74.
Item Mysteria Fidei, quorum fidem infusam habuerunt. pag. 78. n. 74. a.
Item illa individua, qua per se pertinent ad ordinem gratia. ibid. n. 75.
Quænam individua ordinis natura. ibid.
Nec propterea sanctus inferioris meriti est beatior sancto majoris meriti. pag. 78. n. 76. b.
Aliqui ampliùs extendunt scientiam beatorum. ibid. n. 75. a.
Quis beatorum appetitus sit satiandus. ibid. num. 76. b.
Vide Visio beatifica.

Beguardi.

Beguardorum & Beguinarum error de visione Dei. pag. 58. n. 6. a.

Bonum.

Res in tantùm est bona, in quantùm est perfecta. pag. 41. num. 1. a.
Bonitas consistit in appetibilitate. ibid.
Est multiplex. ibid.
Deus est summè bonus. ibid.
Deus & creatura simul non est quid melius Deo. pag. 42. n. 5. b.

C.

Calvinus.

Calvinus facit Deum auctorem peccati. pag. 115. n. 26. a.
Favet errori Arianorum de Mysterio SS. Trinitatis. pag. 172. n. 2. b.

Causa.

Causa effectûs principalis etiam est causa annexi ex natura rei. pag. 239. n. 25. a.
In causis nequit dari processus in infinitum. pag. 24. num. 25. a.
Etiam per accidens subordinatis. ibid.
Aliàs etiam sequeretur in per se subordinatis. ibid.
Ergò tota collectio causarum dependens & independens, nisi deveniatur ad aliquam independentem. ibid. b.
Non soli causa particulari proportionatur perfectio effectûs. pag. 71. n. 52. a.
Causa Græcis idem est quod principium. pag. 218. num. 6. a.
Ideóq; causam in divinis nominant. ibid.
Quid causa significet apud Latinos. ibid.
Quo sensu causa prima dicatur agere per secundam. pag. 237. n. 20. b.

Cautio.

Cautio vitandorum incommodorum in Deo datur. pag. 106. n. 84. b.

Certitudo.

Certitudo alia est subjectiva, alia objectiva. pag. 16. n. 37. a.
Utraq; explicatur. ibid.
Certitudo subjectiva Theologia. ibid. n. 38. b.
Item objectiva. pag. 17. n. 40. a.

Charitas.

Charitas in Deo reperitur. pag. 125. n. 55. b.
Contra charitatem gravissimè peccavit Adam. pag. 335. n. 105. b.

Christus.

Christus quomodo definito Dei consilio sit traditus. pag. 117. n. 32. b.
Christus superat omnes Angelorum choros. pag. 255. num. 38. a.
Vocatur Angelus in Scriptura cum addito. pag. 277. n. 35. a.
Non habuit Angelum custodem. pag. 280. n. 46. b.
Christi Nativitas in quem annum inciderit. pag. 303. n. 5. b.
Christi prædestinatio est exemplar nostra prædestinationis. pag. 143. n. 48. b.
Apparuit S. Paulo Apostolo in propria persona. pag. 278. n. 38. a.

Chrysostomus.

Vindicatur ab errore Semipelagianorum, statuentium initium salutis in viribus natura. pag. 142. num. 44. a.

Circuminsessio.

Circuminsessio divinarum personarum. pag. 182. numero 39. a.
Quid sit. ibid.
Ejus fundamentum. ibid.
Non est solùm mutua præsentia ratione immensitatis. ibid. n. 40. b.
Sicut una persona dicitur esse in alia, ita & Deus esse in Deo. ibid.
Idem dici potest de ipsis personalitatibus. ibid.

Circumspectio.

Circumspectio circumstantiarum in Deo datur. p. 106. n. 84. b.

Coæternum.

Quid significet coæternum. pag. 230. n. 53. b.
Tres Personæ divinæ rectè dicuntur coæternæ. ibid.

Cœlum.

Quid nomine cœli intelligatur Gen. 1. pag. 307. num. 14. b.
Cœlum Empyreum darè est indubitatum. ibid. num. 15.
Illud solùm intelligi Gen. 1. *nomine cœli verior sententia.* pag. 308. n. 16. a.
Cur cœlum in Scriptura libro complicato assimiletur. pag. 315. n. 42. b.

Cognitio.

Cognitio matutina & vespertina apud August. *quid.* pag. 73. n. 60. b.
Quid medium cognitionis quo. pag. 259. n. 13. a.
Aliud tenet se ex parte potentiæ & est habitus. ibid. b.
Aliud ex parte objecti & est species. ibid.
Quomodo possit eadem cognitio tendere in plura objecta. pag. 74. n. 62. a.
Vide Notitia.
Cognitio Dei, vide Scientia Dei.
Cognitio Angelorum, vide Angelorum cognitio.
Cognitio beatorum, vide Beati, visio Beatifica.

Coluber.

Sub tegumento colubri dæmon verosimiliter tentavit Hevam. pag. 333. p. 98. a.
Fuit verus non fictus. ibid. n. 97.

Columba.

Spiritus sanctus descendit in specie columbæ. pag. 228. n. 46. b.
Illa non fuit verum animal. ibid.
Fuit tamen verum corpus. ibid.

Communitas.

Cur Scriptura integras communitates vocet sanctas. pag. 147. n. 59. b.
Habent sibi deputatum Angelum custodem. p. 281. num. 49. b.

Compositio.

Quid compositio propriè. pag. 38. n. 24. b.
An exurgat in Deo ex formalitatibus divinis. p. 46. n. 21. a. & p. 39. n. 24. a.
Item ex divinitate & humanitate in Christo. pag. 39. n. 24. a.
Compositio alia est activa, alia passiva. pag. 45. numero 15. a.
Utramq; excludit perfecta simplicitas. ibid. *Vide* Simplicitas.
Compositio ex genere & differentia an inveniatur in Deo. pag. 46. n. 20. a.

Comprehensio.

Comprehensio sumitur dupliciter. pag 81. n. 86. b.
Sumpta pro cognitione describitur. pag. 82. n. 86. a.
Alia est extensiva. ibid.
Alia intensiva. ibid.
Differentia inter comprehensionem corporalem & intentionalem. pag. 83. n. 90. a.
Deus nequit absolutè comprehendi. pag. 82. n. 87. a.
Vide Incomprehensibilitas Dei.

Conclusio.

Conclusio Theologica quâ talis non est de fide. pag. 13. n. 26. b. & a.
Quo sensu possit esse de fide. ibid. n. 27. b.
Est infallibilis. pag. 17. n. 40. a.
Et ceteris paribus certior aliis conclusionibus scientificis. ibid. n. 41. b.
Nequit in quantùm conclusio esse certior primis principiis. ibid.
Nec etiam quavis conclusione scientificâ. ibid.
Cur potiùs conclusio sequatur debiliorem præmissam, quàm effectus physicus debiliorem causam. p. 17. num. 41. b.

Concretum.

Quid requiratur ad multiplicationem concreti substantivi. pag. 209. n. 81. b.
Quid ad multiplicationem adjectivi. p. 210. n. 85. b.
Concreta substantiva nequeunt dici pluraliter de personis divinis. pag. 230. n. 52. a.
Bene adjectiva. ibid. *Vide* Attributa, Modus loquendi.

Concursus.

Quid importet concursus Dei. p. 237. n. 19. b.
Est identificatus cum actione creaturæ. ibid.
Immediatum Dei cum creatura Qui negarint. pag. 235. n. 14. b.
Illum asserunt communissimè Theologi. ibid. n. 15.
Indicat Scriptura & Sancti Patres. ibid. n. 16. & seqq.
Idem probat essentialis dependentia ac subordinatio causæ secundæ ad primam. pag. 237. n. 18. a.
Quo sensu causa prima dicatur agere per secundam. ibid. n. 20. b.
Immediatus Dei concursus ad materiale peccati, quomodo consistat cum Dei sanctitate. pag. 237. num. 21. & seq.
Vide Peccatum.
Non datur concursus Dei indifferens. pag. 101. numero 64. a.

Conditionales.

In quo consistat veritas conditionalium contingentium. pag. 99. n. 56. a.
Conditionales necessariæ spectant ad simplicem intelligentiam. pag. 101. n. 63. a.
Qualiter conditionales disparatæ à Deo sciantur. pag. 101. n. 70. a.
Conditionales sub conditione impossibili à Theologo non sunt tractandæ. ibid. b.

Conditionata.

Conditionata futura tam sunt futura conditionatè, quàm futura absoluta absolutè. p. 98. n. 54. b.
Vide Præscientia, Futura.

Congruentia.

Argumenta à majori congruentia in quo fundentur. pag. 109. n. 8. b.
Herum efficacia. ibid. n. 9.

Conservatio, Conservare.

Quid Conservatio. pag. 234. n. 9. a.
An distinguatur à prima productione. ibid.
Deus omnia conservat. ibid. n. 10.
Alioquin cuncta mox in suum nihilum reciderent. ibid. b.
Declaratur similitudine. ibid. n. 21.
Et fundatur in essentiali dependentia omnium à Deo. pag. 235. n. 12. a.

Continere.

Quid continere eminenter alterum. pag. 42. n. 4. a.

Contingentia.

Contingentia rerum in quo consistat. pag. 92. n. 26. a.
Competit omni enti creato. ibid.
Etiam dependenti à solo Deo. ibid. n. 27.
Specialis quadam contingentia effectuum liberorum. pag. 92 n. 27. b.
Vide Præscientia Dei.

Contradictoria.

Nequeunt contradictoria simul de eodem affirmari. pag. 35. n. 13. a.
Propositiones contradictoria pro instanti rationis possunt simul à veritate præscindere. pag. 97. numero 49. a.
An possit in Deo dari transitus de contradictorio in contradictorium sine mutatione. pag. 113. numero 17. a.
Quomodo verum sit illud commune dictum : inter contradictoria est distantia infinita. pag. 241. num. 33. b.

Cordis induratio.

Vide Induratio cordis.

Corpus.

Corporum assumptio, vide Angelorum Apparitio.
Corporum obsessio, vide Dæmonum Tentatio.

Creatio, Creator.

Deus est Creator omnium. pag. 231. n. 1. b.
Creatio rerum convenit toti Trinitati. pag. 232. num. 6. b.
Etsi effectus ad extra nunc uni, nunc alteri persona appropientur. pag. 233. n. 7. a.
Qua sit Deo ratio operandi ad extra. ibid. numero 8. b.
Creatio propriè sumpta explicatur. pag. 239. numero 27. b.
Illa competit Deo quoad varias res. ibid. n. 28.
An etiam quoad substantias corporeas materia & mundo coævas. pag. 240. n. 29. a.
Vel circa initium mundi à solo Deo productas. ibid. n. 30.
Non potest creatura creare de potentia ordinata. pag. 240. n. 31. b.
Immo nec de potentia absoluta tamquam causa principalis. pag. 241 n. 32. a.
Probatur ratione auctoritati innixa. ibid. n. 33. b.
Quam difficulter probetur solâ ratione naturali, ostenditur plures allegari solitas solvendo. ibid. & seqq.
An creatura possit esse divinitus instrumentum creationis. pag. 243. n. 38. a.
Creatio Angelorum, vide Angelorum Creatio.
Creatio primorum Parentum. Vide Protoplasti, Adam, Innocentiæ status.

Creatura.

Creatura actuales & possibiles spectant ad objectum secundarium divina voluntatis. pag. 114. numero 21. a.
Deus in possibilibus sibi necessariò complacet. ibid. num. 22. b
An dabilis sit creatura intellectualis ex natura sua impeccabilis. p. 293. n. 24. b.
An possibilis sit creatura cui visio Dei foret connaturalis. pag. 59. n. 11. a.
An creatura possit creare, vide Creator.

Custodia.

Custodia angelica. Vide Angelorum Custodia.

D.

Dæmon.

Quò sensu diabolus dicatur princeps mundi. p. 232. num. 5. b.
Inter dæmones sunt quidam Ordines seu Prælationes. p. 254. n. 36. a.
Idq; ex Dei permissione ac impiâ eorum conspiratione. ibid.
Dæmon ignoravit, an Deipara fuisset sponso Ioseph commixta. p. 259. n. 12. a.
Signa Dæmonum per Magos Ægyptios patrata sunt applicando activa passivis. pag. 274. numero 23 a.
Deus reliquit sufficientia indicia ad deprehendendam falsitatem miraculorum dæmonum. ibid. num. 24.
Nequeunt facere vera miracula. p. 284. n. 59. a.
Faciunt tamen mira quadam hominum vires excedentia. ibid. b.
Differentiâ inter hæc & miracula divina. ibid.

Dæmonum Tentatio & Afflictio activa.

Præcipuum ministerium Dæmonum est tentare homines. p. 282. n. 52. a.
Quod solùm permissivè est à Deo. ibid. b.
Idq; justis de causis. ibid. n. 53.
Nec propterea est iniqua sors hominis. ibid.
Unde excitentur dæmones ad tentandum nos. pag. 283. n. 54. a.
Singulis hominibus probabiliter à Lucifero designatur proprius tentator. p. 283. n. 55. a.
Qui

Qui secundùm aliquos ad specialia vitia ex instituto impellit. ibid. b.
Non omnia hominum peccata sunt immediatè ex dæmonum suggestione. pag. 283. n. 56. b.
Tentator semel devictus potest reverti ad tentandum. ibid. n. 57.
Etsi plenè devictus soleat ad tempus recedere. ibid.
Impugnat hominem partim interiùs, partim exteriùs. pag. 284. n. 58. a.
Non commovet phantasiam directè, sed tantùm indirectè. ibid.
Multò minùs potest immediatè movere ipsam animam rationalem. ibid.
Dæmonis potestas ad tentandum qualiter sit ligata. ibid. n. 60. b.
Est magis ligata respectu Fidelium quàm Ethnicorum. pag. 285. n. 60. a.
Varia dæmones inferunt hominibus nocumenta instar pœnarum. pag. 285. n. 61. a.
Quæ Deus frequenter potest non solùm permittere, sed etiam iubere. ibid. b.
Inferunt quoque dæmones afflictiones non punitivas. pag. 285. n. 62. b.
Quæ si merè probativa sint, possent esse à Deo positivè. ibid.
Etsi de facto interveniat sola divina permissio. pag. 286. n. 62. a.
Sine qua eâque speciali nequeunt extraordinaria nocumenta inferre. ibid. n. 63.
Unde in homines est major malorum hominum, quàm dæmonum potestas. ibid. n. 64.
Varia sunt nocumenta quæ dæmones per se, vel per alios inferunt. pag. 286. n. 65. a.
Obsident dæmones interdum corpora. ibid. b.
Eaq; diversimodè ingrediuntur. ibid.
Quamvis non facilè fides adhibenda, sed obsessionis signa inspicienda sint. pag. 286. n. 66. b.
Varia signa obsessionis. pag. 287. n. 66. a.
Uti & maleficii. ibid. n. 67. b.
Quæ sint observanda exorcistæ. pag. 287. n. 68. b.
Quæ ipsi exorcizando. pag. 288. n. 69. a.
Dæmonum Peccata, Vide Angelorum peccatum.

Dæmonum pœnæ, Obstinatio.

Dæmonum peccatum secuta est pœna. pag. 296 numero 32. b.
Primò cruciatus ignis corporalis. ibid.
Omnes fuerunt probabiliter primò præcipitati in infernum. pag. 297. n. 33. a.
Sunt tamen plurimi in hoc aëre. ibid.
Nunc hi, nunc illi. ibid.
Non tamen ob hoc immunes ab ignis supplicio. ibid. num. 34.
Cur permittantur in aëre morari. pag. 297. numero 34. b.
Quomodo ignis infernalis torqueat illos distantes. ibid. n. 35.
Cur dæmones rogarunt Christum ne imperaret illis ut in abyssum irent. pag. 298. n. 35. a.
Post diem Judicii omnes firmiter concludentur in carcere infernali ibid.
Cur pœna quam dæmones ab igne patiuntur, vocetur pœna sensûs. ibid. n. 36.
An ad pœnam sensûs revocanda sit tristitia sequens pœnam damni. ibid.
Quomodo ignis corporalis cruciet spiritus difficillimè intelligetur. pag. 298. n. 37. b.
Non cruciat uti corpora, producendo in spiritibus calorem. ibid.
Nec mediante ustione corpusculorum, quibus spiritus alligentur. pag. 299. n. 38. a.
Nec quatenus apprehenditur à spiritibus tamquam malum præsens. ibid.
Nec derivando in eos speciem impressam. ibid.
Sed quatenus potentiam locomotivam alligat instar carceris. pag. 299. n. 39. b.
Ipsumq; intellectum ad perpetuam sui considerationem determinat. ibid.
Hic cruciatus Deo disponente potest esse æqualis demeritis. ibid.
Non rectè recurritur ad qualitatem supernaturalem ac potentiam obedientialem. pag. 300. numero 40. a.
An possibilis sit qualitas spirituum afflictiva. ibid. numero 41.
Secunda dæmonum pœna est damni. pag. 300. numero 42. b.
Cui annectitur desperatio & vermis conscientiæ. ibidem.
Item privatio gratiæ & aliorum donorum gratuitorum. ibid. n. 43.
Facultates tamen naturales in dæmonibus manserunt integra. ibid.
Pœna damni est major pœnâ sensûs. pag. 301. num. 44. a.
Est in omnibus quodam sensu æqualis, quodam inæqualis. ibid. n. 45.
Dæmones nulla de re verosimiliùs gaudent. p. 301. num. 46. b.
Obstinatio dæmonum alia negativa, alia positiva. pag. 301. n. 47. b.
Negativa est referenda in omnimodam substractionem gratiæ divinæ. pag. 302. n. 48. a.
Positiva in malorum dæmonum voluntatem. ibid. num. 49.
Nullum opus omni ex parte bonum faciunt. ibid. num. 50.

Damascenus.

Non fuit in errore Græcorum de processione Spiritus sancti. pag. 209. n. 80. a.

Damnati.

Vide Dæmonum pœnæ.

Dare.

Dare, nisi strictè sumatur, latiùs patet, quàm mittere. pag. 227. num. 40. a.
Vide Donare.

Decretum Divinum.

Cur omne decretum Dei sit ab æterno & maneat in æternum. pag. 50. n. 13. a.

Quomodo in decreto suo videat Deus futura contingentia. p. 96. n. 45. b.
Etiam peccata. ibid. n. 46.
Illud decretum quàm difficulter cum libertate concilietur. p. 97. n. 47. a.
An priùs ratione quàm positum sit videatur ut ponendum. ibid. num. 48.
In illo priori falsum est, quòd decretum pro sequenti signo erit. ibid. n. 49.
In priori signo contradictoria simul à veritate præscindunt. ibid.
Decreta conditionata dantur in Deo. pag. 99. numero 57. b.
Antecedenter ad decretum nescit Deus quid ipsemet ageret. p. 100. n. 62. b.

Delectatio.

Delectatio in Deo datur. pag. 124. n. 51. a.

Denominatio.

Quomodo possit in Deo dari denominatio nova sine nova forma. pag. 113 n. 17. a.
An possit in Deo dari denominatio contradictorii sine mutatione. ibid.

Deus.

Unde derivetur nomen Deus. pag. 84. n. 95. b.
Quid & quomodo significet. ibid.
Varia Dei nomina. ibid. n. 94. & seq.
Deus est objectum primarium Theologiæ. pag. 10. num. 13. a.
Et aliquo sensu potest dici totale. ibid.
Deus imperfectè à nobis est conceptibilis pro hoc statu. ibid. n. 15. b.
Quid nomine Dei concipere soleamus. pag. 18. numero 1. a.
Deum esse est per se notum. pag. 19. n. 4. a.
An etiam quoad nos. ibid. n. 5. b.
Deus non necessariò judicatur existere apprehensis terminis. pag. 20. n. 7. a.
Modi oppositum probandi refutantur. ibid. num. 8. & 9.
Deus potest ignorari. pag. 20. n. 10. b.
Idq; ordinariè culpabiliter. ibid.
Posset tamen invincibiliter. ibid. n. 11.
Hoc providentia divina non diu permittet. ibidem.
Deum esse constat ex fide. pag. 21. n. 12. a.
Estq; hic articulus basis ceterorum. ibid.
Quamquam & ipse credatur. ibid.
Cur Deo revelanti se esse sit credendum. pag. 21. num. 13. b.
Deum esse constat ratione naturali. ibid. n. 14.
Etiam demonstrativà. pag. 22. n. 16. a.
An hujus oppositum mereatur censuram. ibid. n. 17.
Nequit demonstrari à priori Deum esse. pag. 22. num. 18. b.
Sed à posteriori. ibid.
Probatur primò Dei existentia ex fabrica universi. pag. 23. n. 21. a.
Secundò ex rerum contingentia. ibid. n. 23. b.
Tertiò ex subordinatione causarum. p. 24. n. 25. a.
Item quibusdam rationibus moralibus. ibid. n. 27. & seqq.
Deus est substantia. pag. 26. n. 34. a.
Eaq; completa. ibid. n. 35. a.
Quo sensu dicatur esse supersubstantia. pag. 26. num. 36. a.
Deus est spiritus. pag. 26. n. 37. b.
Quo sensu Scriptura ei tribuat manus, oculos &c. pag. 26. n. 38. b.
Deus est vivens vitâ intellectuali. pag. 27. n. 39. a.
Aliter tamen quàm creatura. ibid. n. 40.
Existentia est de ejus essentia. pag. 27. n. 41. b.
Ipsumq; primum distinctivum à creatura. ibid.
Singularitas est similiter de essentia Dei. pag. 28. num. 44. a.
Deus an constet genere & differentiâ. pag. 46. numero 20. a.
Est Unicus. pag. 30. n. 49. & seq.
Deus unde denominetur creator. pag. 48. n. 6. a.
Requievit die septimo cessando à primitivo creationis opere. pag. 319. n. 54. a.
Sanctificavit Sabbathum suo cultui id consecrando. ibid. n. 55.
Deus nequit propriè dici pluraliter de personis. pag. 230. n. 52. a.
Refutantur Nonnulli oppositum docentes. ibid.
Dei attributa, vide Attributa.
Dei infinitas, vide Infinitas.
Dei simplicitas, vide Simplicitas.
Dei immutabilitas, vide Immutabilitas.
Dei æternitas, vide Æternitas.
Dei immensitas, vide Immensitas.
Dei invisibilitas, vide Invisibilitas.
Dei incomprehensibilitas, vide Incomprehensibilitas.
Dei ineffabilitas, vide Ineffabilitas.
Dei unitas, vide Unitas.
Dei intellectus, vide Intellectus.
Dei scientia, vide Scientia.
Dei voluntas, vide Voluntas.
Dei Providentia, vide Providentia.
Dei Potentia, vide Potentia.
Divina Idea, vide Idea.
Dei perfectio, vide Perfectio.
Dei decreta, vide Decreta.

Dicere.

Dicere multipliciter accipi potest. pag. 201. numero 51. b.
Dicere propriè & intelligere in divinis non sunt idem. pag. 199. n 43. b.
Pater dicit Verbo. pag. 200. n. 50. b.
Etiam creata. pag. 203. n 60. a.
Cur Pater potiùs dicat, quàm intelligat Verbo. pag. 201. n. 52. b.
Vide Verbum.

Dies.

Primus dies mundi fuit Dominicus. p. 309. n. 19. a.
Sumpsit probabiliter initium à luce, non autem à nocte vel vesperâ. ibid. n. 20.
Probabiliùs tamen cœpit à nocte. p. 309. n. 22. b.

Diligere.

Sumitur partim essentialiter, partim notionaliter. pag. 202. n. 57. b.

Pater & Filius diligunt Spiritu sancto. pag. 201. num. 53. b.
Hac propositio explicatur. pag. 202. n. 56. b.
Reperitur in Patribus. ibid. n. 54. a.
Nec retractatur ab Augustino. ibid.
Non est impropria. ibid.
Varia ejus explicationes refutantur ibid. n. 55.
Cur Pater & Filius potiùs diligant, quàm spirent Spiritu sancto. p. 203. n. 58. a.
Quanam Pater & Filius diligant Spiritu sancto. ibid. n. 59.
An etiam creata, sicut Pater Verbo dicit creata. ibidem.

Discursus.

Discursus quid sit. pag. 79. n. 77. a.
Alius est formalis, alius virtualis. ibid.
Formalis non reperitur in visione beatifica. ibid. num. 78.
Sed tantùm virtualis. ibid. n. 79. b.
Discursus Angelorum, vide Angelorum intellectus.

Distinctio.

Quid sit distinctio rationis. pag. 34. n. 9. a.
Datur inter essentiam divinam & attributa. ibid. numero 8.
Quid distinctio formalis. pag. 35. n. 12. a.
Datur inter naturam divinam & attributa. ibid.
Distinctio virtualis non salvat contradictoria in divinis. pag. 36. n. 16. a.
Nec realis personalitatum inter se. ibid. n. 18. b.
Quo sensu distinctio formalis sit realis. pag. 38. num. 21. a.
Quæ sit distinctio realis strictè. ibid.
Apud quem intellectum habeat locum distinctio essentiæ & attributorum. pag. 39. n. 28. b.
Quomodo distinctio formalis consistat cum essentia divina infinitate. pag. 38. n. 23. b.
Ac perfectâ simplicitate. ibid. n. 24.
Nec non perfectissimâ unitate. ibid. n. 22. a.
Auctoritates objecta solvuntur. pag. 37. n. 20. b.
Solùm negant distinctionem realem strictè. ibid.
Nec omnes sunt irrefragabiles. ibid.
Unde petatur distinctio inter essentiam divinam & attributa. pag. 39. n. 27. b.
Distinctio formalis non tollit è medio signa distinctionis realis strictè. ibid. n. 26. a.
Diversi gradus distinctionis. pag. 38. n. 21. a.
Distinctio formalis an detur inter ideas divinas. pag. 39. n. 25. a.

Docilitas.

Docilitas in Deo non datur. pag. 106. n. 84. b.

Doctrina.

Vide Theologia.

Dominium.

In quo fundetur essentiale Dei dominium. p. 235. num. 13. a
Non stat cum Justitia commutativa in Deo. pag. 127. num. 58. a.

Donatio, Donum.

Quid donatio. pag. 222. n. 23. a.
Differentia inter datum & donum. p. 223. n. 25. a.
Donum dicitur propriè de Spiritu sancto, ibid. n. 26.
Denotat respectum ad creaturas. ibid. n. 27. b.
Deitas impropriè donatur Filio. p. 222. n. 23. a.
Magis propriè donatur humanitati Christi. ibid.
Quodam sensu generi humano donatur tota Trinitas. p. 222. n. 24. b.
Strictiùs tamen solus Filius & Spiritus sanctus. ibidem.
Strictissimè solus Spiritus, qui ita propriè dicitur Donum. ibid. n. 25.
Cur Scriptura tribuent Spiritui sancto nomen Doni, illud pluraliter exprimat. p. 223. n. 26. a.
Vide Spiritus sanctus.

Duratio.

An inveniatur duratio in æternitate. pag. 52. numero 21. a.

E.

Effectus.

PERFECTIO *effectûs non proportionatur soli causæ particulari.* p. 71. n. 52. a.
Potest effectus esse perfectior causâ partiali. p. 17. num. 41. a.

Electio, Electi.

Sententia, asserens electionem post prævisa merita. pag. 145. n. 54. a.
Sententia negans præfertur. p. 146. n. 56. a.
Gratuita electio est radix vocationis & perseverantiæ. ibid.
Item fidei. ibid. n. 57. b.
Ex eadem profluunt specialia beneficia electorum. p. 147. n. 58. a.
Qualiter electio reddatur certa. p. 149. n. 67. b.
Quomodo unus coronam accipiat & alter perdat. pag. 150. n. 68. a.
Electio gratuita non tollit sincerum Dei erga omnes affectum. ibid. n. 69. b.
Quid dicendum de Patribus Pelagio anterioribus. p. 151. n. 71. a.
Mens S. Augustini in hac materia fuit discutitur. ibid. n. 72.
Item Prosperi. p. 153. n. 73. a.
Et Fulgentii. ibid. n. 74. b.
Electio gratuita non tollit studium bonorum operum. p. 153. n. 76. b.
Nec in desperationem adigit. p. 154. n. 77. a.
Nec facit Deum insidiare reproborum saluti. ibid. num. 78. b.
Neque electos ad perseverandum necessitat. ib. n. 79.
Similia incommoda militant contra electionem ad gratiam. p. 155. n. 80. a.
Numerus electorum est certus ac immutabilis. p. 162. n. 103. b.
Unde oriatur illa certitudo. ibid.
Numerus ille est simpliciter magnus. p. 164. numero 106. a.
Factâ tamen comparatione ad numerum reproborum est exiguus. ibid.
Errores & conjecturæ circa numerum electorum. ibid. n. 107. b.

Electio citra specialem Dei revelationem nulli est certò cognita. ibid. n.108. b.

Eligere.

Potest Deus ex bonis inaequalibus eligere minus. p. 109. n. 6. a.
Et ex aequalibus unum prae altero. ibid.
Qualiter Deus liberè eligat absolutè meliora. ibid. numero 7.
Et in eo fundentur argumenta à majori congruentia. pag.109 n.8 b.
Horum efficacia. ibid.n.9.

Entia rationis.

Entia rationis cadunt sub Dei scientiam. pag. 91. num. 21. a.
An Deus illa faciat. ibid.
Non spectant per se ad objectum divinae voluntatis. pag. 114. n. 23. b.
Sed solùm per accidens. ibid.

Erasmus.

Erasmo displicuit nomen Verbi in divinis. p. 218. num. 10. b.

Esau.

Esau quomodo sit odio habitus à Deo. pag.158 numero 89. a.
Fuit typus damnandorum. p. 159. n.93. b.
De reprobatione ipsius personae Esau nil certo constat. ibid.

Essentia, Essentia Dei.

Essentia rei est radix caeterorum. pag.25.n.32. b.
Essentia Dei ut a nobis concepta non est primò diversa à creata. p.28.n.43. a.
Non est simpliciter simplex. ibid.
Non consistit in ipsa intellectione. pag.29.n.48.b.
Essentia divina quomodo ab attributis distinguatur. Vide Distinctio.
Essentia divina non ingreditur essentialem conceptum attributorum. pag.40 n.30. a.
Essentia divina repraesentat res liberè. p.74 n.64 b.
Cur vocetur speculum voluntarium. p.75 n.64 a.
Posset videre nullâ visâ creaturâ. p.75.n 65. a.
Item non visis attributis vel personalitatibus. p.72. num 57. a.
Nec propterea videretur ut ens imperfectum. p.73. num. 58 a.
Visio illa foret beatifica. ibid. n.59. Vide Visio beatifica.
Secundùm essentiam divinam personae divinae productae assimilantur producenti. pag.195.n.29. b.
Est de se determinata ad paternitatem. pag. 197. num. 35. a.
Per hanc velut per conditionem determinatur ad generandum. ibid.
Per eamdem & filiationem determinatur ad spirandum. ibid. b.
An etiam per spirationem activam. ibid.n.36.
Non est principium quod divinarum processionum. pag 206. n.71. a.
Licèt identicè sit id quod generat. ibid.
Auctoritates quaedam Patrum explicantur. ibid. numero 72. a.
Cur potius essentia dicatur creare quàm generare. ibid. n. 73. b.
Rectè dicitur communicari. ibid.
An etiam communicans. ibid.

Eubulia.

Illa in Deo non datur. pag.106.n.84. b.

Existentia Dei.

Existentia est de essentia Dei. pag.27. n 41 b.
Est primum distinctivum Dei à creaturâ. ibid.
Nequit ex alio pullulare. ibid.n.42.
An sit de conceptu attributorum. pag.28 n.43. a.
An conveniat intrinsecè cum creata. p.29.n.47 b.
Existentia essentialis est Deo maximè propria. ibid. num. 46. a.
Ex ea sequitur aeternitas. ibid. n.47. a.
Existentia Dei extra mundum explicatur. pag.55. num. 37. b.
Existentia Dei quomodo probetur. Vide Deus.

Exorcista, Exorcizandus.

Quae sint observanda exorcistae. pag. 287 n 68 b.
Quae ipsi Exorcizando. pag.288. n.69. a.

F.

Fides.

FIDEI *& Theologiae idem est objectum motivum.* pag.10.n.16. b.
Fides infusa est habitus principiorum Theologiae. p. 12. n. 23 a.
An destructâ fide maneat in Theologo habitus Theologiae. ibid.
An sine fide possit Theologia acquiri. ibid.n.24 b.
Habitus fidei distinguitur à Theologia. pag.13 numero 25. a.
Fides in Deo non datur. pag.106.n.84. b.

Filiatio, Filius.

Secunda persona in divinis vocatur propriè Filius. pag. 218. n.7. a.
Item Verbum Patris. ibid. n. 8.
Item Imago. pag.219.n.12. a.
Non obstat vera imagini unitas essentiae in Patre & Filio, sed juvat. pag.220 n 15. a.
Nomen Sapientiae est Filio appropriatum. pag.220. num 17. b.
At Sapientia genita est ei proprium. ibid.
Filius in divinis est Deus. pag.173 n 9. b.
Scriptura contra divinitatem filii objecta solvuntur. pag.174.n.13. b.
Filius in divinis quo sensu dicatur primogenitus. pag. 190. n.7. a.
Cur Processio Filii potiùs sit generatio, quàm processio Spiritus sancti. ibid. n.8. b.
Non ideo quia Filius accipit naturam fecundam. pag.191.n. 10. b.
Aliud est in creatis. ibid.
Filius rectè dicitur esse de substantia Patris. pag. 192. n.11. a.
Quid per hoc denotetur. ibid. n.12 & 14.
Cur in Filio non sit potentia generandi. pag.196. num. 33. b.

Per filiationem & paternitatem determinatur essentia ad spirandum. p. 197. n. 35. b.
Quomodo Filius sit sapientia Patris. pag. 200. numero 49. b.
Vide Persona, Processio.

Finis.

Ordinatè volens priùs vult finem, quàm media. pag. 148. n. 64. b.

Finitum.

Quâ ratione inter finitum & infinitum detur medium. p. 185. n. 50. a.
An personalitates divinæ sint finitæ vel infinitæ. *Vide* Personalitas.

Firmamentum.

Quid intelligatur nomine firmamenti Gen. 1. p. 310. n. 23. & 311. n. 25. a.

Fontes.

Cur fontium & fluminum scaturigines non exarescant. p. 312. n. 31. b.
Vide Aqua.

Formalitas.

Quid sint formalitates Scoticæ. p. 38. n. 21. a.
A multis malè intelliguntur. ibid.
An ex illis sit ducenda exurgere in Deo compositio. pag. 39. n. 24. a.

Fuga.

Fuga invenitur in Deo. p. 124. n. 50. a.

Futurum.

Futura contingentia non semper coexistunt æternitati. p. 95. n. 38. a.
Futura conditionata tam sunt verè futura sub conditione, quàm absoluta absolutè. p. 98. n. 54. b.
Vide Præscientia.

G.

Gabriel.

S. *Gabriel de quo Ordine Angelorum sit, est incertum.* p. 254. n. 37. b.

Genesis.

Genesim descripsit Moyses. p. 302. n. 1. b.
Idq; credibiliter in deserto. ibid.

Generatio, Generare.

Quid generatio. p. 191. n. 9. a.
Cur potiùs una processio divina sit generatio, quàm altera. p. 190. n. 8. b.
Vide Processio, Filius.
Terminus formalis generationis creatæ. pag. 193. num. 16. a.
Differentia inter generationem humanam & divinam. ibid. n. 17. a.
Terminus generationis quatenus est actio. ibid. numero 18.
Generationi divinæ non præsupponitur cognitio vel amor creaturarum actualium. pag. 203. numero 61. b.
Quomodo equidem cognitio ei prævia sit infinita. p. 204. n. 62. a.
Ac essentialia priora notionalibus. ibid.
An scientia generationi prævia sit comprehensiva. ibid.
Generationi activæ præsupponitur notitia solius essentiæ. p. 205. n. 68. b.
Generationi passivæ Verbi notitia insuper Patris. ibid. n. 69.
Essentia divina non est principium quod generat. pag. 206. n. 71. a.
Licèt sit realiter seu identicè id quod generat. ibid.
Cur essentia potiùs dicatur creare, quàm generare. ibid. n. 73. b.
Rectè dicitur Deus generare. ibid.
Pater est principium quod generationis Filii. p. 207. n. 74. a. *Vide* Processio, Persona.

Gignere.

Quo sensu Pater in divinis gignat Hypostasi. pag. 196. n. 32. b. *Vide* Generare.

Gilbertus.

Gilbertus Porretanus docuit naturam divinam cum attributis realiter distingui à personalitatibus. p. 33. n. 5. b.

Gloria, Glorificatio.

Gloria est effectus prædestinationis. p. 138. n. 32. a.
Glorificatio est generalis effectus prædestinationis. ibidem.
Quæ spectent ad glorificationem. p. 139. n. 34. a.

Gratia.

Gratia est effectus prædestinationis. p. 138. n. 32. a.
Etiam peccato amissa. p. 139. n. 35. a.
Gratia inefficax est effectus prædestinationis; pag. 139. n. 35. a.
Non tamen omnis. ibid.
Prima gratia non datur meritum congruum. pag. 143. n. 50. b.
Alioquin gratia non foret gratia. p. 144. n. 51. a.
Gratia Angelorum, vide Angelorum Gratia.

Gualterus

Docuit naturam divinam realiter distingui ab attributis. p. 35. n. 5. a.

H.

Habitus.

HABITUS *principiorum Theologiæ.* p. 12. num. 23. a.
Habitus Fidei, vide Fides.

Hebræi.

Hebræi unde initium anni sumpserint. p. 305. n. 9. b.

Heva.

Heva fuit formata in paradiso. p. 322. n. 68. b.
Idq; die sexto seu Veneris. p. 323. n. 68. a.
Ex costa Adæ. p. 321. n. 64. b.
Ac illo tempore posterior. p. 322. n. 65. a.
Esu ligni vetiti perdidit sibi irrecuperabiliter justitiam originalem. p. 332. n. 95. b.

Non peccaverat ante serpentis alloquium. pag.334. num.101. a.
Nec ad primam ejus interrogationem. ibid.
Sed ad promissionem excellentia serpenti credidit. ibid. n.102. b.
Tandemq; de fructu vetito comedit & obtulit Adamo. ibid.
Quo sensu sola Heva dicatur seducta à serpente. p. 335. n.104. b.
Peccavit peccato inobedientia & contra charitatem. ibid. num. 105.
An etiam injustitia aut intemperantia. ibid.n.105.
Pœnituit & salvata est. p.338.n.112. b.
Vide Protoplasti, Innocentiæ status.

Hierarchia.

Hierarchia quid. pag.252. n.29. a.
Alia est cœlestis, alia Ecclesiastica. ibid.
Quibus constet Ecclesiastica. ibid.
Cœlestis sive angelica est triplex. ibid. n.30. a.
Singula complectuntur tres Ordines. ibid.
Ratio cujusq; Hierarchia explicatur. ibid.n.31.
Distinctio in Hierarchias fuit facta ab initio creationis. pag. 253. n. 34. b.
Cessabit post judicium quoad ministeria erga homines. pag.254. n.35. a.
Etiam inter damones sunt quidam Ordines seu Prælationes. ibid. n.36.
Idq; ex divina permissione ac impiâ ipsorum conspiratione. ibid.
Tres actus hierarchici. pag.266. n.44. b.
Vide Angelorum Ordo.

Homo.

Homo cur post omnia cetera creatus. pag.317.numero 50. b.
Modus singularis creationem illius describendi denotat operis arduitatem. ibid.
Est creatus ad imaginem Dei. p.318.n.51. a.
In quo consistat imago ejus cum Deo. ibid. n.52.
Hac imago per peccatum mortale deformari, non autem deleri potest. p.318.n.53. b.

Hypostasis.

Nomen Hypostasis *quid significet.* p.186.n.57. b.
Quo sensu Pater in divinis hypostasi gignat. pag. 196. num.32. b.
Antiquitas nominis Hypostasis. p.186. n.57. b.

I.

Idea.

IDEA *describitur.* p.103. n.71. a.
Ideas menti divina adscribit antiquitas & ratio. pag.102. n.71. b.
An Idea sit objectivè vel formaliter in Deo. p.103. num. 72. a.
Idea objectiva rectè statuitur in ipsa essentia divina. ibid.n.73. b.
Quà repræsentativâ. ibid.n.74.
Non quà imitabili. p.104.n.74. a.
Potest etiam statui in ipsis creaturis ut cognitis. ibid. num. 75.
Quomodo tunc concurrat essentia. ibid. b.
Qualiter dependeat Deus in operando ab Ideis. ibid. num. 77.
Qualiter visio idearum animam beatificet. ibid. num. 76.
An Deus dicendus sit imitari Ideas. pag.105. numero 77. a.
In Deo sunt aliqualiter plures Idea. ibid. n.78.
Datur in Deo Idea omnium & solorum à Deo factibilium. ibid. n.79.
Non impossibilium. ibid. b.
Non peccatorum. ibid.
Nec essentia divina. ibid.n.80.
Sed omnium factibilium tam individuorum quàm specierum. ibid.
Etiam singularum partium distinctarum. ibid.
Ac merè possibilium. ibid.n.81.

Identitas.

Identitas divinarum Personarum. p.181.n.36. a.
Vide Persona, Relatio.

Ignis.

Ignis infernalis quomodo possit animas damnatas ac damones affligere. p.299. n.39. b.
Vide Dæmonum pœnæ.

Ignorantia.

Potest dari ignorantia Dei. p.20. n.10. b.
Immo in aliquibus de facto locum habuit. p. 21. numero 11. a.
Est regulariter culpabilis. p.20. n.10. b.
Potest tamen esse invincibilis. ibid.

Illuminatio.

Illuminatio Angelorum quid. p.266.n.41. a.
Vide Angelorum Illuminatio.

Imago.

Nomen Imaginis est proprium filio in divinis. p. 219. n.12. a.
Imaginis descriptio. ibid.n.13. b.
Ratio ob quam Filius est propriè imago Patris. p. 220. n.14. a.
Non obstat unitas essentia in Patre & Filio, sed juvat. ibid. n.15.
Ratio cur Spiritus sanctus non sit propriè imago. ibid.
Deitas sive Trinitas impropriè dicitur imago hominis. ibid.n.16.
Homo vicissim est imago illius. ibid. b.

Immensitas Dei.

Quid Immensitas. p.53. n.25. a.
Competit Deo. ibid.n.26.
An rectè probetur ex operatione Dei in omni loco. p.53. n.27. b.
An possit demonstrari. p.54. n.29. a.
Deus est ubique per præsentiam, essentiam & potentiam. p.55. n.34. b.
Deus est ubiq; in rebus quatenus res sunt, non quatenus loca sunt. p.55.n.34. a.
Ratione immensitatis Deus non est extra cœlos in immenso spatio, tamquam in loco reali à se distincto. ibid. n.35.
Nec ut in spatio imaginario. ibid.n.36. b.

Uti nec fuit ante mundum conditum in eo, in quo mundus est conditus. ibid.
Est nihilominus reipsa & actu extra mundum. ibid. num. 37.
Hac existentia explicatur. ibid.
Similitudine declaratur. p. 56. n. 37. a.
Immensitas est soli Deo propria. ibid. n. 39. b.
Ideoq; creatura incommunicabilis. ibid.

Immortalitas.

Immortalitas competiisset homini integro. p. 324. num. 72. a.
Vide Innocentiæ status.

Immutabilitas Dei.

Immutabilitas Dei quoad esse simpliciter. pag. 47. num. 2. b.
Coincidit cum absoluta necessitate essendi. ibid.
Immutabilitas Dei subjectiva. ibid. n. 3.
Triplex contra eam difficultas. p. 48. n. 4. a.
Prima ex Dei libertate. ibid.
Secunda ex mysterio Incarnationis. ibid. n. 5.
Tertia ex quibusdam denominationibus advententiis. ibid. n. 6.
Dei immutabilitas quoad converti. pag. 48. numero 8. b.
Quoad velle & intelligere. p. 49. n. 9. a.
Ejus ratio. ibid. n. 12. b.
Illi non obstat quod sapientia dicatur omnibus mobilibus mobilior. ibid. n. 9. a.
Hujus immutabilitatis elegans explicatio. ibidem num. 10.
Fundamentum divinæ immutabilitatis. ibid. numero 11. b.
Cur omne decretum Dei sit ab æterno & maneat in æternum. p. 50. n. 13. a.
Apparens in Dei decretis mutabilitas est tantum in effectibus. ibid. n. 14.
Quomodo interdum tribuatur Deo sententiæ mutatio ac pœnitentia. ibid. b.
Immutabilitas soli Deo est propria. pag. 50. num. 15. b.

Impeccabilitas.

Impeccabilitas ex propria natura an possit competere absolutè ulli creaturæ. p. 293. n. 24. b.

Impii.

Impii cur in hac vita prosperentur. pag. 131. numero 9. a.

Incomprehensibilitas Dei.

Absoluta Incomprehensibilitas Dei. pag. 82. nu. 87. a.
An sit de fide. ibid.
Nequeunt auctoritates explicari de incomprehensibilitate naturali. ibid.
Divina Incomprehensibilitatis fundamentum. ibid. num. 88. b.
Etiam quoad intellectum creabilem. ibid.
Hunc semper aliquid Dei lateret. ibid. n. 89.
Incomprehensibilitas alia est extensiva, alia intensiva. p. 83. n. 91. a.
Quid requiratur ad incomprehensibilitatem extensivam. ibid. n. 92. b.
Quænam sit soli Deo propria. ibid. n. 91. a.

Induratio cordis.

Induratio cordis quid. p. 119. n. 38. b.
Deus endurat cor tripliciter. ibid.
Primò permissivè. ibid.
Secundò per patientiam. ibid.
Tertiò per potentiam. p. 120. n. 38. a.
Hi modi non adhibentur à Deo sine obdurandi. ib. num. 39.
Hinc fuse explicatur quomodo Deus dicatur indurasse cor Pharaonis. p. 119. n. 37. a.

Ineffabilitas Dei.

Deus est naturaliter & quidditativè ineffabilis respectu Viatorum. p. 84. n. 96. b.
Quæ sit hujus Ineffabilitatis radix. ibid.
Nec beati nec ipse Deus potest loqui Deum quidditativè Viatoribus, nisi hi instruantur sufficientibus principiis. p. 85. n. 96. a.
Hinc Deus non est ineffabilis beatis ad se invicem comparatis. ibid.
Etsi Deum prænoscentibus. ibid. n. 99. b.
Deus non est ineffabilis à Viatoribus, etiam quidditativè. ibid. n. 97. a.
Posset q; loquens gignere conceptum in audiente perfectiorem proprio. ibid. n. 98. b.
An Deus sit ineffabilis comprehensivè. pag. 86. num. 100. a.

Infans.

Infantes cum solo baptismo morientes omnino salvantur ab Angelis in gloria. p. 255. n. 38. a.
Infantes sine baptismo morientes etiam vult Deus salvos fieri. p. 135. n. 24. b.
Et ad agnitionem veritatis venire. pag. 136. numero 25. a.
Aliquos tamen non vult venire ad baptismum voluntate consequente. ibid. n. 26. b.
Vide Voluntas Dei salvandi omnes.

Infinitum, Infinitas Dei.

Quid infinitum perfectione. p. 43. n. 7. a.
Deus est simpliciter infinitus. ibid. n. 8.
Posse Dei infinitatem demonstrari quidam negarunt. ibid. n. 9. b.
Et quidem aliquarum rationum inefficacia ostenditur. ibid.
Vera ratio desumitur ex infinitatis possibilitate. ib. num. 10.
Ac existentia & potentia infinitate. ibid.
Item Dei aseitate & supremâ magnitudine. p. 44. num. 10. a.
Deus est infinitus in tota latitudine entis. ibidem num. 11.
Infinitas Dei alia est radicalis, alia formalis. ibidem.
Infinitas est modus intrinsecus. ibid. n. 12.
Non est quid negativum. ibid. b.
Perfectissimus & simplicissimus conceptus noster de Deo est entis infiniti. ibid. n. 13.

 Ex in-

Ex infinitate Dei oritur ejusdem amabilitas. ibid. num. 14.
Infinitum nequit esse pars. p.45.n.17.b.
Quâ ratione inter finitum & infinitum possit dare medium. p.185.n.50.a.

Ingenitus.

Nomen Ingeniti est Patris in divinis proprium. pag. 217. n.4.a.
Significat negationem omnis omnino productionis. ibid.
Est tatenus proprium Patri, quatenus nulli praeterea personae convenit. ibid. b.
Essentiae divinae nihilominus etiam competit. ibid.
Quo sensu sit proprium Patri etiam cum exclusione essentiae. ibid.
Cur olim apud quosdam Veteres fuerit suspectum. ibid. a.

Innocentiae status.

Primaevus hominis status felicissimus. pag.323. n. 69. a.
Fuit natura illius indebitus. ibid.
Sive quoad immortalitatem. ibid.b.
Sive quoad carentiam fomitis. ibid.n.70.
Sive etiam quoad dona gratiae aliaq; supernaturalia. ibid.
Quomodo ejusdem Augustinus ex miseriis naturae corruptae probet peccatum originale. pag. 324. num.71. a.
Nec Deo foret adscribenda culpa hominis inclinati à concupiscentia primordiali. ibid.
Homo integer fuisset immortalis & quo sensu. ibid. num. 72.
Qua fuisset immortalitatis radix. ibid.
Indiguisset homo integer alimentis. ibid.b.
An potuisset horum ope in aeternum vivere. p. 325. num.73. a.
Homo citra peccatum fuisset impassibilis, & unde. ibid. n.75 b.
Corpus indiguisset somno. ibid. n 76.
Unde somnus ille fuisset causatus. ibid.
In illo credibiliter vigilasset animus. ibid.
Praeditus fuit homo ante lapsum gratiâ sanctificante. p.326.n.77.a.
Vide Protoplasti, Adam.

Innocentiae status quoad Posteros.

Posteritas in statu Innocentiae certò fuisset propaganda per carnalem generationem. p.328.n.83.a.
A quo abfuisset deordinatio libidinis. ibid.b.
Absque indecentia & dolore intervenisset apertio secreti genitalis. p.329.n.84.a.
Et omissa fuisset tam mentis, quàm carnis virginitas. ibid.n.85.
Melius tunc fuisset conjugium quàm continentia. ibidem.
Ex quovis copula fuisset secuta proles. pag.329.n. 86. b.
Eaq; mascula vel femella pro libitu generantium. ibidem.
Fuissent posteri geniti cum corpore parvo & debili. ibid. n.87.b.
An cum aliquali usu potentiae progressivae. ibid.
Vel usu rationis, utrumque probabiliter conjectatur. p.330.n.88.a.
Caruissent scientiâ infusâ rerum naturalium. ibid.
Fuissent immortales. ibid.n 89.
Et praediti justitiâ originali. ibid.
Non tamen eo ipso in justitia confirmati. ibid. num. 90.
An Adamo non peccante fuissent nati soli electi. p.331 n.91.a.
Praeceptum de non comedendo fructu ligni vetiti concernebat omnes posteros Adae. p.332.n.95.b.
Habuissent Posteri etiam Angelum Custodem. pag. 281. n.47.a.

Inobedientia.

Inobedientia Adae. p.335.n.105 b.
Qua peccata eam fuerint comitata. ibid.

Intellectus.

Intellectus creati objectum. p.61.n.20.b.
Cur non opprimatur a luce increata. pag. 62. num. 22. a.
Proportio requisita inter intellectum & ejus objectum. ibid.n.23.
Intellectus datur in Deo. p.86.n 2.b.
Est infinitae formaliter perfectionis. p.87.n.3 a.
Complectitur omnem perfectionem intellectus creati. ibid.n 4.
Immo & creabilis. ibid.
Excludit omnem imperfectionem. ibid n.5.
In eo non dantur habitus. ibid.n.7.b.
Nequidem formaliter distincti. ibid.
Neque species impressa. p.88 n 8.a.
Intellectûs operatio ex sua formali ratione est assimilativa. p.192. n 9.a.
Requiritur intellectus in Deo ut determinet essentiam ad intelligendum. p.89.n 13.a.
Quomodo eam determinet. ibid.
Non distinguitur realiter ab essentia. pag.88. num. 10. a.
Sed formaliter. ibid.n.11.b.
Objectum primarium divini intellectus est essentia divina. p 91.n.22.a.
Adaequatum, omne intelligibile sine imperfectione intelligentis. p.89.n.15 b.
Hinc non solùm quae sunt in Deo formaliter, sed etiam creaturae minutissima cadunt sub Dei scientiam. p.90.n.16.a.
Auctoritates in oppositum explicantur. ibid. numero 17.
Etiam cognoscit Deus entia rationis & negationes. p.91. n.21.a.
An faciat entia rationis. ibid.
An Deus cognoscat creaturas in seipsis. pag. 91. num.23. b.
Vide Scientia Dei.
Intellectus beatorum physicè coëfficit visionem beatificam. p.66.n.39.a.
Toto ab illo attingitur. p.70.n.52.b.
Vide Visio beatifica.
Intellectus Angelorum, vide Angelorum Intellectus.

Intelligere, Intelligentia.

Intelligere & dicere propriè in divinis non sunt eadem. pag.199.n.43.b.
Pater in divinis non intelligit Verbo. pag.200.n.45. a. *Vide* Verbum.
Intelligentia præsentium in Deo datur. pag. 106. num.84. b.

Intentio.

Intentio finis est prior electione mediorum. p. 148. num.64. b.
Ordo intentionis & executionis. p.149.n.66.a.

Invisibilitas Dei.

Deus est invisibilis naturaliter oculo corporeo. p. 57. num.4. b.
Hæreses in contrarium. ibid.n.5.
Scriptura quæ pro ipsis objici possunt explicantur. ibidem.
Deus est naturaliter invisibilis intellectui creato. p.58. n.6.a.
Etiam angelico. ibid.n.7.b.
Immo & intellectui cuicumque creabili. pag. 59. num.11. a.
Deus est absolutè invisibilis oculo corporeo. ibid.numero 14. b.
Nec quidquam juvat recurrere ad potentiam obedientialem. p.60.n.18.b.
Mens Sancti Augustini discutitur. ibid.nu.15.a. *Vide* Visio.

Joseph.

Joseph quomodo Dei consilio fit missus in Ægyptum. p.117.n.32.b.

Ira.

Quid ira. p.124.n.53.b.
An reperiatur in Deo. ibid.
Irâ in Deum peccavit diabolus. p.296.n.31.a

Judicium.

Judicium quid. p.79.n.77.a.
Aliud est formale, aliud virtuale. ibid.
An inveniatur in Angelis. *Vide* Angelorum cognitio.

Justi.

Justi cur opprimantur miseriis in hac vita. pag. 131. num.9. a.

Justificatio.

Justificatio est effectus generalis prædestinationis. p. 138. n.32.a.
Quæ pertineant ad justificationem. pag.139. nu. 34. a.

Justitia.

Justitia commutativa ex objecto postulat strictum jus. p.127.n.58.a.
Quod repugnat summo Dei dominio. ibid.
Cui illud ipsum creatura jus accresceret. ibid.numero 59.
Etiam privatum. ibid.b.
Non reperitur in Deo. p.126.n.58.b.
Nec eam Deo tribuit Scriptura vel Patres. pag. 127. n.58.a.
Justitia distributiva aliquatenus in Deo reperitur, & aliquatenus non. ibid.n.60.b.
Non est specialis virtus. ibid.
Datur in Deo justitia vindicativa. pag.128. n. 61. a.
Secluso puniendi debito. ibid.
Non justitia legalis. ibid.n.62.
Quid illa sit. ibid.

Justitia Originalis.

Justitia Originalis describitur. p.326.n.78.b.
In ejus descriptione variant Auctores in re convenientes. ibid.
An ex toto fuisset in statu innocentiæ amissa quolibet peccato mortali. p.332.n.95.a.
Hanc Heva sibi, Adam quoque Posteris sui ligni vetiti irrecuperabiliter perdidit. ibid.
Vide Innocentiæ status, Protoplasti.

L.

Liber.

Liber Dei dupliciter sumitur in Scriptura. p. 162. n.101.a.
Scientia Dei non solet vocari liber mortis. ibid.
Quid liber vitæ. ibid.n.102.b.
Certitudo electorum descriptorum in libro vitæ. ib. num.103.
Unde oriatur. ibid.
Quid sit deleri de libro viventium. pag. 163. nu. 104. a.

Libertas.

Libertas angelica excellit humanam. pag.267. n. 46. a.
Libertas creaturarum consistit cum præscientia Dei. pag.93. n.32.b.
Quæ necessitas officiat libertati. ibid.
Ratio actus liberi in Deo non est respectus rationis. p.110. n.10.a.
Neque solùm libera productio creaturarum. ibid. num.11.
Neque perfectio Deo superaddita. ibid.n.12.b.
Nec consistit in connotato extrinseco. pag.111. n. 14. b.
Sed est libera tendentia volitionis necessaria Dei. p. 112. num.16.a.
Fundata in omnimoda ejus illimitatione. ibid.b.

Lignum.

Ad quid lignum vitæ fuerit datum homini. pag. 324. n.73.b.
Non habuit vim physicam conservandi vitam per totam æternitatem. ibid.

Locus.

Qui sint loci proprii Theologici. pag. 11. num. 21. b.
Loci extranei Theologici. p.12.n.22.a.
Locus Angelorum. *Vide* Angelorum Ubi.

Locutio.

Locutio potest esse de re aliundè pracognita. p.86. n.99.a.
Potest homo loqui beatis. p.85.n.98.b.
Locutio Angelorum in quo consistat formaliter. 265.n.39.a.
Explicatur modus illius locutionis. p.266. n.39.b.
Vide Angelorum Locutio.

Lucifer.

Lucifer peccavit peccato scandali. p.296.n.31.a.
Primum ejus peccatum fuit superbia juxta vulgatam sententiam. p.295.n.30.b.
Cujus objectum quadam fuit cum Deo similitudo. p.294.n.27.b.
Juxta Scotum *primum Luciferi peccatum fuit inordinatus sui amor.* p.295.n.30.b.
Qui est radix superbia. ibid.
Superbia accesserunt alia peccata. p.296.n.31.a.
Vide Angelorum peccatum.

Lumen gloriæ.

Per lumen gloria elevatur intellectus beatorum ad visionem Dei. p.65.n.37.b.
Posset sic elevari per specialem Dei concursum. ibid.
Ad quid requiratur lumen gloria. ibid.n.38.
Lumen gloria non efficit se solo visionem, sed eam coefficit intellectus. p.66.n.39.a.
Lumen gloria non est species impressa. ibid.n.41.
Illa species foret superflua. ibid.n.42.b.
Non tamen impossibilis. ibid.n.43.
Consistit probabiliter lumen gloria in habitu supernaturali à specie impressa distincto. p. 67. num. 46.b.
Loca Scoti *circa hoc conciliantur.* ibid.
Cur non sufficiat concursus objecti quà talis. p.68. n.46.a.
Probabile tamen est in eo consistere lumen gloria. ibid.n.47.
Quid de hoc sentiat Scotus. ibid.
Cur potiùs ad actum fidei quàm visionem habitus requiratur. ibid.
Quomodo hic concursus compleat potentiam. ib.b.
Quid Ecclesia vocet lumen gloria. ibid.n.48.

Luna.

Quo sensu sol & luna dicantur luminaria magna. p.316.n.44.a.
Vide Astra.

Lux.

Cur lux increata non opprimat intellectum creatum. p.62.n.22.a.
Quid lux primigenia & quod ejus officium. p.308. num.18. b.

M.

Macedonius.

M*Acedonii heresis de mysterio SS. Trinitatis* p.172.n.3.b.

Machiavellus.

Machiavellus Atheismo facem prabuit. p.23.n. 20. a.

Maleficium.

Maleficii varia signa. p.287.n.67.b.
Circa qua cautè procedendum. ibid.

Malum culpæ.

Vide Peccatum.

Malum pœnæ.

Malum pœna est volitum à Deo. p.115.n.25.a.
Solùm tamen per accidens ratione boni adjuncti. ibidem.

Manichei.

Statuerunt duo rerum principia, unum bonum, alterum malum. p.31.n.54.b.& 232.n.2.a.

Mare.

Mare est depressius terrâ. 312.n.29.b.
Habetq; idem cum ea centrum. ibid.
Salsugo est ipsi à Deo indita. ibid. n.30.
Cur mare ingressu omnium fluminum non redundet. ibid. n.31.
An omnes aqua cum mari sive visibiliter, sive invisibiliter per occultos terra meatus continuentur. ibid. n.27.a.

Maria Virgo.

Maria Virgo superat omnes Angelorum Choros in gloria. p.255.n.38.a.
Habuit Angelum custodem. p.280.n.46.b.

Martyres.

Cur nemo Martyrum actionem vibratam gladii evaserit. p.286.n.64.a.

Materia.

Materia est mundo coava. p.307.n.13.a.
Non fuit informis creata. ibid.
Fuit producta per veram creationem. pag. 240. n.28. a.
Error Aristotelis ponentis materiam primam ens à se. p.29.n.48.b.

Memoria.

Memoria sumpta pro facultate recordandi non reperitur in Deo. p.88.n.9.a.
Sumpta tamen pro intellectu fecundo sic in Deo datur. ibid.

Meritum.

Meritum congruum prima gratia non datur. p. 143. n.50.b.
Merita alicujus vita pracedentis an posuerit Origenes. p.141.n.42.a.

Michaël.

S.Michaël est supremus inter Seraphinos. pag.254. num.37.b.
Quo sensu in Canonica Juda *vocetur Archangelus.* ibid.

Ministerium.

Ministeria Angelorum, vide Angelorum Ministeria.
Ministerium dæmonum, vide Dæmonum Tentatio.

Miraculum.

Miracula vera à dæmone patrari nequeunt. pag. 284. n.59.a.
Bene tamen quædam mira hominum vires excedentia. ibid.b.
Differentia inter miracula divina & diabolica. ibid.

Missio.

Missio in divinis denotat processionem temporalem. p.225. n.32.a.
Convenit personis divinis. ibid.
Involvit respectum ad mittentem, terminum missionis ac personam missam. ibid.
Terminus missionis necessariò est quid creatum. ib. num.33. b.
Missio est simpliciter temporanea. ibid.n.34.
Inchoativè tamen seu incompletè æterna. pag.226. num.34. a.
Requirit novum essendi modum personæ missa in creatura. ibid.n.35.
Ad illam requiritur processio personæ missæ. ibid. num.36.
Idq; ab ipsa persona mittente. ibid.n.37.b.
Filio mitti est cognosci quòd sit à Patre seu mittente. p.227.n.38.a.
Filius mittitur à Spiritu sancto secundùm humanitatem. ibid.
Dare, nisi strictè sumatur, patet latiùs, quàm mittere. p.227.n.40.a.
Multiplex divisio missionis. ibid.n.41.b.
Missio invisibilis quid. ibid.
Fit secundùm donum gratiæ sanctificantis. ibid.
Missio visibilis. p.228.n.45.a.
Est signum invisibilis. ibid.
Non requirit novam semper infusionem gratiæ sanctificantis. ibid.
Missio visibilis alia est ad subsistendum alia ad repræsentandum. ibid.n.46.b.
Apparuit Spiritus sanctus in specie non in veritate columbæ aut ignis. ibid.
Missio Angelorum, vide Angelorum missio.

Modus intrinsecus.

Modi intrinseci non habent existentiam distinctam ab existentia modificati. p.28.n.43.a.
Quid modus intrinsecus. p.32.n.3.b.
Aliqualiter spectat ad rei essentiam, aliqualiter est extra illam. ibid.

Modus loquendi in mysterio SS. Trinitatis.

Habenda est in hoc mysterio cura sanorum verborum. p.228.n.47.b.
Salvanda in iis natura unitas, personarum Trinitas. p.229.n.47.a.
Pater & Filius non sunt unus, sed unum. ibidem num.48.
Renuenda vocabula uniti & conjuncti. ibid.
Persona rectè dicuntur ab invicem discreta & secreta. pag.229.n.49.a.
Sunt item aliæ, non aliud, nisi cum addito, supposi- tum. ibid.
Non sunt dispares, divisa, dissimiles, aliena, discrepantes, separantes. ibid.b.
Non diversa aut differentes, nisi cum addito. ibid.
Rectè dicitur persona triplex. ibid.n.50.
Item Deus esse Trinitas vel Trinus. ibid.
Non autem triplex aut triplicatus, vel multiplex. p.229.n.51.b.
Nec Trinitas esse Trina. p.230.n.51.a.
Immo nec deitas Trina, nisi subintelligatur in personis. ibid.
Attributa abstractim prædicantur singulariter de personis, v.g. tres personæ dicuntur sapientia. pag. 230. n.52.a.
Similiter concretim, nisi adjectivè sumantur. ibid.
Tres personæ nequeunt dici propriè tres Dii. ibid.
Bene coæterna, uti consermet & consubstantiales. p. 230. n.53.b.
Prædicata absoluta de se invicem dicuntur identicè. ibid.n.54.
Similiter comparata ad prædicata relativa. ibid.
Relativa opposita non prædicantur de invicem. pag. 230. n.55.b.
Immo nec paternitas de spiratione activa. ibid.
An de generatione activa. p.231.n.55.a.

Mons.

Montes non sunt post diluvium facti. pag.312. num.28.a
Unde sint facti. ibid.

Motivum.

Motivum fidei ac Theologiæ est idem. p.10.n.16.b
Vide Objectum, Theologia.

Moyses.

Moyses in hac vita non vidit Deum. pag.64. nu. 31. a.
Scripsit Genesin. p.302.n.1.b.
Idq; credibiliter in deserto. ibid.

Mundus.

Mundus non est ab æterno. p.303.n.2.a.
Extitit paucis annorum millibus. ibid.n.4.b.
Præcisus annorum computus est incertus. ib.n.5.
An mundus potuerit esse ab æterno. pag.304.num. 6. a.
Potuit quoad res permanentes. ibid.
An etiam quoad successivas. ibid.n.7.b.
Mundus cœpit tempore verno. p.305.n.8.a.
In quo poterant esse fructus necessarii. ibid.n.9.
Mundus sex diebus successivè fuit conditus. p.305. num.10.b.
Id convincitur ex Scriptura. p.306.n.11.a
Argumentis in contrarium occurritur. ib.n.12.b.
Explicatur S. Augustinus. p.306.n.10.a.
Primus dies fuit Dominicus. p.309.n.19.a.
Sumpsit probabiliter juxta plures Patres initium à luce, non autem nocte aut vesperâ. ibid.n.20.
Probabilius tamen cœpit à nocte. p.309.n.22.b.

Mutatio.

Quid mutatio generatim. pag.47.n.1.a.

N.

Nativitas Christi.

Nativitas Christi in quem annum à creatione mundi inciderit. pag.303.n.5.b.

Natura.

Natura prædestinati non est effectus prædestinationis. p.138.n.34.b.
Bene quædam bona naturalia. ibid.
Non tamen omnia. ibid.

Necessitas.

Necessitas alia est absoluta, alia ex hypothesi. p.93. num.33. b.
Quanam officiat libertati. ibid.
Quid necessitas in sensu composito. p.94.n.34.a.
Cum illa coincidit necessitas ex hypothesi. ibid.
Nec officit libertati quando fit compositio cum aliquo subsequente aut concomitante exercitium libertatis. ibid.
Necessitas item alia est consequentis, alia consequentia, qua utraque explicatur. ibid.n.35.

Negatio.

Negationes cadunt sub scientiam Dei. pag.91. n. 21. a.
Ac sub objectum divinæ voluntatis. pag. 115. n. 24. a.
Non tamen per se, sed per accidens. ibid.

Nomen.

Nomina communia divinarum personarum. pag. 186. n.55.a.
Quid singula significent. ibid. n.56.& seq.
Nomina transcendentia possunt dici pluraliter de personis divinis, saltem cum addito. pag. 187.n. 60. a.

Notio.

Quid notio in divinis. p.185.n.51.a.
Quid prædicata notionalia, & quomodo ab essentialibus distinguantur. ibid.
Quinque sunt notiones divinæ. ibid.n.52.b.
Non plures ex communi sententia. ibid.n.53.
Quamvis sit mera quæstio de nomine. ibid.
In qua nonnulli numerum notionum augent. pag. 186. n.53.a.

Notitia.

Notitia alia est simplex apprehensio, alia judicativa, alia discursiva. p.79.n.77.a.
Alia item est distincta, alia confusa. p.57.n.2.a.
Notitia distincta intuitiva in quo distinguatur ab abstractiva. ibid.
Intuitiva præsupponit objectum suum. pag.206.n. 70. a.
Notitia clara abstractiva Dei vires naturæ superat. p.59.n.10.a.
An saltem illa possibilis sit. p.57.n.3.a.
Notitia naturalis potest versari circa ens supernaturale. p.257.n.5.a.
Potest etiam exigere existentiam entis supernaturalis. ibid.num.6.
Notitia dupliciter dicitur practica. p.15.n.34.b.
Notitia Theologica multa sunt speculativa. ibid. num.33.
Multa practica. ibid. n.35.
Notitia Dei. vide Scientia Dei.
Notitia Angelorum. vide Angelorum cognitio.

Numerus.

Numerus invenitur in divinis. p.186.n.54.a.
Quo sensu aliqui Patres videantur numerum inde excludere. ibid.

Nutritio.

Nutritio nequit se solâ defectum naturæ impedire. pag.324. n.73.b.
Vide Vita.

O.

Objectum.

Objectum scientiæ quare vocetur subjectum. p. 9. num.12. b.
Quid objectum materiale & formale, quid & quo. ibid.
Objectum primarium Theologiæ est Deus. pag.10. num.13. a.
Qui etiam posset dici objectum totale. ibid.
Formale quod, est Deus sub omni ratione sub qua in Theologia de Deo tractatur. ibid.n.14.
Formale quo, est Deus sub ratione primæ veritatis in revelando. ibid.n.16.b.
Uti & fidei. ibid.
Non tamen proximum. ibid.n.17.
Nec adæquatum. p.11.n.17.a.
Sed equidem proprium. ibid.
Proximum sunt ipsa præmissa, aut saltem connexio medii cum extremis in antecedente. pag.10.n. 17. b.
Objectum primarium divini intellectus ac scientiæ est essentia divina. p.91.n.22.a.
Adæquatum est omne intelligibile sine imperfectione intelligentis. p.89.n.15.b.
Objectum primarium divinæ voluntatis est quoque essentia divina. p.113.n.18.b.
Qua spectent ad objectum ejus secundarium. p.114. n.21.& seqq. ac p.115.n.24.& seqq.
Objectum, etiam aliqualiter distans, potest in intellectu Angelico efficere sui cognitionem. p.260. num.17. a.
Nec inde sequitur vera in objecto infinitas. ibid. num. 18.

Oblivio.

Oblivio non datur in Deo. p.88.n.9.a.

Obsessio.

Obsessionis à dæmone varia signa. p.287.n.66.a.
In hac re cautè procedendum. ibid.
Vide Dæmonum tentatio.

Obstinatio.

Obstinatio alia est positiva, alia negativa. p.301. num.47. b.
Vide Dæmonum obstinatio.

Oculus.

Oculus corporeus nequit naturaliter intueri Deum. pag.57. n.4.b.
Immo nec de absoluta potentia. p.59.n.14.b.
Etsi gratis admitteretur potentia obedientialis cujuslibet ad quodlibet. p.60.n.18.b.
Mens S. Augustini in hac materia. ibid.n.15a.
Si oculus corporeus sit elevabilis ad Dei visionem, de facto sic elevandum quidam putant. pag.60. num.16.a.

Odium.

Odium abominationis in Deo datur. pag. 123, n. 49. b.
An etiam odium inimicitiæ adversus peccatorem. p.124.n.49.a.
Odium aliud est positivum, aliud negativum. pag. 158. n.89.a.
Odio in Deum peccavit diabolus. p.296.n.31.a.

Omissio.

Omissio pura in Deo non datur. p.122.n.44.a.
Potest dari in Angelis. p.267.n.47.b.

Omnipotentia.

Potentia Dei operativa est omnipotentia. p. 167. num.10.b.
An & quomodo conveniant vel differant omnipotentia & potentia infinita. p.168.n.10.a.
Divina omnipotentia objectum est omne factibile. ibid. num.11.
Omnipotentia Dei non dependet essentialiter ab objecto possibili. p.168.n.12.b.
Extendit se ad plura, quàm ad ea quæ fecit. p.169. num.13. a.
Non ad impossibilia. ibid.n.14.b.
Adeòque non ad imperfectiones repugnantes naturæ divinæ. ibid.
Bene ad meliora, quàm fecerit. p.170.n.15.a.
Non tamen potest ea, quæ fecit, facere essentialiter meliora ibid.

Ordo.

Ordo Angelorum, *vide* Angelorum Ordo.

Origenes

An posuerit merita alicujus vitæ præcedentis. p. 141.n.42.a.

Origo.

Origo in divinis, *vide* Persona, Personalitas.

P.

Paradisus.

Paradisus terrestris erat locus corporalis amœnissimus. p.321.n.60.a.
Plantatus die tertio mundi. ibid.n.61.
Quo loco. p.321.n.62.b.
An adhuc extet. ibid.n.63.

Passio.

Quot sint passiones animæ. p.123.n.47.a.
An ab operatione distinguantur. ibid.b.

Pater, Paternitas.

Patris in divinis divinitas asseritur: pag. 173. num.8. b.
Quo sensu sit major Christo. p.174.n.13.b.
Scriptura non tribuit Patri divinitatem cum exclusione aliarum personarum. ibid.n.12.a.
Quo sensu Pater hypostasi gignat. p.196.n.32.b.
Ad paternitatem essentia divina ex se determinatur. p.197.n.35.a.
Per hanc velut conditionem essentia determinatur ad generandum. ibid.
Paternitas differenter se habet ad generandum & spirandum. ibid.n.36.b.
Pater non intelligit Verbo. p.200.n.45.a.
Vide Verbum.
Prima persona in divinis propriè dicitur Pater. p. 216. n.1.b.
Larga & impropria acceptio nominis Pater. ibid. num.2.
Quomodo illud ab humanis ad divina sit translatum. p.217.n.3.a.
Nomen Ingeniti quo sensu sit Patri proprium. ibid. num.4.
Nomen potentiæ seu principii est solùm appropriatum Patri. p.217.n.5.b.

S. Paulus.

S. Paulus Apostolus an viderit Deum in hac vita. p.64. n.33.b.
Apparuit illi Christus in propria persona. p. 278. num. 38,a.

Peccatum.

Deus est causa entitatis physica peccati, non malitiæ. p.238.n.21.a. & p.132.n.15.b.
Malitiam solùm permittit, justis de causis. p.238. n.22.a. & p.133.n.15.a.
Non abstat divina determinatio quoad individuum. p.238.n.23.b.
Cur Deo potiùs adscribatur bonitas actûs. ibidem num.24.
Calvinus docuit Deum peccata non solùm permittere, sed etiam fieri velle. p.115.n.26.a.
Scriptura pro ipso objecta solvuntur. p.117.n.32.b.
Peccatum non est bonum. p.120.n.40.b.
Potest tamen esse occasio per accidens boni. ibid.
Non potest esse effectus prædestinationis. pag. 139. num.37.b.
Licèt cooperetur electis in bonum. ibid.
Peccatum originale quomodo probetur ex miseriis naturæ corruptæ. p.324.n.71.a.
Deo non foret adscribenda culpa hominis inclinati à concupiscentia quantumvis primordiali. ibid.
An sit dabilis creatura intellectualis ex natura sua impeccabilis. p.293.n.24.b.
Peccatum veniale, etiam ex subreptione in statu innocentiæ dari potuisset, p.332.n.93.& 94.a.

Peccatum Angelorum, vide Angelorum peccatum.
Peccatum Protoplastorum, vide Protoplasti, Adam.

Pelagiani

In meritis operum natura fundabant omnia dona supernaturalia. p.141.n.44.b.

Perfectio.

Perfectio est multiplex. p.41.n.1.a.
Quid perfectio simpliciter & secundùm quid. ibid. num.2.b.
Perfectiones omnium rerum sunt in Deo. ibid.n.3.
Quas perfectiones Deus contineat eminenter, & quas formaliter. p.42.n.4.a
Mira Dei perfectio. p.47.n.24.a.
Perfectiones simpliciter sunt invicem compossibiles. p.184.n.48.b.
Vide Bonum.

Permissio peccati.

Permissio peccati potest esse effectus prædestinationis. p.140.n.38.a.
An permissio peccati præsupponatur efficaci electioni ad gloriam. p.155.n.81.a.
Non est effectus reprobationis positivæ. pag.160. n. 95. b.
Potest an reprobis esse effectus prædestinationis electorum. ibid.
Quæ sint causa permissionis peccati. p.161.n.97.a.
Non datur ex parte reprobi causa permissionis primi peccati. ibid.n.98.b.

Persona, Personalitas.

Quid significet vox persona. p.186.n.56.b.
Personæ divinæ non distinguuntur se totis. p.176. num.21. b.
Constituuntur per proprietates personales. ibid.
Non tantùm secundùm rationem, sed à parte rei. p.177.n.22.a.
Tamen citra veram compositionem. ibid.
Singularum personarum divinarum divinitas probatur. p.173.n.8.& 9.Et p.174.n.10.a.
Tres personæ sunt unus Deus. p.174.n.11.a.
Persona divina constituuntur in esse personali per relationes. p.177.n.23.a.
Cur hæ relationes non præsupponant sua extrema. ibid. n.24.b.
Relationes divinæ constituunt personas divinas in esse personarum sub præcisò conceptu relationum considerata. p.178.n.25.a.
Etsi interdum concipiantur inadæquatò conceptu formæ hypostatica ut sic. ibid.n.26.
An constituant in quantùm sunt origines, an in quantùm habitudines. ibid.n.27.b.
Persona divinæ primò distinguuntur proprietatibus relativis. p.179.n.28.a.
Pater & Filius non constituuntur primò per spirationem activam. ibid.n.29.a.
Personarum divinarum identitas, æqualitas & similitudo. p.181.n.36.a.
Cum æqualitate consistit earum prioritas originis. ibid.n.37.a.
An personæ divinæ sint æquales secundùm personalitates. p.182.n.38.a.
Divinarum personarum Circuminsessio. ibid.n.39.
Ejus fundamentum. ibid.
Non est solùm mutua præsentia ratione immensitatis. p.182.n.40.b.
Personalitates divinæ important formaliter aliquam perfectionem. p.184.n.45.a.
Non solùm unam, sed plures. ibid.n.46.
Non sunt formaliter finita aut secundùm quid. ib. num.47.
Neque etiam perfectiones simpliciter & infinita. ib. num.48.
Quâ ratione inter finitum & infinitum detur medium. p.185.n.50.a.
Singula perfectiones infinita debent esse in qualibet persona. ibid. b.
Personalitates tamen formaliter esse infinitas problematicè sustinetur. p.185.n.49.a.
Quomodo persona divina etiam producta, sint à se & primum principium. p.189.n.3.a.
Persona divina ab invicem sunt alia, non aliud. p. 229. n.49.a.
Vide Modus loquendi.

Pharao.

Pharaonis cor quomodo à Deo sit induratum. pag. 119.num.38. b.

Piscis.

Pisces intelliguntur per reptilia Gen.1. p.316. n. 45. b.
Prodigiosa piscium magnitudo. p.317.n.47.a.
Quâ non singulos aut gemellos, sed millenos simul generant. ibid.

Planta.

Planta quâ ratione fuerint in principio à terra generata. p.313.n.32.a.
Eaq; perfecta. ibid.n.33.
Etiam venenata. ibid.n.34.

Pœna.

Pœna animarum ante & post judicium, an sint ejusdem rationis. p 299.n.38.a.
Malum pœna spectat ad objectum secundarium divina voluntatis. p.115.n.25.a.
Pœna Dæmonum, vide Dæmonum pœnæ.

Pœnitentia.

Pœnitentia an possit præstitiri. p.140.n.40.b.
Pœnitentiam post peccatum egerunt primi parentes. p.337.n.111.b. & p.338.n.112.b.
Pœnitentia Angelorum, vide Angelorum peccatum.

Polytheismus.

Radix Polytheismi. p.31.n.55.b.

Possibile.

Possibile aliud est logicum, aliud physicum. pag.168. num.11. a.
Unde oriatur possibilitas physica. ibid.b.
Præsupponit logicam. ibid.

Posteri Adæ.

Vide Innocentiæ Status.

Potentia Dei.

Datur in Deo potentia operativa ad extr. pag. 165. num. 1. b.
Aliter quàm in creatura. ibid.
Non est perfectior cum, quàm sine actu. pag. 166. num. 2. a.
Non ordinatur ad opus tamquam ad suum finem. ibid. num. 3.
Consistit formaliter in ipsa voluntate Dei. ibid. num. 4.
Spectatâ in actu secundo. ibid. b.
Et inadæquatè conceptâ. p. 167. n. 8. b.
Nec propterea debet ab æterno producere effectum. ibid. num. 5.
Nequit statui in intellectu divino. p. 167. n. 6. a.
Neque in intellectu & voluntate simul. ibid.
Nec in speciali attributo. ibid.
Vel essentia divina. ibid.
Potentia Dei alia est ordinaria, alia absoluta. p. 169. num. 12. a.
Est Omnipotentia. p. 167. n. 10. b.
Vide Omnipotentia.

Potentia notionalis.

Potentia notionalis coincidit cum principio quo in divinis. p. 194. n. 25. b.
Datur in Deo. ibid. n. 26.
Ejus terminus est necessarius. p. 195. n. 27.
Identificatur cum suo actu. ibid.
Potentia notionalis divinarum processionum est ipsa essentia divina. ibid. n. 28.
Secundùm quam personæ productæ assimilantur producenti. ibid. n. 29. b.
Essentia cum intellectu est adæquatum principium quo generationis, cum voluntate verò spirationis. p. 198. n. 37. a.

Præadamitæ.

Præadamitæ unde sic dicti, ac eorum hæresis. p. 303. num. 3. a.

Prædefinitio

Quomodo stet cum libertate creaturæ. p. 132. n. 14.
An pœnitentia & permissio peccati possint præfiniri. p. 140. n. 40. b.
Deus peccata non prædefinit. p. 132. n. 13. b.
Secùs est de opere bono. ibid. n. 14.
Non est tamen ejusmodi prædefinitio ad infallibilitatem divinæ providentiæ necessaria. ibid.
Etsi consonum sit auctoritatibus illam admittere. ibidem.

Prædestinatio.

Quid prædestinatio generaliter. p. 136. n. 28. b.
Quid prout sumitur communiter. ibid. n. 29.
Non est formaliter præscientia. p. 137. n. 29. a.
Quomodo se habeat ad præscientiam. ibid.
Quibus nominibus soleat prædestinatio exprimi. p. 137. n. 30. b.

Prædestinationis effectus.

Effectus prædestinationis sunt tam gratia quàm gloria. pag. 138. n. 32. a.
Quid requiratur ad effectum prædestinationis. pag. 137. n. 31. b.
Tres effectus generales prædestinationis. ibid.
Qui pertineant ad vocationem. ibid. n. 3.
Qui ad justificationem. pag. 139. n. 34. a.
Qui ad glorificationem. ibid.
Gratia peccato amissa est effectus prædestinationis. pag. 139. n. 35. a.
Idem est de meritis mortificatis. ibid.
Et auxilio inefficaci. ibid.
Non tamen de omni. ibid.
Aliqua etiam mala naturalia sunt effectus prædestinationis. ibid. n. 36.
Non mala culpæ. ibid. n. 37. b.
Permissio peccati potest esse effectus prædestinationis. p. 140. n. 38. a.
Pro permissione tamen proprii peccati orare non licet. ibid.
An propterea pœnitentia deberet præfiniri. p. 140. num. 39. a.
An possit pœnitentia absolutè præfiniri. ibid. numero 40. b.
Quomodo posset permissio peccati præfiniri. ibidem.

Prædestinationis causa.

Prædestinationis causa non sunt merita alicujus vitæ præcedentis. p. 141. n. 42. a.
Nec merita operum naturæ. ibid. n. 44. b.
Nec in parvulis morientibus merita conditionatè futura. p. 143. n. 47. a.
Prædestinationis nostræ exemplar est prædestinatio Christi. p. 143. n. 48. b.
Causa prædestinationis non est prævisus bonus usus gratiæ. p. 144. n. 52. b.
Nulla est causa prædestinationis ex parte prædestinati. ibid. n. 53.
Vide Electio.

Prædeterminatio.

Prædeterminatio physica non satis salvat libertatem. p. 132. n. 12. a.

Præmissa.

Præmissæ discursus Theologici possunt esse mediatè revelatæ. p. 11. n. 19. b.
Ad eumdem potest coassumi præmissa evidens. ibid. num. 20.
Cur potiùs conclusio sequatur debiliorem præmissam, quàm effectus physicus debiliorem causam. p. 17. n. 41. b.

Præscientia.

Præscientia variè sumitur in Scriptura. pag. 149. num. 67. b.
Deus habet infallibilem præscientiam futurorum contingentium. p. 92. n. 29. b.
Errores & hæresis circa Dei præscientiam. ibid. num. 28.

Praescientia futurorum contingentium est Deo propria. p. 93. n. 31. a.
Non tollit effectûs libertatem. ibid. n. 32. b.
Nec diligentiam ad illum. ibid.
Sed effectus liberos praesupponit. p. 94. n. 33. a.
Non est causa futurorum. ibid. n. 36. b.
Deus non praescit futura eò quòd sint semper praesentia aeternitati. p. 95. n. 38. a.
Nec praescit illa in Ideis. p. 96. n. 41. a.
Nec in efficacia sua praescientiae. ibid. n. 42.
Neque in dispositione causae proxima. ibid. n. 43.
Sed in sua essentia tamquam objecto motivo & cognito. ibid. n. 44.
Quomodo ea videat in determinatione suae voluntatis. ibid. n. 45. b.
Vide Decretum.
Quomodo illa Dei praescientia sit intuitiva. pag. 95. n. 40. b.
Deus praescit futura conditionata. p. 97. n. 50. b.
Idq; infallibiliter & in singularibus eventibus. p. 98. n. 51. a.
Scriptura non tribuit Deo conjecturalem de iis notitiam. ibid. n. 52.
Auctoritates Patrum in speciem oppositae explicantur. p. 98. n. 55. b.
Vide Scientia media.
Quid & quomodo praescire possint Angeli. Vide Angelorum intellectus.

Praesentia.

Praesentia localis est quid distinctum à re praesente. pag. 271. n. 11. a.
Probabile est eam esse quid absolutum, dicens respectum transcendentalem ad locum. ibid. numero 13. b.
Probabile etiam est esse quid relativum. ibid.

Principium.

Quid principium Theologiae. p. 11. n. 18. a.
Principia propria Theologiae sunt propositiones revelatae. ibid.
Principia Theologiae esse possunt propositiones mediatè revelata. ibid. n. 19. b.
Habitus principiorum Theologiae est fides infusa. p. 12. n. 23. a.
Error circa principium non semper destruit scientiam. ibid. n. 24. b.
Principia Theologiae nostrae nequeunt evidenter resolvi in scientiam Dei. p 14. n. 29. a.
Quid principium productivum quod. pag. 194. numero 25. b.
Quid principium quo. ibid.
Non debet realiter distingui à suo principiato. pag. 196. n. 30. a.
Quare in creatis sic distinguatur. ibid.

Priscillianistae.

Priscillianistarum haeresis de mysterio SS. Trinitatis. pag. 172. n. 1. a.

Processio.

Vera & realis processio in divinis datur. pag. 188. num. 1. b.
Ratione declaratur. ibid. n. 2.
Quomodo cum illa stet quòd persona procedentes sint à se & primum principium. p. 189. n. 3. a.
Duae sunt processiones divinae. ibid. n. 4. b.
Non plures. ibid. n. 5.
Immo plures non sunt possibiles. ibid. n. 6.
Sola processio Filii est generatio. pag. 190. numero 7. a.
Cur potiùs quàm processio Spiritus sancti. ibid. num. 8. b.
Non ideo processio Filii est generatio, quia ipse accipit naturam fecundam. pag. 191. numero 10. b.
Processiones divinae sunt de aliquo. pag. 192. n. 11. a.
Per hoc denotatur origo & consubstantialitas personarum. p. 192. n. 12. a.
Quid praeterea denotetur. ibid. n. 14. b.
Processiones divinae respiciunt personas productas tamquam terminum totalem. ibid. n. 15.
Essentiam verò tamquam terminum formalem. ibidem.
Divinae processioni sunt univoca. p. 193. n. 16. a.
Sunt actiones immanentes. ibid. n. 19. b.
Non tamen in toto rigore. ibid.
Sunt per intellectum & voluntatem. p. 194. n. 22. a.
Processionis activae insunt principio. p. 193. n. 20. b.
Processionibus non praesupponetur cognitio vel amor creaturarum actualium. p. 203. n. 61. b.
Quomodo equidem cognitio praesupposita generationi Verbi sit infinitè perfecta. p. 204. n. 62. a.
Quomodo insuper cum hoc consistat, essentialia esse priora notionalibus. ibid.
An scientia generationi praevia sit comprehensiva. ibidem.
Processionibus non praesupponitur scientia conditionalium. ibid. n. 63. b.
Nec creaturarum possibilium. ibid. n. 64.
Praesupponitur cognitio essentiae divinae. pag. 204. num. 65. b.
An etiam trium personarum. pag. 205. n. 66. a.
Mens Scoti discutitur. ibid.
Generationi activae praesupponitur notitia solius essentiae. pag. 205. n. 68. b.
Generationi passivae Verbi notitia insuper Patris. ibid. n. 69.
Processioni Spiritus sancti praesupponitur notitia Patris & Filii. ibid.
Essentia divina non est principium quod divinarum processionum. p. 206. n. 71. a.
Licèt realiter identicè sit id quod generat scilicet Pater. ibid.
Vide Generatio, Spiratio.
Processionis Spiritus sancti principium quod sunt Pater & Filius. p. 207. n. 75. a.
Vide Spiritus sanctus.
Processiones sunt voluntaria concomitanter seu consequenter. p. 214. n. 100. b.
An etiam antecedenter. ibid. n. 101.
Sola processio Spiritus sancti est voluntaria principiativè. p. 215. n. 101. a.
Processiones divinae sunt necessariae. ibid. n. 103. b.
Processio Spiritus sancti rectè sensu dicitur libera. ibid. num. 104.

Propo-

Propositio.

Propositiones divinitus revelata sunt principia propria Theologiæ. pag. 11. n. 18 a.
Etiam mediatè revelata. ibid. n. 19. b.
Propositiones contradictoriæ possunt in instanti rationis simul à veritate præscindere. pag. 97. n. 49. a. *Vide* Conditionales.

Protoplasti.

Primi Parentes ante lapsum fuerunt præditi gratiâ sanctificante. pag. 326. n. 77. a.
Immo in ea creati. ibid.
Similiter in fide & spe infusa. ibid.
Item in Justitia originali. ibid. n. 78. b.
Caruisset homo innocens ignorantiâ prava dispositionis. pag. 327. n 80. a.
Eo non obstante Heva seducta fuit. ibid. b.
An intellectus primorum Parentum dependerit à phantasmate. ibid. n. 81.
Voluntas eorumdem prædita fuit virtutibus naturalibus per accidens infusis. pag. 328. numero 82. a.
Creati sunt peccabiles. pag. 331. n. 92. b.
Idq; diversis generibus peccatorum, etiam venialium. ibid. n. 93.
Et hæc ex levitate materiæ. pag. 332. n. 93. a.
Immo probabiliter etiam ex imperfecta consideratione. ibid. n. 94.
Quolibet peccato mortali amisissent gratiam sanctificantem. ibid. n 95.
An ex toto Justitiam originalem. ibid. b.
Quo sensu post transgressionem dicantur fuisse aperti oculi eorum. p. 336. n. 106. a.
Egerunt pœnitentiam & demum sunt salvati. p. 337. n. 111. b. & 338. n. 112. b.
Vide Adam, Heva, Innocentiæ status.

Providentia.

Providentia Dei quid sit. p. 128. n. 1. b.
Importat principaliter actum voluntatis. ibid. numero 2.
Judicium ei prævium in quo consistat. pag. 129. num. 3. a.
An ultra illud detur adhuc aliud judicium practicum vel imperium. ibid.
Datur in Deo providentia omnium rerum. p. 129. num. 4. b.
In quo immediatè fundetur. p. 130. n. 6. a.
Et qualiter sit causa rerum. p. 131. n. 10. b.
Est solùm condeterminativa. ibid. n. 11.
Non prædeterminativa. p. 132. n. 12. a.
Est immediata respectu omnium rerum. pag. 133. num. 16. a.
Alia est supernaturalis, alia naturalis. ibid. num. 17. b.
Supernaturalis iterum alia est generalis, alia particularis. ibid.
Providentia Dei non tollit fortunam & casum. pag. 130. n. 8. b.
Cur stante illâ impii prosperentur & justi opprimantur. ibid. n. 9.
Providentia Dei generalis salutis omnium. Vide Voluntas Dei salvandi omnes.

Prudentia.

Prudentia quanam in Deo inveniatur. pag. 106. numero 84. b.

R.

Raphael.

S. Raphael de quo Ordine Angelorum sit, est incertum. p. 254. n. 37. b.
An fuerit Angelus Custos Tobiæ. ibid.

Reflecti.

Reflecti potest idem actus suprà se. pag. 80. numero 80. a.
Quomodo possit tunc idem esse objectum sui ipsius. ibid. n. 81.

Relatio.

Relationem realem an Nominales rectè admittant in Deo. p. 48. n. 7. b.
Relationes constitutiva personarum divinarum cur non præsupponant extrema. p. 177. n. 24. b.
Datur in Deo quarta relatio realis originis. pag. 179. n. 30. b.
Patres agnoscunt inter personas divinas relationes mutuas. p. 180. n. 31. a.
Ex quarta relatione non sequitur quaternitas in divinis. ibid. n. 33. b.
Non distinguitur illa realiter à Paternitate & filiatione. ibid. n. 34.
Sed solùm formaliter. p. 181. n. 35. a.
Relationes communes similitudinis, &c. *an sint in divinis reales.* p. 183. n. 42. a.
Distinguuntur realiter à sibi oppositis in altero extremo. ibid. n. 44. b.
Relatio non est potentia notionalis in divinis quomodocumque explicetur. p. 196. n. 31. b.

Repræsentare.

Quid requiratur ut una res absoluta aliam repræsentet. p. 75. n. 66. b.
Quæ sit ratio formalis in Deo repræsentandi creaturas. ibid. n. 67.
Vide Essentia divina.

Reprobatio.

Quid reprobatio generaliter. pag. 156. n. 84. a.
Quid prout communiter sumitur. ibid.
Quæ ad eam ut sic concurrant. ibid. b.
Ejus causa est peccatum prævisum. ibid. n. 85.
Quodnam peccatum sit universalis causa reprobationis positivæ. pag. 159. n. 92. a.
Effectus reprobationis positivæ est damnatio. pag. 160. n. 94. a.
Eaq; regulariter sola. ibid. n. 95.
Extraordinariè effectus esse possit ipsa mors. pag. 162. num. 109. a.
Non permissio peccati. p. 160. n. 95. b.

An reprobationis negativa detur causa ex parte reprobi. pag.161.n.99.b.

Reptile.

Quid intelligatur per reptilia Gen. 1. pag. 316. num. 45. b.

Resolutio.

Resolutio fit in condistincta. pag.40. n.32. b.

S.

Sabbatum.

DEus *sanctificavit Sabbatum illud suo cultui consecrando.* p.319. n.55. a.
Idq; die septimo creationis mundi. ibid.
Non tamen ab initio cultum Sabbati praecepto sancivit. ibid. b.
Etsi ante legem latam Exodi 20. *cultus Sabbati coeperit.* ibid.
Fortè apud Nonnullos ab initio mundi citra praeceptum. pag.308.n.16. a.

Sabellius.

Sabellii haeresis de mysterio SS. Trinitatis. pag. 172. n. 1. a.

Saducaei.

Saducaei Deum corporeum finxerunt. pag.57. numero 5. b.

Sapientia.

Nomen Sapientiae est Filio in divinis appropriatum. pag.220.n.17. b.
Sed Sapientia genita est ei proprium. ibid.
Quo sensu Filius dicatur Sapientia Patris. p.200. num. 49. b.

Scientia.

Scientia tota non perit ex errore circa unum principium. pag. 12. n.24. b.
Immo aliquando nec partialis. ibid.
Quomodo destruatur destructo habitu principiorum. ibidem.
Ad scientiam strictè non sufficit evidentia consequentiae. pag.14. n.29. a.
Quid ad eam requiratur. ibid.
Ad scientiam non sufficit evidentia attestationis. ibid. n.30. b.
Quid requiratur ut una scientia alteri subalternetur. pag.15.n.32.a.
Scientia practica debet esse talis circa praecisum suum objectum. p. 16. n.36. a.
Ejus objectum an debeat esse operabile. ibid.
Talis est simpliciter Theologia nostra. pag. 15. num. 35. b.

Scientia Dei.

Datur scientia in Deo. p. 86. n.12. b.
Est perfectio simpliciter. ibid.
Est infinita perfectionis. pag 87. n.3. a.
Complectitur perfectionem omnis scientiae creatae & creabilis. pag.87.n.4. a.
Excludit omnem imperfectionem. ibid. n.5.
Est infallibilis, virtualiter judicativa. ibid. b.
Et supra se reflexa. ibid.
An sit virtualiter discursiva. ibid.
Potest dici dupliciter practica. ibid. n.6.
Distinguitur formaliter ab essentia. pag. 88. numero 12. b.
Objectum scientiae Dei. pag. 89. n.15. b.
Coincidit infinita Dei scientia cum omniscientia. ibid.
In quo different. pag.168. n.10. a.
Sub eam cadunt tum Deus tum qualibet creatura etiam minutissima. p.90.n.16. a.
Scientia Dei alia est simplicis intelligentiae alia visionis. p.90. n.20. b.
Cadunt sub Dei scientiam etiam non entia. p.91. num. 21. a.
Quomodo negationes. ibid.
Quomodo entia rationis, & an Deus illa faciat. ibidem.
Objectum primarium scientiae divinae. pag. 91. num. 22. a.
An & quomodo Deus cognoscat creaturas immediatè in seipsis. p.91.n.23. & 25. b.
In quo consistat ratio scientiae Dei liberae. pag.112. num. 17. b.
Ejus independentia ab objectis creatis. ibid.
Scientia Dei quatenus terminatur ad possibilia est attributum. pag.32.n.1. a.
Secùs quatenus terminatur ad creaturas actuales. ibid.

Scientia media.

Sententia affirmans illam dari non est improbabilis. p. 99. n. 58. b.
Quare vocetur media. p.100. n.59.a.
Probabilius est illam in Deo non dari. ibid.n.60.
Non videtur fuisse à Patribus & antiquis Theologis cognita, aut saltem ad negotium praedestinationis adhibita. ibid. & n. 61.
Scientia media non requiritur ex parte libertatis creatae. pag.101. n. 66. a.
Nec ex parte providentiae divinae. ibid. b.
Quomodo hac non exponatur periculo fallendi. ibid. numero 67.
Neque peccandi. ibid. n.68.
Neque etiam aliqua conditionata ignorandi. pag. 102. n.69. a.

Semipelagiani.

Semipelagiani initium salutis statuerunt in viribus naturae. p.141.n.44. b.
Ab illorum errore vindicatur Chrysostomus. pag. 142. n. 44. a.
Admiserunt solùm meritum congruum prima gratiae. p.143.n.50. b.

Sensus.

An sensus externi utantur speciebus. pag. 260. num. 16. 2.
Poena sensus damnatorum, vide Daemonum poenae.

Serpens.

Serpens sub cujus tegumento Daemon tentavit Hevam,

vam, non fuit fictus, sed verus. pag. 333. numero 97. a.
Fuit verosimiliter coluber. ibid. n. 98.
Non draco. ibid. b.
Quomodo & quâ linguâ per eum fuerit dæmon locutus. ibid. n. 99.
Maledictiones contra serpentem de eodem ad litteram, de diabolo allegoricè intelliguntur. p. 336. num. 109. b.
Applicantur illa serpenti. p. 337. n. 109. a.
Applicantur quoque diabolo. ibid. n. 110.
Serpentes ante maledictionem non ambulabant erectis pedibus. ibid. n. 109.
Nec habuerunt excellentiorem se movendi statum. ibidem.
Eos in pœnam abominatur homo super omnia animalia. ibid.

Similitudo.

Nomen similitudinis olim suspectum ob Arianos. pag. 182. n. 38. a.
Similitudo divinarum personarum. p. 81. n. 36. a.
Vide Persona, Relatio.

Simon Magus.

Simon Magus deliravit mundum esse factum ab Angelis. p. 232. n. 4. a.

Simplicitas.

Quid simplicitas perfecta. p. 45. n. 15. a.
Non coincidit cum unitate. ibid.
Competit Deo. ibid. n. 16.
Eiq; soli. p. 46. n. 23. b.
Etiam Metaphysica. ibid. n. 20. a.
Quid si hæc sit solùm rationis. ibid. n. 22. b.
Perfecta simplicitas non tollitur per formalitates Scoticas. p. 39. n. 24. a.

Simultas.

Simultas natura quoad esse & cognosci stat cum prioritate originis. p. 205. n. 70. b.

Sol.

Insinuant varii Patres solem esse natura ignea. p. 314. num. 38. b.
Vide Astra.

Solertia.

Solertia in Deo non datur. p. 106. n. 84. b.

Somnus

In statu innocentia corpus indiguisset somno. pag. 325. n. 76. b.
Unde somnus ille fuisset causatus. ibid.
Vide Innocentiæ status.

Spatium.

An Deus sit dicendus esse in spatiis imaginariis. p. 55. n. 36. b.
Explicatur existentia Dei extra mundum. ibid. num. 37.

Species impressa.

Species impressa divina essentia non est impossibilis. pag. 66. n. 43. b.
Sed non necessaria. ibid. n. 42.
Qualis similitudo requiratur inter speciem & objectum. p. 67. n. 43. a.
Angelus videns illam speciem non videret naturaliter Deum. ibid. n. 44.
Hæc species ob perfectissimam Dei intelligibilitatem non foret essentialiter superflua. ibid. n. 45.
Quæ foret ejus utilitas. ibid.
Quomodo Deus subeat vicem speciei impressæ creaturarum. p. 76. n. 67. a.
Species impressa non datur in intellectu divino. p. 88. n. 8. a.
Nec in intellectu angelico ad intuendum seipsum. pag. 259. num. 14.
Vide Angelorum Species.
Uti nec in anima separata ad intuendum se. ibidem.
Secùs est de animu corpori alligata. ibid.
Est vicaria objecti. ibid.
An sensus externi speciebus indigeant. pag. 260. num. 16. a.
Species impressa universales non dantur. pag. 262. num. 26. b.
Earum possibilitas difficulter improbatur aut positivè probatur. ibid. n. 27.
Potest tamen dari species repræsentans plura subordinata. pag. 263. n. 27. a.

Spes.

Spes non datur in Deo. pag. 124. n. 52. b.

Spirans, Spirator.

Correlativum spiritûs est spirator. pag. 221. numero 20. a.
Vocabulum hoc Augustini tempore non fuit usitatum. ibid.
Pater & Filius sunt unus Spirator. pag. 210. numero 85. b.
Sed duo spirantes. ibid.
Pro quo supponat nomen spirator. p. 211. n. 86. a.
Ratio spiratoris ut sic abstrahit à pluralitate spirantium. ibid. n. 88. b.

Spiratio, Spiritus sanctus.

Tertia persona in divinis propriè Spiritus sanctus dicitur. pag. 220. n. 18. b.
Ejus divinitas ostenditur. p. 174. n. 10. a.
Scriptura contra eam objecta solvuntur. ibid. numero 14. b.
Spiratio activa non constituit primò Patrem & Filium. p. 179. n. 29. a.
An essentia per illam determinetur ad spirandum. pag. 197. num. 36. b.
Pater & Filius diligunt Spiritu sancto. pag. 201. num. 53. b.
Cur potiùs, quàm spirent Spiritu sancto. p. 203. numero 58. a.
Quanam Pater & Filius diligant Spiritu sancto. ibid. n. 59.
An creata. ibid.
Processioni Spiritus sancti præsupponitur notitia Patris & Filii. p. 205. n. 69. b.
Vide Processio.

Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio. pag. 207. num. 75. a.
Processionem Spiritus sancti à Filio negant Græci. ibidem.
Veritas Catholica ostenditur ex Conciliis, etiam antiquis in Græcia celebratis. ibid. n. 76. b.
Ejus vera ratio. p. 208. n. 78. a.
Rationes aliæ rejiciuntur. p. 207. n. 77. b.
Objectiones Græcorum solvuntur. pag. 208. numero 79. a.
Rationabiliter in Symbolo est additum Filioque. ibid.
Additionis antiquitas ostenditur. ibid. b.
Apud Patres Orthodoxos idem est per Filium & ex Filio. p. 209. n. 80. a.
Pater & Filius unum sunt principium Spiritus sancti. p. 209. n. 81. b.
Idq; propriè. p. 210. n. 83. a.
Immo sic sunt propriè unum principium, ut non sint propriè plura. ibid. n. 84. b.
Unica est spiratio activa Spiritus sancti. ibid. numero 82. a.
Processio Spiritus sancti necessario est à duobus principiis. p. 211. n. 87. a.
Non tamen si per impossibile operatio voluntatis esset prior operatione intellectus. ibid.
Aut inter illas nullus esset Ordo. ibid. b.
Simili quodam modo creaturarum processio necessario est à tribus personis. ibid.
Qualiter Spiritus sanctus sit nexus aut donum Patris & Filii. p. 212. n. 88. a.
An esset idem Spiritus sanctus si a duobus non procederet. ibid. n. 89.
Procedit aquè perfectè ac propriè à Patre & Filio. ibid. n 90.
An vis spirandi competat priùs origine Patri, quàm Filio. pag. 212. n. 91. b.
Et an Pater priùs ratione spiret Spiritum sanctum quàm Filius. ibid.
Si Spiritus sanctus non procederet à Filio adhuc distingueretur ab eo realiter. pag. 212 n 93. b.
Explicatur axioma: Omnia in divinis sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. pag. 213. n 95. a.
In hypothesi Quæstionis adhuc obviaret relationis oppositio. ibid. b.
Cur potiùs quàm defacto obviet inter Paternitatem & spirationem activam. ibid. n. 96.
In eadem hypothesi identitas non est perfectior distinctione, utpote impossibilis. pag. 214. numero 98. a.
Auctoritates quædam abusivè referuntur. ibid. numero 99.
Cur Spiritus sanctus non sit propriè imago. p. 220. num. 15. a.
Dicitur propriè donum. pag 222. n. 25. b.
Idq; ab æterno, datus tamen in tempore. pag. 223. num. 28. a.
Competit illi esse donandum ab æterno. ibid.
Quo sensu dicatur Spiritus noster. pag. 223. numero 29. b.
Reliqua nomina illius breviter explicantur. pag. 224. n. 30. a.
Explicantur diversa nomina ei appropriata. ibid. numero 31.
Apparuit in specie, non in veritate columba. pag. 228. num. 46. b.

Subsistentia.

Vox subsistentia quid significet. pag. 186. numero 58. b.
Potest admitti in Deo subsistentia absoluta communis tribus Personis. pag. 187. n. 59. a.

Substantia.

Substantia supernaturalis intellectualis an sit creabilis. pag. 59. n. 11. a.
In Deo possunt dici tres substantiæ cum addito, relativa. p. 187. n. 62. b.
Simpliciter tantùm dicitur una substantia. pag. 188. n. 63. a.

Superbia.

Superbia quo sensu dicatur initium peccati. pag. 334. n. 102. b.
Non fuit primum Adami peccatum. ibid. n. 103.

Supernaturale.

Supernaturale quoad esse potest non esse tale quoad cognosci. p. 257. n. 5. a.
Existentiam entis supernaturalis potest exigere notitia naturalis. ibid. n. 6.

Suppositum.

Quid significet vox, suppositum. pag. 186. num. 56. b.

T.

Tentare.

TENTARE *homines est præcipuum dæmonis ministerium.* pag. 282. n. 52. a.
Tentator semel devictus potest reverti ad tentandum. pag. 283. n. 57. b.
Dæmonis potestas ad tentandum qualiter sit ligata. pag. 284. n. 60. b.
Differentia inter tentationem hominis integri & lapsi. pag. 333. n. 100. b.
Vide Dæmonum tentatio.

Terra.

Terra est altior aquis. pag. 312. n. 29. b.
Habet idem cum illis centrum. ibid.
Terra coæva est aquæ, verosimiliter & aër. pag. 308. n. 16. & 17. a.
Terra subministrando materiam germinavit in principio plantas. p. 313. n. 32. a.

Theologia.

Theologia triplex genus. pag. 7. n. 2. a.
Quæ doctrina sit simpliciter Theologia. ibid. n. 3.
Theologia alia est positiva, alia scholastica. ibid. num. 5. b.
Theologia tradendæ ordo. pag. 8. n. 7. a.

Theologia

Theologia generatim sumpta est Ecclesiæ necessaria. ibid. n.8.b.
Scholastica utilissima. ibid. n.10.
Servit ad intelligendos Patres. p.9.n.11.a.
Cur heretici eam calumnientur. ibid.b.
Theologiæ objectum primarium est Deus. pag.10. num.13.a.
Immo & aliquo sensu totale. ibid.
Theologiæ objectum formale terminativum. p.10. num.14. a.
Formale motivum. ibid.n.16.b.
Est idem cum objecto motivo fidei. ibid.
Theologiæ motivum proximum. ibid.n.17.
Theologiæ principia propria. p.11.n.18.a.
Habitus principiorum Theologiæ. pag. 12. num. 23. a.
Qui sint loci proprii Theologici. pag. 11. num. 21. b.
Qui extranei. p.12.n.22.a.
An Theologia maneat in Theologo lapso in hæresim. p.12.n.23 a.
Theologia distinguitur ab habitu fidei. pag.13.numero 25.a.
Theologia nostra qualiter sit scientia. pag. 13. n. 28. b.
Non est scientia strictè sumpta. pag.14. numero 29.a.
Theologiæ nostræ principia nequeunt evidenter resolvi in scientiam Dei. ibid.
Theologia nostra est habitus adhæsivus. pag.14.n. 31. b.
Non subalternatur scientiæ Dei & beatorum. pag. 15.num.32. a.
Nec scientiis naturalibus. ibid.
Neque eas sibi subalternat. ibid.
Est simpliciter practica. ibid.n.35.b.
Etsi multa notitia Theologica sint speculativa. ib. num.33.
Est ceteris paribus certior scientiis naturalibus ex parte subjecti. p.16.n.38.b.
Etiam ex parte objecti. p.17.n 40.a.
Quomodo Conclusio Theologica sit infallibilis. ibidem.
Ac certior aliis scientiis. ibid. n.41.b.
Nequit in quantum conclusio esse certior primis principiis. ibid.
Nec etiam quavis conclusione scientificâ. ibid.

Timor.

Timor non reperitur in Deo. p.124.n.52.b.

SS. Trinitas.

SS. Trinitas unde sic dicta. p.171.
Hujus mysterii sublimitas. ibid.
De illo variæ hæreses. p.172.n.1.& seqq.
Singularum personarum divinitas probatur. pag. 173.n.8.& 9. Et p.174.n.10.
Mysterium SS.Trinitatis est supra rationem. pag. 175.n.17.b.
Non contra illam. ibid.n.18.
Unde aliquibus Ethnicis innotuerit. pag. 176.nu. 19. a.
Explicatur axioma: Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. p.175.n.15.a.
Item, Omnia in divinis sunt unum, ubi non obviat relationum oppositio. p.213.n.95.a.
Aliqualis similitudo SS. Trinitatis supposita fide. ibid. num.20.
Toti Trinitati competit creatio. pag.232. numero 6. b.
Ejus opera ad extrà sunt indivisa. pag. 233. numero 6. a.
Etsi specialiter nunc uni, nunc alteri personæ appropriantur. ibid.n.7.a
Vide Processio, Generatio, Spiratio, Persona Pater, Filius, Spiritus sanctus.
De modo loquendi in hoc mysterio, vide Modus loquendi.

Trinitarii.

Trinitariorum hæresis de mysterio SS. Trinitatis. p.172. n.1.a.

Tristitia.

Tristitia non reperitur in Deo. p.124.n.51.b.

Tritheitæ.

Tritheitarum hæresis quoad pluralitatem Deorum. p.172. num.4. b.

V.

Ubi.

UBI, *vide* Præsentia.
Ubi Angelorum, vide Angelorum Locus.

Verbum.

Nomen Verbi est proprium Filio in divinis. p.218. num. 8. a.
Verbum propriè loquendo non nisi personaliter sumitur. p.219.n.11.a.
Cur in divinis non sumatur essentialiter. ibid.
Quid verbum mentis. p.81.n.84.a.
An tale sit visio beatifica. ibid.n.85.
Qua causa ad verbum mentis debeant naturaliter concurrere. p.81.n.85.b.
Verbi humani cum divino similitudo & dissimilitudo. p.199.n.43.b.
Quid sit Patrem proferre Verbum. ibid.n.44.
Pater non intelligit Verbo. p.200.n.45.a.
Cur potiùs not intelligamus Verbo à nobis producto. ibid. n.49 b.
Neque est intelligens Verbo. ibid.n.46.a.
Sed intelligit in Verbo. ibid.n.47.
Item omnia creat in Verbo. ibid. n.48.b.
Pater dicit Verbo. ibid. n.50.
Cur Pater potiùs dicat Verbo, quàm intelligat Verbo. p.201.n.52.b.
Pater dicit Verbo creata. p.203.n.60.a.
Verbum aliud oris, aliud mentis. p.200.n.50.b.
Quâ ratione Filius sit propriè Verbum Patris. pag. 201.n.50.a.
Ratione cujus Verbum omnia Patri ostendat. ibidem.
Qualis sit respectus declarativi importatus per Verbum. ibid.

An Filius sit Verbum Patris tantùm. ibid.

Veritas.

Prima Veritas est objectum motivum Theologiæ. pag.10. num.16.b.
Non tamen proximum. ibid.n.17.
Nec adæquatum. p.11.n.17.a.
Est equidem proprium. ibid.

Via.

Via Angelorum, vide Angelorum via.

Virginitas.

In statu innocentiæ amissa fuisset Virginitas mentis & corporis. p.329.n.85.a.
Quâ meliùs fuisset conjugium. ibid.

Virtus.

Quot sint virtutes intellectuales. p.106.n.82.a.
Qualiter in Deo reperiri possint. ibid.
Quid sint in actu primo, quid in actu secundo. ib. num. 83.
Omnes in eo reperiuntur præter fidem Theologicam. ibid.n.83.
Harum virtutum inter se & ab intellectu distinctio. p.107.n.85.a.
Virtutes etiam dantur in voluntate divina. pag. 125. n.54.a.
Quid sint in actu primo, quid in actu secundo. ibidem. b.
Latè loquendo omnes virtutes in Deo reperiuntur. p.125. n.55.b.
In rigore autem sola charitas. ibid.
Propriè loquendo aliqua in Deo reperiuntur, aliqua non. p.126.n.56.a.& seqq.

Visibilitas, Visio Dei.

Visio objecti infiniti non debet esse infinita. pag.62. num.25 b.
Deus est absolutè visibilis intellectui creato pro hac vita. p.62.n.26.b.
Videns clarè Deum raperetur in extasim. pag.63. num.27.a.
Clara visio Dei cur potiùs impediret operationem sensuum, quàm voluntatis. p.63.n 28.a.
Visio Dei in hac vita nulli puræ creaturæ est concessa. p.63.n.29.b.
Opposita sententia de Moyse & Paulo. ibid. num. 30. b.
Discutitur opinio sancti Augustini in hoc puncto. ibid.
Si aliquis purus homo, utique Deipara Deum vidit in hac vita. p.64.n.34.b.
Oppositum à censura vindicatur. p.65.n.34.a.
Ad alios tamen sanctos hoc privilegium non est extendendum. ibid.65.n.35.a.
Paradoxum de increata Dei visione Prophetis communicatâ. ibid.n.36.

Visio beatifica.

Visionem beatificam coëfficit intellectus. pag. 66. num.39. a.
Visionis beatificæ inæqualitas. p.69.n.49.a.
Unde physicè proveniat inæqualitas visionis beatificæ. p.70.n.51.a.
Quomodo visio tota supernaturalis proportionari possit intellectui ut causa naturali. ibid.
Quomodo intellectus habeat virtutem incompletam respectu visionis beatificæ. p.70.n.52.b.
Tota attingitur tam ab intellectu quàm lumine gloriæ. ibid.
Cur potiùs intellectus, quàm lumen ad eam elevetur. ibid.
Elevatur intellectus ad eam etiam quatenus est talis intellectus. ibid.
Quomodo cum inæqualitate visionis beatificæ salvetur ratio præmii in illa. p.71.n.53.a.
In quo consistat inæqualitas visionis beatificæ. ibid. num.54.
An visio Personalitatum sine essentia foret beatifica. p.73.n.59 a.
Item an visio unius attributi sine alio, aut sine essentia. ibid.
Aut solius essentia sine personalitatibus. ibid.
Visio essentiæ sine attributis foret præcisiva. ibid. num.58.
Specie distincta à visione essentiæ cum attributis. ibid.
Essentia divina videri posset nullâ visâ creaturâ. p.75.n.65.a.
Visio beatifica est formaliter simplex. pag. 79. nu. 78. a.
Virtualiter judicativa & discursiva. ibid. num. 79. b.
Non est formaliter reflexa. ibid.n.80.
Sed virtualiter. ibid.
An reflectatur supra seipsam ut perpetuò duraturam. p.80.n.81.a.
Quomodo illa visio possit esse objectum sui ipsius. ib.
Est species expressa & formalis imago Dei. ibid. num.82. b.
An sit verbum mentis. p.81.n.84.a.

Visus.

Objectum visûs. p.60.n.17.b.

Vita.

Quid vita intellectualis in actu primo & secundo. p.27.n.39.a.
Vita intellectualis divina & creata quomodo distinguantur. ibid.n.40.
Vita in actu primo & secundo in Deo est æqualis. p.89.n.14.a.
Vita corporalis nequit in æternum protrahi vi alicujus cibi naturalis.

Unitas Dei.

Non posse dari, nisi unum Deum, est fide certum. p. 30. n.49.a.
Est insuper evidens ex ratione naturali. ibid. numero 50.
Si possent multiplicari entia necessaria & à se, multiplicarentur in infinitum. ibid.
Nec ullum esset infinitè perfectum. ibid.n.51.b.
Compositum ex duobus esset perfectius uno seorsim. ibid.
Secundus Deus foret superfluus. ibid.
Immo & singuli, si duo darentur. ibid.

Possent

Possint velle opposita. ibid. n.52.
Adeòque infinita plurium voluntatum potentia seipsam destruit. ibid.
Secundus Deus à primo non distingueretur realiter. pag.31.n. 52.a.
Dei beatitudo socium non requirit. ibid.n.53.
Gentilitas posuit tria millia Deorum. pag. 31. num.54. b.

Universum.

Universi harmonia. p.170.n.16.a.
Non est Arithmetica, sed Geometrica. ibid. num. 17.b.

Vocatio.

Vocatio est generalis effectus prædestinationis. pag. 138. n.32.a.
Quæ pertineant ad vocationem. ibid.n.33.a.

Voluntas, Volitio.

Voluntas in Deo datur. p.107.n.1.b.
Distinguitur formaliter ab essentia & volitione. ibid. num.2. b.
Est libera. p.108. n.4.a.
Non tamen ad peccandum, vel Deum non amandum. ibid.
Si Deus non ageret liberè, omnia à nobis fierent necessariò. ibid.n.5.
In quo consistat voluntatis divinæ libertas, vide Libertas.
Voluntatis divinæ objectum primarium. pag.113. num.18.b.
An creatura possit esse objectum motivum subordinatum respectu divinæ voluntatis. ibid.num. 19. b.
An attributa & perfectiones divinæ relativæ pertineant ad objectum primarium divinæ voluntatis. p.114.n.20.a.
Ad illud spectant creaturæ tam actuales quam possibiles. ibid.n.21.
An Deus necessariò sibi complaceat in creaturis possibilibus. ibid.n.22.b.
Entia rationis spectant solùm per accidens ad objectum divinæ voluntatis. p.114.n.23.b.
Ubi etiam negationes & mala pœna. pag. 115. n. 24.& 25.a.
Voluntas divina variè dividitur. pag.121. n.41. & seq.
Quam voluntatem in Deo significent præceptum & consilium. ibid.n.43. b.
Item Dei operatio & permissio. p.122.n.43.a.
Divisio voluntatis divinæ in antecedentem & consequentem explicatur. ibid.n.45.b.
In voluntate Dei quæ passiones animi dentur. pag. 123. num.48.b.
Quæ virtutes, vide Virtus.
Voluntatis operatio non est ex formali sua ratione assimilativa. p.191.n.9.b.
Volitio essentialis divina non est actus notionalis. p. 198. n.41.b.

Voluntas Dei salvandi omnes.

Per eam intelligitur voluntas aliquo modo profectiva. p.134.n.18.a.
Non est restricta ad solos prædestinatos. ibid. numero 19.a.
Eam docet Scriptura, cujus communis explicatio confirmatur. ibid.n.20.
Auctoritas Augustini communi doctrinæ & explicationi non repugnat. p.134.n.22.b.
A voluntate generali salvandi omnes non excipiuntur infantes sine baptismo morientes. pag. 135. n.24.b.
Quos Deus etiam vult ad agnitionem veritatis venire. p.136.n.25.a.
Quâ voluntate velit Deus aliquos non venire ad baptismum. ibid.n.26.b.

Vox.

Voces quomodo significent conceptum loquentis. p. 85. num.98.b.
Significant pro dispositione audientis. ibid.
Possunt significare rem antè cognitam. pag.68.numero 99. a.

FINIS.

PRIVI-

ERRATA POTIORA.

PAg. 31. col. 2. num. 54. *triginta millia* lege *tria millia.*
Pag. 81. col 2. nu.86. *sicut visibilitas & incomprehensibilitas* lege *comprehensibilitas,*
Pag 116. col. 2. n. 28. *Resp. 11. cap. Gall.* l. *Resp ad 21. cap. Gall.*
Pag. 118. col. 1. n. 33. *Christum, meũ vi* l *Christummet, vi.*
Pag. 125. col. 1. n. 54. *utrumque assurgo* l. *utcumque.*
Pag. 126. col. 2. n. 58. *Omnes pœna Antiqui* l *penè.*
Pag. 248. col 2. n. 14. 17. in marginali, *Posteri Seth*, adde, *intelliguntur.*

Nonnulla, quæ restant minora, prudens Lector facilè ex contextu diiudicabit.

PRIVILEGIUM

Regis Hispaniarum.

PHILIPPI IV. Regis Hispaniarum &c. Privilegio cautum est, ne quis *Summam Theologicam, Scholasticam & Moralem Auctore* F. GVILIELMO HERINCX *Ordinis FF. Minorum S. Theologiæ Lectore Jubilato* in toto vel in parte, conjunctim vel divisim imprimat, aut alibi impressam in hasce ditiones importet, retineat vel divendat, præter Typographum Iuratum ab eodem Auctore deligendum; idque sub pœna confiscationis & amissionis librorum, & insuper aliâ gravi mulctâ; ut latiùs patet in litteris patentibus desuper Bruxellæ in supremo Consilio Brabantiæ expeditis die 15. Maii, Anno 1659. De more sigillatis & signatis

LOYENS.

VIRTUTE Privilegii supradicti facultatem concedo PETRO BELLERO *Antuerpiensi Typographo Iurato* imprimendi & distrahendi *Primam Partem Summæ Theologicæ Scholasticæ & Moralis* per me compositæ; idque pro prima Editione. Datum Bruxellæ in Conventu FF. Minorum die 22. Maii. Anno 1659.

F. GVILIELMUS HERINCX.



ANTVERPIÆ,
Typis PETRI BELLERI.
1660.